373-381
425
[illegible]
446
451
454

ANALECTA FRANCISCANA

SIVE

CHRONICA ALIAQUE VARIA DOCUMENTA

AD

HISTORIAM FRATRUM MINORUM

SPECTANTIA

EDITA

A PATRIBUS COLLEGII S. BONAVENTURAE

Tomus IV.

AD CLARAS AQUAS (QUARACCHI)
PROPE FLORENTIAM
EX TYPOGRAPHIA COLLEGII S. BONAVENTURAE

MCMVI.

DE CONFORMITATE
VITAE BEATI FRANCISCI
AD
VITAM DOMINI IESU

AUCTORE

FR. BARTHOLOMAEO DE PISA

LIBER I.

Fructus I-XII.

IMPRIMATUR.

Datum Florentiae ex Curia Archiepiscopali,
die 18 Decembris 1906.

Can. Alex. Ciolli, *Vic. Gen.*

Ex parte Ordinis nihil obstat, quominus imprimatur.

Romae ad S. Antonium, die 12 Decembris 1906.

Fr. Dionysius Schuler
Minister Generalis.

Ex anno 1897, quo tertius tomus huius collectionis prodiit, duo patres huius Collegii ad requiem aeternam transierunt, qui prae aliis in *Analecta Franciscana* edenda opus et studium impenderant: P. Quintianus Müller et P. Ignatius Ieiler, provinciae Saxoniae S. Crucis alumni; quare facere non possumus, quin hoc loco brevi sermone eorum reminiscamur.

Die 25 Iunii 1902 obiit in loco, quo natus est, Erfordii in Germania, P. Quintianus Mueller, natus annos sexaginta, fractus laboribus et infirmitatibus. Post studia finita an. 1871 sacerdotio initiatus primum per aliquot annos curae animarum operam dedit, usque dum anno 1876 a Rmo P. Ministro Generali inter collaboratores novae editionis Operum omnium D. Bonaventurae aggregatus est. Per 4 annos Monachii in bibliotheca regia laboravit; deinde a die 19 Iunii 1881 per 20 annos in hoc Collegio moratus est, soli orationi et operationi tempus impendens.

„ Homo erat in primis indefessi et fere incredibilis laboris. Ut collaborator operum S. Bonaventurae sat multos et contentione plenos labores alacri semper animo et libenter subiit, immo sponte sua onus diversorum laborum in se suscepit. Cordi ipsi erat, ut labores sibi demandatos meliore quo posset modo exsequeretur. Ut operibus ab obedientia sibi impositis satisfaceret, neque tempori neque labori pepercit. Secundum et tertium volumen Analectorum Franciscanorum ipsius potissimum opera exscripta, cum variis codicibus collata et pro editione praeparata sunt. Omni tempore denique, quod sibi reliquum erat, incubuit ad conscribendas pro variis actis diurnis et ephemeridibus elucubrationes de rebus religiosis et moralibus tractantes [1] „ ; vertit quoque in linguam germanicam vitam B. Ioannis Alverniensis, necnon primum volumen historiae compendiosae Ordinis Minorum, quam P. Pamphilus a Magliano praeclare incepit.

[1] Opera omnia S. Bonaventurae, t. X (ad Claras Aquas 1902), pag. VII.

Die 9 Decembris 1904 in hoc ipso Collegio cursum vitae longae laboribus meritisque plenae in sancta pace confecit R. P. Ignatius Ieiler, " Ex-Definitor Generalis Ordinis Fratrum Minorum, Doctor S. Theologiae, per quatuor lustra gloriosa Praefectus Collegii, praesul novae editionis Operum omnium S. Bonaventurae, princeps inter theologos Franciscanos saeculi elapsi [1] ".

Natus anno 1823 die 4 Decembris in pago Havixbeck prope Münster in Westfalia in studia praeclare incubuit in gymnasio et academia civitatis Münster et anno 1845 Ordini Seraphico se adiunxit. Post sacrum presbyteratum 1848 Paderbornae susceptum plurimos labores per plus quam quinquaginta sacerdotii annos in vinea Domini opere, verbo, scriptis subiit. Postquam in sua provincia lector sacrae theologiae exstitit, anno 1875 associatus est P. Fideli a Fanna in perlustrandis bibliothecis Germaniae, Austriae ac Daniae; qua occasione multa recollegit documenta, quibus in diversis occasionibus est egregie usus. Die 27 Iunii 1879 ad hoc Collegium translatus per 25 annos ibi sanctam et indefessam vitam duxit. Post obitum P. Fidelis 1881 Collegii Praefectus institutus anno sequente primum tomum novae editionis operum S. Bonaventurae typis dedit, quem decursu viginti annorum usque ad annum 1902 decem alii tomi sunt secuti. *Prolegomena* et *Scholia* dictae editionis ab ipso P. Ignatio scripta sunt; *Scholia* ipsius nomen inter celebriores Ordinis theologos inseruerunt; *Prolegomena* vero permulta praebent documenta pro historia litteraria saeculi XIII et XIV; multa quoque dubia solverunt ac errores correxerunt. Praeterea multos composuit articulos in periodicis et encyclopaediis, plures optimos libros scripsit, multis auctoribus consilio experto prudens adiutor fuit. *Analecta Franciscana* praesertim P. Ignatio initium et suo auxilio faustum progressum multopere debent.

Memoria ipsorum erit in benedictione per saecula.

---

[1] Acta Ordinis Minorum, t. XXIV (1905), pag. 45.

PRAEFATIO

Ut votis pluries et a pluribus nobis oblatis obsequeremur, editionem novam Operis huius a multis iure laudati, ab aliis non absque ratione vituperati suscepimus. Continet opus multa et pretiosa documenta, quae historiae franciscanae maximo semper fuerunt emolumento; continet et multas fabulas, quas facile recognitas prudens lector negliget.

Praemittimus tria capita, in quibus de *auctore,* de *fontibus,* quibus usus est, ac de *ratione nostrae editionis* agimus.

I. De auctore, fratre Bartholomaeo Pisano eiusque vita satis parum constat.

1. Ex documentis, quae in diversis archivis civitatis Pisanae recollegit et benigne nobis transmisit R. D. Salvator Barsotti, presbyter Pisanus, elucet, d u o s in civitate Pisarum eodem tempore vixisse fratres Minores, quibus nomen B a r t h o l o m a e u s; qui duo saepe postea confusi uti unus solus frater a scriptoribus exhibebantur [1].

Prior in documentis vocatur semper frater B a r t h o l o m a e u s d o m i n i A l b i s i. — Quidam Mingus calthularius de monte Castello Vallis Herae D. I. A. 1349 ind. I, sexto-

---

[1] Hanc confusionem invenimus praeter alios apud Marianum Florentinum, *Compendium Chronicarum Fr. Minorum* (cfr. infra pag. XIII) — Petrum Rodulphium Tossinianensem, *Historiarum Seraphicae Religionis libri tres,* l. III De Scriptoribus, pag. 310 — Marcum Ulyssiponensem, *Croniche degli ordini instituiti dal P. S. Francesco,* p. III l. I c. 8 (ed. Neapol. 1680, pag. 14) — Waddingum, *Annales Minorum,* ad annum 1343 n. 33 et 1399 n. 10 — Sbaralea, *Supplementum ad Scriptores ordinis Minorum,* pag. 109 (cfr. tamen in fine inter « Addenda et corrigenda » pag. 725). — Contrariam sententiam tenuerunt Tempesti, *Discorso Accademico sull' Istoria Letteraria Italiana* (Pisa 1787), pag. 38 seqq., et Papini O. M. Conv. in *Index Onomasticus Scriptorum Universae Franciscanae Familiae per fr. Nic. Papini 1828* (codex ms. *11. 11. 181* bibl. nationalis Florentinae), cum aliis; cfr. Analecta Franciscana, t. II pag. 582.

decimo kalendas maii, suum condidit testamentum eiusque exsecutores reliquit " fratrem Raynerium Iordanum de ordine sancte Catherine, fratrem Bartholomeum domini Albisi de ordine sancti Francisci „ aliosque [1]. — Gratiolus de Gangareto, syndicus conventus sancti Francisci de Pisis, die 5 sept. D. I. A. MCCCLX ind. XII testatur, se habuisse " libras decem denariorum pisanorum iudicatas a D. Pera fratri Bartholomeo domini Albisi de Vico [2] per suum ultimum testamentum [3] „. — Idem Gratiolus D. I. A. MCCCLX ind. XIII, die sextadecima decembris, inter alia, quae a Nicolao exsecutore testamentorum et procuratore pauperum archiepiscopalis curiae Pisarum recepit, affert: " Et in alia parte pro soldis duobus iudicatis a domina Bonuccia relicta Manuelli pro uno ginocchio cere figure sancti Gerardi soldum unum. Et in alia parte pro soldis quadraginta iudicatis a dicta testatrice fratri Bartholomeo domini Albisi fratri dicti conventus de Pisis soldos decemnovem denarios octo [4] „. Sanctus ille Gerardus est frater Gerardus de Valentia Lombardiae, qui in conventu Panormitano anno 1342 sancte obiit et inter Pisanos specialem cultum accepit, procurante imprimis hoc fratre Bartholomaeo, qui etiam vitam ipsius scripsit [5] et in templo sancti Francisci iuxta aram olim beato Gerardo, nunc autem Nativitati beatae Mariae Virginis, dicatam tumulatus est. In lapide sepulchri leguntur verba insculpta: " Hic iacet venerabilis frater Bartholomeus domini Albisi ordinis Minorum, qui obiit A. D. MCCCLI die X decembris [6] „.

Alter in documentis et libris vocatur frater Bartholomeus de Rinonico. — In publico Pisarum tabulario exstat vetus inventarium sacristiae et conventus sancti Fran-

---

[1] Archivum Archiepiscopale: *Diplomat. Archiepisc. Pisar.*, n. 1884.

[2] Nomen « domini Albisi de Vico » etiam alibi recurrit; cfr. Barsotti, *Un nuovo Fiore Serafico. Il B. Giovanni Cini* (Quaracchi 1906), pag. 52 not. 1, ubi « Dominus Albithus de Vico ».

[3] Ibid.: *Executor. Testament. ab anno 1350 ad 1417* (1346-1424), fol. 274 r.

[4] L. c. fol. 279 v et 280 r.

[5] Exstat in cod. Vaticano *7660* et in cod. *96* bibl. Alexandrinae de Urbe (fol. 594 r seqq.); cfr. infra pag. 297 not. 3.

[6] Ex documentis secundo loco allatis elucet, Bartholomaeum anno 1360 adhuc vixisse; unde errorem in hanc inscriptionem irrepsisse patet. Fortasse legi debet MCCCLX:

cisci illius civitatis [1]; ibidem fol. 21^r legitur: “ Loyca vetus cum libris distinctionum bonaventure, quam habuit frater Bartolomeus de Rinonico de licentia generalis ministri. Die XV octubris A. D. MCCCLII „. Ibidem fol. 27^r: “ In nomine Domini. Amen. Incipit registrum sacristie Pisani conventus factum A. D. MCCCLXVIII, die prima Iunii, coram fratribus Andrea de Sarzana, tunc custode Pisano, Oddone de Sciancha-tis, tunc guardiano Pisano,... Bartholomeo de Rinonico etc. „. — In alio libro manuscripto eiusdem archivi [2] exstat contractus de “ anno MCCCLXXXXVII, Ind., quarta die IIII Augusti „, qui incipit “ Frater Bartholomeus de Rinonichi, sacre theologie magister, et frater Iohannes Bandini, custos infrascripti conventus fratrum sancti Francisci de Pisis „ etc. — In archivo archiepiscopali Pisano asservatur series contractuum (sign. N. 19. X), quae ab anno 1264 ad annum 1406 pervenit; ibidem fol. 26 legitur: “ Actum Pisis presentibus Domino Fratre Marco, Dei gratia episcopo Marsicensi, et magistro Bartholomeo de Rinonichi ordinis Minorum, sacre theologie magistro, testibus ad praemissa vocatis specialiter et rogatis A. D. MCCCLXXXXVII ind. IV, die decimanona mensis Iunii [3]„. — Idem nomen “ frater Bartholomaeus de Rinonicho de Pisis „ legitur in litteris Gregorii XI die 27 apr. 1375 Thomae Gradensi patriarchae datis, de quibus paulo post sermo recurret. — Auctor operis *De vita B. Mariae Virginis* tandem in codicibus nominatur “ frater Bartholomeus de Rinonico de Pisis, sacre theologie magister [4] „.

Quum hoc modo duo illa nomina ubique discernantur impermixta, nec unquam prior “ magister sacrae theologiae „ nec alter “ domini Albisi „ vocetur, etiam duos illos fratres

---

[1] N. 1423 (n° nuovo I). In maiori parte exaratum est saeculo XIV.

[2] *Arch. della Primaziale Pisana* N. 36, *Contratti dall' anno 1392 all' anno 1408,* n. 203.

[3] Ibidem in *Extraordinaria ser Bartholomei de Ghezzano (1393-1398)* fol. 25 r habetur aliud documentum de 28 oct. 1397, in cuius fine legitur « fratre Bartholomeo de Rinonichi ordinis fratrum Minorum S. Francisci sacre theologie magistro » praesente.

[4] Habetur in codd. *Medic. Palat. CXXXIX* et *CXL* (saec. XIV) bibl. Laurentianae Florentinae; explicit: « completum 1382 die IX mensis Maii ». Cfr. Bandini, *Supplementum ad Catalogum bibl. Laurent.,* t. III pag. 374 et 375.

— fr. Bartholomaeus domini Albisi de Vico et frater Bartholomaeus de Rinonico de Pisis — discernendos censemus. Accedit tempus diversum, in quo uterque nominatur: prior iam anno 1342 " patrii conventus guardianus „ exstitit [1] et circa annum 1360 ultima vice nominatur; alter prima vice invenitur anno 1352 et in fine saeculi adhuc in conventu Pisano supervivit. Frater Bartholomaeus domini Albisi circa dimidium saeculum XIV Pisis obiit; frater Bartholomaeus de Rinonico de Pisis vero est ille " magister sacrae theologiae frater Bartholomaeus de Pisis „, qui versus finem illius saeculi opus, quod hic denuo editur, conscripsit [2].

2. Natus est auctor noster in civitate Pisarum ex illustri familia de Rinonico; ast de tempore nativitatis et primordiis suae vitae nihil habetur. Prima eius mentio occurrit in supra dicto inventario de " die XV octubris Anno Domini MCCCLII „; fortasse illo tempore in conventu Pisano in studia incubuit, quae ex suis verbis (infra pag. 449): " Bononiae dum essem

[1] Papini l. c. hoc ex tabula altaris depicta in ecclesia Minorum Pisana eruit.

[2] In libro *La Tradizione Francescana ed i due luoghi, ove furono nascosti il Corpo ed il Cuore del Serafico Padre S. Francesco di Assisi* (Roma 1901) pag. 351 not. 1 habentur iam eadem fere documenta, quae supra exposuimus, sed conclusio contradictoria. Argumentatio ibi posita est haec: « Il ch. Barsotti sac. Salvatore da Pisa, esimio cultore delle patrie memorie, in una lettera scrittaci su tal soggetto sostiene collo Sbaraglia che nell' anno della morte segnato nell' epigrafe vi fu lo scambio di una lettera e che in Pisa fiorì in quel secolo un solo fr. Bartolomeo, figlio d' Albiso della famiglia di Renonico, raccogliendone le prove in tal modo:

Non potendosi revocare in dubbio:

1. che il Frate Bartolomeo Pisano o da Pisa, è l' autore di più che trenta grandi volumi contenenti opere sacre, che spirano tutte soave fragranza;

2. che per dottrina e per santità (il suddetto) è stato l' unico tra i molti Padri vissuti e morti in Pisa, che meritasse una sepoltura distinta e sontuosa per i tempi d' allora;

3. che il precitato autore viveva ancora nel 1399 essendo intervenuto al Capitolo Generale di Assisi per presentarvi, in ordine all' approvazione, l' opera famosa delle Conformità;

4. che questo frate d' ingegno ammirabile e fecondo, appellavasi *de Rinonico, o de' Rinonichi*, come rilevasi dal titolo di un' opera di lui veduta dal Tempesti nella Libreria Mediceo-Laurenziana: *Opera Ven. Fratris Bartholomaei de Pisis de Rinonico* etc.

5. che infine questo Santo Religioso fu devoto oltremodo del B. Gerardo († 1343), di cui il Pisano, per attestato del Wadding, ne scrisse la vita nel 1347, che nel 1385, in compendio inserì nell' opera delle Conformità:

Fa d' uopo concludere ch' egli e non altri sia quello che fu sepolto presso al di lui altare con la seguente precisa iscrizione: ‚Hic iacet Venerabilis Frater Bartolomeus Dni Albisi Ord. Min.' ».

Cl. auctor, S. Barsotti, in litteris nobis datis iam aliam sententiam omnino edicit; nec difficulter argumentationi illi respondemus: ad 1: concedo; ad 2: quod est demonstrandum; ad 3 et 4: distinguo; ad 5: nego; hinc negatur conclusio.

studens „ etiam in celebri studio Bononiensi continuasse scitur. Post studia absoluta in pluribus scholis exstitit lector. In litteris Gregorii XI citatis an. 1375 commendatur Thomae patriarchae Gradensi, ut " qui Pisis in generali studio in theologia bacallarius et in pluribus aliis studiis generalibus sui ordinis lector extitit et in generali capitulo proxime celebrato ad legendum sententias in studio Cantabrigiae pro magisterio obtinendo deputatus est, sed propter guerrarum discrimina illuc accedere commode nequit, si eum in aliquo studio sufficientem et idoneum repererit, magisterii honorem et docendi licentiam largiatur [1] „. Ex verbis ipsius Pisani (infra pag. 273 et 359): " Paduae dum essem lector „ scimus, ipsum in studio Patavino docuisse; chronicae fr. Marci Ulyssiponensis (p. III l. I c. 8) narrant, " che lesse in Bologna, in Pisa, in Siena, et in Firenza „; cui addunt: " Predicò molt' anni nelle Città principali d' Italia con grand' applauso di tutti [2] „.

Plura opera tempore illo composuit. Frater Ioannes Mapellus, qui secundam editionem libri de conformitatibus 1513 procuravit, in fine de fr. Bartholomaeo dicit: " Cuius ingenio plus quam triginta et quidem ingentia librorum catholicorum volumina edita sunt „. Terrinca in suo libro *Theatrum Etrusco-Minoriticum* [3], Sbaralea et alii catalogum suorum operum texuerunt; qui pluribus scatet erroribus. Aliquando enim ipsi attribuunt libros ab aliis conscriptos; ex. gr. *Summa casuum conscientiae,* quae est fr. Bartholomaei a s. Concordio de Pisis ex ordine Praedicatorum [4]; et *vita beati Gerardi,* — quae uti iam dictum — est fr. Bartholomaei domini Albisi. Alia nonnisi sunt pars alterius operis; *explicatio* ex. gr. *regulae* invenitur in fructu IX libri nostri *de Conformitate.* Hunc librum scribere incepit anno 1385 et absolvit " 1390, die decima octava mensis Martii [5] „.

---

[1] Cfr. Eubel, *Bullarium franciscanum,* t. VI pag. 551 (n. 1379).

[2] L. c. pag. 14. Cfr. etiam Sbaralea, l. c. pag. 109.

[3] Pag. 190 (Florentiae 1682).

[4] Pluries est edita; cfr. Hain, *Repertorium bibliographicum,* t. I n. 2524-2528, aliosque.

[5] Ita codd. Alv. et Urbin. in principio et fine operis. Qui fr. XIV p. II n. 6 omisso « videlicet MCCCXC » habent: « Pontifices, qui Honorio successerunt, usque ad tempora praesentia ad numerum viginti quinque ascendunt »; ad quae P. Eduardus Alenc. (*Études Franciscaines,* 1904

Post opus finitum per aliquod tempus in conventu Pisano commoratus est, quod plura documenta supra iam posita ostendunt, et ultima eius mentio habetur in capitulo generali Assisii die 2 aug. 1399 celebrato, quo liber noster approbatus est. Scriptores posteriores eum mortuum esse Pisis anno 1401 dicunt. Qui plura etiam tradunt de eius virtutibus [1] et de cultu ipsi post mortem a Pisanis exhibito. Carolus Forti ex. gr. in *Catalogo Agiologico Etrusco* [2], Clementi XII dicato, dicit: " Beatus Bartholomaeus Rivanius (!) nobilis Pisanus ordinis sancti Francisci. Decessit Pisis anno 1401. Eius corpus colitur in templo ordinis sui sub ara beati Gherardi Panormitani ". Quae ultima verba ingerunt nobis timorem, ne etiam hoc loco dicta confusio habeatur inter duos fratres homonymos. Certo habetur in martyrologiis ordinis, quae eum commemorant die 4 novembris [3]; unde decidere haud possumus, utri cultus ille reapse conveniat. Securo tamen ex libro nostro deducere licet, fratrem Bartholomaeum de Rinonico fuisse hominem magnae devotionis et zelatorem vitae seraphicae eximium, simulque in scientiis theologicis et praesertim sacra scriptura solito plus instructum.

In fine huius capitis ponimus ea, quae Mariani Florentini *Compendium Chronicarum* de fr. Bartholomaeo refert [4]:

" Sexagesimum Capitulum celebratum est Assisii anno Domini 1390 [5] per Fratrem Henricum Generalem in quo Capitulo magister Bartolomeus Pisanus presentavit librum de

---

t. II pag. 92) advertit: « La mention des vingt-cinq papes successeurs d'Honorius III fixe la composition du *fructus XIV* avant la mort d'Urbain VI, 15 octobre 1389 ». Aliud argumentum praebent verba in fr. VIII (pag. 274): « Henricus generalis minister »; Henricus de Alpheriis electus est generalis anno 1387. — Fr. II p. I (infra pag. 68) legitur: « Captivatio et desolatio (Iudaeorum) usque in hodiernum diem ab anno 1346 viget »; quibus verbis innixus P. Golubovich (*Biblioteca bio-bibliografica della Terra Santa,* t. I pag. 71 not. 2) dicit: « A questa data aggiunti i 33 anni tradizionali della vita di Cristo, avremmo il 1379 come anno in cui il Pisano scriveva il secondo frutto o capitolo delle Conformità »; quibus assentiri haud possumus, iam ob hanc causam, quia ignoratur terminus, a quo Pisanus procedit.

[1] Cfr. *Croniche* cit., pag. 14.

[2] Pag. 63 (Romae 1731).

[3] Cfr. *Martyrologium Franciscanum* P. Arturi a Monasterio et *Menologium* P. Fort. Hueber.

[4] Quae nondum edita fraterne transcripsit et obtulit R. P. Sixtus a Pisa O. Cap. ex codice ms. *Compendii* (fol. 80 v), qui asservatur apud P. Capuc. Montis Hugonum ad Florentiam.

[5] Errat Marianus; cfr. infra pag XXIV not. 1.

conformitatibus Beati Francisci quem nuper ediderat. Hic frater Bartolomeus sacre theologiae magister, et magnus predicator, vir utique devotus et suae perfectionis et professionis zelator precipuus fuit, et plurimos a demonio obsessos liberavit, et alia miracula fecit. Scripsit etiam multa videlicet: Librum de gestis et dictis Salvatoris [1], item: Opuscula de passione, de resurrectione et de ascensione Domini, item: Opus quod Mariale [2] appellavit, item: De vita et laudibus apostoli Pauli magnum et pulcherrimum volumen, item: Librum de vita et laudibus sancti Benedicti per meditationes et fructus procedens, in duas partes divisum. Alium etiam composuit de laudibus et vita sancti Dominici; item alia opuscula et vitam et miracula beati Corardi (!) de Valentia et sermones multos, tam quadragesimales [3] quam de Sanctis per totum annum „.

II. Transeamus ad fontes historiae franciscanae, quibus Pisanus in suo opere scribendo est usus.

1. Et primum dicemus de illis, quos ipse citavit.

a. *Scripta sancti Francisci.*

In fructu XII Pisanus pluries adhibuit scripta sancti Francisci, *Admonitiones, regulam antiquam, regulam novam, testamentum*, epistolam “ ad omnes Christi fideles „, epistolam “ directam capitulo generali „, epistolam “ directam generali ministro [4] „.

b. *Legenda fratris Thomae.*

Aliquando frater Bartholomaeus citat *Legendam fratris Thomae,* ex. gr. fr. I (pag. 57), fr. V (pag. 122), fr. XII c. 15 (pag. 608), ib. c. 16 (pag. 610), ib. c. 26 (pag. 620), ib. c. 40 (pag. 631 bis). Quae his locis habentur, exstant in legenda secunda fratris Thomae de Celano in iis capitibus, quae ubique in notis indicavimus [5].

---

[1] Quem librum scribere quidem promisit (cfr. infra pag. 577); ast nullum invenimus vestigium.

[2] Prodiit Venetiis 1596. Cfr. infra pag. 66 et alibi.

[3] Prodierunt Mediolani 1498. Cfr. infra pag. XXXII not. 1.

[4] In *Opuscula S. P. Francisci* (Quaracchi, 1904). Cfr. ib. Praefatio, pag. XI.

[5] Sec. editionem Amoni (Romae 1880); editio P. Eduardi Alenconiensis nonnisi circa finem huius nostri laboris prodiit. — Nullibi citatam invenimus legendam primam Celanensis.

c. *Legenda maior.*

Saepissime adhibuit et citavit *Legendam maiorem* sancti Bonaventurae, quam etiam aliquando (cfr. pag. 41 lin. 25) " legendam " simpliciter sine addito nuncupavit [1].

d. *Legenda trium sociorum.*

Multis locis nominat " *Legendam trium sociorum* ", quam secundum ipsum (pag. 193 lin. 1) frater Leo " ex mandato fratris Crescentii generalis ministri et capituli generalis cum fratre Rufino et fratre Angelo composuit ". Omnia vero, quae Pisanus ex " Legenda trium sociorum " citavit, exstant in legenda, prouti est edita inter *Acta Sanctorum* et a Faloci-Pulignani [2]. Notum est, illos, qui dictas editiones fragmenta putant, etiam ad librum Pisani recurrere dicentes, non omnia Pisani citata in ipsis inveniri [3]; et exhibent duos textus, qui sunt in nostra editione pag. 138 lin. 13 et pag. 176 lin. 32; ad quod advertimus, ea, quae hasce citationes statim sequuntur, revera in illa legenda inveniri; Pisanus nullo tamen modo manifestat, se etiam ea, quae postea sequuntur, ex ipsa desumere.

e. *Speculum perfectionis.*

Diversis locis (ex. gr. pag. 583, 585, 587) citat *Speculum perfectionis.* Quae citationes accurate conveniunt *Speculo* illi, quod edidit Sabatier; etiam divisio ipsa (ex. gr. pag. 585 lin. 5: " in Speculo perfectionis, c. II, de perfectione paupertatis, c. 16 "), quam prae oculis habuit Pisanus, in dicta habetur editione.

f. *Legenda antiqua.*

Persaepe frater Bartholomaeus citat *Legendam antiquam;* nobisque maioris utilitatis ad recognoscendam istam legendam

---

[1] In notis citavimus ubique editionem huius Collegii.

[2] Fulginiae 1898.

[3] *La Leggenda di San Francesco scritta da tre suoi Compagni pubblicata per la prima volta nella vera sua integrità;* ediderunt Romae 1899 P. Marcellinus a Civezza et P. Theophilus Domenichelli. Cfr. ib. Introductionem, pag. XLVI et XLVIII.

hucusque controversam esse videtur inspicere accuratius partes, quas auctor ex ipsa citavit. — Plura apud alios auctores aliasque legendas invenimus. Pag. 468 v. gr. ex *Legenda antiqua* describit, " qualis esset beatus Franciscus quoad personam et personae conditiones "; quae eodem omnino modo leguntur in legenda prima fratris Thomae de Celano (n. 83). — Permulta ad verbum inveniuntur in celeberrima illa compilatione, cuius initium est " Fac secundum exemplar ", quae habetur in cod. Vatic. 4354, cod. 196 bibliothecae R. Berolinensis aliisque. Initio cod. Vatic. legimus " Incipit antiqua legenda sanctissimi patris nostri Francisci ", unde Papini scripsit [1]: " Antiqua legenda, quam citat Pisanus, est Romae in Vaticano n. 4354 ". " Sed non omnia, quae Bartholomaeus ex ‚legenda antiqua' profert, in isto codice habentur; hinc patet, in ipso non *totam* legendam inveniri, quod confirmat codex Berolinensis, in cuius initio legitur: ‚*Pars* veteris legendae sancti Francisci' [2] ". — Compilationis dictae nondum typis datae partem principalem constituunt *Speculum perfectionis* (ed. Sabatier) et *Actus B. Francisci et Sociorum eius.* Utroque libro Pisanus pro suo compilando opere abunde usus est; multa *Speculi* capita et tota fere *Actuum* collectio [3] in ipso habentur. Quum vero *Speculum* raro et *Actus* nusquam citet, immo illorum partes saepius verbis " ex legenda antiqua " exhibeat, hasce ex illa compilatione *Fac secundum exemplar* desumpsisse videtur; cui pariter suffragatur, quod textus Pisani magis huic quam *Speculo* (ed. Sabatier) concordat. — Praetermittere nolumus, multa alia, quorum originem Pisanus haud indicavit, in dicta compilatione inveniri [4]; quae fere tota in opere suo habetur eiusque fons principalis vocari potest.

---

[1] Cfr. Anal. Franc., t. III Praefatio pag. XIV.

[2] Lemmens, *Documenta antiqua Franciscana,* p. II pag. 89.

[3] Sabatier in editione ubique indicavit, quo loco singula capita *Actuum* apud Pisanum habentur; omisit c. 22 (cfr. infra pag. 434), c. 60 (pag. 560), c. 63 (pag. 445), c. 65 (pag. 190).

[4] Sabatier in editionibus *Speculi* et *Actuum* ubique pariter dicit, in quo folio cod. Vatic. 4354 singula capita inveniuntur; quare lectorem ad illas remittimus. — Cfr. pag. 373 (not. 1) et pag. 445 (not. 3) duo capita illius compilationis, quae apud fr. *Angelum Clarenum* leguntur.

Multa apud Pisanum et illic eodem modo leguntur; alia ipse paucis verbis excerpsit; aliquando ex aliquo capite illius collectionis et ex alia legenda suam relationem compilavit; legimus ex. gr. in fr. XII c. 11 (pag. 603):

Franciscus in *Legenda antiqua:* « *Fratri corpori cum discretione providendum est, ne ab eo tempestas accidiae commoveatur.* Servus enim Dei in comedendo et bibendo et dormiendo et alias corporis necessitates sumendo debet cum discretione suo corpori satisfacere; *unde non taedeat ipsum vigilare et reverenter in oratione persistere,* ita quod frater corpus non valeat murmurare dicens: ‚*Fame deficio, tui exercitii sarcinam ferre non valeo,* non possum stare rectus et insistere orationi, nec in tribulationibus meis laetari, nec alia bona operari; quia non satisfacis indigentiae meae'. Si enim servus Dei cum discretione et satis bono modo et honesto suo corpori satisfaceret, et frater corpus, *si post sufficientem quam vorasset annonam, talia musitaret,* essetque negligens et pigrum vel somnolentum in orationibus et vigiliis et aliis bonis operibus, *scito pigrum iumentum calcaribus indigere, et inertem asellum stimulum expetere;* tunc debet ipsum castigare tanquam malum et pigrum iumentum, quod vult comedere et non lucrari vel onus portare. Si vero propter inopiam et paupertatem frater corpus necessitates suas in sanitate et infirmitate habere non potest, dum honeste petierit et humiliter a praelato suo amore Dei, et sibi non datur, sustineat amore Domini patienter, qui etiam sustinuit quaerens qui eum consolaretur, et non invenit. Et haec necessitas sibi a Domino imputatur pro martyrio, et quia fecit quod suum est, id est quia petiit humiliter suam necessitatem, excusatur a peccato, etiam si corpus inde graviter infirmetur ».

Verba typis italicis (" corsivo ") impressa desunt in textu collectionis *Fac secundum exemplar* (= *Spec. perfectionis,* c. 97), et leguntur in II Cel. 3, 69; alia e contra desunt apud Celanensem et exstant in dicto capitulo collectionis et *Speculi.* — Idem omnino habemus in eodem fr. XII c. 18 (pag. 612), ubi legitur:

Franciscus in *Legenda antiqua,* c. de perfectione humilitatis: « Carissimi fratres et filioli mei, nolite verecundari ire pro eleemosyna, quia Dominus se pro nobis fecit pauperem in hoc mundo, cuius exemplo elegimus viam verissimae paupertatis; *suo enim amore viam paupertatis elegimus. Non debemus confundi pro eleemosynis ire. Arrham caelestis hereditatis erubescere nequaquam convenit regni heredibus.* Haec enim est hereditas nostra, quam acquisivit et reliquit nobis Dominus Iesus Christus et omnibus, qui suo exemplo vivere volunt in sanctissima paupertate. In veritate dico vobis, quod multi ex nobilioribus et sapientioribus huius saeculi venient ad

istam congregationem et pro magno honore et gratia habebunt ire pro eleemosyna. *Vos ergo, qui estis illorum primitiae, laetamini et gaudete, nec renuatis facere, quae sanctis illis facienda transmittitis.* Ite ergo confidenter et animo gaudenti pro eleemosyna cum benedictione Dei; et magis libere et gaudenter ire debetis pro eleemosyna quam ille, qui de una nummata offerret centum denarios, quoniam offertis eis amorem Dei, a quibus petitis eleemosynam, dicendo: ‚Amore Domini Dei facite nobis eleemosynam, cuius comparatione nihil est caelum et terra‘ ».

Quae eodem modo compilata esse videntur ex illa collectione (= *Spec.* c. 18) et II Cel. 3, 20. — Aliquando Pisanus talem compilationem aperte indicat. Pag. 466 ex. gr. legimus: " Ut dicit frater Bonaventura in XII parte *Legendae,* et *Legenda* dicit *antiqua* „ ; ea, quae hoc loco sequuntur, ex dicto capite *Legendae maioris* et ex narratione, quam habemus in collectione *Fac secundum exemplar* (= *Actus* c. 16), compilata sunt; ex. gr. pag. 467 lin. 28:

Assumens ipsum in socium et fratrem Angelum, « ibat cum tanto fervore, ut divinum exsequeretur imperium, tamque celeriter praecurrebat, ac si facta manu Domini super eum, novam induisset e caelo virtutem » (Bonav.); « quasi enim fulgur impetu spiritus pergebat, non attendendo ad viam seu semitam, et sic eundo, ad quoddam castrum nomine Cannariam devenit » (*Actus*).

Alia vero facta, quae Pisanus ex " legenda antiqua „ desumpsisse declarat, in illa collectione desunt. Pag. 56 ex. gr. narratur prophetia facta " per quendam abbatem in partibus ultramarinis „ de adventu et sanctitate beati Francisci et fratrum suorum, additurque " ut dicit Legenda antiqua „ ; quam narrationem nec in illo libro nec alibi invenire potuimus. Pag. 193 ex " legenda antiqua „ dicitur de fratre Angelo, quod " valde timebat daemones „ ; pag. 483 incipit: " In *veteri* beati Francisci legenda narratur „, et refert Pisanus miraculum de puero cuiusdam nobilis resuscitato a sancto Francisco; nec has narrationes alicubi invenire licuit. — Pag. 108[1] habetur prophetia quaedam facta a paupere peregrino de parvulo Francisco, " ut *Legenda* pandit *antiqua* „ ; nec ipsam invenimus in compilatione *Fac secundum exemplar;*

[1] Cfr. ib. not. 1 et 2.

habetur quidem in cod. Capponiano 207 bibliothecae Vaticanae, quem Minocchi uti " la leggenda antica „ edidit [1]; ast maior pars narrationum Pisani frustra ibi quaeritur; unde nec haec collectio praecise est " legenda antiqua „, quam adhibuit Pisanus.

Hucusque ergo desideratur clarior cognitio illius *legendae antiquae;* ex partibus vero, quas Pisanus et alii auctores praebuerunt, intima relatio elucet, quam ad ipsam *legenda II Celanensis, Speculum perfectionis, Actus B. Francisci* etc. habent, ad quae lectorem in notis remittimus.

g. *Vaticinia de S. Francisco.*

In secunda parte fructus I exponit Pisanus, " quomodo beatus Franciscus est verbis prophetarum declaratus „. Ubi post verba quaedam Domini, S. Ioannis ac S. Pauli allegat " Sibyllam, quae fuit tempore regis Priami et belli Troiani „, " Cyrillum presbyterum et anachoretam Montis Carmeli „ ac praecipue abbatem Ioachim de Floris. Abbas Ioachim in pluribus scriptis — praesertim *Concordia novi ac veteris Testamenti, Expositio in Librum Apocalypsis, Psalterium decem chordarum* — futura tempora investigans proponit tres status totius saeculi: " Aliud — ait [2] — tempus fuit, in quo vivebant homines secundum carnem, hoc est usque ad Christum; aliud est, in quo vivitur inter utrumque, hoc est inter carnem et spiritum, usque scilicet ad praesens tempus; aliud, in quo vivitur secundum spiritum, videlicet usque ad finem mundi „. " Tres ordines electorum respondent tribus statibus saeculi, quorum primus est coniugatorum, secundus clericorum, tertius monachorum „. " In primo statu veneranda est imago Patris, in secundo Filii, in tertio Spiritus sancti „; " ostenditur operatio Spiritus sancti in spiritualibus viris, quae maxime circa

---

[1] Florentiae 1905. — Cfr. ib. c. 31 pag. 68. — Nonnullis aliis quoque locis istius « Leggenda antica » (cfr. pag. 53 not. 5 et pag. 58 not. 3) quaedam a Pisano ex « legenda antiqua » desumpta leguntur.

[2] Cfr. praesertim Denifle, *Das Evangelium aeternum und die Commission zu Anagni,* in Archiv für Litteratur-und Kirchengeschichte des Mittelalters, t. I pag. 49-142. Textus supra positi desumpti sunt ex relatione illius commissionis Anagniensis (l. c. pag. 102-105).

finem saeculi exspectanda est „. " Super hoc fundamento procedit tota doctrina Ioachim, et praedicit multa variando de fide secundi status et de tertio statu et de quodam ordine, qui debet dominari in eodem tertio statu usque in finem saeculi „. Illi libri abbatis Ioachim — satis quidem confusi et solido fundamento carentes, at minime doctrinae catholicae adversi — multos ubique invenerunt amicos; praecipue vero inter fratres Minores, idque inter principaliores et doctiores, Ioachim magni habebatur. " Non immerito — scribit frater Adam de Marisco episcopo Lincolniae Roberto [1] — creditur divinitus spiritum intellectus in mysteriis propheticis assecutus „. Hugo de Digna et beatus Ioannes Parmensis celebrantur a Salimbene [2] " magni clerici et spirituales viri et maximi Ioachitae „; et sub beati Ioannis generalatu (1247-1257) numerus et auctoritas " Ioachitarum „ in ordine crevisse videtur [3]. Tunc, an. 1254, fr. Gerardus a Borgo San Donnino opus edidit, cui titulus " Introductorius in Evangelium aeternum „. Scriptis abbatis Ioachim abutens " excogitavit fatuitatem, componendo libellum, et divulgavit stultitiam suam „ et " multas falsitates contra doctrinam abbatis Ioachim, quas abbas non scripserat [4] „. Doctrinam abbatis Ioachim vocat " evangelium aeternum, quod excellit doctrinam Christi et omne vetus et novum testamentum „; et dicit " quod evangelium aeternum traditum et commissum sit illi ordini specialiter, qui integratur et procedit aequaliter ex ordine laicorum et ordine clericorum,... quem ordinem appellat nudipedum [5] „. Fundator ipsius, S. Franciscus, est " angelus, qui habuit signum Dei vivi, qui apparuit circa MCC incarnationis dominicae,... per quem Deus renovavit apostolicam vitam [6] „. — Hoc tempore

---

[1] Ep. 43; cfr. Brewer, *Monumenta Franciscana* (Londiniae 1858), pag. 146.

[2] Salimbene, *Chronica,* pag. 98. Adhibuimus editionem Parmensem anni 1857, quum alia a Holder-Egger coepta nondum sit absoluta.

[3] Cfr. Salimbene, qui pluries ad hoc tempus « magnos Ioachitas » nominat; pag. 101 ad 1248: « frater Rodulfus de Saxonia, maximus Ioachita », et « frater Bartholomaeus Guisculus, magnus Ioachita », pag. 104: « duo Ioachitae » etc.

[4] Salimbene l. c. pag. 102 et 233.

[5] In dicta relatione, apud Denifle l. c. pag. 101.

[6] L. c. pag. 101 et 131.

— forte ad illam sententiam de sancto Francisco eiusque ordine commendandam — confecta esse videntur vaticinia illa Sibyllae et S. Cyrilli [1], interpolati pariter libri genuini abbatis Ioachim [2], ac alia scripta composita et sub nomine ipsius diffusa: *Expositio Ioachim in Oraculum S. Cyrilli* et *Interpretatio Ioachim in Hieremiam prophetam* communiter nunc a doctis apocryphae habentur, nec desunt rationes internae, quae illas inter fratres Minores illius temporis confictas suadent [3]. Ast Pisanum haud possumus reprehendere, quod illis libris usus est, quos nemo tunc temporis in dubium vocavit.

2. Quae dicta sufficiant de auctoribus historiae Franciscanae, quos frater Bartholomaeus nominavit [4]; unde ad alios fontes, ex quibus hausit, accedimus tractandos.

a. *Dialogus S. Fratrum Minorum.*

Plura, praesertim in fructu VIII, ad verbum fere excerpsit ex libro " Dialogus S. Fratrum Minorum [5] ". Pag. 249 ex. gr. de fratre Ambrosio de Massa legimus:

« Hic oriundus de civitate Massa, etsi usque ad tempus virilis aetatis fuerit in mundo, praeservatus tamen a mundanis vitiis, Domini *complexus coelibatum virilis aetatis portas ingressus laqueos* diaboli sibi paratos devitans omnibus datis pauperibus et nihil reservans *habitum fratrum Minorum* in sua *suscepit* civitate. *Conversionis igitur gratiam divina clementia consecutus obedientiae virtutem anteponens victimis pro fratrum necessitatibus acquirendis in frigore et nuditate, in fame et siti iuxta mandatum sanctae obedientiae discurrens semetipsum obtulit Domino sacrificium medullatum,* et *orationibus frequenter insistens stratum conscientiae fusis lacrymis irrigabat. Pane tantum saepe contentus et aqua concupiscentiae carnalis incendia temperabat. Compassionis insuper visceribus erga miseros affluens et infirmos ministeria necessaria* eis libenter *impendebat. Non solum autem fratribus, sed saecularibus sibi cognitis et ignotis humanitatis obsequia* impendebat *in infirmitatis articulo*

[1] Cfr. infra pag. 43 not. 3 et pag. 45 not. 1.

[2] Cfr. infra pag. 54 not. 2.

[3] Cfr. praeter alios Schneider, *Ioachim von Floris und die Apokalyptiker des Mittelalters*, Dillingae 1872, pag. 26-34; — Huck, *Ubertin von Casale und dessen Ideenkreis*, Friburgi 1903, pag. 70 seqq.

[4] De nonnullis aliis libris citatis — ex. gr. Litterae fr. Philippi de Protectoribus ordinis, Expositio regulae a « quatuor Magistris » facta — necessaria diximus in notis.

[5] Ed. P. Leonardus Lemmens O. F. M., Romae 1902.

misericorditer visitans decubantes ac medicamina, quae vulneribus vel infirmitatibus convenirent, *officiosa sedulitate procurans. Humilitatis studio fratribus frequenter coquinam paravit paropsides lavans* et *depressionis officia explens gaudenter. Si quando verbo vel facto* aliquem turbasset, *chorda* collo *appensa veniam humiliter postulabat* ».

Verba, quae italicis typis impressimus, habentur in dicto *Dialogo* pag. 51. — Alia ex illo libro excerpta indicata sunt in notis ad calcem huius editionis adiectis [1].

b. *Liber de laudibus fr. Bernardi de Bessa.*

Fr. Bartholomaeus loquens de provincia Aquitaniae (pag. 539) memorat fr. " Ioannem de Blesa, qui de triplici ordine beati Francisci tres tractatus edidit ,, additque: " etsi solum de primo ordine, scilicet Minorum, parvum viderim tractatum ,,. Hoc loco erravit quidem Pisanus in nomine auctoris, quem recte indicat fr. XIII (p. II n. 21); at plura modo eodem plane leguntur apud Pisanum et in libro fr. Bernardi de Bessa, qui vocatur " Liber de laudibus [2] ,,. Ex hoc opusculo praesertim originem ducere videntur quaedam narrationes, quas Pisanus in fructu IX (pag. 429 seqq.) retulit, et quas apud alios auctores ante ipsum non invenimus.

c. *Catalogus S. Fratrum Minorum* [3].

Liber hic, parvus quidem mole, sed magni momenti, " fere integer in opus Pisani transiit [4] ,,. In enumerandis sanctis fratribus (fr. VIII) sequitur ordinem *Catalogi* et saepissime huius repetit verba, quibus multis locis nihil addere potuit [5].

Vix quaedam de origine aliarum narrationum dicere possumus. Pag. 452 incipit auctor a verbis: " In miraculis indulgentiae sanctae Mariae de Portiuncula sive de Angelis habetur ,, ; narratio, quae sequitur, exstat apud Franciscum Bar-

[1] Cfr. pag. 240 not. 2; 242 not. 2; 243 not. 1; 249 not. 5, 6, 7; 251 not. 4; 252 not. 1 etc.

[2] Adhibuimus editionem, quae habetur in Analecta Franciscana, t. III pag. 666 seq.

[3] Ed. P. Leonardus Lemmens O. F. M. (Romae 1903).

[4] L. c. Introd. pag. XII.

[5] Etiam illam narrationem de fr. Francisco Aprutino (pag. 290), ob quam Faloci (Miscellanea Franciscana, t. VIII pag. 147) gravia contra librum Pisani scripsit verba, eodem modo refert iste *Catalogus* (pag. 20).

tholi, *Tractatus de Indulgentia S. Mariae de Portiuncula*, c. 37 [1]. — Variis locis, praesertim fr. VIII, liber noster plane convenit *Chronicae 24 generalium*; at ex pluribus argumentis apparet, Pisanum ipsam non adhibuisse [2]; quare fonte quodam communi usi videntur. — Plura facta, quae apud alios auctores non invenimus, exstant in nonnullis codicibus miscellaneis saeculi XIV [3]; inter quos codex Collegii S. Antonii de Urbe specialem meretur mentionem [4]; ex descriptione accurata ipsius, quae mox dabitur, lector facile videbit, quanta inter ipsum et librum Pisani relatio habeatur.

Aliquando Pisanus traditione orali et propria experientia innititur. Pag. 204 ex. gr. dicit: " A fratribus antiquis accepi „; pag. 274: " Ut magister Matthaeus Bartholi dixit „; pag. 356: " Audivi ab illo, cui evenit „; pag. 359: " Paduae dum essem lector, vidi scripta „; pag. 449: " Cognovi duos fratres „; pag. 480: " In sacristia conventus Assisii asservantur „.

Quae sufficiant de fontibus, quibus auctor usus est. Et iam in fine huius capitis quaedam dicemus de auctoritate, quam meretur Pisanus in studiis historiae Franciscanae. Constat, ipsum fuisse fidelissimum in referendo. Ea, pro quibus alios auctores citavit, accurate apud illos ita inveniuntur, sicut ipse exhibet; multa quoque alia, quorum fontem et originem non indicavit, eodem modo apud auctores priores narrantur. Plura documenta recenter inventa vel edita testimonium praebent, Pisanum ipsa adhibuisse nec addendo nec mutando quidquam; quare iure praesumere licet, ipsum etiam aliis locis, quorum fons et origo hucusque ignoratur, fidelem exstitisse. — Ex alia vero parte non possumus videre apud Pisanum ob quaedam verba satis ambigua " i primi albòri del metodo critico [5] „; melius de ipso dicit Suyskens: " Est scriptor magis

[1] Edidit Sabatier (Paris 1900). Cfr. ibi Introd. pag. CLXVIII seq.

[2] Ex. gr. pag. 317 loquens de fratre Rogerio dicit: « Ubi iaceat, non reperi »; dum *Chron. 24 gen.* pag. 392 ipsum Useciae requiescere dicit; pag. 321 nominatur « quidam sanctus frater »; qui est frater Stephanus, de quo plura in *Chron. 24 gen.*, pag. 345-347.

[3] Cfr. pag. 108 not. 2 (cod. Ottob. 522) et pag. 303 not. 5 (cod. Canon. Misc. 525 bibl. Bodlei. Oxoniensis).

[4] Cfr. Lemmens, Documenta antiqua Franciscana, p. III pag. 72.

[5] *La Leggenda di S. Francesco scritta da tre suoi Compagni*, Introd. pag. LIII.

pius et credulus, quam crisi severa usus [1] „. Nimis credulus revera fuit et clausis oculis saepe — omisso examine — acceptavit, quae pia gens et fratres simplices retulerunt; narrat miracula, prophetias, visiones ridicula et absurda. At multas iam legimus in *Dialogo S. Fratrum Minorum, Catalogo S. Fratrum Minorum, Chronica 24 ministrorum generalium;* similes vero habentur apud multos alios scriptores saeculi XIII et XIV; quare auctorem nostrum aliquantum excusare licebit; suus liber est speculum et imago fratrum sui temporis.

Pisanus multa documenta utilissima solus nobis conservavit; " è un arsenale e magazzino rigurgitante, avendoci raccolto tutto lo sparso quà e là da tanti, che il precederono [2] „. Quodsi vero Sabatier dicit: " Je n'hésite cependant pas à y voir l'ouvrage le plus important qui ait été fait sur la vie de S. François... On peut hardiment le placer au premier rang des compilateurs [3] „, omnino excedit. Est compilatio locupletissima, concedimus libenter, facta etiam ab auctore sincero et fideli, absque tamen multo examine et selectu. " Raccoglie — inquit Faloci [4] — pietre e gemme, oro e scoria, storia e favola, e tutto coordina in un volume enorme, dove lo stesso fatto è ripetuto cinque, dieci, venti volte, dove si raccoglie e si mescola senza discrezione la voce raccolta dal popolino e la testimonianza scritta dei sincroni. E tutto questo lo fa in buona fede senza malizia, tutto preoccupato dall' idea di trovare in S. Francesco una copia fedele di Gesù Cristo „.

---

[1] Acta SS., t. II oct., De S. Francisco, *Comm. praevius* n. 31.

[2] Papini, *Storia di S. Francesco d'Assisi,* l. II pag. 247; cfr. ibid. pag. 160. — In codice manuscripto cit. supra pag. VII not. 1 idem auctor ad n. 506 de libro nostro dicit: « Opus aureum appellare ne dubites, quod pertinet ad primam partem [i. e. cuiuslibet fructus]; Theologus summus, Scotista quidem, sed non iurans in verba magistri et veritati serviens, ubi ratio suadet; interpres sacrae Scripturae et Patrum, etiam misticus, opportune tamen et ad sobrietatem; historicus evangelicus, non volitans sed ungue facta tenens Christum Dominum, mare magnum et spatiosum manibus, securus navigat, quidquid blateret Erasmus Alberus; quoad secundam partem certe non item, arte carens critica ». — Erasmus Alberus scripsit contra opus Pisani librum *Alcoranus Franciscanus* (« Der barfüsser Mönche Eulenspiegel und Alcoran, mit einer Vorrede D. M. Luthers », 1531); cui se opposuit Henricus Sedulius scribens librum *Apologeticus adversus Alcoranum Franciscanorum, pro libro Conformitatum* (Antverpiae 1607).

[3] *Vie de S. François,* Étude pag. CXV.

[4] *Miscellanea Franciscana,* t. VIII pag. 148.

Liber *Conformitatum* est magnae utilitatis, si cum prudente iudicio et critica sana legitur [1].

III. Tandem agemus de ratione nostrae editionis:

1. Et quidem primum de *codicibus manuscriptis* huius libri, qui ad nostram notitiam venerunt [2].

---

[1] Hoc loco inserere iuvat approbationem, quam operi nostro dedit capitulum generale Assisii 1390 celebratum. Praemittimus epistolam auctoris:

« Reverendis in Christo patribus fratribus Henrico generali ministro et aliis ministris, ceterisque diffinitoribus Capituli generalis Ordinis Fratrum Minorum apud sacrum conventum Assisii in proximo festo sacrae Indulgentiae S. Mariae de Portiuncula ibidem celebrandi: Frater Bartholomaeus de Pisis sacrae theologiae magister indignus. Reverentiam debitam cum omni subiectione devota, devotione, professione ac beneficiis perceptis, quibus obligor beato patri nostro Francisco, cupiens aliquid componere ad eius laudem, gloriam et honorem, Christo praedocente, qui ipsum patrem Franciscum sibi per omnia similem reddidit et conformem, opus quoddam, quod de conformitate vitae beati Francisci ad vitam ipsius Domini nostri Iesu Christi intitulatur, compegi cum arbore figurata, quae personaliter assistens iuxta papalia nostri Ordinis instituta vestrae prudentiae tribuo corrigenda. Lima vestrae sapientiae examinanda ac approbanda atque aliis intra nostrum Ordinem et extra communicanda: humiliter exoro licentiam a vobis mihi impartiri, deprecans instanter ipsum patrem Franciscum, cuius corpus in hoc sacro loco requiescit, ut vos et totum Ordinem Minorum in agendis dirigat et ad gaudia perducat aeterna. Amen.

Data in loco praefato Assisii, die prima mensis augusti ».

Capitulum respondit hac epistola:

« In Christo sibi charissimo fratri Bartholomaeo de Pisis sacrae theologiae magistro, frater Henricus Ordinis Fratrum Minorum generalis minister et servus, ceterique ministri ac diffinitores Capituli generalis apud sacrum locum de Assisio die secunda augusti anno Domini MCCCLXXXIX celebrati salutem et pacem in Domino sempiternam. Opus, quod divina favente clementia — et intitulatur de conformitate vitae beati Francisci ad vitam Domini nostri Iesu Christi — fecisti, inspici, discuti et examinari fecimus diligenter cum arbore, quam nobis personaliter praesentasti, et nihil invenimus correctione dignum, sed laude; de quo tuae regratiando prudentiae praesentibus tibi licentiam faciendi dipingi ipsam arborem ac ipsum opus volentibus videre et transcribere quod eis possis communicare liberaliter impartimur. In cuius rei testimonium praesentem litteram in registro Ordinis positam, fecimus sigillo generalatus officii impressione muniri.

Data in dicto sacro loco, anno, die et mense superius annotatis ».

Duo notanda annectimus: 1. Capitulum illud Assisii celebratum est anno 1399, non anno 1390, uti Marianus (cfr. supra pag. XII) narrat; 1390 capitulum fuit Mantuae, quod Waddingus (ad an. 1390 n. 16) bene ostendit ex litteris ministri generalis datis « Mantuae, tempore nostri generalis capituli in Pentecoste inibi celebrati anno MCCCXC, indictione XIII, die 26 mensis Maii ». — 2. Faloci, *Miscellanea Franciscana*, t. VIII pag. 140, loquitur de « poca serietà dei due documenti: il primo di Agosto frate Bartolomeo sottomette al Generale il suo voluminoso opus... il due di Agosto risponde, che l' opera era stata *lecta, discussa, examinata* ». Bene respondet auctor libri *La Tradizione Francescana ed i due luoghi* (cfr. supra pag. X not. 1), pag. 398: « Appunto per questa mancanza di tempo, rispondiamo, convien distinguere la consegna dell' opera in mano degli esaminatori dalla lettera officiale di presentazione, lettera che forse non sarebbe stata scritta se già gli esaminatori non avessero dato un giudizio favorevole dell' opera ».

[2] Faloci in *Miscellanea Franciscana*, t. VIII pag. 138, enumerat 16 codices manuscriptos libri *Conformitatum*, sed inter ipsos etiam codices, qui non amplius habentur (n. 2 « smarrito », n. 14

Duodecim invenimus codices, in quibus totum opus *de Conformitate* vel unus alterve liber ipsius exstat [1]; qui ordine alphabetico hic enumerantur:

1. Codex Alvernae. Sunt duo codices membran., non sign.; prior mm. 340×230, alter mm. 350×240; scripti ante medium saeculum XV a duobus scriptoribus diversis, duabus columnis (unaquaeque mm. 220×65), scriptura pulchra et clara; tituli minusculis rubris dantur; initiales maiores caeruleae ac rubrae in utroque codice ab eodem scriptore factae esse videntur. In priore codice habetur liber I, in altero liber II et III. In folio tomo primo praeposito legitur: " Hic liber pertinet ad Bibliotecam sacri conventus montis Alverne. In Banco 4° in latere sinistro [2] „. A tergo huius folii ab alia manu scriptae sunt litterae fratris Bartholomaei ad capitulum et responsio capituli; utroque loco legitur " 1389 „. Sequuntur folia 210 numerata: 1-40, 61-230; desunt foll. 41-60. Tomus secundus continet folia 187 numerata. Fol 186ᵛ legitur colore rubro scriptum: " Explicit pars 3ª operis de vite (!) et conformitate beati Francisci ad vitam Domini nostri Iesu Christi editi a Magistro Bartholomeo de Pisis ordinis Minorum. Anno Domini 1390 die decima octava mensis Martii. Deo gratias „. Fol. 187ʳ leguntur duae litterae supra nominatae; ubi pariter habetur annus 1389.

2. Codex *G. 65 Inf.* bibliothecae Ambrosianae Mediolani. Huius codicis, qui solum primum librum operis nostri praebet, *Analecta Bollandiana,* t. XI (1892) pag. 330, hanc dederunt descriptionem:

" Membraneus, foliorum 172, formae med. (0ᵐ,329×0,227), binis columnis, una manu, exiguo sed nitido charactere

---

« perduto »). Elenchus ille codicum cum tot suis erroribus repetitur in *Études Franciscaines,* 1903 t. II, pag. 612-615, qui addunt codicem Andegavensem.

[1] In pluribus codicibus exstant fragmenta operis; examinavimus cod. *D. VI. 12. 777* bibl. Casanatensis de Urbe, cod. *7690* et *7735* Vaticanos cod. *E. VII. 14* bibl. Estensis et cod. *B. XC* bibl. capituli Pragensis. Codex *XX* Capistranensis cum aliis pluribus continet expositionem regulae factam a fr. Bartholomaeo (quae infra pag. 379-425).

[2] Ex pluribus annis asservantur in hoc Collegio ad Claras Aquas.

*

exaratus saec. XV. Tituli capitulorum litteraeque maiores caeruleo rubrove colore illitae, nec ineleganter ornatae sunt [1].

1° Opus, quod intitulatur de conformitate vitae beati Francisci ad vitam D. N. I. C., redemptoris nostri, editum a fratre Bartholomaeo de Pisis, Ordinis minorum, sacrae theologiae magistro, ob reverentiam sui patris praecipui beati Francisci, anno MCCCLXXXV (fol. 1^r-171^v).

2° Ad pronuntiandum in martyrologio in vigilia beati Francisci, quod ego magister Bartholomaeus composui. Quinto nonas octobris luna... (fol. 171^v).

Breviarium Vitae sancti Francisci. Incip.: *Apud vallem Spoletanam, civitate Assisii, natale beati Francisci, institutoris ordinum minorum.* Subsequuntur in cod. *littera directa generali magistro et capitulo generali per approbationem istius operis a magistro Bartholomaeo de Pisis* et *littera responsiva capituli generalis istud opus approbantis,* ed. ad calcem op. citati „.

3. Codex (olim 737, nunc) *821* bibliothecae municipalis Andegavensis. Hunc codicem iam plures auctores nominarunt et descripserunt; accuratius vero P. Eduardus Alenconiensis O. Cap. in *Annales Franciscaines,* t. 38 (Paris 1898), p. 122-123 [2], quem hoc loco sequimur. Est cod. membran., mm. 318×245, saec. XV, foll. 408; et continet

fol. 1-356 *Conformitates;*

fol. 357-379 inquisitiones de vita S. Clarae de Montefalco;

fol. 380-408 miscellanea franciscana. Inc. fol. 380^r: " Cronica fratris Bernardi de Bessa Provinciae Aquitaniae de beato Francisco et sociis eius „; sequitur prologus et caput primum *libri de laudibus B. Francisci* [3]; deinde *Actus* et alia capita dicti libri fr. Bernardi.

---

[1] Fol. 1^r notatum est: *Hic codex fuit Vincentii Pinelli v. cl. a cuius heredibus tota eius bibliotheca Neapoli empta fuit, iussu Illmi Card. Federici Borrhomei, Ambrosianae biblioth. fundatoris. Olgiatus scripsit anno 1609.*

[2] Idem in *Miscellanea Franciscana,* t. VII pag. 71; cfr. Sabatier, *Actus B. Francisci,* Introd. pag. LV.

[3] Cfr. *Orbis Seraphicus,* de Missionibus Apostolicis, t. II (Appendice pag. 707), et infra pag. 308 not. 3.

4. Codex Assisiensis sive conventus S. Mariae Angelorum (Portiuncula [1]).

Codex membran. ét chartac., mm. 320×230, saec. XV, duabus columnis (longit. mm. 250-240, latit. mm. 75-65) scriptus; initiales et tituli rubri coloris; foll. 285 numerata. Continet

fol. 1-283ᵛ *Conformitates;* inc. sicut infra pag. 1; des.: " perducere digneris. Qui cum patre — saeculorum. Amen „.

fol. 283ᵛ: " Exemptionum per diversos summos pontifices ac etiam cardinales, patriarchas, archiepiscopos, episcòpos et legatos et alios praelatos sedium diversarum in Romana curia stantium, que reperte fuerunt et extracte de registris apostolicis per R. in Christo P. F. Marcum Trevisanum M. provincie Romanie [2] „. Inc.: " Sanctissimus in Christo pater dominus Gregorius „; des. fol. 285ᵛ incompletum: " consecrari et benedici huiusmodi „.

5. Codex *98* bibliothecae municipalis Cunei.

Codex membran. saec. XV [3], mm. 340×235, foll. 248. Continet totum opus. In principio habetur pulcherrima imago S. P. Francisci recipientis stigmata. Fuit olim nostri conventus S. Mariae Angelorum civitatis Cunei.

6. Codex archivi communalis loci Monteprandone.

Quem codicem Crivellucci [4] describit hoc modo: " Cartaceo del sec. XV, alto 34 cent. su 27, di carte 229, scritto a doppia colonna di linee 51 a 54 per colonna con iniziali e rubriche a minio fino a metà circa, poi mancano. La prima carta è lacera, sono scucite le altre „.

7. Codex *Campori E. VI. 14* bibliothecae Estensis Mutinae.

---

[1] Codicem, tempore ultimae suppressionis conventuum ablatum, R. P. Eusebius Fermendzin cl. m. a librario Romano S. Bocca redemit pretio lib. 150 et restituit bibliothecae dicti conventus.

[2] Cfr. Sbaralea, *Supplementum* pag. 514.

[3] Mazzatinti (*Inventarii dei ms. delle Biblioteche d' Italia,* t. I pag. 96) ipsum attribuit saeculo XIV; cui sufficit opponere, quod inter cardinales (fr. VIII) nominatur « Dominus Fr. Petrus de Candia... ultimo papa Alexander electus in concilio Pisano ».

[4] *I codici della libreria raccolta da S. Giacomo della Marca nel Convento di S. Maria delle Grazie presso Monteprandone* (Liburni 1889). — Ipsum non examinavimus.

Codex membran. in 8. Catalogus dicit: " Il codice quantunque guasto in fine è assai prezioso per la sua vetustà e pei 23 disegni a penna che si veggono intercalati nel testo. Porta in un tondino, miniato, il ritratto del santo e nella 2. colonna della prima pagina la data MCCCLXXXV [1]. Mutilo: contiene il solo I libro e non completo ".

8. Codex *3328* bibliothecae nationalis Parisiensis (olim Delamare 478, Regius 4855 a).

Codex chartaceus, saec. XV, variis manibus exaratus, duabus columnis, foll. 191. Continet librum II et III. In fine duae epistolae pluries nominatae; ultimo folio incepta est delineatio arboris.

9. Codex *VIII. b. 11* bibliothecae nationalis Neapolitanae.

Codex chartaceus, saec. XV, variis manibus exaratus, duabus columnis, foll. 313. Continet totum opus *Conformitatum* [2].

10. Codex *1015* bibliothecae nationalis Romanae, saec. XV.

" Apparteneva al convento di S. Bonaventura al Palatino. Anche questo come quello di Modena contiene il solo libro primo [3] ".

11. Codex Vaticanus *7600*.

Codex membran., saec. XV. Deest fol. 1; inc. fol. 2: " eiusdem Dei et Domini " (infra pag. 3 lin. 15). Fol. 437 r inc. " Exemptorium per diversos summos pontifices " etc., uti supra in cod. Assisiensi; des.: " in sinu sedis, quod habetur Venetiis. Finis. Laus Deo et Deo gratias. Amen. Middelburch. P. ".

Plane assentimur P. Eduardo Alenc. [4], qui hunc codicem putat illum codicem *Aracaelitanum,* quem adhibuit et descripsit Waddingus (ad an. 1399 n. 11) dicens: " Pulchro

[1] Qui annus indicat tempus compilationis operis, non annum, quo scriptus est codex. — Cfr. Vandini, *Appendice I al Catalogo dei ms. Campori* (Mutinae 1896), pag. 6.

[2] Cfr. *La Tradizione Francescana ed i due luoghi,* pag. 481.

[3] *La Tradizione* etc. pag. 479; cfr. *Etudes Franciscaines,* t. II pag. 92.

[4] In *Etudes Franciscaines,* t. II pag. 91.

charactere in charta pergamena exaratus, anno MCCCCXVIII, paucis annis post mortem auctoris, opera fratris Marci Trivisani Ministri Provincialis Romanae „. Erravit Waddingus in nomine scribae et anno; frater Marcus Trivisanus enim est auctor illius " Exemptorii „, quod in fine subiungitur; et annus MCCCXVIII refertur ad hoc idem opusculum, non vero indicat annum, quo exaratus est codex, quippe qui referat mortem S. Bernardini, defuncti an. 1444.

12. Cod. *Urbin. 397* et *398* bibliothecae Vaticanae.

Codices membran., saec. XV, mm. 364×260; prior foll. II. 263, alter foll. III. 196. In cod. *397* liber I seu pars prima cum prologis; in cod. *398* secunda et tertia pars operis. Codices binis columnis eadem ratione, non eadem manu exarati iisdem fere ornamentis distincti sunt: " tituli minusculis rubris, initiales maiores alias caeruleae alias rubrae lineis ornatae sunt. Folii 2 (t. I) tres margines distinguuntur floribus, avibus, angelis, insignibus ac tesseris gentiliciis F(riderici) Urbini D(ucis) [1] „. Fol. 185 tomi II epistola auctoris ad ministrum generalem huiusque responsio; in utraque indicatur annus 1389.

Addimus tandem versionem in linguam italicam factam a fr. *Dionysio Pulinari,* quae est in codicibus sign. *II. III. 162, 163* (autogr.) et *Conventi C. 5. 873* bibliothecae nationalis Florentinae sub titulo " L' opera intitolata delle Conformità della vita del B. P. nostro San Francesco alla vita del nostro Signor Gesù Christo „. Auctor in versione non ubique sequitur Pisanum; omisit ex. gr. in fr. XI conventus plurium provinciarum, nominans solas custodias [2].

Nunc iam agendum est de labore nostro in codices impenso.

a. Primo loco animum vertimus in dubium a diversis,

---

[1] Stornajolo, *Codices Urbinates Latini,* t. I (Romae 1902) pag. 379; cfr. *Études Franciscaines,* l. c. pag. 91.

[2] Ex hac versione a pluribus scriptoribus nominata ediderunt P. Marcellinus a Civetia et P. Theophilus Domenichelli fructus X et XI in *Cristoforo Colombo e il quarto Centenario dalla scoperta dell' America* (Florentiae 1893), pag. 9-180.

praesertim a Papini [1], excitatum, num opus Pisani in codicibus interpolationes subierit. Fautores huius opinionis in medium ducebant tum textus illos, in quibus Pisanus de corde S. Francisci ad S. Mariam Angelorum deposito loquitur, tum facta quaedam in quibusdam codicibus necnon in editionibus relata, quae evenerunt defuncto auctore. Quoad dictos textus inquisitionem iam perfecit clarus auctor libri pluries citati *La Tradizione Francescana* — Rmus archiepiscopus Ioannes Maria Santarelli O. F. M. —, qui omnes quotquot cognoscuntur codices libri *Conformitatum* examinandos curavit et ubique hosce textus modo omnino eodem reperit; quare iam prudenter de eorum genuinitate dubitari nequit. — Quod alteram vero difficultatem, facta scil. Pisano posteriora, attinet, invenimus tum plures codices, in quibus nihil omnino de ipsis legitur, tum alios, in quibus dictae interpolationes, vel ut melius dicamus, continuationes textus originalis revera exstant. Plures enim scribae catalogos sanctorum fratrum vel cardinalium ex ordine electorum vel conventuum transcribentes illos usque ad suum tempus continuarunt [2]. Quod clare prodit scriba codicis Andegavensis supra nominati, qui — fol. 60 —, enumeratis summis pontificibus ex ordine assumptis, spatium vacuum reliquit cum hac monitione: " Scribe hic qui assumentur tempore futuro „; quod idem cum eadem monitione duobus aliis foliis eiusdem codicis legitur. — Codices non interpolati sunt codex Alvernae, *Campori* Estensis, Ambrosianae, Urbinas bibliothecae Vaticanae et codex bibl. nationalis Romanae. Interpolationes vero habentur in cod. Assisiensi, Andegavensi, Neapolitano, Cunei ac cod. Vaticano *7600*.

b. Praeter dictas interpolationes alias mutationes a scriba quodam factas reperimus, quae deinde in plures codices transierunt. De quibus nonnulla dicuntur:

1. Aliquando mutatus est ipse sensus, si temporum vel aliae circumstantiae hoc exigere videbantur. Exempli gratia

---

[1] Cfr. *Notizie sicure della morte, sepoltura, canonizzazione e traslazione di S. Francesco d'Assisi e del ritrovamento del di lui corpo* (ed. 2 Fulg. 1824), pag. 169 et alibi.

[2] Cfr. infra pag. 289 not. c, pag. 346 not. b, pag. 523 not. b, pag. 525 not. c.

sint ea, quae dicit Pisanus in fructu VIII de fr. Valentino de Narnia (cfr. infra pag. 202):

Cod. Alv. dicit (fol. 81 r):

« Duodecimus frater iacens Assisii in ecclesia beati Francisci sepultus, et *parvo tempore quo decessit,* est *sanctus* frater Valentinus de Narnia, qui... se cum tribus filiis fratrem Minorem fecit; sed primogenitus novitius recessit et *adhuc supervivit* doctor legum; ... alter vero *adhuc superest* ».

Cod. Assis. (fol. 48 v):

« Duodecimus frater iacens Assisii in ecclesia beati Francisci sepultus, et *parvum tempus est, quod decessit,* est frater Valentinus de Nurcia, qui... se cum tribus filiis fratrem Minorem fecit; sed primogenitus novitius recessit et doctor legum *in mundo exstitit;* ... alter *etiam in ordine perstitit* ».

2. Pluries scriba constructionem grammaticalem correxit. De S. Clara ex. gr. loquens codex Alv. (infra pag. 353 lin. 26) dicit: " *Alia medietas* in quinquaginta divisa partes, Deus sic multiplicavit „; ubi codex Assis. habet " *aliam medietatem* „. Alio loco (infra pag. 438 lin. 23) codex Alv. dicit: " Abbas, *facto fratre Minore,* evasit „; pro quo in codice Assis. legimus: " Abbas *factus est frater Minor* „. — Immo aliquando errores historici correcti sunt; mater sancti Ludovici episcopi in cod. Alv. falso nominatur " domina *Ioanna* „ (pag. 309), pro quo plures codices recte habent " domina *Maria* „.

3. Nonnulla tandem scriba omisit. Agens v. gr. de beato Rainerio, Pisanus (cfr. infra pag. 242) citat instrumentum publicum; cod. Alv. addit: " quod ego vidi „; quae verba desunt in aliis codicibus. De fr. Philippo de Aqueriis (cfr. infra pag. 290) in cod. Alv. dicitur: " qui nunc magnis claret miraculis „; alii codices omiserunt *nunc.* Fructu XI codex Alv. eo loco, quo agitur de custodia Clusina provinciae Tusciae, dicit in fine de Monte Polizano: " Et praecipue habet nunc fratrem Leonardum, iudicio omnium eum agnoscentium inter omnes fratres in ordine degentes in omnibus singularissimum „; quae verba pariter plures codices omiserunt. Codex Alv. refert " adulterium cum muliere commissum „ a fratre Stephano Ungaro martyre (infra pag. 333); alii codices non habent verbum

adulterium. In quibus etiam quaedam desunt scandala fratrum, quae Pisanus in fructu IX refert ex sua propria experientia (" Cognovi duos fratres... in conventu Pisano „, pag. 449 lin. 5-17; " Bononiae dum essem studens „, pag. cit. lin. 43). -- Aliquando scriba omisit plura saltans a verbo ad idem verbum paulo post repetitum; quae omissiones pariter in diversos codices transierunt; ex. gr. fructu XI de provincia Provinciae legimus in cod. Alv.: " Haec provincia habuit cardinalem fratrem Pastorem, factum per dominum Clementem VI, qui magister in theologia fuit et archiepiscopus Embrundunensis. Haec provincia habuit quendam „; ubi cod. Assisiensis post primum " Haec provincia „ dicit statim " habuit quendam „ (cfr. infra pag. 541).

Codici Alvernae in hisce convenit codex Ambrosianae, *Campori* ac Urbinas, — codici vero Assisiensi codex Vaticanus *7600*, codex *1015* bibliothecae nationalis Romanae et alii; unde d u p l e x f a m i l i a codicum aperte patescit.

2. *Editiones* libri *de Conformitate* habentur tres:

Prima facta est cura fratris Francisci de S. Columbano ex familia Observantium provinciae Mediolanensis et impressa Mediolani " per Gotardum Ponticum, cuius Officina libraria est apud templum sancti Satiri. Anno Domini MCCCCCX „. Habet titulum " Liber conformitatum „ et foll. 256 in 4, duabus columnis distincta.

Secunda editio prodiit pariter Mediolani, " in edibus Zanoti Castilionei huius artis non infimi. Anno a nativitate Domini 1513 „. Titulus ipsi est " Opus Auree et inexplicabilis bonitatis et continentie. Conformitatum scilicet vite Beati Fran. ad vitam d. nostri Iesu Christi „; habet foll. 229 in 4, duabus pariter columnis distincta. Auctor ipsius est frater Ioannes Mapellus Mediolanensis [1]. Editionem pri-

[1] Idem frater Ioannes Mapellus anno 1498 Mediolani apud Uldericum Scinzenzeler ediderat quadragesimale fratris Bartholomaei. Inc.: « In nomine Domini amen. Incipit quadragesimale opus de contemptu mundi editum a magistro Bartholomeo de Pisis ordinis fratrum Minorum. Anno Domini MCCCLXXXXVII »; des.: « Explicit quadragesimale de contemptu mundi, divina gratia favente editum a magistro Bartholomeo de Pisis ordinis fratrum Minorum. Anno Domini MCCCLXXXXVIII Cura pervigili magistri Iohannis de Mapello eiusdem ordinis conventus Mediolani correctum ».

mam omnino et ubique sequitur; iidem sunt textus variantes et errores, eaedem omissiones, eadem addita, ita ut certo appareat, ipsum vel primam editionem vel codicem, quo primus editor usus est, denuo in lucem dedisse.

Tertia editio prodiit Bononiae apud Alexandrum Benatium anno 1590 cura Fr. Ieremiae Buchii ord. Minorum Conventualium; quae tot habet mutationes, interpolationes, omissiones, ut iam opus novum vocari debeat et iure negligatur ab eo, qui verum Pisani librum indagare cupit. Quae omnino eadem editio — mutatis solum frontispicio et 2' foliis — uti nova editio prodiit Bononiae apud Victorium Benatium 1620 [1].

Editio 1 et 2 fere ubique eundem textum habent ac codex Assisiensis: tam eadem addita quam easdem correctiones; eadem pariter sunt omissa.

3. Quibus praemissis iam *modum*, quem in hac editione secuti sumus, accurate delineabimus.

Ex differentiis inter codices notatis non solum duplex ipsorum familia clare cognoscitur, quilibet immo statim intelligere potuit, priorem familiam praebere formam genuinam et a nova editione recipiendam esse. Codices huius familiae raro inter se differunt; codex Urbinas praecipue ubique, etiam in erroribus calami, tantopere codicem Alvernae imitatur, ut ex ipso transcriptus esse videatur. Codex *Campori* Estensis aliquibus locis meliorem praebet lectionem; ast solum I librum continet, immo humiditate praesertim versus finem tantopere deperiit, ut non amplius legatur; unde ipso solum usi sumus ad nonnullos errores corrigendos [2]. Codex Ambrosianae pariter nonnisi I librum

---

[1] Cfr. P. Golubovich, *Biblioteca*, pag. 73. — Sabatier, *Vie de S. François*, Étude. pag. CXVI not. 2 dicit: « Il faut cependant prendre garde que non seulement entre les éditions publiées il y a des différences considérables, mais que la première (celle de Milan 1510) a étè completée et remaniée par son éditeur. Les jugements portés sur Raymond Gaufridi, 104 a 1 [infra pag. 440 lin. 25], et Boniface VIII, 103 b 1 [infra pag. 438 lin. 14], portent la trace de retouches postérieures ». Concedimus duas priores editiones multum differre ab editione tertia; ast inter primam et secundam editionem fere nulla habetur differentia. Textus vero duo citati eodem modo leguntur in hac utraque editione et in codicibus.

[2] Cfr. ex. gr. pag. 245 not. a, pag. 246 not. a, pag. 254 not. a, pag. 294 not. c, quae indicant lectiones codicis Alvernae et Urbinatis; textus ipse est codicis *Campori*.

continet. Quare pro nostra editione elegimus codicem Alvernae, qui optimas generatim lectiones habet, et quo in hoc Collegio quolibet momento ad lubitum nostrum uti licuit; haec ergo editio praebet accurate librum Pisani, prout exstat in dicto codice, nisi aliter indicavimus.

Ubique enim contulimus cum codice Alvernae codicem Assisiensem, quem inter codices alterius familiae commode adhibere potuimus, necnon duas priores editiones; et ubi illi inter se consenserunt, duplicem in textu codicis Alvernae fecimus correctionem: 1. pluries ex ipsis unum alterumve verbum in textu est additum, positum in uncis quadratis, quando scil. sensus hoc exigere videbatur; ex. gr. pag. 160 lin. 5: " Nullus peccator, cui non indulgeat [Deus] „; pag. 386 lin. 35: " Pacem offerentes hominibus [conformes] patri et evangelio „; pag. 413 lin. 36: " Multum [superfluit], si parum [sufficit] „; 2. aliquando in textu lectionem codicis Assisiensis et editionum posuimus, lectionem vero codicis Alvernae in notis, quoties nempe contextus ipse vel alia documenta errorem in codice Alvernae manifestabant; ex. gr. pag. 205 lin. 20 pro " *fratre Bernardo* et fratre Petro „ codex hic male dicit " *fratribus* et fratre Petro „; pag. 242 lin. 8 " habet Firanna „ pro " Firmana „ et pag. 272 lin. 19 " pius et *miserabilis* „ pro " pius et *mirabilis* „.

Ad fol. 41-60, quae in codice Alvernae deesse diximus (cfr. infra pag. 102 lin. 25 — pag. 150 lin. 29), adhibuimus etiam cod. *VIII. b. 11* bibl. nationalis Neapolitanae, sign. N, et cod. *1015* bibl. nationalis Romanae, sign. R.

Partem I cuiuslibet fructus typis minoribus imprimendam curavimus, id quod proculdubio lectores approbabunt. In scribendis verbis more aliorum tomorum collectionis *Analecta Franciscana* secuti sumus Forcellini, *Lexicon totius latinitatis* (ed. Prati); nomina tamen propria scripta sunt secundum codicem Alvernae [1].

Quae sufficiant ad rationem, secundum quam *textum* edidimus. Quoad *notas* vero dicimus: 1. In notis criticis

[1] In casu genitivo pro syllaba finali *e* scripsimus *ae*; ex. gr. *Romae* pro *Rome*.

invenies lectiones variantes codicis Assisiensis necnon editionis 1 et 2; praetermisimus tamen transpositiones verborum et illas variantes, quae ex negligentia scribae intrarunt nec quidquam ad sensum faciunt. 2. In aliis notis indicavimus documenta Pisano antecedentia; minime vero fuit intentum auctores, qui post ipsum de eadem materia scripserunt, indicare. Pariter in notis nonnulli errores Pisani sunt correcti (vide in Indice sub *Errores Pisani*).

In Collegio D. Bonaventurae ad Claras Aquas, die 8 Decembris 1906.

FRATRES EDITORES.

In nomine Domini nostri Iesu Christi et beatissimae virginis Mariae, suae matris, ac beati patris nostri Francisci. Amen.

Incipit opus, quod intitulatur DE CONFORMITATE VITAE BEATI FRANCISCI AD VITAM DOMINI IESU REDEMPTORIS NOSTRI, *editum a fratre* BARTHOLOMAEO DE PISIS *ordinis Minorum, sacrae theologiae magistro, ob reverentiam sui patris praecipui beati Francisci, anno Domini MCCCLXXXV.*

Incipit

PRIMUS prologus dicti magistri pro opere praefato.

Sanctorum vita probis fulta operibus et doctrina fructuosa signis nexa, cum militantis ecclesiae filios illustrent limpidius, dirigant rectius in agendis, aedificent efficacius, animum placidius demulceant et avidius inducant ad mundi contemptum, ac omni virtute et efficacia Christum prosequendum prae omnibus promant ac clament, incitent et impellant, si generale hoc in sanctis exsistat, illorum praecipue exempla sanctorum cum praefatis fideles attrahunt ad iam dicta, quos sibi Salvator in vitae actibus conformes magis reddit, donis impensis efficit gratiosos et prodigiis atque portentis illustres et mirabiles ostendit seu claros; cum quidquid in sanctis immaneat seu fiat ab ipsis, divina operatur potentia ad fidelium directionem, consolationem et lumen, ac ut ipse in se mirabilissimus suis effectibus atque sanctis proculdubio mirabilis reperiatur et praedicetur. Verum, etsi omnes sanctos condere (*a*) ad sui gloriam divina clementia est dignata et nostram salutem, nec ullo in tempore ab exordio utpote humani generis usque in praesens mundum eorum consortio destitutum omiserit, ipso tandem veterascente, vitiorum scrabedine sordescente, ab apostolicis torpente, immo verius a Christi declinante vestigiis, eiusque amore totaliter frigescente, ac occiduo omnis pravitatis (*b*) non proximante, sed iam instante, nocteque

(*a*) As *concedere*. — (*b*) Ed. 2 et 3 *puritatis*.

peccatorum possesso, dum *in suo cursu* non *medium* sed extremum *perageret* [1], silentio disciplinis imposito et moribus, ob id, quia non Christi sed sua quisque quaereret et ambiret, sapientia illa ineffabilis renovare in melius quae sunt mundi provide cupiens et intendens, novum et singularem hominem subito condidit, vita spectabilem, insignem moribus, apostolorum sectatorem praecipuum, efficacem in verbo, zelo animarum praefervidum, praeclarum virtutibus et signis, omnia saecularia contemnentem, paupertatis fidum amicum, evangelii cuncta servantem, crucis baiulum notabilem passionis suae stigmatibus et ad patriam totis nisibus cum suis (*a*) tendentem, avidum et anhelum.

Hic homo sic celeber, devotus et sanctus exstitit angelicus vir Franciscus, quem *Pater* misericordiarum et *luminum* sua praeveniens gratia, subsequens et consummans, omnium mundanorum abiecto onere, per semitam hactenus obliteratam vitae Iesu et apostolorum recto incedens tramite, paupertatem diligens, assumens in sponsam foedere perpetuo et constringens, evangelii observator sollicitus, vita, verbo, opere et exemplo orbis climata irradiatione mirifica clarius illustravit, in lucem perfectionis direxit ad Dei perficienda mandata Crucifixique vestigia prosequenda avidius incitavit. Cuius beati patris quanta fuerit gratiae plenitudinis affluentia, qualis vita, quam efficax verbum, et quem (*b*) erga eius fuerit affectio, dilectio seu amor, quidve optarit et quaesierit possidere, quantave gloria fulgeat in supernis, non solum fratrum Minorum religio ab ipso ordinata cum duobus aliis ordinibus, sed quae gerit assidue ac gessit, exprimunt et declarant. Verum ipse Dominus Iesus eum sibi in vita reddendo prae sanctis aliis similem et conformem, signaculis suae passionis consignando, quantae sit apud ipsum acceptionis et gratiae quamve gloriae, statu sublimem evidenter depromit et ostendit. Ipsius ergo beatissimi patris magna et mirifica a Deo in ipso ipsoque gratifice patrata, etsi nonnulli tam nostri ordinis quam status saecularis, excellentia sanctitatis, dignitatis ac scientiae praeclari et insignes, diverso stilo politoque digesserint, ego inter minores minimus, sacrae theologiae magister indignus, frater *Bartholomaeus de Pisis*, sancti patris filius professione, etsi non imitatione condigna, incompos praedictis et impar scientia, lingua ac intellectu et, quod maius est, spiritu et virtute, anhelans ad eiusdem sancti laudem, gloriam et honorem aliqua (*c*) scriptitare, praeponderans diligenter et attendens non exstitisse possibile ipsum christiformem in ultimo, nisi prius in suae perfectionis initio pariter et medio proculdubio concors eidem Domino fuisset in vitae, videlicet actibus seu virtutibus et conformis; quo fretus et incitatus motivo, de actitatis a Domino nostro Iesu Christo, simul cum Patre et Spiritu sancto, in nostro patre beato Francisco, de patratisque ab eodem actibus, praecipuis signis et virtutibus, quae dispersa inveni, ad unum volumen redigendo opus praesens, Christo patrocinante, meritis patris nostri compegi, et hoc breviter et succincte, potius ad compendium reducendo quae narro, quam prolixe scribendo, multaque non ex industria, sed quia ea habere non valui, omittendo.

Quod opus *de conformitate vitae beati Francisci ad vitam Domini Iesu nostri Redemptoris* censui appellandum, ubi per conformitates vitae beati Francisci ad Christi vitam discurrendo, iuxta quod possibile est, mortalem hominem Christo Iesu confor-

(*a*) As *toto nisu animae suae superius.* — (*b*) Alii *quam*, edd. *quam grata eius.* — (*c*) As *acta.*

[1] Cfr. Sap. 18, 14.

mari et similari, nixus sum conformem depromere, et hoc in actibus seu similitudinibus quadraginta, etsi plures aliae indubie reperiantur. Quas conformitates quia per figuras depingi feci in arbore, fructus arboris de conformitate vitae beati Francisci et Christi possunt merito vocitari. Ad quarum conformitatum sive fructuum dilucidationem modum hunc tenere complacuit, ut prius de Christo iuxta materiae conformitatem loquendo, idipsum subsequenter in beato Francisco affuisse annecterem et probarem, confisus de Domini bonitate, qui bona in nobis plantans prosequitur et ad finem perducit optatum, et bene agere optanti manum suae virtutis non subtrahit, sed apponit.

Multa ergo et varia cum sint in hoc opusculo posita et exarata sanctitatique tanti patris imparia, insufficientia pariter et indigna, precibus, quibus possum, legentes duxi praesentibus humiliter deprecandos, ut, si qua repererint ad gloriam sancti digna, accipiant indignaque respuant seu addant, quae non recte corrigant, et pro me peccatore ad Iesum intercedere dignentur, qui mihi et ipsis, meritis almiferi confessoris Francisci, signiferi eiusdem Dei et Domini nostri Iesu Christi, gratiam tribuat in praesenti et in futuro regnum tribuat felicitatis aeternae. Amen.

Explicit prologus primus.

Incipit

prologus SECUNDUS per modum sermonis, in quo quae dicenda sunt in opere subsequenti sub brevitate declarantur.

Similem illum fecit in gloria sanctorum, Eccli. 45, 2. Ut ea, de quibus tractaturus sum in opere subsequenti *de conformitate vitae beati Francisci ad vitam Domini Iesu nostri Redemptoris,* succincte pateant, verbum praelibatum assumsi, ubi dicitur, quod Dominus Iesus beatum Franciscum *fecit similem,* videlicet sibi, et consequenter, quod ipse pater beatus Franciscus tali similitudine fuit et est *in gloria sanctorum.*

1.

Pro quorum verborum introductione tres solita consuetudine declarandas propono quaestiones. Et harum quaestionum est haec prima: qualis fuit beati Francisci *sedulitas,* et cui voluit inhaerere.

Secunda quaestio: quanta est et fuit Iesu in beato Francisco *activitas,* et quid in eo placuit exercere.

Tertia quaestio: quae est beati Francisci *sublimitas,* et ubi eum Deus posuit residere.

Ad praefatas quaestiones: ad primam respondetur, quod studium totum beati Francisci fuit Christo complacere per eius dilectionem.

Ad secundam quaestionem respondetur, quod Christus prodigium magnum in eo habuit exercere stigmatum impressione.

Ad tertiam quaestionem respondetur, quod praemium gratum tenet in caelo, et hoc in sede alta permansione et sessione. Et istae tres responsiones erunt tria declaranda pro nostri thematis introductione.

1. Dico primo, quod, si quaeratur, qualis fuit beati Francisci sollicitudo et *sedulitas*, et cui voluit inhaerere, respondetur, quod sedulitas et eius totum studium fuit Christo per dilectionem complacere, ipsum super omnia amando et ipsi soli omni spe, re et fiducia cohaerendo et nulli alteri.

Pro cuius evidentia est sciendum, quod, si ad inhaerendum Deo per eius dilectionem et amorem solus ipse debeat inducere, qui est summum bonum et consequenter super omnia diligendus et propter se, inducatque etiam natura, id est omnia creata, quae, teste Augustino in sermone *de uno martyre*[1], omnia Deum ipsum laudant et, ut eum ament, cuncta clamant, prout ait ipse Augustinus in libro suarum *Confessionum*[2]: figura nostri corporis et animae statura et conditio; ad imaginem enim Dei et similitudinem hominem Deus condidit; quare tenetur ipsum diligere, qui *prior nos dilexit*, I Ioan. 4, 10; scriptura memorans beneficia collata a Deo homini, videlicet, beneficium creationis, gubernationis, mentalis insignitionis, in paradiso collocationis, traditae super omnia dominationis, in peccando miserationis, dando legem eruditionis, manifestationis se cognoscibilem nobis praebendo, protectionis contra diabolum nobis dando suum angelum, incarnationis Domini Iesu, conversationis Christi et eius sanctae informationis, sui corporis et sanguinis in sacramento collationis, suae passionis, nostrae redemptionis, patrum a limbo liberationis, suae resurrectionis, ascensionis et introductionis in caelum humanae naturae et Spiritus sancti in nos missionis, suaeque fidei, qua salvamur, revelationis, et sic de aliis, haec referendo ad Dei accendit dilectionem; gratiae suae, non nostris meritis, sed sua gratuita liberalitate concessio (*a*), ut qui dedit diligatur; multiplex amoris divini et dilectionis utilitas, quae diligentibus obvenit, ac gloriae aeternae sic diligentibus promissio et donatio. Si ergo ad diligendum Dominum praefata incitent, beatum Franciscum praecipue induxit, ut Christo totaliter et soli omni vi et nisu inhaereret amore, contuendo, Dominum Iesum esse summum esse ad vivificandum, summe pulchrum ad intuendum, summum bonum ad delectandum, summam sapientiam ad contemplandum, summam scientiam ad informandum, summam virtutem ad fortificandum, summam vitam ad liberandum, summum cibum ad recreandum, summum potum ad refocillandum, summum Deum ad venerandum, summum hominem ad imitandum, summum donum ad exoptandum, summum omnium ad quietandum, summe pium ad indulgendum et condonandum, summe mundum ad purgandum peccata et extergendum, summum principem ad gubernandum, summum fortem ad hostem nostrum prosternendum et superandum, summum stabile ad perpetuandum, summam laudem ad iubilandum, summam gloriam ad beatificandum, summe iustum ad retribuendum, summum verbum ad omne exprimendum et declarandum, summam salutem ad sanandum, summam hostiam ad Deum placandum, summum fontem ad refrigerandum, summum filium ad adoptandum, summam visionem ad anhelandum, summum florem ad redolendum, summum fructum ad degustandum, summam ianuam ad caelum intrandum, summum candorem ad serenandum, summum lumen et lucem ad irradiandum, summam pacem ad reconciliandum, summum pretium ad Deo satisfaciendum, summum regem ad impetrandum, summam

(*a*) Codex *grata;* ed. *dilectionem, quae per gratiam suam et non nostris meritis et per suam gratuitam liberalitatem sunt nobis concessa;* As *sua gratuita liberalitate concedendo.*

[1] Vide *Enarrat.* in ps. 68, serm. 1 n. 5; *Enarrat.* in ps. 128 n. 5 et *Enarrat.* in ps. 144 n. 13, (P. L. 36, 845 sq. et 37, 177 sq.). — [2] L. X c. 6 n. 8 sqq. (P. L. 32, 782 sq.).

veritatem ad attestandum, summam viam ad peragrandum, summam dulcedinem, qua beati saginantur, summam requiem laborantium, summam spem omnium vitam aeternam adire cupientium. Inspiciendo iam dicta, beatus Franciscus omni sedulitate et studio Christo voluit per amorem inhaerere.

Sed quod Christum super omnia dilexerit, patet ex signis divini amoris, quae in ipso perfecte demonstrata fuere.

Amoris enim primum signum est, si de Deo frequenter cogitatur. Vis enim amoris agit, ut quem amat semper cogitet, ut ait glossa [1] super illud Ioan. 20, 15: *Si tu sustulisti eum, dicito mihi.* Hoc signum in beato Francisco apparuit, qui « ambulans et sedens, laborans et vacans » de Deo cogitando semper, « spiritum Deo contendebat exhibere praesentem », ut dicit XI pars *Legendae maioris* [2].

Secundum signum, si de Deo libenter effatur; Chrysostomus [3]: « Hic mos amantium est, ut amorem suum silentio tegere nequeant ». Francisci patris verba « non erant inania, nec risu digna [4] », non de saecularibus, sed de Iesu et eius passione fratribus assidue faciebat sermonem, ut habetur in IV parte *Legendae maioris.* Et cum nomen Domini Iesu nominabat, « labia prae amoris dulcedine lingere videbatur [5] ». Nonne loquentem beatum Franciscum de Deo, apud castrum sancti Severini in Marchia, vidit frater Pacificus « duobus ensibus valde fulgentibus in modum crucis transversaliter [6] » consignatum? Sic et virgo sanctissima Clara, Francisco melliflua de Iesu eructante, ad Christum est conversa; et sic de aliis, ut in parte IV [7] habetur *Legendae maioris.*

Tertium signum, si ad loquendum de Deo homo paratur; corde enim, lingua et manu, teste Gregorio [8], amor Dei probatur. Hoc signum amoris proculdubio claruit in beato Francisco, qui « factus evangelicus praeco », non solum fratribus et suis civibus ad annuntiandum Dei verbum promptus exstitit et paratus, sed « civitates circuibat et castra » praedicans verbum Dei. Ad hoc enim destinatus fuit a Domino, sicut caelitus fuit instructus, ut sua praedicatione converteret animas, « quas diabolus conabatur auferre [9] ».

Quartum signum divini amoris est, si attente loqui de Deo audiatur; Ioan. 14, 21: *Qui audit* verba *mea et* facit *ea, ille me diligit.* Nil avidius optabat vir Dei quam verbum Dei audire. Et frequenter pergebat ad illos, qui gratiam loquendi habebant de Deo, ut patuit de eius accessu ad fratrem Bernardum, primum fratrem eius et socium, etsi ageret in remotis. Et quod verum est, patet; semel dum vellet audire loqui de Domino Iesu, et cuilibet sociorum hoc mandasset, et sigillatim quilibet perfecisset, sic de Deo loquentibus, in specie pulcherrimi iuvenis apparuit Dominus Iesus in medio eorum, et eis benedicendo, tanta suavitate sunt repleti, ut omnes fuerint rapti.

Quintum signum amoris Dei est, si locus Deo dicatus visitetur Christi exemplo, qui ibat diluculo ad Dei templum. Franciscus post mundi abdicationem, tres ecclesias resarcivit, videlicet sancti Damiani, sancti Petri et gloriosae virginis Mariae. Ad ecclesias derelictas ad orandum ibat de nocte, scopabat ecclesias ex devotione, et ad visitandum limina apostolorum Petri et Pauli Romam, dum esset saecularis, devotus accessit; sic et sanctum visitavit Iacobum de Gallecia.

---

[1] Scil. *ordinaria* apud Lyranum. — [2] C. 10 n. 1. — [3] I *De compunct.* n. 3 (P. G.-L. 55, 159). — [4] Bonav. *Leg. maior,* c. 3 n. 2; sequitur c. 4 n. 3. — [5] Ibid. c. 10 n. 6. — [6] Ibid. c. 4 n. 9. — [7] *Ibid.* n. 6. — [8] II *Homil. in evang.* homil. 30 n. 2 (P. L. 76, 1221). — [9] Bonav., l. c. c. 4 n. 5 et 2.

Sextum signum divini amoris est, eleemosynarum indigentibus pro Dei amore largitio, dicente Ioanne, I Ioan. 3, 17: *Qui habuerit substantiam huius mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo: quomodo caritas Dei manet in eo?* Pater beatus Franciscus, dum esset saecularis, firma se sponsione constrinxit Domino, ut nulli eleemosynam denegaret, « maxime si divinum allegaret amorem [1] ». Habitu sumto, nulli rei parcebat, nec libris, nec paramentis altaris, quin omnia petentibus Dei amore largiretur.

Septimum signum Dei amoris est, illata patienter sufferre; Gregorius[2]: « Poena interrogatur, si quietus veraciter amet ». Beatus Franciscus, dum cuncta pro Christi amore contemneret, a civibus luto impetitus et saxis, ut stultus, ut surdus in omnibus pertransibat; a patre actus vinculis et verberibus, pro amore Christi ad cuncta perferenda se dixit promptissimum; et quando ibat per mundum, ut ignoto multa convitia inferebantur et specialiter, quando ad soldanum accessit. Exactus infirmitatibus variis, non querimoniam sed Deo laudes pro impensis referebat et gratias.

Octavum signum amoris divini est, si quae sunt Deo placita adamentur; Matthaeus 12, 50: *Qui* facit *voluntatem Patris mei* etc., ille *me diligit*. Beatus Franciscus, agnita voluntate Domini Salvatoris de modo vivendi evangelice, dum evangelium legeretur, se per omnia regulae apostolicae coaptavit, deponendo calceamenta, baculum, peram et pecuniam. Ad quod exercendum, dum scivit beatus Franciscus, se esse a Deo directum, statim ad praedicandum accessit, voluntatem divinam suis prae oculis et operibus ac desideriis iuxta Salvatoris vota anteponens.

Nonum signum amoris Dei est, si a mundi amore frigescit; amor enim Dei et mundi simul esse non possunt; Matth. 6, [24: *Non potestis Deo servire et mammonae*]. Et quanto circa amorem Dei quis assurgit ferventius (*a*), tanto a mundi amore frigescit verius. Ut totum se divino daret amori beatus Franciscus nihil penitus commune vel proprium cum mundo habere voluit, sed ipsum facto et corde penitus contempsit et abdicavit.

Decimum signum est divini amoris, si Dei ministros honorat et libenter eisdem deservit; Eccli. 7, 32: *Omni virtute tua dilige* Deum, *et ministros eius ne derelinquas*, et Matth. 10, 40: *Qui vos recipit me recipit, et qui me recipit recipit eum, qui me misit*. Beatus Franciscus non solum ipse effecit, sed et mandavit, ut de eo cantatur, « presbyteros prae cunctis revereri [3] », ut in eius expresse patet ad omnes christianos littera directa et in suo quod dicitur testamentum [4].

Praefatis ergo signis apparet, beatum Franciscum Deum dilexisse; et ideo bene dicit devotus frater Bonaventura in *Legenda maiori* parte IX [5] loquens de beato Francisco: « Caritatem ferventem, qua sponsi amicus, Franciscus ardebat quis enarrare sufficiat? Totus namque quasi quidam carbo ignitus divini amoris flamma videbatur absorptus; subito enim ad auditum amoris Domini excitabatur, afficiebatur, inflammabatur, et quasi plectro vocis extrinsecae chorda cordis interior movebatur »; et plura alia ad propositum dicit. Deum beatum Franciscum dilexisse ac inhaesisse et (*b*) soli, etsi ex praedictis appareat, aliis potest nihilominus declarari; ipsum enim Christo Domino perfectissime inhaesisse fiduciamque in eum posuisse totam, ostendunt plura.

(*a*) As *frequentius*. — (*b*) As *ipsi*.

[1] Bonav., *Leg. maior*, c. 1 n. 1. — [2] *Praefat. in l. Moral.* c. 3 n. 7 (Text. origin. *interrogat*). — [3] Ant. 1 in primis Vesperis. — [4] *Opuscula S. P. N. Francisci*, pag. 91 et 78. — [5] N. 1.

Primum est pauperes et abiectos, videlicet leprosos amando et diligendo, eis serviendo, subveniendo et benefaciendo, sicut patuit in milite nudo, quem beatus Franciscus, se nudato, vestivit; in leproso, cui cum pecunia et osculum dedit; et sic de aliis.

Secundum est, mundum propter Christum deserendo, coram episcopo patri abrenuntiando et omni iuri paternarum omnium facultatum.

Tertium est, eidem facta Crucifixi apparitio; cui apparuit veluti cruci confixus, eius animam vi penetrans passionis, ut deinceps, cum recordabatur, a lacrymosis gemitibus vix se continere valeret, et oculis cordis passionis memoria semper adesset.

Quartum verecundiae omnis pro Christo susceptio laetanter; impetitus fuit a civibus luto platearum et lapidibus, a patre verberibus subactus, derisus a fratre, et tandem mendicando, verecundiam abiiciendo, laete cuncta portavit.

Quintum iuxta Crucifixi mandatum ecclesiae sancti Damiani reparatio, quam voluit primo, venditis multis, reparare, sed demum cum duabus aliis ipsam, ut hodie manet, reparavit.

Sextum vitae evangelicae per omnia susceptio; ad litteram ipse sanctum evangelium observavit, non transgressus apicem unicum vel iota; et solus ipse cum suis habet regulam in evangelio fundatam speciali modo et forma.

Septimum est ei a Christo facta subventio; Christus enim eum iuvit in cunctis. Patuit in regulae confirmatione suum per visum commovendo (*a*) vicarium, ut Dei famulo benignum praeberet auditum et concederet postulata; Francisco de necessariis subveniendo ab urbe cum sociis recedendo post regulae confirmationem, et in mari Sclavoniae eleemosynis sibi a Deo datis per dies plurimos, omnes cum ipso exsistentes in mari fovendo; sic in capitulo generali apud S. Mariam de Portiuncula necessaria sufficientissime providendo, ubi ultra quinque millia fratres fuere.

Octavum paupertatis pro Christi amore dilectio, amplexus et desponsatio; hanc prae cunctis amavit, et in ea omnes excedere est conatus, ut infra conformitate vel fructu XVI patebit.

Nonum est Crucifixi meditatio, praedicatio, gloriatio et contemplatio; nihil praedicabat, sciebat, meditabatur, nec aliud fratribus ingerebat assidue meditandum et speculandum nisi passionem dominicam, sicut pluribus indiciis est ostensum et probatum. Quod meditaretur crucem assidue, fratri Leoni fuit monstratum, qui vidit Christum crucifixum beatum Franciscum praecedere cum immenso lumine, dum iret [semel] (*b*) versus sanctam Mariam de Angelis. Quod Crucifixum praedicaret, ostensum fuit, dum frater Pacificus vidit eum praedicantem « duobus ensibus valde fulgentibus in modum crucis transversaliter [1] » consignari. Quod in oratione crucem contemplaretur, patebat elevatione sui in aere in modum crucis. Quod vero in nullo alio gloriaretur, nec studeret, patuit in responsione data uni sociorum; cum enim beatus Franciscus infirmus graviter a fratre quodam [pro recreatione] praemonitus esset, ut faceret aliquid coram se legi, respondit, quod non indigebat pluribus, quia sciebat, inquit, *scio Iesum* pauperem *crucifixum* [2].

Decimum est a Christo facta multiplex visitatio. O, quoties ipse Dominus Iesus patri beato Francisco apparere est dignatus? Et non solum ab ipso, sed a beata Vir-

(*a*) As *commonendo.* — (*b*) Codex om. *semel;* R addit *de Perusio.*

[1] Bonav. *Leg. maior*. c. 4 n. 9. — [2] I Cor. 2, 2.

gine, Ioanne Baptista, Ioanne evangelista, sanctis apostolis Petro et Paulo, archangelo Michaele et sanctis angelis, prout infra suis patebit in locis, est visitatus. Sed duo tangam, quae Christus Iesus puer circa eum gessit apparitionis miraculis: primo apud Grecchium repraesentationem faciendo nativitatis, ut miles Ioannes de Grechio vidit, beatus Franciscus Christum in ulnis et brachiis habuit; secundo, dum oraret Virginem, ut sibi consolationem de Iesu parvulo faceret, Virgo ipsa pulcherrima astitit et Iesum in brachiis beato Francisco a principio noctis usque ad diem tenendum et osculandum praebuit et concessit.

Undecimum (*a*) est diaboli a Francisco suppressio; virtute boni Iesu et diabolum in eremitorio de Sartiano vicit, in ecclesiis de nocte superavit et a civitate Aretii et a pluribus aliis potenter eiecit, ut infra dicetur.

Duodecimum est cupitae mortis pro Christo totaliter ostensio. Ter enim ad partes Saracenorum accessit, ut martyrii palmam assequeretur pro Christo, sed quod optabat, Deo ipsum fidelibus reservante, non perfecit.

Praefatis aliisque quampluribus adduci ad hoc possibilibus apparet, beatum Franciscum totam sedulitatem et studium posuisse, ut Christo inhaereret per eius summam dilectionem, ut dicit responsio ad primam quaestionem. Unde beatus Franciscus poterat dicere Christo illud Psalmi 62, 9: *Adhaesit anima mea post te, me suscepit dextera tua.* Et quia, ut dicit apostolus, 1 Cor. 6, 17: *Qui adhaeret Deo, unus spiritus* efficitur cum eo, ac tali adhaesiva dilectione similitudo inducatur, teste Augustino, Hugone et Bernardo, ut statim dicetur, hinc est, quod beatus Franciscus Christo inhaerendo sic dilectione similis ei factus est, ut hic sit ille homo, quem Christus post se *similem reliquit,* Eccli. 30, 4. Et sic patet breviter primum, quod erat pro thematis introductione declarandum.

2. Dico secundo, quod si quaeratur, quanta est Christi in beato Francisco *activitas,* et quid in eo placuit exercere, respondetur, quod Christus prodigium magnum in eo effecit stigmatum impressione. Pro cuius evidentia est sciendum, quod Deus, cum mirabilis sit totus, utpote faciens *mirabilia et inscrutabilia absque numero,* Iob 5, 9; in mundi principio mirabilis fuit mundum creando et omnia contenta in ipso sic faciendo, hominem tamen faciendo *ad imaginem et similitudinem* [1] suam, mirabilior in ipsius institutione apparuit quam in conditione aliorum conditorum; tum quia duo talia simul coniunxit, scilicet corpus et animam; tum quia homo aliis creaturis, angelis exceptis, nobilior est et superior naturali perfectione, et cui omnia ut domino generali subiecit et concessit. Verum, etsi hominem sic condere fuerit prodigiosum et mirabile, maius tamen est hominem facere sibi similem in sanctitate et virtute; quia similitudo naturalis ad salutem sine perfectionali parum, immo nihil valet promerendam, quia non naturalibus, sed gratia habetur vita aeterna. Super omnia tamen prodigiosum reperitur et maximum, cum Deus hominem facit sibi similem et conformem in anima et corpore, sicuti egit in beato Francisco prae aliis sanctis; ratio, quia talis similitudo omnes includit praecedentes, videlicet naturalem, perfectionalem, et superaddit imitativam per omnia et transformativam.

(*a*) Codex *Sed undecimum.*

[1] Gen. 1, 26.

Pro quorum evidentia est sciendum, quod similitudo prima divisione dividitur, quia quaedam est naturalis, quaedam est perfectionalis. Naturalis est duplex, scilicet expressa, et haec in nulla creatura, sed solum in Filio Dei, *qui est imago Dei invisibilis* et expressa, reperitur, ut dicit apostolus, Col. 1, 15; quaedam est naturalis impressa, sicut impressa dicitur forma sigilli in cera, et hoc modo anima est ad imaginem et similitudinem Dei, quia Deus *inspiravit in faciem eius spiraculum vitae* et impressit in hominem suam imaginem et figuram, de qua habetur Gen. 2, 7. Similitudo perfectionalis est duplex, quaedam simpliciter imitativa, de qua dicit thema et Salvator, Matth. 6, 48: *Estote perfecti, sicut et Pater vester caelestis perfectus est;* et primi Mach. 3, 4 de Iuda, qui *factus est similis leoni in operibus suis;* alia est imitativa et cum hoc transformativa; et haec duplex reperitur: et quoad animam solum et quoad corpus et animam simul. De prima, scilicet transformatione animae, loquitur Hugo *De arrha sponsae*[1] dicens: « Scio, anima mea, ut dum alium (*a*) diligis, in eius similitudinem transformaris ». Et de perfecta transformatione in patria animae in Deum loquitur apostolus Ioannes in prima canonica sua 3, 2 dicens, quod *similes ei erimus; quoniam videbimus eum, sicuti est.* De transformatione animae et corporis nullibi expresse habetur, sed solum habetur testimonio summorum pontificum in bullis suis ordini concessis, quod facta est in beato Francisco.

Ad propositum: Similitudo naturalis multum hominem dignificat, quia factus ad imaginem non creaturarum sed Dei; tum quia *participative* (*b*) *consors divinae naturae* factus; tum quia magis arti, qua conditus est, conformatur; tum quia ex hoc capax Dei esse potest secundum doctores; tum quia hac fit homo praestantior cunctis creatis ab angelo inferioribus et superior; tum quia hac cum vivat vita perpetua fieri possessor Dei valet, si vult; tum quia, etsi haec in homine similitudo queat turpari (*c*), nulla vi auferri ab anima potest. Quare ipsam habentem commendat, et Deum ipsam homini condonantem; quia eius commendat potentiam, sapientiam, bonitatem atque clementiam; prima ostenditur de nihilo creando, secunda sic pulchram effigiando; tertia suam bonitatem aliis participando; quarta non nostris meritis, aut Dei indigentia, sed nostra commoditate efficiendo.

Similitudo secunda, scilicet perfectionalis, non solum habentem dignificat, quia, si sequi et imitari vestigia Aristotelis et philosophorum ad honorem sic facientium est (*d*) hominum, multo fortius ipsum Deum hominem subsequi et ipsi conformari; insuper et sanctificat. Talis enim similitudo imitativa sanctos facit et reddit, et ipsa obtinetur, et non prima, regnum caelorum, dicente Christo, Ioan. 8, 12: *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitae;* et Matth. 10, 82: *Qui non accipit crucem suam et sequitur me non est me dignus.* Istam habebat Iob, 23, 11: *Vestigia eius,* scilicet Dei, *secutus est pes meus;* et Paulus, I Cor. 2, 2, cum dixit: Ego nihil putavi *me scire inter vos, nisi Christum et hunc crucifixum;* Gal. 3, 19 sq. *Christo confixus sum cruci, vivo* ego, *iam non ego, vivit vero in me Christus;* et capite ultimo, 17: *Stigmata Domini Iesu in corpore meo porto.* Haec Deum dantem commendat, quia hanc operatur in nobis, quia omnis *nostra sufficientia ex Deo est,* II Cor. 3, 5, et sine ipso nihil facere valemus, Ioan. 15, 5.

(*a*) As *dum Deum.* — (*b*) As *participatione.* — (*c*) Codex *temperari.* — (*d*) As *et.*

[1] P. L. 176, 954.

Tertia similitudo, videlicet transformativa, etsi quoad animam eam nobilitet, quia ipsa praeter similitudinem naturalem et imitativam, facit eam deiformem, ut dicit Hugo [1] et Boethius [2], et Deo modo singulari iungi et uniri, ut *unus spiritus efficiatur cum ipso*, ut ait divus apostolus Paulus, I Cor. 6, 17; quantum etiam ad corpus haec transformatio dignificat, ut videlicet, ea homo sic transformatus sic Christo similis reperiatur, et Christus typicus nuncupetur. Haec, inquam, Deum facientem extollit, quia nulla creatura eam valet efficere, ut dicetur, proprie loquendo. Nam, ut ait apostolus, I Cor. 12, 3: *Nemo potest dicere Dominum Iesum*, id est, se totaliter transformative exprimere in Christum, *nisi in Spiritu sancto*, scilicet fiat effective qui amor est. Laudat etiam, quia insolitum, quod uterque homo transformetur in Iesum, etsi quoad animam multoties sit factum et fiat in viris sanctis; quod creatura virtute Creatoris reddatur, ut possibile est, per omnia similis Creatori, ad gloriam est conditoris, eo quod distantes ad invicem iunguntur et copulantur; homo insuper cum tali similitudine deificetur iuxta modum loquendi Boethii, III [3] *De consolatione philosophiae*, quod, « sicut adeptione iustitiae homo fit iustus, sic deitatis participatione, adeptione et transformatione deos necesse est fieri »; et hoc fit a Deo. Quare ipse Altissimus hanc similitudinem in participando homini commendatur ut bonus et pius et laudatur.

Extollitur ipse transformatus: Primo, quia tali transformatione fit homo similis Deo ultima similitudine possibili.

Secundo, quia ipsum omnis creatura extollit cernendo prae ceteris eum summi regis imagine et similitudine decorari, et consequenter effectu tali eum ab ipso Deo plus aliis diligi et amari.

Tertio, quia talis appetitus naturalis quiescit, dum obtinet quod naturaliter appetit, scilicet Deo similari et copulari.

Quarto, quia hostibus fit terribilis, scilicet daemonibus talis similitudinis effigiem gerendo; sanctis amabilis in eo Dei bonitatem expressam et declaratam intuentibus; imitabilis viris perfectis; peccatoribus praebet lumen et viam ad se *redire* et *ad cor* [4] et consequenter ad Deum, qui talia operatur.

Quinto, (*a*) est vexillifer summi Dei eius signum ferendo; cancellarius sigillum summi regis imagine impressum et decoratum secum gerendo; thesaurarius donum summum possibile creaturae non unitae suscipiendo et retinendo; consiliarius Dei, cum unus *spiritus sit factus cum Deo* [5].

Sexto, quia futurae gloriae hac sponsione et annulo subarrhatur, ut adipiscatur post mortem.

Septimo, (*b*) ecclesia tam triumphans quam militans, quod Iesu capitis quis in humanis conditus habeat imaginem insignitam, in directionem, lumen et gaudium est omnium fidelium et beatorum.

Plura alia possunt adduci, de quibus plenius conformitate et fructu XXXI dicetur; quibus apparet, quod Deus, etsi similitudines ante dictas imprimendo et largiendo mirabilis sit, supermirabilis exsistit totum hominem in se transformando.

Sed restat inquirendum, an sit possibile, hominem ad hanc similitudinem transformativam pervenire; et quo medio specialiter ad hanc pervenitur.

(*a*) Ed. 2 *etiam*. — (*b*) Edd. *Septimo extollitur*.

[1] Loc. pag. 9 cit.; cfr. I *De sacram.* p. 3 c. 31 et IV *De anima* (int. op. Hug.) c. 9. — [2] Vide not. sequent. — [3] Prosa 10 (P. L. 63, 767). — [4] Is. 46, 8. — [5] I Cor. 6, 17.

Ad praefata respondeo primo, quod possibilis est talis transformatio, intelligendo per transformationem iuxta vim et sonum vocabuli, quod sit in formam alterius transitio; et haec possibilitas transformationis ostenditur possibilis:

Primo in naturalibus; patet per Avicennam, VI *Natural.* p. IV c. 19 [1], ubi dicit, « quod ex anima solet accidere in materia corporali permutatio complexionis, quae acquiritur sine actione et passione corporali, ita quod calor accidat ex non calefaciendo et frigiditas ex non frigefaciendo (*a*). Cum enim imaginatur anima aliquam imaginem et corroboratur in ea, statim materia corporalis suscipit formam habentem comparationem ad illam aut qualitatem ». Et c. 4 dicit [2]: « Attende, o medice, dispositionem infirmi cum credit, se convalescere, aut sani, cum se credit aegrotare. Multoties enim contingit ex hoc, ut, cum corroboretur forma in anima eius, patiatur ex ea materia, et proveniat ex hoc sanitas vel infirmitas; et haec est actio efficacior quam illa, quam agit medicus instrumentis suis et medicinis ». Et ponit exemplum de eunte super trabem, qui, si imaginetur cadere, non audebit ambulare super eam, « eo quod imaginatur in anima eius formam cadendi vehementer impressam, cui obedit natura eius, et virtus membrorum non obedit contrarie [3], scilicet ad erigendum et ambulandum ». Idem dicit beatus Augustinus, *De Trinitate* XI [4], animam habere dominium transmutandi corpus ad qualitatem, ut possit immutare sicut vestimentum suum. Et ponit exemplum de illo, qui tanta concupiscentia inflammabatur in amore mulieris, ut videretur cum ea commisceri carnaliter, et de illis, qui solis imaginationibus illuduntur. Hoc idem patet exemplis scripturae de virgis Iacob etc., Gen. 30, 37 seqq.

Sic ergo patet, quod possibilis est transformatio in naturalibus.

Est secundo possibilis in artificialibus; patet de figura cerae vel terrae impressa.

Est tertio possibilis in moralibus; patet de habitibus virtuosis et vitiosis, quibus homines diversimode transformantur et in quos.

Sed quarto est possibilis transformatio inter spiritum et spiritum. Patet per Bernardum dicentem [5], quod « anima est plus, ubi amat, quam ubi animat », per Hugonem in libro *De arrha sponsae* dicentem [6]: « Scio, anima mea, ut, dum alium diligis, in eius similitudinem transformaris », et per beatum Augustinum, X *De Trinitate* c. 5 [7], ubi dicit, quod « tanta est vis amoris, ut mens nostra ea, quae amore cogitaverit, attrahat secum » ; et ponit ulterius, quod, « cum corpora per sensus corporis adamantur, et non posset anima ea trahere, trahit ipsorum imagines » etc.; quibus patet possibilitas transformationis spiritus in spiritum et hominis in hominem.

Est possibilis quinto transformatio inter animam et Deum; primo Christi verbo, Matth. 6, 21: *Ubi est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum;* secundo per apostolum, I Cor. 6, 17: *Qui adhaeret Deo, unus spiritus* efficitur cum Deo; tertio per Ioannem, prima canonica 3, 2: *Cum apparuerit, similes ei erimus;* quarto per Commentatorem *XII Metaph.* 37 [8], ubi dicit: « Primum caelum movetur a primo motore secundum desiderium, ut assimiletur ei secundum suum posse, sicut amans movetur, ut assimiletur suo amato »; quinto per Augustinum *Super canonica prima Ioannis,* c. 1

(*a*) Alii *ex non calido... ex non frigido* (ita pariter ed. Veneta Avicennae).

[1] Potius c. 4 circa medium. — [2] Loc. cit. paulo inferius. — [3] Ed. *contrario.* — [4] C. 4 n. 7 (P. L. 42, 989). — [5] *De praecepto et disp.*, c. 20 n. 60 (P. L. 182, 892). — [6] Cfr. pag. 9. not. 1. — [7] N. 7 (P. L. 42, 977), ubi et sequentia. — [8] Scil. Averroes, XII *Metaph.* t. 37 in fine.

homil. 1 [1]: « Si Deum diligis, Deus es, si terram, terra, si caelum, caelum, et talis est quisquis, qualis eius amor »; sexto per Boethium, *De consolatione*, prosa [2]: « Sicut adeptione iustitiae necesse est iustos fieri, sic deitatis adeptione deos fieri est necesse »; et concludit: natura Deus unus est, participatione plures; et per psalmistam, 81, 6: *Ego dixi: dii estis;* et per apostolum, Gal. 2, 20: *Vivit vero in me Christus.*

Sic ergo apparet praefata possibilitas transformationis animae in Deum. Sed quod tam corporaliter quam spiritualiter sit haec transformatio possibilis, patet Dei potentia pensata, non quod corporaliter homo transeat in Deum, qui spiritus est, et eius similitudinem, sed bene Domini nostri Iesu Christi, qui est Deus et homo, ut statim dicetur, ostendendo hoc factum in beato Francisco.

Sed qua vi et quomodo habeat fieri haec transformatio, patet ex dictis, quod vi amoris, ut dictum est per beatum Hugonem et Augustinum. Et ideo dicit beatus Augustinus, *VIII De civitate Dei* c. ultimo [3]: « Quid est amor, nisi quaedam vita duo aliqua copulans vel copulare appetens, amantem scilicet et amatum »? Sed nota, quod non quilibet amor, utpote remissus, habet talem vim, sed iuxta modum loquendi Bernardi [4] debet esse praeceps et vehemens per modum iuventutis (*a*), ut vincat omnia, dicendo cum apostolo, Rom. 8, 35: *Quis nos separabit a caritate Christi?* etc.

Sed ulterius posset quaeri, quomodo hic amor arguitur, ostenditur et monstratur. Respondeo, quod operum exhibitione, ut dicit Gregorius [5]: « Probatio dilectionis exhibitio est operis »; sed quorum operum dicit Salvator, Ioan. 14, 23: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit;* sic ergo praeceptorum divinorum observantia et Iesu imitatione perfecta. De primo ipse Salvator dicit, Ioan. 15, 10: *Ego praecepta Patris mei servavi et maneo in eius dilectione.* De ipsius imitatione dicit: Hic *me diligit.* Praefatorum operum exhibitione amor ostenditur et declaratur.

An vero Christum sequi et eius praecepta servari sit possibile, patet per beatum Augustinum, quod sic, in *Sermone plurimorum martyrum* [6], qui incipit: *Quotiescumque, fratres carissimi.* Se sequi Iesus mandavit apostolis; quare ipsum imitari est possibile; patet ergo iam dictis transformationis possibilitas, et quomodo fiat.

Ad propositum ergo nostrum: haec operatio tam prodigiosa in quo sanctorum est facta? Certe, in nullo alio nisi in beato patre nostro Francisco, ut asserit ecclesia romana et fidelibus ingerit ad credendum. Hoc asserit papa Gregorius IX in bulla, quae incipit: *Confessor Domini gloriosus* [7], in alia bulla, quae incipit: *Non minus dolentes accepimus,* in tertia bulla, quae incipit: *Usque ad terminos orbis terrae;* papa Alexander IV in prima bulla, quae incipit: *Grande ac singulare miraculum,* in secunda bulla, quae incipit: *Benigna divinae operatio voluntatis,* in tertia bulla, quae incipit: [*Si novae laetitiae militantis ecclesiae;* papa Nicolaus III in bulla, quae incipit:] *Litteras felicis recordationis Gregorii papae IX,* in decretali sua, quae incipit: *Exiit*

(*a*) Alii *vehemens Petri Ravennatis;* cfr. Petrus Rav., *Sermo* 40 (P. L. 52, 313).

[1] Potius *Tract.* 2 n. 14 (P. L. 35, 1997). — [2] Pag. 10 nota 3. — [3] Potius *De Trinit.* l. VIII c. ult. (10) n. 14 (P. L. 42, 960). — [4] *Serm.* 9 in Cant. n. 2 et *Sermo* 79 in Cant. n. 1 (P. L. 183, 815 et 1163). Cfr. Guil. abb. S. Theod., *De contemplando Deo* c. 7 n. 14 et eiusdem *De natura et dign. amor.* (int. op. Bern.) c. 2 n. 4 (P. L. 184, 375 et 383). — [5] *Homil.* 30 in evang. n. 1 (P. L. 76, 1220). — [6] *Sermo* 225 (alias 47 *De sanctis,* int. op. August.; P. L. 39, 2160 sq.), praesertim n. 2. — [7] Cfr. Sbaralea, *Bullarium Franciscanum.*

qui seminat; papa etiam Benedictus, qui festum de stigmatibus colendum concessit ordini. Auctoritate praefatorum, nec non et signorum seu miraculorum factorum non solum ostenditur beatum Franciscum stigmatizatum a Christo prae aliis, sed quod huiusmodi prodigium, impressio videlicet sacrorum stigmatum, divina et solius potentiae [Dei] sunt. Et est peractum virtute, non natura, arte seu quavis imaginatione forti et vehementi, quod patet primo miraculis stigmatibus patratis, de quibus dicetur conformitate et fructu XXXI; et cum solius Dei sit operari miracula, nec humana arte fiant seu naturae virtute, propositum sequitur incunctanter.

Secundo hoc idem perpenditur, si forma stigmatum in manibus et pedibus sancti Francisci facta cogitetur; nam in manibus et pedibus eius sunt facti clavi, sive de nervis sive de carne, qui quidem clavi desuper erant quoad capita solidi, grossi et obtusi; erant longi et extra manus et pedes protendebantur et recurvabantur, intra quorum recurvationem arcualem ipsorum digitus manus immitti valebat, sicut dicit dominus frater Bonaventura episcopus Albanensis sanctae matris ecclesiae romanae cardinalis in XIII parte *Legendae* [1] se habuisse ab illis, qui hoc viderunt et palpaverunt, et sic esse, iuràmento firmaverunt. Modo dato, quod natura vel imaginatio haberet vim aperiendi carnem, facere tamen clavos de nervis sive de carne sic duros et tali forma dispositos adiuta (*a*) arte quacumque facere sic nullatenus posset. Patet etiam hoc idem, si consideretur locus sive materia, de qua tales clavi sunt facti. Beatus enim Augustinus loco supra [2] allegato, scilicet XI *De Trinitate*, dicit, quod anima habet vim corpus immutandi, ubi materia est tenera et formabilis; ubi vero materia est durior, imaginationi non obedit. Modo cum materia manuum et pedum et praecipue in loco, ubi fuerunt stigmata impressa, sit tota nervosa et durior quam in aliis partibus corporis, non potest ergo virtute naturae seu imaginationis in eisdem locis aliquid tale fieri; similiter de vulnere lateris in tali forma et loco tali praefatis de causis fieri non potuit vi naturae nec imaginationis. Nec virtute naturae tanto tempore imputribile conservari potuisset, sicut fuit in ipso patre, quia per biennium; cui vulneri et aliis stigmatibus, quia sanguis defluebat, non unguenta sed petiae ad sanguinem restringendum ponebantur. Vehemens imaginatio passionis Christi Iesu, si haberet stigmata naturaliter imprimere, hoc prae omnibus in beata fuisset Maria matre Iesu et eius corpore, quae prae cunctis Christum amavit et de eius passione condoluit; quod tamen in ea sit factum, nec ecclesia nec aliquis ponit aut asserit. Domini igitur nostri Iesu Christi potentia, voluntate, opere et virtute, et per seipsum, etsi sub specie seraph apparuerit, in beato Franciscò prodigium impressionis suorum stigmatum sacrorum est tam mirabiliter quam efficaciter operari dignatus. Fecit ergo Deus magna in beato Francisco *qui potens est*, Luc. 1, 49; nam *posuit* in ipso *prodigia*, Ps. 45, 9; et beatus Franciscus potest dicere illud Dan. 3, 99 sq.: *Signa et mirabilia apud me fecit Deus excelsus.*

Et sic patet secundum, quod erat declarandum, videlicet: qualis fuit Iesu Christi in beato Francisco *activitas* et operatio, et quid in ipso placuit exercere. Nam prodigium nunquam ante nec in aliis factum voluit in ipso peragere, scilicet, suae passionis stigmata imprimere et ponere.

(*a*) Alii *adiuncta.*

[1] N. 8. — [2] Pag. 11 nota 1.

5. Dicebatur tertio, quod, si quaeratur, quae est beati Francisci *sublimitas*, et in quo loco a Deo pro gloria locatur, respondeo, quod praemium magnum habet in caelo; nam in sede celsa dicitur residere. Ubi sciendum, quod, si de praemio et gloria beati Francisci quaeratur, infra conformitate seu fructu XXXVII dicetur; pro modo, ut ad quaesitum respondeatur, beati Francisci gloria est magna; nam in sede sublimi, scilicet luciferi, sublimatur. Si enim iuxta Magistrum sententiarum, II d. 4 [1] et 9 [2], homines sancti ad ordines secundum eorum merita assumuntur caelestium spirituum et in eisdem locantur, beatus Franciscus in ordine seraphico locatur. Quod patere potest:

Primo, quia incendio seraphico et ad Christum et ad animas fuit in praesenti totaliter ignitus et sic eisdem similis, quare et nunc in gloria eorum et ordine invenitur. Quod incendio seraphico beatus Franciscus fuerit ignitus, ostendit currus igneus, quo fratribus apparuit transfiguratus; eiusdem patris amplexus factus fratri Massaeo eius socio, quando eum accepit infra brachia, strinxit, sublevavit a terra et demum impulit, sensitque frater ipse tali amplexu tantum de calore et spiritus consolatione, acsi in medio fuisset fornacis ardentis. Incendium beati Francisci fuit expertus homo beatum Franciscum suo asello deducens tempore nivis et magni algoris, qui ab ipso tactus manu summi caloris incendio est ignitus. Idipsum abbas sancti Iustini de Perusio, pro quo pater oravit, est expertus in se. Ad probandum, beatum Franciscum esse seraphicum et seraphico incendio esse igniendum et transformandum, in impressione sacrorum stigmatum in specie seraph Iesus Christus ei apparere dignatus est. Hic ergo praefatis similitudine sociatus eisdem est nunc in gloria immixtus et copulatus.

Secundo, praemissa probant, beatum Franciscum ordini seraphico adiunctum pro gloria fore, quia super omnes lucifer de ordine supremo fuit, et consequenter de ordine seraphico, et inter ipsos, et per consequens prae aliis ordinum inferiorum sedem habuit et locum insigniorem. Sed cum in sede praefati luciferi locatus sit humilis Franciscus, sicut fratri Pacifico et fratri Leonardo de Assisio est divinitus revelatum, ac ipse diabolus per os cuiusdam dominae Zantesae de Ravenna presbytero Iacobo de Bononia beatum Franciscum in sede luciferi residere edixit, patet propositum, quod in sede alta locatur pro gloria et sublimatur.

Tertio idipsum potest cuilibet patere ex hoc, quia, cum beatus Franciscus sit Iesu Christi signifer, et talis habeat esse iuxta regem, hinc est, quod, cum nullus ordo sit ipsi Christo propinquior, iuxta Regem regum stat beatus Franciscus gloriosus. Quod et diabolus praefatus [praeconizatus] est dicens, post beatam Virginem, Ioannem Baptistam et apostolos beatum Franciscum, vexillo explicato, cum suis omnes alios praecedere sanctos.

Quibus et aliis, quae hic omittuntur, quanta est gloria beati Francisci, evidenter astruitur et monstratur; et consequenter apparet responsio ad tertiam quaestionem praemissam declarata, quod beatus Franciscus in caelo praemium habet magnum et in sede celsa sublimatur, ut de ipso dicatur Domino Iesu illud, Ps. 8, 6: *Gloria et honore coronasti eum et constituisti eum super opera manuum tuarum; dedit enim illi gloriam regni, qualem nullus ante eum habuit,* 1 Par. 29. 25.

Et sic patet tertium, quod erat declarandum pro nostri thematis introductione.

---

[1] C. 5. — [2] C. 6.

Ex quibus declaratis apparet, quod Dominus Iesus fecit beatum Franciscum habilem, ut ars esset et normula suorum, ut ostendit prima responsio declarata pro primae quaestionis solutione, — nobilem et spectabilem, ut dux esset et specula rectorum, ut dicit responsio secunda declarata pro secundae quaestionis solutione, — stabilem, ut lumen esset in patria iustorum, prout patet ex responsione tertia data ad tertiae quaestionis solutionem. Quare concluditur, quod *similem fecit illum in gloria sanctorum*, quae fuerunt verba thematis praelibati, in quibus verbis iuxta tria praedicta videte, quomodo beatus Franciscus est amoris regula; Iesu habuit incendia, mundo pravo totaliter despecto, quia *similem;* Iesu factoris opera tenuit et insignia, crucis signo veraciter percepto, quia *fecit illum;* ei Dominus victoris praemia tribuit et praeconia, caeli dono feliciter accepto, quia in *gloria* est *sanctorum.* Videte ergo, quomodo in praedictis verbis ostenditur beati Francisci ad Christum *conformitas singularis* ex vita virtuosa, quia *similem fecit*, praeclaritas et *celebritas virtualis* in fama radiosa, quia *fecit illum*, *felicitas aeternalis* ex stola dignitosa, quia in *gloria sanctorum.*

II.

1. Dico ergo primo, quod in dictis verbis ostenditur *conformitas singularis* beati Francisci ad Christum. Sed in quo? Certe in vita virtuosa, quia dicitur, quod Christus eum *fecit*, scilicet *sibi similem*, videlicet primo in vita, et demum in ultimo, videlicet similitudine suae sacratissimae passionis prae aliis sanctis.

Pro cuius evidentia est notandum, quod, sicut experientia claret, philosophi asserunt, et ars omnis cum natura testatur et affirmat, forma nulla in subiectum seu materiam ullo modo introducitur et ponitur, nisi prius materia praeviis alterationibus sit disposita, ordinata et formae introducendae conformata et assimilata. Quare et in spiritualibus et in nostro proposito, si in aliquem sanctorum forma et similitudo Christi omnimoda transformativa debet induci, decet, talem sanctum Christo conformari, convenire et similari. Et quamvis materia in principio alterationis formae introducendae dissimilis inveniatur, in ultimo tamen, facta alteratione, similis reperitur; sic et homo, etsi Christo sit dissimilis ex se dissimilitudine non naturali, sed perfectionali et imitativa, utpote, quia *natura filius irae*, Eph. 2, 3, ut in Christum mente transformetur et corpore, debet ei iungi et similari imitative et perfectionaliter. Ratio, etsi iam sit dicta, specialis est tamen, quia contraria iungi simul nequeunt. Cum ergo in tali similitudine transformativa anima uniatur Christo et cum ipso Deo unus fiat spiritus, exigitur ergo assimilatio et quod omnis absit contrarietas et oppositio. Christus ergo, sua misericordia et gratia sola, volens in ecclesia tam militanti quam triumphanti, cum sit sanctos condens et Rex regum, unum signiferum, vexilliferum, thesaurarium et cancellarium habere, ut sua victorialia signa ferret, et post quem omnes ire deberent et possent, beatum Franciscum suae passionis stigmatibus et signis consignavit in ultimo; prius eum tamen tam ante ortum beati Francisci quam post ortum reddendo conformem vitae actibus, disponendo et assimilando, prout est possibile, mortalem hominem sequi Dominum eiusque prosequi vestigia et imitari. Et quia haec ostendere in hoc opere conabor, gratia divina faciente, ideo sufficiat nunc succincte perstringere, in quibus et quomodo beatum Franciscum Christus sibi assimilare dignatus est.

Et quia per modum cuiusdam *arboris* hae ordinantur conformitates et ut quidam *fructus*, in hac arbore viginti ponendo ramos, quorum decem sint ad dexteram et decem ad sinistram, et cuilibet ramo quatuor fructus seu conformitates, duas de Christo et duas de beato Francisco, inserendo, ad fructus octoginta sive conformitates ascendunt, quarum quadraginta sunt de Christo et quadraginta de beato Francisco.

Principium arboris.

Francisce sequens dogmata superni Creatoris,
Tibi impressa stigmata sunt Christi Salvatoris.

In primo trunco arboris duo exeunt rami, unus versus dexteram et alius versus sinistram; in primo ponuntur duae conformitates sive fructus, videlicet:

Iesus prophetis cognitus; Franciscus declaratur:
Iesus emissus caelitus; Franciscus destinatur;

in ramo versus sinistram duae similitudines sive conformitates seu fructus ponuntur, videlicet:

Iesus laete progenitus; Francisco (*a*) *vir laetatur:*
Iesus Magis exhibitus; Franciscus amplexatur.

In secundo trunco sunt duo rami, unus versus dexteram, continens duas conformitates, similitudines seu fructus, videlicet:

Iesus parvus insequitur; Franciscus agitatur:
Iesus abiectus cernitur; Franciscus separatur;

ramus alius versus sinistram duas habet similitudines et fructus, scilicet:

Iesus hosti exponitur; Franciscus molestatur:
Iesum coetus prosequitur; Franciscus fecundatur.

In tertio trunco arboris duo rami infiguntur, primus versus dexteram, et habet duas conformitates et fructus, videlicet:

Iesus legem dat populis; Franciscus regulator:
Iesus doctor mirabilis; Franciscus praedicator;

secundus ramus versus sinistram duas alias continet similitudines et conformitates seu fructus, scilicet:

Iesus mandans discipulis; Franciscus destinator:
Iesus loquens humillimis; Franciscus reserator.

In quarto trunco ponuntur duo rami, unus versus dexteram, et habet duos fructus sive conformitates, videlicet:

Iesus signis mirificus; Franciscus divulgatur:
Iesus pastor sollicitus; Franciscus animatur;

alius ramus versus sinistram continet duos fructus sive conformitates, scilicet:

Iesus stola clarificus; Franciscus sublevatur:
Iesus inops et modicus; Franciscus foeneratur (*b*).

(*a*) Codex et N *Franciscus*. — (*b*) As *foederatur*.

In quinto trunco infiguntur duo rami, versus dexteram unus, videlicet habens duos fructus seu conformitates:

Iesus submissus omnibus; Franciscus minoratur:
Iesus propheta lucidus; Franciscus radiatur;

sed versus sinistram ramus duas alias habet conformitates et fructus, videlicet:

Iesus vacans laboribus; Franciscus imitatur:
Iesus pacem dat fluctibus; Franciscus solidatur.

In sexto trunco apponuntur duo rami, primus versus dexteram, et habet duas conformitates sive fructus, videlicet:

Iesu daemon expellitur; Franciscus effugator:
Iesu aqua convertitur; Franciscus commutator;

secundus ramus versus sinistram habet duos fructus et conformitates, videlicet:

Iesus orans inspicitur; Franciscus exorator:
Iesu turba reficitur; Franciscus ministrator.

In septimo trunco conseruntur duo rami, unus versus dexteram, habens duas similitudines, fructus et conformitates, videlicet:

Iesus vita spectabilis; Franciscus operator:
Iesus candor signabilis; Franciscus indagator;

alius ramus versus sinistram habet duas alias conformitates et fructus, scilicet:

Iesus rex venerabilis; Franciscus excitator:
Iesus dux formidabilis; Franciscus detestator.

In octavo trunco imponuntur duo rami, primus versus dexteram, habens duas conformitates et fructus, videlicet:

Iesus cum suis comedens; Franciscus aemulatur:
Iesus devotos imbuens; Franciscus fabulatur;

secundus ramus versus sinistram habet duas alias conformitates et fructus, videlicet:

Iesus crucem suscipiens; Franciscus consignatur:
Iesus vita deficiens; Franciscus evocatur.

In nono trunco tribuuntur duo rami, primus versus dexteram continet duas conformitates et fructus, videlicet:

Iesu genus eripitur; Franciscus constipatur:
Iesu corpus intruditur; Franciscus tumulatur;

secundus ramus versus sinistram duos alios habet fructus et conformitates, scilicet:

Iesus decor attenditur; Franciscus venustatur:
Iesus ductor suscipitur; Franciscus laureatur.

In decimo trunco et ultimo innectuntur duo rami, unus versus dexteram, et duas habet conformitates et fructus, videlicet:

Iesus mittens apostolos; Franciscus vir iuvatur:
Iesus transcendens angelos; Franciscus sublimatur;

alius ramus versus sinistram habet duos fructus seu conformitates, scilicet:

Iesus salvans moestissimos; Francisco mors fugatur:
Iesus ditans dignissimos; Francisco cuncta dantur.

Finis arboris.

Francisce, Iesu typice dux formaque Minorum,
Per te, Christe, mirifice sunt gesta et donorum.
Mala, pater egregie, propelle animorum,
Sedes nobis perpetue da regni supernorum.

Quibus fructibus, inferius declaratis, patebit beati Francisci ad Christum *conformitas* in vita virtuosa, ut dicit primum membrum secundae divisionis thematis, ut de beato Francisco ob hoc dicatur illud Eccli. 44, 20: *Non est inventus similis illi, qui conservaret legem Excelsi.*

2. Dico secundo, quod in dictis verbis ostenditur beati Francisci *celebritas* et praeclaritas sanctitate et fama radiosa, cum additur *fecit illum.* Ut hoc videatur, scilicet qualiter et quomodo et ad quid Deus fecit beatum Franciscum, ostenditur, Gen. 1, 26 et 2, 7 sqq., ubi sic scribitur: *Ait* Deus: *faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram, et praesit piscibus maris, volatilibus caeli et bestiis terrae, universaeque* creaturae, *omnique reptili, quod movetur in terra;* et sequitur: *Formavit Deus hominem de limo terrae et inspiravit in faciem eius spiraculum vitae, et factus est homo in animam viventem*; sequitur: *Posuit eum in paradiso, ut operaretur et custodiret illam;* et ait illi: *Ex omni ligno paradisi comede, de ligno autem scientiae boni et mali ne comedas;* et subditur, quod Deus ait, quod *non* erat *bonum, esse hominem solum,* et fecit *ei adiutorium simile sibi;* et *tulit unam de costis eius* et ex ea Evam *aedificavit.*

In quibus verbis ostenditur, quod beatus Franciscus fuit homo, primo singularissimus et a Deo in mundum destinatus, non casu nec fortuna, aut hominum consilio, sed divina providentia, qua reguntur omnia; ideo ad hoc ostendendum dicitur: *faciamus,* verbum est totius Trinitatis beatum Franciscum ad mundum dirigentis, de quo conformitate II et fructu dicetur.

Secundo, quod fuit homo sincerissimus et a carnis brutalitate segregatus, quia homo fuit, et per consequens non sensualis aut sensualitati carnis deditus, sed ab ea separatus, rationalis et rationi subditus et subiectus. Sic enim motus sensuales refrenavit poenitentia arctiori, ut hostem domesticum perfecte subiiceret et sine difficultate perfectae rationi pareret.

Tertio, quod fuit homo perfectissimus, quia ad imaginem Dei.

Quarto, homo exemplarissimus, quia ad Dei similitudinem.

Quinto, in vita rigidissimus, quia piscibus maris praefuit.

Sexto, angelis dilectissimus, quia volatilibus caeli praefuit et iunctus fuit.

Septimo, cunctis peccatoribus amicissimus, quia bestiis terrae.

Octavo, Deo unitissimus, ideo praefuit universae creaturae.

Nono, diabolo infestissimus, quia omni reptili terrae.

Decimo, sua reputatione abiectissimus, quia de limo terrae.

Undecimo, gratia plenissimus, quia *inspiravit in faciem eius spiraculum vitae.*

Duodecimo, opere virtuosissimus, quia factus est in animam viventem.

Decimotertio, Deo contemplatione intentissimus, quia in paradiso semper erat.

Decimoquarto, verbo efficacissimus, quia operatus est, scilicet, salutem multorum.

Decimoquinto, moribus ordinatissimus, quia custodivit se et alios.

Decimosexto, imitator apostolorum et perfectorum (*a*), quia ex omni ligno comedit.

Decimoseptimo, exsecrator scelerum contra Deum commissorum, quia de ligno mali non comedit.

Decimooctavo, paupertatis desponsator et abdicator terrenorum, quia adiutorium simile sibi, videlicet, contubernium paupertatis sibi datum.

Ultimo, ordinator omnis sanctitatis et religionis, quia eo ecclesia quoad tres ordines est formata; tres propagines ex ipso vite sunt, velut ex lateris costa, germinatae et productae.

Praefata non extendo probando, quia sermo nimis esset prolixus. Quibus apparet, quanta sit beati Francisci *praeclaritas* sanctitatis et famae sive virtutis eius celebritas, quia dicitur in secundo membro thematis, quod *fecit illum*, ut beato Francisco dicat Christus illud II Reg. 7, 9: *Feci tibi nomen grande, iuxta nomen magnorum, qui sunt in terra. Celebre factum est nomen eius nimis*, I Reg. 18, 30; ratio, quia *glorificavit* illum *in conspectu regum, et ostendit illi gloriam suam; in fide et lenitate ipsius stare fecit illum*, Eccli. 45, 3 sq.; et sequitur: *Excelsum fecit* illum *et similem sibi*, Eccli. 45, 7. Et sic patet secundum.

3. Tertio et ultimo dico, quod in dictis verbis ostenditur beati Francisci *felicitas aeternalis* ex stola pretiosa; quia *in gloria* est *sanctorum* [1]. Exponendo, quomodo intelligitur, quod beatus Franciscus *in gloria* est *sanctorum*, consequenter apparebit, quanta est eius felicitas.

Ubi sciendum, quod beatum Franciscum *in gloria* esse *sanctorum* multipliciter potest intelligi: primo modo, quod ea, quae sunt ad gloriam sanctorum, Deus fecit in beato Francisco, et cum ad gloriam sanctorum sint ipsorum virtutes, utpote ad gloriam Abel est fuisse purissimum, et suum sacrificium a Deo respectum, Gen. 4, 4; ad gloriam Henoch in paradisum translatum, Gen. 5, 24; et sic de aliis sanctis tam veteris quam novi testamenti; ita quod omnes virtutes positae in singulis ipsorum unitive et coniunctim fuerunt in beato Francisco; de quibus dicetur conformitate sive fructu I et infra fructu sive conformitate XXV, ubi ostenditur, quod virtutes aliorum in beato Francisco fuerunt; et sic si intelligatur, beatus Franciscus fuit sanctus similis Christo in his, quae in sanctis effecit, quae (*b*) sunt *in gloria sanctorum.*

Secundo, potest intelligi, quod beatum Franciscum Christus fecerit *similem* sibi *in gloria sanctorum*, quia, cum bonitas, pulchritudo, utilitas et magnitudo effectus in opificis laudem sit et gloriam, beatum Franciscum sic faciendo Christus, cum conditor sit omnium, et praecipue sanctorum, talemque faciendo, *in gloria est sanctorum.*

Tertio potest intelligi, quod *in gloria* est *sanctorum;* quia beatus Franciscus habet quod alii habent de gloria, et superaddit. Hoc potest intelligi, quia, cum angeli

(*a*) As *prophetarum*. — (*b*) Edd. *qui*.

[1] Eccli. 45, 2.

non sint eiusdem omnes speciei, et hoc saltem est verum quoad praemium, quia non sunt in eodem gradu, etsi praemium habeant eiusdem speciei, qui est in praemio maior, non solum gloriam habet inferioris, sed superaddit; sic intelligendo, quod habet tantum de gloria sicut inferior et superaddit, sicut species superior continet inferiorem perfectionaliter et superaddit, sic in angelis sive caelestibus spiritibus est ponendum. Modo cum ordo seraphicus sit aliis superior, quare et perfectior, saltem muneribus gratiarum, continens perfectiones inferiorum ordinum et superaddens, et quia beatus Franciscus est in tali ordine pro praemio locatus et in supremo illius ordinis gradu, quare aliorum sanctorum habens perfectiones, merita et praemia, virtualiter et supereminens eis *in gloria* censetur esse *sanctorum*.

Quarto, potest intelligi, quod sit *in gloria* beatorum et *sanctorum;* cum enim summa caritate se diligant beati et tantum de bono gaudeant alterius, ut de proprio, ut docet Anselmus *De similitudinibus* [1], beati gloriam beati Francisci cernentes gaudent, et sic *in gloria* accidentali est *sanctorum.*

Quinto, potest intelligi, quod *in gloria* est *sanctorum;* quia, cum beatus Franciscus prae aliis fuerit Christo vita et transformatione corporali conformior, quare et in gloria est sibi propinquior, et consequenter *in gloria* est *sanctorum,* quia propinquior aliis Sancto sanctorum, scilicet Iesu, qui est *in gloria sanctorum.*

Sexto, potest intelligi iuxta experientiam communem; quanto enim quisquis propinquius stat iuxta regem, sibi suum sigillum committit et secreta, et eum facit suum vexilliferum apud ipsum, tanto gloriosior talis reputatur. Cum igitur Christus iuxta se ut suum vexilliferum beatum Franciscum teneat, prout vidit dominus Rodulphus Erfordiensis episcopus, qui factus est hac visione frater Minor, et duo cives de Venetiis, qui locum fecerunt de Contrata ad honorem beati Francisci, insuper sigillum suum secretum, videlicet, stigmata sua sibi tradidit et nulli alteri, apud ipsum Regem Christum, *in gloria* est *sanctorum,* id est prae aliis sanctis, Virgine, Baptista (*a*) et apostolis dumtaxat exceptis.

Septimo, potest intelligi, quod beatus Franciscus *in gloria* est *sanctorum,* id est, si sancti sunt ad gloriam Dei et aliorum, sic et ipse est; ipse enim est in gloria et ad gloriam: primo, Dei Patris, quem mundo destinavit (*b*), quia ad quae missus est efficaciter explevit.

Secundo, Dei Filii, quem sibi per omnia similavit, sua signa ei praebendo.

Tertio, Spiritus sancti, quem sanctificavit, sicut ex cedula patuit, quam vidit frater Leo de caelo super caput beati Francisci descendere et residere, ubi erat scriptum: Hic est gratia Dei.

Quarto, beatae Mariae, quem transmittendum mundo Patri supplicavit et Filio, sicut conformitate et fructu II dicetur, ac Francisci precibus indulgentiam pro peccatoribus in ecclesia sanctae Mariae de Portiuncula impetravit.

Quinto, apostolorum Petri et Pauli, qui ipsum Romae in ecclesia sancti Petri amplexantes osculati sunt.

Sexto, beatorum Ioannis Baptistae et Ioannis evangelistae, qui ipsum cum beata Maria et Christo visitantes sunt consolati.

(*a*) As *Virgine beata et apostolis.* — (*b*) Edd. *a quo destinatus est;* postea *qui ipsum sibi similavit... sanctificavit* etc.

---

[1] Potius Eadmerus (int. op. Anselmi), c. 42 (P. L. 159, 658).

Septimo, archangeli Michaelis et aliorum caelestium spirituum, quibus fuit speciali devotione coniunctus, ipsumque multoties miris consolationibus laetificaverunt, ut patuit de citharoedo sibi apparente, cuius pulsatione ab infirmitate corporali fuit liberatus.

Octavo, seraphim, qui in praesenti promeruit eorum ardere incendio, et nunc in eorum solio digniori, scilicet luciferi, et consortio residere.

Nono, omnium caelestium spirituum, cuius praedicatione, vita et exemplo ad statum perfectionis multi conversi eorum ruinam reparaverunt; nec circa tales eorum custodia frustra exstitit operata.

Decimo, apostolorum, quorum vitam evangelicam ad litteram observavit.

Undecimo, martyrum, quibus desiderio et opere, quantum in eo fuit, crucisque in suo corpore baiulatione assidua per tolerantiam infirmitatum et passionum iungi peroptavit.

Duodecimo, patriarcharum, quibus filiorum in Dei servitio multiplicatione se eis copulavit.

Tertiodecimo, prophetarum, quibus est annexus cordium intuitu et abditorum.

Quartodecimo, confessorum, quibus, Deum laudando et austere vivendo se conformavit.

Quintodecimo, sanctorum doctorum, quorum exemplo plebem assidue verbo et exemplo informavit.

Sextodecimo, virginum, quarum puritatem et integritatem in se habuit et conservavit.

Decimoseptimo, omnium electorum, quos suo consortio et gloria laetificat et illustrat.

Decimooctavo, ecclesiae triumphantis, quia vexillifer est in ipsa summi imperatoris Iesu Christi.

Decimonono, ecclesiae militantis, talem virum inseruisse caelis et advocatum apud Dominum possidere.

Vigesimo, civitatis Assisii, quae in ipso sanctificata, nobilitata, nominata et glorificata cum suis fratribus consistit; sic Italiae et Thusciae (*a*) provinciae, quarum accola fuit hic vir angelicus Franciscus, eiusque moribus, signis et virtutibus prae aliis particeps est et fuit; mons ille sacer Alvernae gloria beati Francisci gaudet et iucundatur, in quo Christus stigmata imprimendo, beatum Franciscum ipsum diligere prae aliis montibus orbis (*b*), mirifice declaravit.

Vigesimoprimo, fratrum minorum; si enim ad gaudium discipulorum est magistri provectio, exercitus providentia ducis, bellantium vexilliferi fortitudo et strenuitas, ovium custodia pastoris, et filiorum glorificatio patris; cum ipse pater beatus Franciscus noster sit magister, dux, pastor et pater, de eius mirificentia et exaltatione tam in praesenti quam nunc in gloria gaudere et laetari debemus; quia beati Francisci stigmatizatio nostri ordinis est approbatio, fidelium devotio, cupientium perfecte agere directio et pauperum omnium, quorum ipse pater dilector fuit praecipuus, animatio et exaltatio. O quantum Salvatori nos fratres Minores obligamur, qui nobis talem praebuit patrem et directorem, post quem nobilitas mundi, eo abiecto, scilicet, mundo, incessit devotius; utriusque sexus multitudo in tribus ordinibus ab

(*a*) Codex *Italia et Thuscia.* — (*b*) As om. *orbis.*

eo institutis Christo Domino se dedicando ferventius, ut conformitate VIII et fructu dicetur; et ipsum patrem reserant divinis praeventum muneribus, perfectum operibus, vita imitabilem, verbo efficacem, devotione praeclarum, cunctisque Christum diligentibus amabilem et gratiosum. Hoc denique patre ordo noster velut capite singularissimo, purissimo et perfectissimo insignitur, dirigitur et mirificatur, ac totus Christo conformis convincitur et probatur. *Non fecit Deus taliter omni nationi*[1], nec sic, ut ordini nostro Minorum talem patrem concedendo ipsum in praesenti vita gratificando, divulgando, magnificando, stigmatizando, gloria et honore coronando et super alios exaltando et sublimando, ac ordinem nostrum personis insignissimis nobilitate generis, bonitate operis et scientiae claritate dignificando et promovendo; unde, etsi haec omnia sint in gloriam nostram, actori bonorum omnium, Christo Iesu, ad vices rependendas gratiarum pro impensis inducimur et tenemur.

Vigesimosecundo, in gloria beatus Franciscus est omnium fidelium christianorum, utpote, quia vir christianissimus, exemplar perfectionis, signifer Christi, ipsoque nostra humana natura dignificata et Christi passionis insigniis decorata consistit; cuius vestigiis inhaerendo nullus exorbitat, eius directionem tenendo, quae recta sunt, peragit, ac eius protectione adiuti suis meritis et precibus a diabolo non sinuntur opprimi in praesenti, animae a purgatorio in suo natalitio liberantur et deinde in gloria collocantur.

Iam dictis ergo modis et expositionibus, quomodo beatus Franciscus *in gloria* sit *sanctorum*, patet luculenter, et per consequens sua *felicitas* declaratur ex stola pro praemio percepta gloriosa; nam *in gloria est Dei Patris*, Phil. 2, 11. Sic ergo ex iam dictis apparet declaratio verbi propositi, videlicet, quomodo Christus beatum patrem Franciscum *similem illum fecit*, videlicet sibi ipsi conformando in vita et passionis stigmatibus, ut dictum est breviter et infra latius declarabitur, et nunc in caelo deificando ipsum et *in gloria sanctorum* collocando et statuendo; ad quam gloriam Salvator omnium, Dominus Iesus Christus, nos perducere dignetur beati Francisci sui vexilliferi meritis, qui cum Patre et Spiritu sancto Deus verus regnat et vivit per infinita saecula saeculorum. Amen.

Explicit prologus secundus. — Principium arboris et operis.

[1] Ps. 147, 20.

LIBER PRIMUS

Francisce, sequens dogmata superni Creatoris:
Tibi impressa stigmata sunt Christi Salvatoris.

PRIMUS FRUCTUS ET CONFORMITAS EST:
Iesus Prophetis Cognitus — Franciscus Declaratur.

Expeditus a prologo istius operis, Christi Iesu gratia opitulante meritis beati patris nostri Francisci, ad opus, quod *de conformitate vitae beati Francisci ad vitam Domini Iesu* intitulatur, est amodo accedendum. Circa cuius processum, pro evidentia clariori dicendorum, istum ordinem servabo: nam ante omnia ponam fructum seu conformitatem ipsam, de qua loqui intendo, et demum expositionem subnectam. Verum, quia, cum quilibet fructus seu conformitas duas partes contineat, quarum una est de Domino Iesu et secunda de beato Francisco, primo, posita prima parte, ipsam exponam, et consequenter ponendo secundam partem, ipsam exponam, prout divina gratia subministrabit.

Ad propositum est prima pars primi fructus et conformitas ista:
Iesus prophetis cognitus.

Expositio.

1. Sapientia illa superna, verbum et *candor lucis aeternae,* Dominus Iesus Christus, qui *omnia in pondere* constituit *et mensura* gubernat ac *disponit* [1], ad nos sua infinita misericordia et pietate venire disponens per carnis assumtionem, ne suus adventus ignotus foret hominibus aut ex insperato veniret, ut venientem Dominum et ad nos descendentem homines

---

[1] Sap. 7, 26 et 11, 21.

susciperent debite agnoscendo, suum ad nos descensum multiplici via et modo voluit esse testatum, tam figuris quam verbis, tam signis et prodigiis, tam praeviis illuminationibus quam assertivis sermonibus, tam figurarum aenigmatibus quam prophetarum oraculis, patres antiquos et prophetas de hoc informando. Quod enim carnem assumendo ad nos descendere deberet, ipse reseravit patribus se incarnandum de eis, promittendo videlicet Abrahae, Gen. 22, 18: *In semine tuo benedicentur omnes gentes;* Isaac, Gen. 26, 4; Iacob, Gen. 28, 14; unde de hoc Iacob certificatus dixit, Gen. 49, 10: *Non auferetur sceptrum de Iuda,* nec *dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est; et ipse erit exspectatio gentium,* et subdit: *Salutare tuum exspectabo, Domine.* Sancti et alii patres et prophetae, de hoc illuminati a Deo et certificati, ipsum incarnandum mundo praedixerunt, sicut Ioseph, Gen. ultimo, 23: Dominus *visitabit vos;* Moyses, Deut. 18, 15 et 19: *Prophetam de gente tua et fratribus tuis suscitabit tibi Dominus Deus tuus, ipsum audies; qui autem verba eius, quae loquetur* non audierit, *ego* Dominus *ultor eius exsistam.* Idipsum David promisit, Ps. 131, 11: *Iuravit Dominus in veritate: de fructu ventris tui ponam super sedem meam* (a); propter quod dixit, Ps. 71, 6 sq.: *Descendet sicut pluvia in vellus* etc.; sequitur: *Orietur in diebus eius iustitia* etc. Salomon de hoc informatus dixit, Sap. 18, 14 sq.: *Cum* medium *silentium* tenerent *omnia, et nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus,* Domine, exsiliens de caelo *a regalibus sedibus* venit. Ariolus ille et gentilis Balaam a Deo de hoc illustratus dixit, Num. 24, 17 sq.: *Orietur stella ex Iacob, et consurget virga de Israel, et percutiet duces Moab vastabitque omnes filios Seth, et erit Idumaea possessio eius.* Isaias quoque a Deo irradiatus de hoc dixit, 7, 14: *Ecce virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen eius Emmanuel.* Sic et Ieremias, 31, 22: *Novum,* inquit, faciet *Dominus super terram, femina circumdabit virum.* Baruch hoc praedixit, 5, 1 sqq.: *Exue te, Ierusalem* etc.; sequitur: Super *misericordia,* quae veniet tibi ab aeterno Salvatore tuo. Ezechiel idipsum prophetavit, 44, 1 sq.: Vidi portam in domo Domini clausam; et sequitur: *Dixit Dominus ad me: porta haec clausa erit* et *non aperietur, et vir non transiet per eam, quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam, eritque clausa principi.* Daniel de hoc locutus est, 2, 44 dicens: *In diebus autem regnorum illorum suscitabit Deus caeli regnum* aliud, *quod in aeternum non dissipabitur, et regnum eius alteri populo non tradetur;* et sequitur: *Ipsum stabit in aeternum.* Michaeas, divino afflatus spiritu, pronuntiavit Deum nascendum in Bethlehem, dicens 5, 2: *Tu Bethlehem* terra *Ephrata parvulus es in millibus Iuda: ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israel, et egressus eius ab initio, a diebus aeternitatis.* Aggaeus hoc etiam praedixit, 2, 7 sq. dicens: *Adhuc unum modicum, et ego movebo caelum et terram;* et sequitur: *Veniet desideratus cunctis gentibus* etc. Per Zachariam hoc fuit praedictum, 9, 9: *Ecce rex tuus venit tibi* etc.; sic et Malachias, 3, 1: *Statim veniet ad templum* sanctum *suum dominator, quem vos quaeritis* etc. Et sic de aliis prophetis, qui ut praedicti de futuro Domini in carnem adventu a Deo illuminati praedixerunt, iuxta illud, quod dicit Amos, 3, 7: *Non faciet Dominus verbum,* quin prius loquatur *ad prophetas suos.* Et Zacharias pater Ioannis Baptistae dixit, Luc. 1, 70: *Locutus est per os sanctorum, qui a saeculo sunt, prophetarum eius.* Et non solum praefata de Domino incarnando iam dicti praefati sunt, sed multa alia, ut patet in libris ipsorum; sed praedicta sunt posita, ut ostendatur, quod eius adventus sanctis exstitit revelatus. Nec solum Dei ad nos descensus per carnis assumtionem est revelatus, sed vita quoad actus singulos ipsius Domini incarnandi est revelata, tam verbis quam figuris, a Deo ipsis patribus et prophetis, quae omnia completa esse in Domino Iesu sancta evangelia protestantur et clamant.

Ut igitur praefata videantur, est sciendum, quod eisdem verbis et figuris est reseratus.

2. Primus actus vitae Christi, videlicet, quod deberet ex semine Abrahae et aliorum patrum oriri. Et primo verbis, ut praedictum est, reseratum fuit Abrahae, Isaac et Iacob et David,

---

(a) As *tuam.*

quod corpulentam substantiam ab ipsis traheret patribus; secundo figuris: altare factum ab Abraham, Isaac natus ex Abraham, Iacob ex Isaac, et sic de filiis eorum; omnes figurae fuerunt Dei descendendi et ab eis oriendi secundum corpulentam substantiam. Hoc completum esse ostendit in Domino Iesu Matthaeus, c. 1 ostendens per patrum genealogiam, ad nos per carnis assumtionem Dominum Iesum advenisse.

Secundus actus vitae Christi, videlicet, quod deberet nasci de Virgine. Hic eis fuit declaratus primo verbis, per Isaiam, 7, 14: *Ecce virgo concipiet et pariet filium* etc.; et per Ieremiam, 31, 22: *Novum* faciet *Dominus super terram, femina circumdabit virum* etc.; per Ezechielem, 44, 2: *Porta haec* etc., ut dictum est; secundo figuris in virga Aaron sine sui corruptione subito florente et fructum faciente, Num. 17, 8; in ligno vitae posito in medio paradisi, terra incorrupta, Gen. 2, 9; in rore descendente in vellus, Iud. 6, 37 sqq.; in lapide absciso de monte sine manibus, Dan. 2, 45; et sic de aliis. Hoc esse completum in Domino Iesu ostendit evangelista Lucas, 2, 7, ubi superventione Spiritus sancti, incognita manente beata Maria a viro, ipsum peperit, et intacta permanente.

Tertius actus vitae Christi, et est secundus in ordine, quod debeat nascendus nuntiari tam per homines quam per angelum, iuxta illud Am. 3, 7, supra allegatum: *Non faciet Dominus verbum, quod non loquatur prius ad servos suos prophetas;* quod nascendus fuerit praenuntiatus, patet ex promissione facta Isaac, Iacob, Abrahae, David et aliis, et per ipsum Deum loquentem patribus per angelum; figuris, patet hoc: Isaac, qui fuit nascendus patri ab angelo nuntiatus, Gen. 18, 14; Samson matri et patri, Iud. 13, 5, 6, 7; Iosias etiam, III Reg. 13, 2. Hoc impletum ostendit Lucas in evangelio suo 1, 26 sqq. dicens, angelum a Deo missum beatae Mariae Iesum nascendum praenuntiatum.

Quartus actus vitae Christi, videlicet, quod nasci in Bethlehem deberet, fuit declaratus primo verbis per Michaeam, 5, 2, ut allegatum est: *Tu Bethlehem Ephrata* etc.; secundo figuris, videlicet in Isai, patre David, I Reg. 16, 1 sqq.; in David, I Reg. 16, 18, et Deodato II Reg. 21, 19, qui in Bethlehem orti exstitere. Hoc impletum fuit in Iesu, qui tempore generalis descriptionis orbis natus est in Bethlehem, ut dicit evangelium Luc. 2, 1 sqq.

Quintus actus vitae Iesu, videlicet, quod in loco vili nasci deberet, scilicet praesepio, et locari, ubi bos esset et asinus, fuit ostensus primo verbis per Isaiam, 1, 3: *Cognovit bos possessorem suum et asinus praesepe Domini sui;* secundo figuris, videlicet Moyses stetit in loco vili, scilicet fiscella, Exod. 2, 5, et Iob in sterquilinio accubavit, Iob 1, 8. Hoc impletum esse Lucas, 2, 7, ostendit dicens, quod beata Maria *reclinavit* puerum Iesum *in praesepio, quia non erat ei locus in diversorio.*

Sextus actus vitae Christi est, quod videlicet deberet circumcidi. Hoc verbis primo est ostensum per illud dictum Abrahae, Gen. 17, 10: *Omne masculinum circumcidetur in vobis;* secundo figura per Isaac die octavo circumcisum, Gen. 21, 4. Hoc completum esse in Iesu ostendit Lucas, 2, 21 dicens, quod post octo dies puer Iesus circumcisus est.

Septimus actus vitae Christi est, quod a cunctis gentibus esset adorandus. Hic fuit ostensus primo verbis, scilicet Ps. 85, 9 dicentis: *Omnes gentes, quascumque fecisti, venient et adorabunt coram te, Domine,* et Ps. 71, 11: *Adorabunt eum omnes reges, omnes gentes servient ei;* et per Isaiam 60, 6: *Omnes gentes* ad te current etc.; secundo figuris in adoratione Ioseph a fratribus, qui fuerunt pastores ovium, Gen. 42, 6; in veneratione Salomonis ab omnibus regibus, III Reg. 9, 20 sqq.; in adoratione, quam fecit populus primo Deo et secundo David, I Par. 29, 20, et in Iosaphat, II Par. 20, 18. Hoc completum ostendit Matthaeus, 2, 11, dicens, Iesum adoratum a Magis eidem etiam munera offerentibus.

Octavus actus vitae Christi est, videlicet, quod ad templum duci deberet et Deo praesentari. Hic ostensus fuit primo verbis, Mal. 3, 1: *Ecce ego mitto;* sequitur: *Statim veniet ad templum suum dominator, quem vos quaeritis;* secundo figuris per Samuelem ductum a matre ad templum, I Reg. 2, 18 sq.; per filios primogenitos, qui ad templum ducebantur, Ex. 13, 2. Hoc impletum esse Lucas dicit, 2, 22, in Iesu, quem mater adduxit ad templum, *ut sisteret eum Domino.*

Nonus actus vitae Iesu est, scilicet ad Aegyptum propulsio et accessio. Hoc ostensum est primo verbis per Isaiam, 19, 1: *Ascendet Dominus nubem levem, et ingredietur Aegyptum;* secundo figuris per descensum Abrahae in Aegyptum, Gen. 12 14; et per descensum Ieremiae, Ier. 42, 14, 15; et per fugationem Iephte, Iud. 3, 11. Hoc impletum dicit Matthaeus, 2, 13 sq. in Iesu, quando Ioseph divino mandato tulit puerum Iesum et matrem eius et a facie Herodis fugit in Aegyptum.

Decimus actus vitae Iesu est, videlicet ab Aegypto regressio et revocatio. Hoc praedictum fuit primo verbis per Osee, 11, 1: *Ex Aegypto vocavi filium meum;* et per Balaam, Num. 23, 22: *Deus ex Aegypto vocavit eum;* secundo ostensum est figura in Ieroboam revocato ab Aegypto, III Reg. 12, 2. Hoc impletum est in Iesu, quem cum matre Ioseph ab Aegypto reduxit divino monitu, Matth. 2, 19 sqq.

Undecimus actus vitae Iesu est, videlicet, quod in medio doctorum deberet sedere et stare. Hoc ostensum est primo verbis, Ps. 81, 1: *Deus stetit in synagoga deorum: in medio autem deos diiudicans* etc.; secundo figuris per David sedentem in cathedra sapientum, II Reg. 23, 8; et per Salomonem, III Reg. 10, 8, cui dictum est: *Beati viri, qui audiunt sapientiam tuam.* Hoc impletum esse Lucas, 2, 42 sqq., ostendit in Iesu, qui, cum esset annorum duodecim, ascendit in templum et sedit in medio doctorum, super cuius prudentia et responsis mirabantur omnes.

Duodecimus actus vitae Christi est, videlicet, quod Ioannes Baptista ante ipsum praemitti debebat, ut ei viam praeparet. Hoc primo verbis est ostensum per Malachiam, 3, 1: *Ecce ego mitto angelum meum, qui praeparabit viam meam ante faciem tuam;* secundo figuris de angelo, qui praecessit Moysen, Iosue et filios Israel, Ex. 23, 20 sqq.; et de propheta, qui praecessit praedicens Iosiae adventum, III Reg. 13, 2. Hoc impletum est in Iesu, quem Ioannes praeivit, ut habetur Matth. 3, 1 sqq.; Luc. 3, 4 sqq.; et Ioan. 1, 6.

Decimus tertius actus vitae Christi est, videlicet, quod baptismum instituere debebat in aqua, quo a peccato homo mundari deberet. Hic ostensus est per Ezechielem primo verbis, qui in persona Christi dicit, 36, 25 sq.: *Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, et dabo vobis spiritum novum;* secundo figuris in Naaman, qui descendit in Iordanem et lavit, et restituta est caro eius, et mundatus est, IV Reg. 5, 10 sqq.; in Iudith, quae se baptizabat in fonte, Iudith 12, 7. Hoc ostenditur completum in Iesu, Matth. 3, 13 sqq., et Luc. 3, 21, qui vim regenerationis aquis dedit se baptizando.

Decimus quartus actus vitae Christi est, videlicet, quod a diabolo tentari deberet. Hic est ostensus primo verbis, scilicet per Zachariam, 3, 1: Vidi *Iesum sacerdotem magnum;* et sequitur: *Satan stabat a dextris eius, ut adversaretur;* secundo figura in Iob, qui a diabolo fuit tentatione expetitus, sed non superatus, Iob 1. Hoc impletum esse ostendit Matthaeus, 4, 1 sqq., quod Iesus tentatus fuit a diabolo in deserto, sed non superatus.

Decimus quintus actus vitae Christi est, videlicet, quod deberet ieiunare. Hoc patet verbis Ps. 34, 13: Operui *in ieiunio animam meam,* et Ps. 108, 24: *Genua mea infirmata sunt a ieiunio;* secundo hoc ostensum est figuris, scilicet Moysis, qui ieiunavit quadraginta diebus et quadraginta noctibus, Ex. 24, 18; David, II Reg. 12, 16; Achab, III Reg. 21, 27; et Eliae, III Reg. 17, 3 sqq.; Nehemiae, II Esdr. 1, 4. Hoc impletum est, Matth. 4, 2, quando Iesus ieiunavit quadraginta diebus et quadraginta noctibus.

Decimus sextus actus vitae Iesu est, quod angeli ei ministrare deberent. Hic ostensus est primo verbis Ps. 90, 11 dicentis: *Angelis suis mandavit de te,* etc.; secundo figura in Elia, cui angelus apposuit panem et vas aquae, et ut comederet imperavit, III Reg. 17, 4 sqq. Hoc impletum esse in Iesu ostendit Matthaeus, 4, 11, dicens, quod Iesu tentatione superata, ad eum accesserunt angeli et ministrabant ei.

Decimus septimus actus vitae Christi est, videlicet, quod deberet populum docere et praedicare. Hic ostensus est primo verbis per Isaiam 2, 3 dicentem: *Venite, ascendamus ad montem Domini,* et sequitur: *Docebit nos vias suas* etc.; et 58, 1: *Annuntia populo meo scelera*

eorum; secundo figuris in Esdra, qui docuit populum, Esdr. 8, 3 sqq.; in sapiente Ecclesiastae, qui docuit populum, Eccle. ultimo, 9. Hoc impletum esse in Iesu dicit Matthaeus 9, 35, quomodo docuit populum ac civitates circuibat et castra docendo, Matth. 9.

Decimus octavus actus vitae Christi est, videlicet, quod deberet esse Spiritu sancto et prophetico plenus. Hic ostensus est primo verbis Isaiae, 11, 2: *Requiescet super eum spiritus sapientiae* etc.; Moysi, Deut. 18, 15: *Prophetam suscitabit Dominus de fratribus* vestris, ut supra; secundo figuris, scilicet omnium prophetarum, Isaiae, Ieremiae, Ezechielis, et sic de aliis. Hoc impletum dicit in Iesu Lucas 7, 16 voce populi acclamantis: *Propheta magnus surrexit in nobis,* de ipso Domino Iesu Christo.

Decimus nonus actus vitae Christi est, videlicet, quod discipulos pauperes et abiectos habere deberet. Hic ostensus fuit primo verbis per Isaiam 61, 1: *Spiritus Domini super me, evangelizare pauperibus misit me,* et 29, 18: *In die illa* etc.; secundo figuris in Isaia, qui 8, 18 dicit: *Ego et pueri mei, quos dedit mihi Dominus* etc.; in Eliseo, cui adhaeserunt pauperes filii prophetarum, IV Reg. 4, 38; sic et in Moyse, cuius minister et discipulus fuit Iosue, Num. 4, 10 sqq. Hoc impletum dicit in Iesu, quando apostolos ad suum discipulatum vocavit, Matthaeus 4, 18 sqq.

Vigesimus actus vitae Iesu est, videlicet paupertatis dilectio; debebat esse pauper et ipsam amare. Hoc primo verbis ostensum fuit, Ps. 87, 16: *Pauper sum ego et in laboribus,* et Ps. 68, 30: *Ego sum pauper et dolens* etc.; secundo figuris in Eliseo, qui pauper fuit, IV Reg. 4, 8; in Tobia, qui dixit, 4, 23: *Pauperem vitam gerimus;* in Elia, qui nihil habuit, IV Reg. 1, 8 et III Reg. 17, 10 sqq. Hoc impletum est in Iesu, qui dixit, Matth. 8, 20: *Vulpes foveas habent, et volucres caeli nidos, filius autem hominis non habet, ubi caput* suum *reclinet;* habuitque discipulos, qui omnia dimiserunt, Matth. 19, 27.

Vigesimus primus actus vitae Iesu est, videlicet, quod iustitiam deberet exercere. Hic ostensus est primo verbis Isaiae dicentis 11, 5: *Erit iustitia cingulus lumborum eius* etc.; Ieremiae 23, 5: *Faciet iudicium et iustitiam in terra;* secundo figuris in David, qui faciebat iudicium et iustitiam omni populo, I Par. 18, 14; in Iob, qui dixit 29, 14: *Iustitiam,* ut loricam, *indutus sum.* Hoc impletum in Iesu ostendit Matthaeus primo verbo, capitulo 5 et 6, docendo, secundo opere, Matth. 22, 21: *Reddite quae sunt caesaris caesari, et quae sunt Dei Deo;* et Ioannis 2, 15 habetur, quomodo ipsam exercuit in vendentes in templo.

Vigesimus secundus actus vitae Christi est, videlicet, quod deberet humiliter conversari. Hic ostensus fuit primo verbis per Isaiam 42, 1: *Ecce servus meus* etc.; et Psalmo 118, 107: *Humiliatus sum usquequaque, Domine;* secundo figuris in Moyse, qui fuit mitissimus super omnes terram inhabitantes, Num. 12, 3; in David, II Reg. 6, 22, qui dixit: *Humilis ero* etc. Hoc impletum in Iesu Matthaeus dixit 11, 29, quod Iesus discipulis suis dixit: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde.*

Vigesimus tertius actus vitae Christi est, videlicet, quod sua doctrina a Iudaeis contemni deberet et reprobari. Hic ostensus est primo verbis per Isaiam 65, 2: *Tota die expandi manus meas ad populum contradicentem mihi* etc.; per Ieremiam 7, 26: *Non audierunt me* etc.; secundo figuris, scilicet Isaiae, Ieremiae, Ezechielis, Michaeae et aliorum prophetarum, quos Iudaei non audierunt, immo interfecerunt. Et istud impletum esse in Iesu Ioannes 8, 13, ostendit dicens, quod Iudaei dixerunt Christo: *Tu de te ipso testimonium dicis; testimonium tuum non est verum.*

Vigesimus quartus actus vitae Christi est, videlicet, quod ipse deberet miracula operari. Hic fuit ostensus primo verbis ab Isaia, 35, 5: *Tunc aperientur oculi caecorum, et aures surdorum patebunt* etc.; et Iob 5, 9: *Faciet magna et inscrutabilia et mirabilia* sine *numero;* secundo figuris [per Moysen], qui fecit signa et prodigia in Aegypto, Ex. capitulis pluribus et Deut. ultimo; in Elia et Eliseo, qui plura miranda fecerunt, ut patet in III Reg. et IV. Hoc impletum ostendit Matthaeus et alii evangelistae in Iesu dicentes, ipsum dedisse caecis lumen, claudis gressum, surdis auditum, mutis verbum mortuis vitam et omnes alias curasse infirmitates.

Vigesimus quintus actus vitae Christi est, videlicet, quod deberet populum et turbam cibare. Hic ostensus est primo verbis Ezechielis 34, 23: *Suscitabo super* gregem meum *qui pascet eos,* etc.; secundo figuris in Moyse, Ex. 16, 35, cuius precibus Deus manna populo per 40 annos dedit; in Eliseo, qui oleum et panes multiplicavit hordeaceos, IV Reg. 4, 6 et 44, et pavit plures. Hoc impletum ostendit Matthaeus 14, 19 sqq.; 15, 37 sq., in Iesu, qui bis de paucis panibus satiavit ultra quatuor millia hominum.

Vigesimus sextus actus vitae Christi est, videlicet, quod in suo corpore sacrificium instituere deberet, et hoc in materia panis et vini. Hic ostensus est primo verbis Isaiae 25, 6 dicentis: *Faciet Dominus in monte hoc convivium* cunctis gentibus etc.; Zachariae 9, 17: *Quid,* inquit, *est bonum et quid pulchrum?* Respondit: *Nisi frumentum electorum et vinum germinans virgines;* Prov. 9, 1 sq. dicto Salomonis: *Sapientia aedificavit sibi domum,* sequitur: *posuit mensam,* id est panem, *et miscuit vinum,* et ante dicit, quod *immolavit victimas;* secundo figuris, et primo in Melchisedech, qui *obtulit panem et vinum,* Gen. 14, 18; in Noe, qui fecit Deo sacrificium, Gen. 8, 20; in pane, qui ponebatur in mensa in tabernaculo, Gen. 18, 5. Hoc impletum dicit Matthaeus 26, 26 sqq. [in Iesu], qui panem in corpus suum et vinum in sanguinem convertendo summum sacrificium ordinavit.

Vigesimus septimus actus vitae Iesu est, videlicet, quod deberet regnum ecclesiasticum ordinare. Hic ostensus est primo verbis Isaiae 9, 7: *Multiplicabitur eius imperium* etc., et Danielis 2, 44: *Suscitabit Deus regnum caeli* etc.; secundo figuris in Abraham, cui dictum est Gen. 12, 2: *Faciam te crescere in gentem magnam,* David et aliis, qui regnum suum accreverunt II Reg. 5, 7 sqq. Hoc ostendit impletum esse Matthaeus 4, 18 et 21; 9, 9 in vocatione apostolorum, et Lucas 10, 1, in designatione septuaginta duorum discipulorum.

Vigesimus octavus actus vitae Christi est, videlicet, quod deberet pro cultu Dei zelare. Hic ostensus est primo verbis Psalmi 68, 10 dicentis: *Zelus domus tuae comedit me;* secundo figuris in Phinees, Num. 25, 13, qui zelatus est pro Domino; in Elia, III Reg. 19, 10; in Mathathia, I Mach. 2, 26. Hoc impletum in Iesu ostendit Ioannes 2, 15, quando zelo eiecit vendentes et ementes de templo; et Matthaeus 21, 12.

Vigesimus nonus actus vitae Christi est, videlicet, quod a principibus sacerdotum deberet persequi. Hic ostensus est primo verbis, Ps. 118, 23: *Sederunt principes et adversum me loquebantur;* et ibidem, 161: *Principes persecuti sunt me gratis* etc.; secundo figuris in David a Saul persecuto, I Reg. pluribus capitulis. Hoc impletum esse in Iesu ostendit Matthaeus 2, 13 in persecutione Herodis et Iudaeorum; Ioannes 7, 32 et 44, et Matthaeus 9, 3 et 34 in persecutione ei facta a principibus sacerdotum et a scribis, et similiter Lucas 4, 28 sq.

Trigesimus actus vitae Christi est Iudaeorum ei insidiatio. Hic ostensus est primo verbis Psalmi 9, 9 loquentis de quolibet Christo insidiante: *Insidiatur in abscondito quasi leo in spelunca sua;* et de omnibus loquitur Michaeas 7, 2: *Omnes in sanguinem insidiantur;* et Iob 30, 13: *Insidiati sunt et praevaluerunt mihi;* et Abdias 7: *Qui comedunt tecum, ponent subter te insidias;* secundo figuris: Daniel, cui impositae sunt insidiae, 6, 4 sqq.; David, I Reg. 26, 2. Hoc impletum esse ostendit Matthaeus 22, 15 in Iesu, cui Iudaei primo insidiati sunt, ut eum caperent in sermone; secundo in iustitia, ut habetur Ioan. 8, 5, 6 de adultera; tertio ut caperent eum in persona, Ioan. 11, 56.

Trigesimus primus actus vitae Christi est, videlicet, quod contra ipsum consilium Iudaeorum deberet congregari. Hic ostensus est primo verbis Ps. 2, 2: *Astiterunt reges terrae, et principes convenerunt in unum* etc.; et Ps. 70, 10 sq.: *Consilium fecerunt in unum, dicentes: persequimini et comprehendite eum* etc.; et Sap. 2, 1: *Dixerunt impii apud semetipsos* etc.; secundo figuris in Ieremia, contra quem fecerunt consilium, Ier. 11, 19. Hoc in Iesu esse impletum ostendit Matthaeus 27, 59 dicens, quod contra Iesum congregaverunt consilium, *ut eum morti traderent;* et in Ioanne 11, 47 dicitur, quod *collegerunt pontifices et pharisaei consilium* etc.

Trigesimus secundus actus vitae Christi est eius proditio. Hic ostensus est primo verbis; unde Psalmus 54, 13 in persona Christi dicit: *Quoniam, si inimicus meus maledixisset mihi* etc.,

et sequitur 40, 10: *Ampliavit super me supplantationem;* secundo figuris in Amasa proditore a Ioab interfecto, II Reg 20, 10; et in Gaal, Iud. 9, 40 sq.; et in Amnon, filio David, II Reg. 13, 28; Ionatha, I Mach. 12, 48, et Simon, I Mach. 16, 15 sq. Hoc evangelista Ioannes 13, 2 ostendit et Matthaeus 26, 24 sq. in Iesu a Iuda discipulo prodito.

Trigesimus tertius actus vitae Christi est eius venditio. Hic demonstratus est primo verbis per Zachariam 11, 12: *Appenderunt mercedem meam triginta argenteis;* et Ieremias 12, 7; secundo figuris, videlicet Ioseph Iudae consilio a fratribus vendito triginta denariis, Gen. 37, 28. Hoc impletum dicit Matthaeus 27, 3, in Iesu pro triginta denariis vendito.

Trigesimus quartus actus vitae Iesu est, videlicet, quod capi deberet. Hic ostensus est primo verbis David in Ps. 58, 4: *Ceperunt animam meam, irruerunt in me fortes;* Ieremiae Thren. 4, 20: *Christus Dominus in peccatis nostris captus est* etc.; secundo figuris in Tobia, 1, 2; in arca Domini capta, I Reg. 4, 11; in Sedecia, IV Reg. 25 5. Hoc impletum ostendit in Iesu Matthaeus 26, 57, quem ceperunt Iudaei.

Trigesimus quintus actus vitae Christi est eius ligatio. Hic ostensus est primo verbis, Ezech. 3, 25: *Fili hominis, data sunt super te flagella, et ligabunt te* etc.; secundo figuris in Samsone, qui fuit ligatus funibus, Iud. 16, 8. Hoc in Iesu impletum esse ostendit Ioannes 18, 12 et Matthaeus 26, 50 dicentes, quod ipsum captum ligaverunt.

Trigesimus sextus actus vitae Christi est eius spontanea et voluntaria oblatio. Hic est ostensus primo verbis per Is. 53, 7 dicentem: *Oblatus est, quia ipse voluit;* et Ps. 39, 9: *Facere voluntatem tuam, Deus meus, volui;* secundo figuris in Ethai sponte cum David eunte, II Reg. 15, 21; in Iuda Machabaeo, I Mach. 9, 18. Hoc impletum esse in Iesu ostendit Ioannes 18, 4 dicens, quod Iesus sponte obviam ivit Iudaeis; et Pilato dixit, Ioan. 10, 18: *Potestatem habeo ponendi animam meam.*

Trigesimus septimus actus vitae Christi est videlicet ipsius flagellatio. Hic ostensus est primo verbis, Ps. 72, 14: Ego *fui flagellatus tota die* etc.; secundo figuris in Pharaone flagellato, Gen. 12, 17; in Ieremia 30, 11 et 14. Sed in Iesu hoc impletum est, qui fuit flagellatus, Matth. 26, 67; Ioan. 19, 1.

Trigesimus octavus actus vitae Christi est eius falsa accusatio. Hic ostensus est primo verbis, Ps. 37, 12: *Amici mei et proximi mei adversum me convenerunt et steterunt* etc.; secundo figuris in Naboth false accusato et occiso, III Reg. 21, 13. Hoc impletum esse in Iesu, quem falsi testes incusarunt, ostendunt Matthaeus 26, 10 et Ioannes 19, 6 et 7.

Trigesimus nonus actus vitae Christi est eius in maxilla percussio. Hic ostensus est primo verbis, Mich. 5, 1: *In virga percutient maxillam iudicis Israel;* secundo figuris Michaeae percussi in maxilla, III Reg. 22, 24. Hoc impletum esse in Iesu, ostendit Ioannes 19, 2, qui percussus fuit in maxilla.

Quadragesimus actus vitae Christi est eius illusio et derisio. Hic ostensus est primo verbis per Abdiam 1, 7: *Illuserunt tibi viri foederis tui, omnes viri tui illusores;* secundo figuris in Eliseo illuso a pueris, IV Reg. 2, 23, in Samsone illuso a Philisthiim, Iud. 16, 25. Hoc impletum esse in Iesu ostendit Ioannes 19, 23 et Matthaeus 27, 19 dicentes Christum a Iudaeis et militibus illusum.

Quadragesimus primus actus vitae Christi est, quod deberet poenis affligi. Hic ostensus est primo verbis, Ps. 37, 9: *Afflictus sum et humilitatus sum nimis* etc., et Is. 63, 10: *Afflixerunt spiritum sancti eius;* secundo figuris in Iob afflicto, 2, 7, in Tobia afflicto, 2, 11. Hoc impletum est in Iesu, qui diversis poenis fuit afflictus, Matth. 27.

Quadragesimus secundus actus vitae Iesu est eius faciei velatio et percussio. Hic ostensus fuit primo verbis ab Isaia, 50, 6: *Faciem meam non averti ab increpantibus et conspuentibus me;* secundo figuris in Aman, cuius faciem operuerunt, Esth. 7, 8. Hoc in Iesu impletum esse ostendit Ioannes 19, 23 dicens, quod milites velantes faciem Iesu percutiebant spuentes in faciem eius.

Quadragesimus tertius actus vitae Christi est ipsius spoliatio. Hic ostensus est primo

verbis, Mich. 1, 8: *Vadam spoliatus et nudus* etc.; secundo figuris in Ieremia, qui spoliatus fuit, Ier. 38, 12. Hoc impletum est in Iesu, quem milites spoliaverunt, Ioan. 19, 23.

Quadragesimus quartus actus vitae Christi est ipsius blasphematio. Hic ostensus est primo verbis, Is. 1, 4: *Sanctum blasphemaverunt Israel,* et 52, 5: *Nomen meum tota die blasphematur;* secundo figuris in Abimelech, Iud. 9, 27, in David blasphemato a Semei, II Reg. 16, 5 et 7. Hoc impletum fuisse in Iesu ostendit Matthaeus 27, 39, qui a latronibus, Iudaeis et militibus fuit blasphematus.

Quadragesimus quintus actus vitae Christi est eius negatio. Hic ostensus est primo verbis, Dan. 9, 26: *Non erit eius populus, qui eum negaturus est;* secundo figuris in David, II Reg. 20, 1, qui negatus est non esse regem, Siba dicente: *Non est nobis pars in David* etc. Hoc impletum esse in Iesu ostendunt Matthaeus 26, 70 et Ioannes 19, 21, qui a Petro fuit ter negatus et a Iudaeis, quod non esset rex Iudaeorum.

Quadragesimus sextus actus vitae Christi est vilis ad mortem ipsius condemnatio. Hic ostensus est primo verbis Salomonis, Sap. 2, 20: *Morte turpissima condemnemus eum;* secundo figuris in Aman ad crucem condemnato, Esth. 7, 9. Hoc impletum est in Iesu, qui ut latro ad mortem crucis condemnatus est, Matth. 27, 38.

Quadragesimus septimus actus vitae Christi est crucis baiulatio. Hic declaratus est primo verbis, Ier. 11, 19: *Mittamus lignum in panem eius;* secundo figuris in Moyse portante virgam in manu, Ex. 4, 17; in Isaac, Gen. 22, 6, portante ligna pro holocausto. Hoc impletum esse in Iesu dicit Matthaeus 27, 31, qui crucem portavit.

Quadragesimus octavus actus vitae Christi est eius crucifixio. Hic demonstratus est primo verbis, Iob 7, 15: *Suspendium elegit anima mea* etc.; secundo in figuris in serpente suspenso in ligno, Num. 21, 9, in Absalone suspenso inter caelum et terram, II Reg. 18, 9, in pistore suspenso in cruce, Gen. 40, 22. Hoc impletum est in Iesu, qui crucifixus est, Matth. 27, 35.

Quadragesimus nonus actus vitae Christi est ipsius inter sceleratos collocatio. Hic ostensus est primo verbis, Is. 53, 12: *Cum sceleratis deputatus est;* secundo figuris in Abner, cui David dixit, quod mortuus erat: *Sicut solent cadere coram filiis iniquitatis, sic corruisti,* II Reg. 3, 34; in Iuda Machabaeo inter malos et sceleratos occiso, I Mach. 9, 18. Hoc in Iesu impletum est, qui crucifixus est inter duos nequam, Marc. 15, 27, et latrones, Matth. 27, 38.

Quinquagesimus actus vitae Christi est eius aceti et fellis cibatio et potatio. Hic ostensus est primo verbis, Ps. 68, 22: *Dederunt in escam meam fel et in siti mea potaverunt me aceto;* secundo figuris in Booz, qui acetum bibens Ruth suadebat, ut biberet, Ruth 2, 14; in Tobia, cuius oculi sunt felle liniti et aperti, Tob. 11, 8. Hoc ostendit in Iesu impletum Matthaeus 27, 34 et 48 dicens, quod fuit felle et aceto cibatus et potatus.

Quinquagesimus primus actus vitae Christi est ipsius in cruce mors et occisio. Hic declaratus est primo verbis, per Isaiam 53, 12: *Tradidit in mortem animam suam* etc.; per Danielem 9, 26: *Occidetur Christus;* secundo figuris in Abel a fratre fuste occiso, Gen. 4, 8; in Aaron summo sacerdote mortuo, Num. 20, 29; in Isboseth, II Reg. 4, 7. Hoc impletum est in Iesu in cruce mortuo et occiso, Matth. 27, 50, Ioan. 19, 30.

Quinquagesimus secundus actus vitae Christi est, videlicet eius pro peccatoribus mortis susceptio et immolatio. Hic ostensus est primo verbis per Isaiam, 53, 8: *Propter scelus populi percussi eum;* per Ieremiam, Thren. 4, 20: *Christus Dominus in peccatis nostris captus est* etc.; secundo figura in Iuda Machabaeo, qui pro liberatione populi mortuus est, I Mach. 9, 18; in hirco, qui pro peccato immolabatur, et aliis, ut habetur in Levitici libro. Hoc impletum esse ostendit Matthaeus 26, 2 et 45 in Iesu, qui dixit: Ego vadam immolari pro vobis.

Quinquagesimus tertius actus vitae Christi est per ipsum nostra facta redemptio, scilicet a diabolo. Hic ostensus est primo verbis, Ps. 33, 23: *Redimet Dominus animas servorum suorum* etc., Is. 63, 9: *In dilectione sua et in indulgentia sua redemit eos,* et Os. 13, 14: *De morte redimam eos,* et *de manu mortis liberabo eos;* secundo figuris in Moyse, cuius prece et

mediatione Dominus peccata populi remisit, Ex. 32, 34. Hoc impletum est in Iesu, cuius morte *reconciliati sumus Deo,* Rom. 5, 10.

Quinquagesimus quartus actus vitae Christi est ipsius vulneratio. Hic ostensus est primo verbis, Ps. 21, 17: *Foderunt manus meas et pedes meos,* etc.; secundo figuris in dilecto vulnerato, Cant. 4, 9; in Achab rege, quem Syri vulneraverunt, III Reg. 22, 34. Hoc impletum est in Iesu in sua passione, qui in pedibus, manibus et latere fuit vulneratus, ut omnes dicunt evangelistae.

Quinquagesimus quintus actus vitae Christi est ipsius lanceatio. Hic ostensus est primo verbis, Iob 16, 14 sqq.: *Circumdedit me lanceis suis et vulneravit lumbos meos; concidit me vulnere super vulnus, irruit in me quasi gigas; haec passus sum absque iniquitate manus meae;* secundo figuris in Absalom lanceato, II Reg. 18, 14, in apertione lateris de Adam, Gen. 2, 21, cui dormienti Dominus tulit unam de costis, in apertione ostii lateris arcae, Gen. 6, 16, in apertione lateris Amasae, II Reg. 20, 10, in petra percussa a Moyse, Num. 20, 11, de qua exivit aqua. Hoc impletum esse in Iesu ostendit Ioannes 19, 34, de quo mortuo, et lancea latere eius aperto, *exivit sanguis et aqua.*

Quinquagesimus sextus actus vitae Christi est sanctorum patrum a manu diaboli liberatio. Hic ostensus est primo verbis per Isaiam 19, 20: *Clamabunt ad Dominum a facie tribulantis, et mittet eis salvatorem qui liberet eos;* et per Zachariam 9, 11: *Tu* autem *in sanguine testamenti tui* liberasti *vinctos de lacu* etc.; secundo figuris in Abraham, qui debellavit reges et reduxit captivitatem, Gen. 14, 15 sqq.; in David, qui liberavit populum de manu Amalecitarum, I Reg. 30, 19, et de manu Philisthiim, II Reg. 21, 15, et de manu Goliath, I Reg. 17, 49 sq. Hoc impletum est in Iesu, qui descendit ad inferos, portas aereas confringendo *captivam duxit captivitatem* [1].

Quinquagesimus septimus actus vitae Christi est diaboli subiugatio. Hic ostensus est primo verbis, Ps. 3, 13: *Percussisti caput de domo impii,* et Is. 51, 9: *Nunquid non tu percussisti superbum?* secundo figuris in Iosue, 6, 21, qui cepit Iericho et regem eius; in Saul, qui cepit Agag regem Amalec, I Reg. 15, 8. Hoc impletum esse in Iesu ostendit Ioannes evangelista, Apoc. 20, 2, qui cepit diabolum, *qui et Satanas* etc.

Quinquagesimus octavus actus vitae Christi est eius sepelitio. Hic ostensus est primo verbis Moysi, Deut. 21, 22 sq.: *Suspensus in patibulo eodem die sepelietur;* et Iob 21, 32: *Ipse ad sepulchrum ducetur;* secundo figuris in Iosia cum fletu sepulto, II Esdr. 1, 31 sq.; in Iona, qui tribus diebus stetit in ventre ceti, Ion. 2, 1. Hoc impletum esse in Iesu ostendit Matthaeus 28, 6, qui sepultus stetit tribus diebus in sepulchro.

Quinquagesimus nonus actus vitae Christi est ipsius resurrectio. Hic declaratus est primo verbis per Isaiam 11, 10: *Et erit sepulchrum eius gloriosum;* per psalmistam 15, 10: *Non derelinques animam meam in inferno nec dabis sanctum tuum videre corruptionem;* secundo figuris in Iacob, qui dormivit usque mane et lapidem erexit, Gen. 28, 16, 18; in Samsone, qui dormivit usque ad noctis medium, Iud. 16, 3. Hoc impletum est in Iesu, quia tertia die a mortuis resurrexit, Matth. 28, 6, et Ioan. 20, 9 sqq.

Sexagesimus actus vitae Christi est eius ad caelos ascensio. Hic ostensus est primo verbis, Ps. 46, 6: *Ascendit Deus in iubilatione, et Dominus in voce tubae;* et Ps. 67, 34: *Ascendit super caelum caeli ad orientem;* et Michaeas 2, 13: *Ascendit iter pandens ante eos;* secundo figuris in Elia, qui ascendit, IV Reg. 2, 1; in Moyse, qui ascendit montem, Ex. 24, 13. Hoc impletum esse in Iesu ostendit Marcus ultimo, 19; et Lucas ultimo, 51 et Actuum 1, 9 sq.

Sexagesimus primus actus vitae Christi est eius ad Patris dexteram consessio. Hic ostensus est primo verbis, Ps. 109, 1: *Dixit Dominus Domino meo: sede a dextris meis;* secundo figuris in Salomone, qui sedit in solio David patris sui, I Par. 29, 23; in Ionadab, qui sedit

[1] Eph. 4, 8.

in curru cum Iehu, rege Israel, IV Reg. 10, 16. Hoc dicit impletum Marcus ultimo, 19 in Iesu, qui sedet a dextris Dei.

Sexagesimus secundus vitae Christi actus est Spiritus sancti super sanctos apostolos emissio. Hic ostensus est primo verbis, Ps. 103, 30: *Emitte spiritum tuum* etc.; per Ezechielem 36, 26: *Dabo vobis spiritum novum* etc.; per Ioelem 2, 28: *Effundam de spiritu meo* etc.; secundo figuris in Moyse, de cuius spiritu Deus accepit et septuaginta duobus senioribus dedit, Num. 11, 25, et de nube, quae replevit totam terram, III Reg. 18, 44 sq. Hoc effecisse Iesum Ioannes evangelista dicit, 20, 22, quod Iesus insufflavit in apostolos, dicens: *Accipite Spiritum sanctum.*

Ultimus vitae Christi actus est ad iudicium descensio. Hic est ostensus primo verbis, Ps. 7, 12: *Deus iudex iustus,* et Ps. 61, 13: *Reddes unicuique iuxta opera sua;* et per Danielem 7, 10: *Iudicium sedit, et libri aperti sunt;* et per Isaiam 3, 14: *Dominus ad iudicium veniet cum senioribus* etc.; et per Ioelem 3, 2: *Congregabo omnes in valle Iosaphat;* secundo figuris in Moyse, Ex. 18, 13, qui sedit iudicare populum; in Daniele, qui iudicavit iudices, Dan. 13, 49 sqq.; in Salomone, qui iudicium fecit, III Reg. 3, 28. Hoc impletum esse in Iesu ostendit Matthaeus ultimo, 18: *Data est mihi,* inquit Iesus, *omnis potestas in caelo et in terra,* et Ioannes 5, 27: *Dedit ei Pater potestatem iudicium facere.*

3. Praefatis ergo apparet tam verbis quam figuris, quomodo Iesus Christus fuit patribus ostensus et declaratus, quod erat probandum. Pro declaratione primae partis conformitatis, quae dicit: *Iesus prophetis cognitus,* multa verba et figurae sunt in praedictis omissa; quia nimis prolixum esset opus, et per iam dicta et posita de aliis potest faciliter iudicari. Verum quia prolixe sunt posita, ad brevitatem reducendo iam dicta, in figuris specialiter, Iesus est prophetis declaratus, ut iam patuit; in Iosia nuntiatus, III Reg. 13, 2; nominatus in Ismael, Gen. 16, 15; natus in Obed cum gaudio, Ruth 4, 17; amatus a Domino in Salomone, II Reg. 12, 24; veneratus in Iosaphat, II Par. 17, 5 sqq.; circumcisus in patribus, Ios. 5, 2 sqq.; oblatus in Samuele, I Reg. 2, 21; fugatus in Iephte, Iud. 11, 3; tentatus in Iob, 1, 12 sqq.; baptizatus in Naaman, IV Reg. 5, 14; persecutus in David, I Reg. 19, 1 sqq.; consecratus Domino in Amasia, II Par. 17, 16; conversatus in Onia, Eccli. 50, 1 sqq.; sociatus apostolis in Iehu, IV Reg. 9, 6 sqq.; divulgatus in Iosue, 6, 27; legem docuit in Esdra, II Esdr. 8, 2 sqq.; mira fecit in Moyse, Ex. 7, 10 sqq.; calumniatur in Achimelech, I Reg. 22, 13 sqq.; insidiatur in Daniele, 6, 4 sqq.; contemnitur in Gedeone, Iud. 8, 6 sqq.; zelat in Phinees, Num. 25, 7 et 11; confortat in Caleb, Num. 13, 21; voluntatem Dei facit in Abraham, Gen. 22, 3 sqq.; orat in Ezechia, IV Reg. 21, 3 sqq.; suos diligit in Nehemia, II Esdr. 1, 4 sqq.; futura pandit in Isaia, 1, 1 sqq.; sacrificium offert in Melchisedech, Gen. 14, 18; venditur in Ioseph, Gen. 39, 1; proditur in Amasa, II Reg. 20, 16; capitur in Tobia, 1, 2; ligatur in Samsone, Iud. 16, 8 sqq.; accusatur in Naboth, III Reg. 21, 13; velatur facie in Aman, Esth. 7, 8; irridetur in Eliseo, IV Reg. 2, 23; spoliatur in Ieremia, Ier. 38; caeditur in in Michaea (*a*), III Reg. 22, 24 sqq.; vilipenditur in Abimelech, Iud. 9, 53; crucis lignum baiulat in Isaac, Gen. 22, 6; suspenditur in serpente, Num. 21, 8 sq; Deum placat in Aaron, Num. 16, 48; genus humanum liberat in Noe, Gen. 7, 1 sqq.; occiditur in Abel, Gen. 4, 8; lanceatur in Absalom, II Reg. 18, 44; latus aperitur in Adam, Gen. 2, 21; hostes deiicit in Aod, Iud. 3, 15 sqq.; sepelitur in Iona, 1, 15; descendit ad inferos in Habacuc, Dan. ultimo, 35; surrexit mane in Iacob, Gen. 28, 16; ascendit in Elia, IV Reg. 2, 11. Et sic succincte apparet iam dictis declarata prima pars primi fructus et conformitatis de beato Francisco et Christo.

Restat nunc succincte secundam partem fructus et conformitatis I declarare, videlicet: Franciscus declaratur.

(*a*) Codex *caeditur in Ezechiele, affligitur in Michaea.*

Secunda pars istius primi fructus et conformitatis est hic:

Franciscus declaratur.

Expositio.

1. Declarata prima parte fructus primi et conformitatis, quae fuit de Christo, restat consequenter secundam partem ipsius enodare, videlicet *Franciscus declaratur.* Pro cuius evidentia est notandum, quod, cum dictum sit per Amos supra allegatum [1], quod *Deus non faciet verbum, nisi revelaverit secretum suum ad servos suos prophetas,* quo prophetae verbo innuitur, si Deus non faciet verbum, multo magis nec opus mirabile, de quo sanctos non informet prophetas, unde argumentum evidenter accipitur, quod multi sancti, etsi nobis non pateat, per ora prophetarum expressi fuere mundo affuturi, et praecipue, qui capiti perfectionis virtuosius cohaeserunt; de quibus satis aperte Dominus affuturis praedixit; sicut patet de Isaac, Gen. 18, 10 sqq.; de Samsone, Iud. 13, 7; de Iosia, III Reg. 13, 2; de Ioanne Baptista, Luc. 1, 13; quibus innuit et de aliis praedixisse, qui talibus similes perfectione fuerunt et forte, Ioanne Baptista excepto, gratia potiores et sanctitate illustriores; Virgo enim Maria, etsi in sacro eloquio non habeatur, quod nascenda nuntiata fuerit per angelum, quia privilegia gratiarum aliis concessa ab ipsa non sunt removenda, immo potius per quandam supereminentiam attribuenda, debet tamen firmiter teneri et credi [quod] sic; et consequenter de aliis sanctis, utpote de beato patre nostro Francisco tam conformiter Christo simulato et per ipsum Christum tam excellenter supra alios sanctos sublimato, est certe pie credendum, quod tam vaticiniis prophetarum, quam figuris sanctorum, quibus fuit conformis moribus et gratia, exstitit veridice declaratus; prout haec secunda pars huius primi fructus et conformitatis declarare intendit et proponit dicens, quod Franciscus ad instar Christi fuit declaratus aenigmatibus et prophetarum eloquiis; et quia hoc suppositum habet duas partes, prima est: quod beatus Franciscus fuit *figuris* declaratus, secunda, quod *vaticiniis prophetarum,* ideo primo de prima videndum et sic demum de secunda. Quibus declaratis patebit, quomodo intelligatur haec secunda pars primi fructus et conformitatis.

2. Quod enim beatus Franciscus *figuratus* fuerit et exstiterit in veteri testamento, expresse asserit abbas Ioachim in *expositione Ieremiae;* sic et Cyrillus eremita montis Carmeli, ut in expositione secundae partis patebit [2]. Insuper cum beatus Franciscus fuerit similis patriarchis filiorum sanctorum multiplicatione, prophetis in futurorum cognitione, apostolis mundi contemptu et despectione et sancti evangelii observantia, martyribus desiderio, confessoribus vitae austeritate, doctoribus populi eruditione, virginibus sui corporis integerrima puritate, et aliis iustis iustitiae et sanctitatis perfectione, ut de his omnibus clare infra dicetur, merito per figuras prophetarum, immo verius per ipsos patriarchas, prophetas, apostolos, martyres, confessores, doctores et virgines ac alios iustos habet figurari. Et sic, generaliter loquendo, potest dici, quod ipse beatus Franciscus, cum fuerit similis Adae in creaturarum dominio, Abel in puritate, Enos in devotione, Henoch in sursum elevatione, Noe in iustitia, Abrahae in obedientia,

[1] Am. 3, 7. — [2] Cfr. infra pag. 45.

Isaac in meditatione, Iacob in sollicitudine (*a*), Ioseph in sui praeservatione, Moysi in mansuetudine, Aaron in exhortando, Phinees in zelo, Iosue in conflictu vitiorum, Samsoni in daemonum superatione, Iephte in cordialitate (*b*), Gedeoni in propositi constantia, Samueli in Domini servitute, David in humilitate, Salomoni in sensu et spiritus prudentia, Eliae in verbo, Eliseo in mundi contemptu, Ionadab filio Rechab peregrine hic manendo, Isaiae in futurorum cognitione, Ieremiae in proximorum compassione, Iob in patientia, Tobiae in misericordia, Ezechieli in contemplatione, Danieli in vitae austeritate, Michaeae in dicenda veritate, Petro in fervore, Ioanni in amore ad Christum, Ioanni Baptistae in sui despectione, Iacobo in oratione, Bartholomaeo in paupertatis dilectione, Paulo in discursu et aliis iustis in operum perfectione, Christi imitatione et divinorum praeceptorum et consiliorum custoditione; quare typis et figuris omnium talium habet generaliter figurari. Et si talium figuris habet hic sanctus figurari, multo fortius per figuras inanimatorum, utpote per solem, lunam, stellas et huiusmodi; ac etiam per animam vegetativam (*c*), sicut per arbores, olivam, cedrum, cypressum et huiusmodi, necnon per animalia irrationalia, videlicet per ovem, columbam, et sic de aliis et hoc, si considerentur in ipso quoad virtutes per Deum actitata; quia enim fuit totus exemplaris, fuit sol; quia humilis, columba; quia pacis nuntius, oliva, et sic de consimilibus. Quare ratione virtutum et gratiarum per talia potest generaliter figurari; verumtamen in ordine seraphico ut in supremo omnis perfectio reluceat inferiorum ordinum, quare beatus Franciscus, cum ipsis seraphim similis fuerit in praesenti et nunc sit in gloria, per ipsos et eorumdem figuras et consequenter omnium inferiorum ordinum, scilicet cherubim, thronorum, dominationum, virtutum, potestatum, principatuum, archangelorum, angelorum figuras potest designari et figurari. Et sic patet, qualiter quidem generaliter per iam dicta beatus Franciscus habet figurative et typice generaliter declarari. Aliter potest beati Francisci figuratio ostendi, ut actibus vitae eius singulis, de quibus erit sermo ordinate et non ordinate, in sequentibus figurae debitae applicentur.

3. Sit ergo vitae beati Francisci primus actus, videlicet eius ad mundum a Deo destinatio. Hunc figuravit Ioseph missus a patre ad fratres suos visitandos, Gen. 37, 13 sq.; et Isaias, 6, 8: *Ecce ego, mitte me;* Ionas in Niniven missus a Deo, Ion. 1, 2.

Secundus actus eius est ortus laetificatio; natus est laetantibus multis, ut patebit conformitate et fructu III. Hunc figuravit Isaac natus cum risu et gaudio patris et matris, Gen. 21, 6, 8; Obed cum gaudio Noemi ortus, Ruth, 4, 15.

Tertius actus est beati Francisci angelo in specie peregrini ostensio, de quo infra dicetur. Hunc figuravit Samuel oblatus et ostensus Heli, I Reg. 1, 25; 3, 4 sqq.

Quartus actus est beati Francisci captio; fuit enim captus a Perusinis cum multis aliis suis civibus et positus in carcere, quibus beatus Franciscus servivit, et specialiter uni militi [1]. Hunc figuravit Ioseph captus et positus in carceribus, Gen. 39, 20, qui aliis concaptivis serviebat; Tobias, qui idipsum fecit captus et in captivitate positus, Tob. 1, 3.

Quintus actus beati Francisci est a patre et fratre et aliis civibus persecutio, ut patet II [2] parte eius *Legendae maioris*. Hunc figuravit Ioseph a fratribus persecutus,

(*a*) As *solitudine*. — (*b*) Edd. *credulitate*. — (*c*) As *animata vegetativa*.

[1] Cfr. II Cel. 1, 1. — [2] C. 2 n. 2.

Gen. 37, 18 sqq.; Iephte eiectus (*a*) a suis, Iud. 11, 2; David persecutus a Saul, I Reg. 19, 1 sq.

Sextus actus beati Francisci est ad pauperes compassio et servitium; nam libenter Dei amore dabat pauperibus et abiectis serviebat. Hunc figuravit Iob, 31, 32; et Tobias 1, 19; et Abraham lavans pedes et serviens peregrinis, Gen. 18, 4 sq.

Septimus actus est beati Francisci devotio; ibat per ecclesias visitando et orando, sicut patuit in ecclesia sancti Damiani, in qua Christus fuit ei locutus. Hunc figuravit Tobias, 1, 6, qui ibat Ierusalem ad templum Domini; Iacob qui erat vir simplex, habitans in tabernaculis, Gen. 25, 27, qui vadens in Mesopotamiam vidit Dominum innixum scalae, Gen. 28, 13.

Octavus actus est beati Francisci omnium mundanorum abdicatio, qui nihil, ut peregrinus, voluit habere proprium. Hunc figuravit Ionadab et filii Rechab, qui semper, ut peregrini, in tentoriis habitare voluit nec domum habuit nec erexit, Ier. 35, 10.

Nonus actus est trium ecclesiarum reparatio, scilicet sancti Damiani, sancti Petri et beatae Virginis. Hunc figuravit Beseleel et Ooliab, qui fecerunt Domini tabernaculum, Ex. 36, 8 sqq.; Salomon, qui aedificavit templum nomini Domini, III Reg. 6, 1 sqq.

Decimus actus est Domini beato Francisco apparitio; nam pluries ei Dominus apparere dignatus est, ut infra dicetur. Hunc figuravit Abraham, Noe, Iacob, Isaac, Moyses, et sic de aliis, quibus Dominus apparere est dignatus, ut patet in serie sacrae scripturae.

Undecimus actus est vitae evangelicae a beato Francisco susceptio. Hunc figuraverunt omnes apostoli simul et sigillatim, et specialiter beatus Paulus, qui gratia et imitatione perfectus apostolus est factus, Gal. 1, 12 sqq.; de apostolis habes Matthaei 19, 27 sqq.

Duodecimus actus est beati Francisci a diabolo tentatio in eremitorio de Sarteano [1] et in aliis locis. Hunc figuravit David tentatus, II Reg. ultimo, 10 sqq.; Iob, 1, 13 sqq.

Decimus tertius actus est beati Francisci sociatio et fecundatio quoad fratrum multitudinem. Hunc figuravit Iacob, qui habuit duodecim filios, Gen. 29, 32 sqq.; 30, 5 sqq.; David, II Reg. 5, 13; *filii Israel, qui multiplicati sunt nimis*, Ex. 1, 7.

Decimus quartus actus est beati Francisci regulatio et eius ieiunatio pro regulae susceptione. Hunc figuravit Salomon, Eccle. ultimo, 10, qui *scripsit sermones rectissimos et veritate plenos;* Moyses, qui in monte ieiunavit quadraginta diebus et quadraginta noctibus, ut legem Domini mereretur accipere [2].

Decimus quintus actus est beati Francisci praedicatio. Hunc figuravit Isaias, 58, 1, cui dictum est: *Clama, ne cesses* etc.; sequitur: *Annuntia populo meo scelera eorum et domui Iacob peccata eorum;* Ioannes Baptista, qui praedicabat dicens: *Poenitentiam agite,* Matth. 3, 2; Franciscus enim mandato apostolico poenitentiam praedicavit.

Decimus sextus actus est beati Francisci *Thau* [3] dilectio et passionis Christi. Hoc signum pater amavit et suis litteris, quas mittebat, apponebat pro signo [4]. Hoc signo

(*a*) As, N, R et edd. *captus*.

[1] Bonav. *Leg. mai.* c. 5 n. 4. — [2] Ex. 24, 18. — [3] Cfr. Hieron. *Epist.* 30 n. 5. — [4] Bonav. *Leg. mai.* c. 4 n. 9; miracula, § 10 n. 7.

beatum Franciscum adornatum in facie vidit frater Pacificus [1], et de Christi passione beatus Franciscus fratribus saepius faciebat sermonem. Hunc figuratum declaravit Ezechiel 9, 2, per virum, qui habebat *atramentarium scriptoris ad renes*, qui signabat *Thau super frontes virorum* plangentium *et dolentium*, videlicet Domini passionem; et tales sic signati ab ultione mortis extremae liberabantur et praeservabantur.

Decimus septimus actus est beati Francisci crucifixi meditatio; in nullo enim Franciscus didicerat gloriari, *nisi in cruce Domini Iesu Christi* [2], et nil sciebat nisi Christum pauperem et crucifixum. Hunc praefiguravit serpentis inspectio a Moyse et populo, Num. 21, 9, cuius attentione a morsibus serpentum populus liberabatur; Gedeon, dum baculo purgat triticum, Iud. 6, 11; Moyses, dum tenet virgam Dei in manu sua, Ex. 4, 2; Daniel, dum arborem excellentissimam cernit positam in medio terrae, Dan. 4, 7 sqq.

Decimus octavus actus est fratrum a beato Francisco ad praedicandum missio et destinatio. Hunc figuravit Iosaphat, qui plures de principibus suis misit, ut docerent populum, II Par. 17, 7 sqq.; Ezechias, qui misit ad omnem Israel, ut venirent in domum Domini, II Par. 30, 1.

Decimus nonus actus est beati Francisci transformatio, videlicet, quando apparuit in curru transfiguratus fratribus [3]. Hunc praefiguravit Elias in curru igneo ascendens in caelum, IV Reg. 2, 11.

Vigesimus actus est aliorum a beato Francisco informatio; multoties fratres docebat et alios et plures scripsit epistolas. Hunc praefiguravit Esdras, qui *paravit cor suum, ut investigaret legem Domini, ut faceret et doceret in Israel praeceptum et iudicium*, I Esdr. 7, 10.

Vigesimus primus actus est fratrum a beato Francisco ad generale capitulum congregatio, ubi fuerunt ultra quinque millia fratrum [4]. Hunc figuravit Iosue, congregando omnes filios Israel in Sichem, Ios. 24, 1; Esdras, congregando populum quasi virum unum, I Esdr. 3, 1.

Vigesimus secundus actus est beati Francisci vilis induitio. Hunc figuravit Isaias male indutus et discalceatus eundo et nudus, Is. 20, 2.

Vigesimus tertius actus est beati Francisci suis longe distantibus praesentatio, sicut fratribus in capitulo Arelatensi, praedicante beato Antonio de titulo crucis [5]. Hunc figuravit Eliseus se praesentem exhibendo ministro suo Giezi, IV Reg. 4, 31; Ezechiel, spiritu translatus in Ierusalem, Ezech. 8, 3, et tamen erat corpore in Babylone.

Vigesimus quartus actus est beati Francisci miraculorum operatio; fecit enim multa miracula, ut infra patebit. Hunc figuravit Moyses mirabilia faciendo, Deut. ultimo, 11, 12 et Ex. 7, 9 sqq.; Elias et Eliseus, III Reg. 17, 6 sqq., et IV Reg. 3, 20 sqq., 4, 6 sqq., 5, 14.

Vigesimus quintus actus est beati Francisci zelus et ad animas dilectio; fervide animas Christi sanguine redemptas zelabat. Hunc figuravit Phinees pro Deo zelando et populo Domini [6]; Elias, qui dixit, III Reg. 19, 10: *Zelo zelatus sum pro Domino Deo* etc.; David, qui volebat mori pro filio adversario, II Reg. 18, 33; Moyses, qui volebat deleri de libro viventium pro populo, Ex. 32, 32; sic et Paulus, Rom. 9, 3.

---

[1] Cfr. II Cel. 3, 49 et Bonav. l. c. — [2] Gal. 6, 14. — [3] I Cel. 47; Bonav. l. c. c. 4 n. 4. — [4] Bonav. l. c. c. 4 n. 10. — [5] I Cel. 48; Bonav. l. c. 13 n. 10. — [6] Num. 25, 13.

Vigesimus sextus actus est beati Francisci sublevatio, scilicet in oratione (*a*), et hoc mentis excessu et corporis, ut inferius patebit. Hunc praefiguravit scilicet Moyses ascendendo montem Sinai, Ex. 19, 20; Balaam, quem duxit Balac ad excelsa Phasga, Num. 23, 14; Iacob, qui ascendit Bethel, Gen. 28, 11.

Vigesimus septimus actus est beati Francisci assidua oratio, cui semper erat intentus. Hunc figuravit Moyses orando in monte, Ex. 32, 11 et Num. 11, 11 et 21, 7; David, II Reg. 7, 18 sqq.; Manasses, II Par. 33, 13, qui a Domino fuit exauditus; Nehemias, 1, 5 sqq.; Daniel, qui ter in die flectendo genua orabat, Dan. 6, 10; Iudas Machabaeus, I Mach. 4, 10.

Vigesimus octavus actus est beati Francisci lacrymatio; multum enim in lacrymis abundabat in orando et dominicam passionem plangendo, adeo ut nil quasi videret[1]. Hunc beati Francisci fletum figuravit Ezechias, qui flevit amare, IV Reg. 20, 3; Esau, qui per fletum obtinuit benedictionem, Gen. 27, 38.

Vigesimus nonus actus est beati Francisci cantici angelici auditio, quando infirmus sibi citharoedus apparuit, cuius cantu et sono sibi consolationem corporalem et mentalem recepit[2]. Hunc figuravit Isaias, qui audivit duos seraphim dicentes: *Sanctus, sanctus, sanctus* etc., Is. 6, 3; Ezechiel, 3, 12, qui audivit vocem commotionis magnae dicentem: *Benedicta gloria Domini.*

Trigesimus actus est a beato Francisco paupertatis desponsatio et acceptatio[3]. Hunc figuravit Tobias, qui dixit filio suo, 4, 23: *Pauperem vitam gerimus;* Booz, qui Ruth pauperem desponsavit, Ruth. 4, 13; Assuerus Esther, Esth. 2, 18.

Trigesimus primus actus est beati Francisci humiliatio; fuit enim prae aliis humillimus. Hunc figuravit David, qui dixit, Ps. 37, 9: *Humiliatus sum nimis;* Achab, qui se humiliavit Domino, III Reg. 21, 29.

Trigesimus secundus actus est beati Francisci sui despectio; ab omnibus volebat despici et contemni. Hunc figuravit Abraham, Gen. 18, 27, qui dixit: *Ego sum vermis et cinis;* David, qui dixit, Ps. 21, 7: *Ego sum vermis et non homo* etc., et II Reg. 7, 18 dixit: *Quis sum ego, Domine?*

Trigesimus tertius actus est beati Francisci spiritus prophetiae perceptio; habuit enim spiritum propheticum, sicut infra multis docebitur exemplis. Hunc figuraverunt omnes prophetae, Samuel, David, Isaias, Ieremias, et sic de aliis.

Trigesimus quartus actus est beati Francisci cordium inspectio; multorum secreta cordium agnovit. Hunc figuravit Iacob videndo cor Laban, Gen. 31, 31; Eliseus videndo cor Giezi, IV Reg. 5, 26; Petrus videndo cor Simonis magi, Act. 8, 21.

Trigesimus quintus actus est beati Francisci in mari praedicatio, quando stando in navicula Gaietae populis praedicavit[4]. Hunc figuravit Moyses in mari rubro stando et mirabilia operando, opere praedicabat Dei magnalia, Ex. 14, 20 sqq.; sic Iosue faciendo stare sacerdotes cum arca in medio Iordanis, Ios. 3, 14 sqq.

Trigesimus sextus actus est a beato Francisco diaboli expulsio a civitate Aretii[5] et aliis hominibus. Hunc figuravit angelus Raphael, qui a Tobia et eius uxore dae-

(*a*) Edd. *monte.*

[1] Bonav. l. c. c. 5 n. 8. — [2] II Cel. 3, 66; Bonav. l. c. c. 5 n. 11. — [3] Cfr. II Cel. 3, 1. — [4] Bonav. l. c. c. 12 n. 6. — [5] Bonav. l. c. c. 6 n. 9.

monem repulit, Tob. 8, 3; David, qui de arce Ierusalem expulit Iebusaeum, II Reg. 5, 6 sq.; Simeon, qui alienigenas expulit ab arce Sion, I Mach. 13, 47 sqq.

Trigesimus septimus actus beati Francisci est aquae in vinum conversio[1]. Hunc, etsi non fuerit praefiguratus quantum ad colorem, praefiguravit quantum ad saporem aquas Mara dulces reddendo ligni immissione Moyses, Ex. 15, 25; sic Eliseus sal ponendo in aquas in saporem bonum convertit et sanitatem, IV Reg. 2, 21.

Trigesimus octavus actus est beati Francisci carnis maceratio. Hunc figuravit Elias, qui fuit rigidissimus in vita, IV Reg. 1, 8; Manasses, qui egit poenitentiam magnam, II Par. 33, 12; Ioannes Baptista, Marc. 1, 6.

Trigesimus nonus actus est beati Francisci exemplorum ostensio et exemplaritas. Hunc declaravit exemplar positum in monte, Ex. 25, 40; David, in quem oculi totius respiciebant Israel, III Reg. 1, 20; candelabrum positum in tabernaculo Domini, Lev. (*a*); Simon Oniae, qui fuit *quasi stella matutina*, Eccli. 50, 6.

Quadragesimus actus est a beato Francisco fratrum refectio et cibatio; de tribus panibus cibavit ultra triginta fratres, et divina providentia quinque millia in quodam capitulo generali[2]. Hunc figuravit Eliseus, qui de paucis panibus plures homines cibavit, IV Reg. 4, 42 sqq.

Quadragesimus primus actus est a beato Francisco aquae a petra eductio, scilicet in monte Alvernae (*b*), quando homini, cuius asello vehebatur, aquam oratione propinavit[3]. Hunc figuravit Moyses, qui bis aquam de petra virga percutiendo eduxit, Ex. 17, 6, Num. 20, 11.

Quadragesimus secundus actus est beati Francisci erga fratres condescensio; comedit cum fratre, qui de nocte abstinentia deficiebat[4] et cum alio infirmo uvas in vinea[5]. Hunc figuravit ille homo, qui recepit levitem de monte Ephraim, qui comedere eum coegit et mensam paravit, Iud. 19, 1 sqq.; Raguel, qui recepit Tobiam et ad manducandum praeparavit, Tob. 7, 9 sq.

Quadragesimus tertius actus est a beato Francisco mulierum devitatio. Hunc figuravit Ioseph a talibus se abstinens (*c*), Gen. 39, 12.

Quadragesimus quartus actus est beato Francisco a Deo lucis traditio et donatio, scilicet in flumine Padi et paludibus[6]. Hunc figuravit lux data filiis Israel in Aegypto, Ex. 10, 23; columna ignis in nocte, Ex. 13, 21.

Quadragesimus quintus actus est gentium ad beatum Franciscum devotio; omnes enim ad ipsum afficiebantur et reverebantur. Hunc figuravit Samuel, de quo dicitur I Reg. 3, 20, quod *cognovit universus Israel, quod fidelis propheta esset Domini*, et ibidem dicitur, 12, 3 sqq., quod homo fuit sanctissimus.

Quadragesimus sextus actus est a beato Francisco pecuniae detestatio. Hunc figuravit Petrus, Act. 3, 6, dicens: *Argentum et aurum non est mihi* etc.

Quadragesimus septimus actus est creaturarum ad beatum Franciscum affectio et subiectio; animalia mitia et immitia, volatilia et natatilia ad beatum Franciscum

(*a*) Codex *leviter*, edd. *Levit. 8.* — (*b*) N, R et edd. om. *Alvernae;* in As addidit altera manus. — (*c*) As, N et edd. *absentans.*

[1] I Cel. 61; Bonav. l. c. c. 5 n. 10. — [2] Cfr. Bonav. l. c. c. 4 n. 10. — [3] II Cel. 2, 15; Bonav. l. c. c. 7 n. 12; uterque: « ad quandam eremum », omisso nomine. — [4] II Cel. 2, 15; Bonav. l. c. c. 5 n. 7. — [5] II Cel. 3. 110. — [6] Bonav. l. c. c. 5 n. 12.

afficiebantur et ei subdebantur. Hunc figuravit Adam, cui omnia sunt sub potestate tradita et in statu primo subiecta.

Quadragesimus octavus actus est malorum execratio et de bonis iucundatio; de malis exemplis turbabatur, et de bonis iucundabatur (*a*). Hunc figuravit Esdras, qui abominatus est, filios Israel se alienigenarum uxoribus immiscuisse et cum eis foedus pepigisse, I Esdr. 9, 1 sqq.

Quadragesimus nonus actus est beati Francisci ob reverentiam sanctorum diversa in tempore ieiunatio. Hunc figuravit sancta Iudith, Iudith, 8, 6, quae *ieiunabat omnibus diebus praeter sabbata et neomenias et festa domus Israel;* Mardochaeus, qui ieiunavit tribus diebus neque manducavit neque bibit, Est. 4, 16 sq.

Quinquagesimus actus est beati Francisci mori pro Christo exoptatio; quando pro palma martyrii consequenda ter ultra mare ad partes infidelium ivit. Hunc figuravit Iudas Machabaeus, I Mach. 3, 21, qui dixit: Moriamur pro lege Dei nostri etc.; Paulus, qui dixit, Act. 21, 13: *Ego non solum alligari sed et mori paratus sum pro nomine Domini Iesu.*

Quinquagesimus primus actus est a beato Francisco scripturarum intellectio et dilucidatio, ut patuit, quando respondit de dubiis scripturae magistro in theologia Senis [1] et aliis. Hunc figuravit David, cui Dominus tribuit intellectum, Ps. 118, 34: *Super senes intellexi* [2]; Salomon, qui omnium habuit intelligentiam, Sap. 7 sqq.; Paulus, qui evangelium habuit per revelationem, Gal. 1, 12.

Quinquagesimus secundus actus est beati Francisci iucundatio; nam, licet haberet infirmitates, tamen in gaudio spiritus semper erat et in laetitia fratres esse volebat. Hunc praefiguravit Tobias, 14, 4, qui post oculorum illuminationem residuum tempus vitae suae fuit in gaudio.

Quinquagesimus tertius actus est beati Francisci infirmitatum et dolorum supportatio laeta. Hunc praefiguravit Iob, qui omnia patienter portavit, Iob 1, 20 sqq.; Tobias, qui obcaecatus *non est contristatus* contra Dominum, sed gratias egit, Tob. 2, 13 sq.

Quinquagesimus quartus actus est beati Francisci crucifixio et stigmatizatio. Hunc similavit (*b*) ille quartus, qui erat *similis Filio Dei,* Dan. 3, 92; et Paulus, qui dixit, Gal. 6, 17: *Stigmata Domini Iesu in corpore meo porto.*

Quinquagesimus quintus actus est beati Francisci fratribus in morte data benedictio, manibus cancellatis [3]. Hunc figuravit Iacob, qui moriens manibus cancellatis benedixit Ephraim et Manassen, Gen. 48, 13 sqq., et alios filios suos; Moyses, qui benedixit filios Israel, Deut. 33, 1 sqq.; Isaac, qui caecutiens benedixit Iacob et Esau, Gen. 27, 27 et 40.

Quinquagesimus sextus actus est beati Francisci mortis revelatio et eius in Domino obdormitio. Hunc praefiguravit Aaron, Num. 20, 26, et Moyses, Deut. 34, 5, qui informati de morte decesserunt.

Quinquagesimus septimus actus est beati Francisci animarum purgatorii constipatio, quas extraxit [4]. Hunc figuravit Abraham, Gen. 14, 14 sqq., reducens captivitatem;

(*a*) As, N, R et edd. om. *de malis — iucundabatur*. — (*b*) As, N, R et edd. *figuravit*.

[1] II Cel. 3, 46; Bonav. l. c. c. 11 n. 2. — [2] Ps. 118, 100. — [3] Bonav. l. c. c. 14 n. 5. — [4] Plura infra fruct. XXXIV.

Esdras, Zorobabel et Nehemias populum ducentes de Aegypto, Esdr. 2, 1 sqq. et Nehem. 2, 8 sqq.

Quinquagesimus octavus actus est beati Francisci sepelitio. Hunc figuravit Iacob, quem medici condierunt *aromatibus*, Gen. ultimo, 2; Asa, II Par. 16, 14, quem sepelierunt *plenum lectum aromatibus et unguentis* facientes.

Quinquagesimus nonus actus est beati Francisci glorificatio. Hunc figuravit Ioseph, cui dixit Pharao, Gen. 41, 40: *Uno tantum regni solio te praecedam*, et ipse dixit fratribus suis: *Nuntiate patri meo omnem gloriam*, Gen. 46, 13; Mardochaeus, qui glorificatus fuit a rege Assuero, Esth. 8, 15.

Sexagesimus actus est beati Francisci ad gloriam deductio; anima beati Francisci ad gloriam deducta fuit figurata per Iudith introductam, ubi erant eius thesauri, Iudith 12, 1, et per Esther introductam ad cubiculum Assueri, Esth. 2, 16; per arcam ductam in civitatem David, II Reg. 6, 15 sq., cum canticis in iubilo. Hunc figuravit Simon, I Mach. 13, 51, qui arcem intravit *cum laude et ramis, cytharis et cymbalis* etc.

Sexagesimus primus actus est beati Francisci sublimatio. Hunc figuravit Ioseph, Gen. 41, 40, exaltatus super omnes, quem Pharao *uno tantum regni solio* praecessit; Ionathas, I Mach. 10, 62 seqq., quem Alexander rex fecit sedere secum, et magnificavit eum et scripsit eum inter primos amicos.

Sexagesimus secundus actus est fratrum ad Soldanum baptizandum a beato Francisco missio [1]. Hunc figuravit missio duorum discipulorum a Christo, Matth. 21, 5, 7, ad solvendum asinam et pullum eius; in Moyse et Aaron fuit etiam figuratum, quos Deus ante se misit, Mich. 6, 4, ad deducendum Israel de Aegypto.

Sexagesimus tertius actus est mortuorum a beato Francisco resuscitatio. Hunc figuravit Elias, qui filium mulieris matrisfamilias resuscitavit, III Reg. 17, 22; Eliseus, qui filium mulieris Sunamitidis resuscitavit, IV Reg. 4, 34 sq.

Ultimus actus est beati Francisci meritis a Christo donorum distributio et concessio; in quacumque necessitate beatus Franciscus invocetur, subvenit Christus invocantibus. Hunc figuravit Assuerus, qui in die, qua Esther est ei coniuncta, dedit (*a*) requiem omnibus, Esth. 2, 18; Salomon, dando reginae Saba omnia, quae ab eo postulasset, III Reg. 10, 16.

4. Sic ergo patet, quomodo beatus Franciscus quoad actus suae vitae potest dici figuratus in veteri testamento et novo, etsi paucae figurae de utroque testamento sunt positae. Verum, quia aliquis posset dicere dictas figuras communes, et non proprias esse, quod concedo, et aliis a beato Francisco competentes, attamen sicut sanctus Franciscus prae aliis perfectior fuit et Christo conformior, cui praedictae figurae appropriantur, sic potest dici, quod sibi prae aliis attribuantur. Sedne habet aliquas figuras, quae post Christum solum beatum Franciscum exprimant et figurent? Videtur mihi dicendum, quod sic; quae alteri a Christo competere bene nequeunt nisi beato Francisco. Et prima est illa, Gen. 1, 26 sq. et 2, 19 sq., de conditione hominis facti (*b*) sexta die ad imaginem et similitudinem Dei; ista ad litteram est de Adam et figurative

(*a*) As, N, R et edd. *dona et requiem*. — (*b*) As, N, R et edd. *facta*.

[1] *Actus* c. 27.

de Christo; sed si alteri sancto debet attribui, danda est beato Francisco, qui sexta die, id est sexti sigilli apertione, ut habetur Apoc. 7, 2, fuit factus ad imaginem impressam et expressam Domini Iesu et eius similitudinem, in vita sibi conformem faciendo.

Secunda est de columba emissa a Noe ex arca, Gen. 8, 8, quae columba ordinem Minorum a beato Francisco institutum significat, secundum abbatem Ioachim, ut dicetur infra [1].

Tertia est figura de Iacob, Gen. 28, 14, cui dictum est: *Eritque semen tuum sicut pulvis terrae, dilataberis ad orientem et occidentem et septentrionem et meridiem* etc. Hoc impletum est in beato Francisco, cuius ordo accipit omnes angulos terrae, ut conformitate et fructu dicetur XI.

Quarta figura de Ioseph, Gen. 41, 42, cui Pharao annulum suum dedit in manu sua. Nulli sanctorum Christus dedit annulum suae expressae figurae, stigmatizationis videlicet, nisi beato Francisco.

Quinta figura est de Iacob, qui cancellatis manibus et caecutiens benedixit filiis Ioseph, Gen. 48, 15 sq.; quae in beato Francisco impleta est, qui benedixit fratribus Bernardo et Eliae [2] et aliis in morte sua.

Sexta figura de vite, de qua tres propagines sunt exortae, Gen. 40, 10, beatum Franciscum designat, qui fuit vitis ad instar Christi, ipsi viti Christo perfectissime inhaerendo, et tres propagines ex ipso ortae sunt, quia tres ordines, scilicet Minorum, pauperum dominarum et fratrum et sororum de poenitentia.

Septima figura est de Iosue, qui fuit minister Moysi et eius aemulator, Num. 11, 28; nemo inter sanctos minister et servus Christi, ut Franciscus, et eius perfectus imitator.

Octava figura est de Elia in curru igneo asportato, IV Reg. 2, 11. Sanctus Franciscus in curru igneo transfiguratus apparuit fratribus, ut dicit IV pars *Legendae* [3].

Nona figura est de quarto viso cum tribus pueris in fornace *simili Filio Dei*, Dan. 3, 92. Isti quatuor in fornace sunt quatuor ordines in mundo exsistentes, ordo videlicet Basilii, Augustini, Benedicti et Francisci; sed quartus est *similis Filio Dei*, scilicet vita, quia per Christi evangelium; est enim similis pater Franciscus, quia signatus suis stigmatibus.

Decima figura est de viro signante *Thau*, Ezech. 9, 4, qui vir fuit beatus Franciscus, prout vidit frater Pacificus et aliis indiciis est probatum.

Aliae sunt figurae, quae post Christum singulari modo beatum Franciscum figurant, quas brevitatis causa omitto. Sic ergo apparet, quomodo beatus Franciscus fuit figuratus; et per consequens est prima pars, quae erat videnda, declarata.

5. Restat nunc videndum de secunda parte, videlicet, quomodo beatus Franciscus est *verbis prophetarum* declaratus, ubi sciendum, quod beatus Franciscus et eius ordo fuit declaratus primo per eximium prophetarum, Deum et hominem Iesum Christum Dominum nostrum, qui de ordine praedixit beato Francisco, prout ipse sanctus Franciscus dixit, et hoc Luc. 12, 32: *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum;* ac in fratribus Minoribus dixit completum et de eis dictum a Christo specialiter: *Quod uni ex minoribus fecistis, mihi fecistis*, Matth. 25, 40 et 45 [4].

---

[1] Pag. 53. — [2] *Speculum perfectionis* c. 107 et I Cel. 108. — [3] Bonav. *Leg. mai.* c. 4. n. 4. — [4] Cfr. Leo, *S. P. Francisci intentio regulae* (Lemmens, *Docum. ant. franc.* t. I) pag. 85.

Secundo, fuit beatus Franciscus declaratus per maximum prophetam, videlicet Ioannem evangelistam, Apoc. 6, 12 sq., ubi inquit Ioannes: *Et vidi, cum aperuisset sextum sigillum, et ecce terraemotus magnus factus est, et sol factus est niger, tanquam saccus cilicinus, et luna tota facta est sicut sanguis, et stellae de caelo ceciderunt super terram.* Et sequitur, 7, 1 sqq.: *Post haec vidi quatuor angelos stantes supra quatuor angulos terrae tenentes quatuor ventos terrae, ne flarent super terram, neque super mare, neque in ullam arborem. Et vidi alterum angelum ascendentem ab ortu solis habentem signum Dei vivi; et clamavit voce magna quatuor angelis, quibus datum est nocere terrae et mari dicens: Nolite nocere terrae et mari, neque arboribus, quoadusque signemus servos Dei nostri in frontibus eorum.* Sigillum istud sextum, si diligenter inspiciatur, apertum fuit tempore imperatoris Friderici II et regis Siculorum; cuius in tempore *factus est magnus terraemotus,* quia magna persecutio in ecclesia sancta Dei; nam propter divisionem inter ipsum et papam et cardinales de partibus infidelium ad partes fidelium multos Saracenorum conduxit ecclesias destruentes et clericos persequentes et religiosos. — *Sol factus est niger,* id est dominus papa, qui diu tempore suo fuit niger, videlicet quia non est inventus, immo postea ut simplex sacerdos Venetiis est inventus [1]. — *Luna tota facta est sanguis,* id est ecclesia tota effecta est *sanguis,* id est sanguinolenta interfectione clericorum, cardinalium et aliorum praelatorum per ipsum Fridericum et suos fautores interfectorum. — *Stellae de caelo* militantis ecclesiae *ceciderunt,* quia multi praelati adhaerentes eidem ceciderunt depositione et excommunicationis sententia innodati. — Per *quatuor angelos* tenentes ventum intelligi possunt ipsi daemones in quatuor partibus mundi stantes, impedientes peccatis, ne Deus ventum suae gratiae super terram sufflaret, immo quod magis Deus vindictam de talibus et in talibus exerceret; vel per *quatuor angelos* possunt intelligi quatuor ordines sanctorum, quos, ut angelos ad mundum reformandum destinaverat, videlicet ordines apostolorum, martyrum, confessorum et anachoretarum et doctorum, quorum exempla mundus et doctrinam contemnens, stabant super quatuor partes terrae, et specialiter tempore praefati Friderici persecutoris ecclesiae, quando oblitterata erat omnis via perfectionis, dicebantur tenere ventum, scilicet doctrinae et vitae perfectae, quam ostenderunt pro tanto, quia nec in mari, id est insulis, nec in terra plana, nec in arboribus, id est nemoribus, vix inveniebatur aliquis, qui tales imitaretur. Hoc tempore, quando sic fiebat, a Deo directus est *alter angelus* a praefatis, videlicet angelicus vir Franciscus, qui fuit angelus ratione puritatis et suae a Deo in mundum ad annuntiandum poenitentiam destinationis. — Sed unde venerit, dicit Ioannes, quod *ab ortu solis,* quia a sole iustitiae, Christo (*a*), transmissus; vel *ab ortu solis,* quia de civitate Assisii ad ortum solis posita. — Sed qualiter eum misit, dicit, quod habebat *signum Dei vivi,* id est in proximo a Christo habiturus signum sacrorum stigmatum, iuxta modum loquendi scripturae, quae ponit factum in proximo fiendum; et sic Franciscus potest dici, quod habuit *signum Dei vivi,* quia in proximo erat stigmatibus Christi insigniendus. — Sed ad quem finem (*b*)? Certe, inquit: *Clamavit* etc., id est ut clamaret, id est ut praedicaret; ad istum finem missus est beatus Franciscus, sicut in

(*a*) Codex *Christus.* — (*b*) Edd. *fructum.*

[1] Sermo est de Innocentio IV, qui 1243 « ad civitatem *Vetulam* » indeque Ianuam aufugit; cfr. Nicolaus de Curbio, *Vita Innocentii IV,* n. XIII (Mansi, *Miscellanea* t. I pag. 197).

sequenti fructu et conformitate dicetur, *voce, inquit, magna* praedicationis (*a*), operationis, doctrinae, exemplaritatis et perfectionis, et ut fideles ad Christi sectanda crucifixi vestigia inflammaret, induceret et effectum dominicae passionis in eorum cordibus et insignia imprimeret, et sic eorum corda hoc signo crucifixi designaret et pingeret. Quod vero hic angelus habens *signum Dei vivi* fuerit beatus Franciscus, visione facta fratri Silvestro est clarifice demonstratum [1]; hic enim in habitu degens saeculari et sacerdos exsistens, ac sancti Francisci viam fratrumque suorum humano spiritu abhorreret, in somnis totam Assisii regionem a dracone immenso vidit circumdari, pro cuius teterrima horridaque effigie diversis, ut videbatur, mundi climatibus propinquum excidium imminebat. Contuebatur post hoc crucem auream atque fulgentem procedentem ex ore Francisci, cuius summitas caelos tangebat, et brachia protensa in latum usque ad mundi fines videbantur extendi, cuius aspectus praefulgidus draconem illum tetrum et horridum penitus effugabat. Hoc dum sibi tertio monstraretur, intellexit beatum Franciscum ad hoc destinatum a Domino, ut gloriosae crucis assumto vexillo hostis maligni robur elideret ac praeclaris veritatis fulgoribus tam doctrinae quam vitae mentes fidelium ad passionis Domini vestigia sectanda induceret, pariter et illuminaret. Quod enim totum beati Francisci studium praedicatio et conatus fuerit, ut mentes fidelium ad deplorandum et contuendum passionis Christi miranda induceret, infra fructu et conformitate XIII dicetur. Et si quis hanc figuram non esse de beato Francisco dicat, ostendat, de quo alio sit intelligenda habente *signum Dei vivi*, ut habuit Franciscus, et credam ei. Addit ipse Ioannes, quod beatus Franciscus ipse *clamavit*, et multi eius sequentes vitam pariter et doctrinam signati *signo Dei vivi* per Franciscum, id est totaliter Domini passionem in corpore suo gestantes et meditantes, multos alios signaverunt, sicut infra, quando de triplici (*b*) ordine a beato Francisco instituto dicetur conformitate et fructu VIII et de eius praedicatione fructu X et fratrum fructu XI dicetur, evidenter ostendetur.

Tertio, fuit beatus Franciscus declaratus per apostolum Paulum, qui, etsi diceret de se ipso, propter verbera Christi amore pluries accepta, Gal. ultimo, 17: *Ego stigmata Domini in corpore meo porto*, et Gal. 2, 19: *Christo confixus sum cruci*, et 6, 14: *Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi;* de nullo alio possunt praefata verius dici, quam de beato Francisco, ut fructus et conformitas XXXI ostendet. Et si dicatur: habuitne Paulus spiritum propheticum? respondetur, quod sic; quia *raptus fuit ad tertium caelum* [2]. Hoc idem patet in suis epistolis ad Thessalonicenses et aliis, ubi multipliciter et in actibus Apostolorum ostendit spiritum propheticum se habuisse.

Quarto, de ipso prophetavit et beatum Franciscum mundo affuturum cum beato Dominico declaravit Sibylla, quae fuit tempore regis Priami et belli Troiani [3], quae de Christo et apostolis plura dicens, demum adventum beati Francisci et Dominici declarat dicens: « In ultima aetate humiliabitur deus et humiliabitur proles divina; iungetur humanitati deitas; iacebit in foeno agnus, et puellari officio educabitur (*c*)

(*a*) Edd. addunt *communis*. — (*b*) Edd. *tertio*. — (*c*) Edd. *decubabitur*.

[1] Cfr. Bonav. *Leg. mai.* c. 3 n. 5. — [2] II Cor. 12, 2. — [3] Cfr. Holder-Egger, *Italienische Prophetieen des 13 Jahrhunderts*, in Neues Archiv der Gesellschaft für ältere deutsche Geschichte, t. XV pag. 155 sqq.; Holder-Egger vaticinium inter annos 1251-1254 compositum esse putat.

deus et homo. Signa praecedent apud Appellas — glossa: id est Iudaeos —; mulier vetustissima — glossa: id est Elisabeth — puerum (*a*) concipiet — glossa: id est Ioannem —. Boetem (*b*) — glossa: stellam — orbis mirabitur (*c*); ducatum praestabit ad ortum — glossa: scilicet Christi —. Hic habens pedes triginta tres — glossa: id est annos — sexque pollices — glossa: id est menses — eliget sibi ex piscatoribus deiectis numerum duodenarium, id est duodecim apostolos, unumque diabolum — glossa: id est Iudam —. Non in gladio bellove Aeneadem urbem — glossa: id est Romam — regesque subiiciet, sed in hamo piscatoris; in deiectione et pauperie superabit divitias et superbiam conculcabit; morte propria mortuos suscitabit, et cum mactabitur, vivet et regnabit. Et consummabuntur omnia, et fiet regeneratio; bonos iudicabit et malos. Hinc quatuor animalia, id est quatuor evangelistae, surgent in testimonium, nomen Agni in tuba concinent, serentes iustitiam legemque irreprehensibilem — glossa: id est evangelium —, cui contradicet bestia — glossa: id est antichristus — simulque abominatio spumae draconis. Et surget stella mirabilis — — glossa: id est Paulus apostolus — quatuor animalium habens imaginem — glossa: id est totum evangelium a quatuor evangelistis editum — eritque in tuba mirabili; Danaos — glossa: id est Graecos — illuminabit; in Aeneade — glossa: id est Roma — lacus (*d*) piscatoris — glossa: id est socii (*e*) Petri — nomen Agni usque [ad fines saeculi virtute perducet. Inde in Aeneadem iuncta vinctos a diabolo] liberabit; hic — glossa: id est S. Paulus — gladiabitur, moriens illustrabitur; porro gloriosus exitus eius. Erit autem bestia horribilis ab oriente veniens — glossa: id est Machumetus —, cuius rugitus usque ad gentes punicas — glossa: id est Africanos — audietur; cuius capita septem sceptraque innumera, pedes sexcenti sexaginta tres — glossa: id est sexcenti sexaginta tres anni —. Hic contradicens Agno, ut blasphemet testamentum eius, augens draconis aquas; reges autem et optimates saeculi erunt in sudore terribili et non diminuent pedes eius », id est annos. Subdit de beato Francisco et Dominico: « Stellae quoque duae — glossa: id est ordo Minorum et Praedicatorum — consimiles primae consurgent contra ipsum et non obtinebunt, usque dum veniat abominatio et voluntas Altissimi consummetur ». Haec Sibylla. Qua prophetia patet, quod, cum beatus Franciscus nomine vocetur stellae, et suus ordo per stellam habet merito figurari, contra sectam Machumeti spurcissimi porci, audacter dico, nullum ordinem sic insurrexisse, sicut sancti Francisci. Ipse beatus Franciscus contra ipsam ter accedendo ad partes infidelium egit atque fratres misit, qui, ipso beato Francisco vivente, sunt martyrio coronati [ut infra dicetur fructu VIII]; et ultra sexaginta a Saracenis de fratribus beati Francisci sunt martyrizati, ipsaque gens Machumeti, ut inferius patebit, per ordinem beati Francisci ad Dominum convertetur.

Quinto, beatus Franciscus fuit declaratus et eius ordo, ut testatur abbas Ioachim super 8 capitulo prophetiae Cyrilli anachoretae et presbyteri montis Carmeli, per quendam diaconem nomine Polycarpum [1], qui, ut dicit Ioachim, legisse multa de ipso et ordine eius dixisse, cuius dicta ipse Ioachim minime ponit.

(*a*) In ed. Holder-Egger *praevium*. — (*b*) As, R et edd. *Baptistam*. — (*c*) Codex et N *mirabiliter*. — (*d*) Hol.-Eg. *latus*. — (*e*) As et edd. *socius*.

[1] De quo apud alios nihil invenimus; cfr. infra pag. 50 et librum *Abbas Ioachim magnus propheta: Haec subiecta in hoc continentur libello: Expositio magni prophetae Ioachim: in librum*

Sexto, beatus Franciscus fuit etiam declaratus et eius ordo per Cyrillum presbyterum et anachoretam montis Carmeli, cui celebranti missam angelus Domini duas tabulas graece scriptas aeneas detulit, eidem mandando, ut scriberet in eis contenta et in latinum verteret ac occidentali ecclesiae mitteret, qui sic egit [1]. Verum cum prophetia multum sit obscura in verbis, interpretandam et dilucidandam abbati direxit Ioachim, qui ipsam exposuit [2]; ponendo ergo prophetiam, simul et Ioachim expositionem apponam, ut ipsa debite et lucide intelligatur. Ubi sciendum, quod beatum Franciscum vocat semper in ista prophetia nomine petrae; patet in principio et in aliis capitulis praecedentibus, et patet in fine fratres Minores omnes alloquendo, cum dicit: « Nempe si ad petram fortem » etc.; et licet Ioachim assignet causam, aliam tamen inferius adiungam. Sciendum secundo, quod in principio huius prophetiae loquendo de beato Francisco sub nomine petrae dicit de eius ordine exciso ab ista petra, et consequenter videtur loqui de ordine Praedicatorum ac de ordine Carthusiensium; et de istis tribus ordinibus dicendo eorum initia, et unde sunt oriunda, de ipsorum primo conditionibus bonis et demum malis usque ad partem illam: « Nempe si ad petram fortem »; ubi dimittendo alios ordines et beatum Franciscum commendando ac inducendo fratres ad beati Francisci imitationem ipsam prophetiam concludit. Dicit ergo Deus revelando Cyrillo [3]:

« Vae mulieribus ». Ponit hic principium ordinis Minorum dicens: « Vae mulieribus excisis de petra durissima vallis virginis ». « Vae mulieribus », Ioachim in glossa: mulieres appellat quosdam futuros religiosos molles et delicatos, curiosos, ut feminas. « Excisis de petra durissima », Ioachim in glossa hoc refert ad patrem et fundatorem istorum, quos alloquitur, quia, inquit, erit sanctus (*a*) et constans et firmus ut petra in timore Dei, cuius, inquit, constantia, virtus et sanctitas inferius nominatur (*b*), cum dicitur: « Nempe si ad petram fortem ». Cur vocet beatum Franciscum nomine petrae, in fine aliae causae assignabuntur (*c*). Dicit ergo, quod mulieres, id est fratres, sunt excisae de petra durissima, scilicet beato Francisco. Sed unde fuit haec petra et hic ordo Minorum fundatus? Dicit, quod fuit excisus « de petra durissima vallis virginis »; Ioachim: per vallem virginis potest intelligi aliqua regio ecclesiae ditioni subiecta, in loco valloso, cuias oriundus erit illorum fundator et pater. Ad litteram beatus Franciscus fuit de valle virginis; in tota enim prophetia Cyrilli nomine *virginis*

(*a*) Ed. 1 *sanus*. — (*b*) As et edd. *denotatur*, deinde *additur*. — (*c*) Edd. om. *Cur vocet — assignabuntur*.

beati Cirilli de magnis tribulationibus et statu sanctae matris ecclesiae: ab his nostris temporibus usque ad finem saeculi: Una cum compilatione ex diversis prophetis novi ac veteris testamenti Theolosphori de Cusentia: presbyteri et heremite, Venetiis per Bernardinum Benalium (1516), fol. XXII v. — [1] Quae prophetiae sunt editae adiuncto cum commentario a P. Philippo a sanctissima Trinitate (Lugduni 1663) sub titulo *Divinum oraculum S. Cyrillo Carmelitae Constantinopolitano solemni legatione Angeli missum.* De vita huius sancti Cyrilli cfr. *Acta Sanctorum,* I martii pag. 500-502; de vaticiniis, quae communiter apocrypha habentur, cfr. Ehrle, *Über Cyrill's Oraculum angelicum* in Archiv für Litteratur-und Kirchengeschichte des Mittelalters, t. II pag. 327 sqq. et Huck, *Ubertin von Casale* (Freiburg 1903), pag. 93, qui « oraculum s. Cyrilli » inter 1254 et 1268 exortum esse deducit. — [2] De expositione illa, quae proculdubio apocrypha et nonnisi post medium saeculum XIII orta est, cfr. Ehrle et Huck l. c. — [3] Cap. 11 (l. c. pag. 26).

appellatur ecclesia. Fuit ergo beatus Franciscus de valle virginis, id est de valle Spoletana, quae vallis cum Assisio est Romanae ecclesiae et eius ditioni subiecta; et ibi Franciscus ortus est et ordo Minorum fundatus; vel potest dici, quod ordo noster fundatus est et excisus a petra, id est institutus a beato Francisco, scilicet in valle Spoletana, et in loco virginis, scilicet Mariae, quae per antonomasiam Virgo dicitur; nam in loco sanctae Mariae de Portiuncula ordo incepit Minorum a beato Francisco petra institutus.

Subdit prophetia de alio ordine: « Et puellis — supple: vae — de monte umbroso ». Ioachim: per puellas aliud genus intelligit religiosorum molle et delicatum, ut primum; « de monte umbroso », hoc forte dicit, quia nigri habitus erit futurus.

Subdit prophetia de tertio ordine, dicens: « Et bestiis, scilicet vae, de monte Libano ». Ioachim: « bestiis », insinuat tertium genus bestiale, simplex et rude; quia forte non erit adeo litteratum moribusque provectum, ut duo praemissa; « de monte Libano » dicit, vel quia in ipso monte inhabitabit, vel forte quia cum Libanus candidatio interpretatur, habitus albi futurum erit.

Subdit prophetia de istis tribus ordinibus simul: « A suae tempore iuventutis usque in senium earum novissimum vae multiplex eis incumbit ». Ioachim: « a tempore iuventutis suae », non ab infantia vel ab origine, in qua iusti futuri sunt, ut hic prope describitur, ubi dicitur « infantiae suae primordio », sed a iuventute, id est in processu ipsorum ordinum.

Sequitur in prophetia: « Infantiae suae primordio usque in tempora pubertatis margaritis multiplicibus ». Ioachim: hic insinuat, quod in sui origine iusti sunt futuri usque in tempora pubertatis, quae est secunda aetas, per quod datur intelligi, quod modicum in iustitia sunt mansuri.

Sequitur in prophetia: « Margaritis multiplicibus parentum sanguine rutilantibus renitebunt ». Ioachim: « parentum sanguine », hoc ideo dicitur, quia virtutes, quibus nitebunt, ab ipsis sanctissimis patribus, qui in infantia eorum, id est de novo, migrabunt, ex summa et nova devotione, quam habebunt.

Subdit prophetia: « Sed pedetentim, id est paulatim, muscarum stercoribus et viarum pulveribus fuscabuntur ». Ioachim: musca est inquieta et importuna; per quod notatur, quod inquieti erunt quoad discernendum (*a*) et importuni quoad petendum; quorum inquietatio inferius denotatur, ubi dicitur: « Quas incautas levesque repererint »; « incautas », inquam, quia homines illorum taedio affecti devincentur nec poterunt quietari, donec eorum importunitatibus satisfecerint, « leves » vero, supple: ad tribuendum, quia multi verecundia ducti propter quandam curialitatem naturalem, quae inest multis hominibus, eorum importunis petitionibus satisfacient. Haec autem inquietatio et importunitas stercorosa censetur, id est Deo et hominibus odiosa; Deo, inquam, propter inquietudinem, quae displicet Deo clamanti: *Vacate et videte, quoniam ego sum Deus* [1]; hominibus propter importunitatem; unde dicitur inferius: « Quapropter bestiae cavebunt sibi in illos incidere ». « Viarum pulveribus », Ioachim: pulvis viarum infructuosus est ventoque movetur et evanescit; per quod notatur, quod vanagloriosi futuri sunt; potentum enim et amicitiis nobilium efferentur (*b*) et politis

(*a*) R et edd. *discurrendum.* — (*b*) Codex *offerentur,* R *afferentur.*

[1] Ps. 45, 10.

quibusdam verbositatibus iactabuntur, et hoc nihil aliud est nisi quidam pulveres momentanei, eo quod evanescant nec durent nec fructus capiatur ex eis.

Sequitur prophetia: « Vae unum et vae iterum. Hos praestolantur nugaces — glossa interlinearis: id est derisores vel truffatores —, quos gladius biceps confodiet; horum Deus venter et lingua cum lumbis erit » — glossa: id est etiam et lumbi —. Ioachim: « vae unum », hoc refertur ad subsequens, scilicet « quos gladius biceps confodiet »; biceps quidem gladius, scilicet perditio vitae praesentis, quam non ita habebunt, ut cupient, et futurae, eos confodiet, id est consumet.

Sequitur prophetia: « Hi desertores catervas proprias relinquentes vagari per compita eligent, alienorum foraminum invasores », Ioachim: « vagari », adhaerentes quidem vagabundae religioni eligent stulte hinc inde vagari, forsitan mendicantes; « foraminum », id est proventuum vel eleemosynarum; quia quod nudis pauperibus, puellis, infirmis, verecundis et senibus destitutis debuerit tribui, hi omnia ad se trahent, dicentes, se cunctos egentes excellere.

Sequitur prophetia: « Hi filii Esau bestiarum simplicium venatores in specubus alienis, et quas incautas levesque repererint, gaudenter excoriabunt, scelesti gloriabuntur et glorianter narrabunt complicibus, cum praedictis se fecerint (*a*) ampliores; quapropter bestiae cavebunt sibi in illos incidere, cum opera eorum didicerint ». Ioachim: « in specubus », id est in his, quae clericis saecularibus vel aliis personis ecclesiasticis pertinebunt.

Istud, quod sequitur, etsi ad omnes tres ordines referatur, praecipue tamen ad ordinem Minorum. Subdit prophetia: « Iniqui iactabuntur inedia, quam deiicient ascia ». [Ioachim: hi mentientur, se delectari in paupertate, quam deiicient ascia]. Ascia est ferreum instrumentum, quod profunde lignum incidit et devorat, per quod intelligitur, quod totis viribus deiicient paupertatem occultam et deliciis inhaerebunt.

Subdit prophetia: « Simulatoria et insigni penuria enigrescent, ut capiant, id est decipiant, et denudent lepusculos — glossa: id est simplices — vehementius; sed dissimulatis palliatisque copiis effulgescent, ut latenter degant splendidius. Hi sunt Belis presbyteri ab ultore angelo perimendi, oblata vorantes in abditis, florebunt in altum, ut cedri, sanguine et haustu (*b*) elati — glossa: id est sanguine — et scientia litterarum, usque ad pinnam Sion sublimissimam ». Ioachim: « insigni », hi perfidi pauperes insignes se dicent, quasi iuxta formam apostolorum viventes, egentes, quia nec in communi nec in speciali se possidere aliquid mentientur.

Subdit prophetia: « Tamen teredo ligni medullam corrodet et pertundet intrinsecus, ut tandem optima quaeque dehiscant », Ioachim: teredo est vermis pertundens, id est perforans, et corrodens lignum intrinsecus, ut tandem arescat; hic vermis superbia est vel avaritia, quae omnes virtutes destruunt et consumunt.

Subditur in prophetia: « Et frondes eius arescent ». Ioachim: per frondes arborem decorantes intelligit praelatos religiosos, qui ad ecclesiasticas dignitates promoti in ordine eorundem honorem et gloriam redundabunt; falso inquam, quoniam spiritualem paupertatem deiicere et ad splendidas divitias pervenire non est honorabile quoad Deum, sed potius vituperabile.

Subdit prophetia: « Et decident flores in limum ». Ioachim: per flores odoriferos bonam famam intelligit, qua tandem carebunt.

(*a*) R et edd. et Phil. a s. T. l. c. *praedas fecerint*. — (*b*) Codex *astu*.

Subdit prophetia: « Super hoc lupi rapaces ad invicem corrodentur, et alter alterum suaviter manducabit, donec foetor sanguinis occisorum ascendat ad nares iudicis impraegnati », Ioachim: « lupi rapaces », hic ostendit, quod non solum extrinsecus quoad saecularia, sed et intrinsecus quoad se invicem pravi exsistent, alter alterum persequendo, diffamando vel alias offendendo inique. « Ad nares iudicis impraegnati », Ioachim: « iudex impraegnatus » potest intelligi Deus aeternus, qui modo mulieris praegnantis portat vindictas impiorum in corde, ut ab erroribus convertantur, qui tandem parturiens clamat, ut mulier, cum dolens commendat (*a*) impios ipsos suppliciis atrocibus gehennalibus.

Subdit prophetia: « Fallaces ingeniosi mediis linguis fantes cum viduis, exponentes sacrificia mercaturae — glossa interlinearis: id est tot missas facias decantari, da tantam pecuniam, et culpa, poena aut pestis non erit —; offer sacrificium, praebe testimonium, et plaga ultra non erit. Haec suggerent (*b*) filii nequam, seductores astuti; ut augeant stercora — glossa: id est ut splendide vivant — et inaltent (*c*) cacumina ». Ioachim: « mediis linguis » more infantium erubescentium plenarie confiteri, quod pomum velint eorum aspectibus praesentatum; unde « mediis linguis » dicuntur eloqui (*d*), cum non plene se velle proferant; sic isti, cum viduas opulentas vel simplices voluerint spoliare, mediis linguis loquuntur, quasi ostendentes, se nolle tanta recipere, ne hoc deroget summae ac altissimae paupertati illorum, quorum centuplum laetanter acciperent.

Subsequitur in prophetia: « Febres sanabunt eos ». Ioachim: hoc verbum non intelligo, nisi quis diceret forte, quod ad aegros accederent et eorum ultimis voluntatibus assistentes procurabunt aliqua ab eis relinqui.

Sequitur in prophetia: « Mors vita illorum ». Ioachim: quia forte de mortuariis vel testamentis defunctorum aliqua lucrabuntur.

Subditur in prophetia: « Ad querulas voces tibicinum salient laetabundi, ut agni in pascuis ». Ioachim: tibicines erant antiquitus quaedam lamentatrices, quae ad defunctorum corpora vocabantur, ut vocibus querulis lamentarentur plangerentque defunctos; adhuc in aliquibus partibus observatur. Ad has voces lamentabiles salient laetabundi ob lucrum, ut saliunt agni in pascuis uberrimis.

Sequitur in prophetia: « Sagacissimi deceptores mentientur se potissime mortuos suscitare, ut spolient virgines — glossa: id est ecclesias et saeculares —, ut dilatent tentoria » — glossa: id est aedificia —. Ioachim: potissime dicturi sunt isti malitiosi ad populum: eligite apud nos sepulturam, non apud saeculares ecclesias, quia pluribus sacrificiis abundamus, quibus animae defunctorum purgantur, et in eis gloriosior resurrectio apparebit, quia nostris societatibus adiungentur. Quod est falsum; etenim si ultra mare corpus sepeliatur, citra mare sacrificium et oratio ei valet, non obstante ubicumque sepeliatur; sacrificium quidem animae, non sepulturae impenditur.

Subditur in prophetia: « O perditi, quid ubera materna — glossa: id est paterna — sprevistis, quae Deus benedixit a saeculo, et ubera novella virginea elegistis? fortassis quia illa improvide perdidistis, et his uberiora nescitis, quae perditorum remedio rapuistis. Attamen, et vos exspectate paulisper, quia ignis prosiliet de altari et consumet iterum Nabab et Abiud sacerdotes ». Ioachim: « ubera » terrenos fructus

(*a*) Edd. *condemnat.* — (*b*) Phil. a s. T. *fingent.* — (*c*) N, R et edd. *saltent,* Phil. a s. T. *erigant.* — (*d*) Edd. om. *linguis dicuntur eloqui.*

ex terrae visceribus prodeuntes mediantibus laboribus hominum ubera materna appellat, quae Deus benedixit a saeculo, ut homo exinde vesceretur, et dixit [1]: *Quia labores manuum tuarum manducabis, beatus es* etc. Hi feruntur vere reliquisse, cum Christo forsitan per vitae perfectionem humiliter adhaerentes proprium abnegaverunt, sed improbi, quia forte molles et proni ad levia et carnalia vitia, et ideo communis vita eis fuisset utilior; quod patet, quia propter perfectionem huiusmodi deserentes, virginea ubera sugere eligent saporosa, id est delicias et ubertates saecularium clericorum, quas ad se rapere quodam placore (*a*) seu quadam sonoritate sacramentorum ac multa hypocrisi nitentur pro posse.

Sequitur in prophetia: « Giezi quoque lepra inficientur (*b*), ut a planta ad cranium sola ulcera turgentia videantur ». Ioachim: Giezi, servus Elisei, lepra fuit percussus, quia sanitatem vendidit, quam Naaman Syro gratis et libere Eliseus impenderat; sic isti exponentes sacrificia mercaturae, « ut a planta — id est ab ipsa simplici confessione fidei, quam et daemones credunt [et contremiscunt], — usque ad cranium » — id est summam virtutum — nil aliud, quam lucrum cerneretur in ipsis, vel « a planta usque ad cranium », id est ab ipsis puberibus, qui ipsorum ordinem de novo assument usque ad provectos illorum nihil aliud, quam vitium appetetur; *omnes enim quae sua sunt, quaerent, non quae Iesu Christi* [2], honoris et commodi avaritiae inhiantes.

Subditur in prophetia: « Hi patroni praedivites confidentes in vaccis pinguibus dormitantibus ». Ioachim: « praedivites »; sicut enim patroni praedivites in vaccis pinguibus et aliis animalibus armentitiis confidentes efferuntur mentis superbia, quasi nihil possit eis quandoque deficere, cum modis innumeris proventus assiduos assequantur; ita et hi confidunt in vaccis pinguibus, id est in grossis summisque praelatis Romanae ecclesiae, utpote cardinalibus, patriarchisque et primatibus eisdem favorabilibus, ut sic non paveant inferiorum clericorum calumniam parvipendere.

Sequitur in prophetia: « In risu virginis ». Ioachim: hoc dicit, quia memorati praelati applaudent eisdem ob suum honorem calumnias hominum formidantes; ne diceret populus, quod vaccae illae pingues dormitantes non patiuntur hos humiles pauperes saltem vilissimis eleemosynis laicorum nutriri. Quid eos abhorrent? quid sacra demunt eorum? Forte quia opera eorum non diligunt nec sequuntur pauperes praelati memorati.

Subditur in prophetia: « In robore montium, in cornibus elevatis ». Ioachim: montes Israel sunt idem cum vaccis pinguibus dormitantibus. Hi dicuntur robur Israel, id est ecclesiae, quia eam in divitiis viriliter manutenent; montes quoque feruntur non a virtutis fortitudine, sed a mentis altitudine, propter quod favebunt dictis religiosis, timentes eorum calumniam apud plebem.

Sequitur in prophetia: « Baculis arundineis feminarum, quos se irrigasse iactabunt ». Ioachim: « baculis », quia huiusmodi confidentia in praelatis erit fragilis et instabilis, ut arundo, vel mulier, eo quod in momento furoris aut iracundiae praelatorum particularium ecclesiarum conquerentium contra illos malignos, quoniam illorum iura invaserint et vastaverint, exosos eos habebunt, ita ut gratias eis subtrahant eosque ignominiosos efficiant. « Irrigasse », dicent forte: nos ecclesiam praeter apostolos scientia irrigavimus, hanc honestatis parsimoniae rigorisque moribus informavimus; quidquid ergo honoris et gratiae habet ecclesia, exceptis proventibus temporalibus, nobis debet attribui.

(*a*) As *perlatione*. — (*b*) Codex *inficietur*.

[1] Ps. 127, 2. — [2] Phil. 2, 21.

Sequitur in prophetia: « Verumtamen spiritus vehemens latens in cornibus repente perflabit ». Ioachim: hic patenter declarat, quod praelatorum dilectio erit simulatoria odiique latentis dissimulatoria, in eo, quod dicit « Spiritus latens in cornibus perflabit », id est ira vel furor absconsus in praelatis.

Subditur: « Et quadros abscindet de montibus, quos praecipitans mactabit primo filios petrae vallis et multos de monte umbroso, ut nunquam resurgant, demum bestias de monte Libano ». Ioachim: « quadros », quadri dicuntur quidam morselli saxei, qui absciduntur de saxis et in quibusdam modulis in usus hominum (*a*) conformantur; in quo nihil aliud, ut puto, voluit intelligere, nisi quod cardinales ad invicem dividentur super istorum destructione, ita ut quidam hoc velint, quidam dissentiant; sententia vero volentium praevalebit, propter quod dicit « quadros » etc.; quia in hoc non omnes « montes » erunt concordes, ut diximus, sed « quadri » id est solummodo pars illorum; et « multos » dicit, non omnes, quia forte sub nigro habitu diversae maneries regularium militabunt, sicut et nunc fit, quorum aliquos ecclesia reprobabit.

Sequitur in prophetia: « Si flagitiosi obtulissent virgini aureas murenulas et in aures annulos et theristria, armillas et specula, dextrocheria et coronas, prout eam decebat, cum eius operibus sint ditati eunuchi virginis, utique detulissent eisdem ». Ioachim: in his omnibus virgineis ornamentis, quae hic enumerat, nihil aliud vult intelligere, nisi quod, sicut virginem vel sponsam haec decent, et si subtrahantur ab illis, utpote servis vel feudatis ipsius, qui sibi deferre tenentur, dignos se iudicant feudorum privatione, ita et hi non deferentes ecclesiarum rectoribus ob suam superbiam gratiis privabuntur ipsorum et novissime confundentur.

Sequitur in prophetia: « Stultus praestat baculum, quo ipse percutiatur, et qui non aufert, stultior est censendus ». Ioachim: Polycarpus diaconus in volumine, quod edidit, dicit quod multae religiones mendicantes ex devotione apostolicae paupertatis evenient, de quibus aliquae ob eorum importunitatem et insolentiam ac gravamen eleemosynariorum per ecclesiam destruentur, et aliquae famosiores ex ipsis remanebunt ad tempus, quae interim non modicum sibi locum in ecclesia vindicabunt; et quia multis gratiis ecclesiasticis ditabuntur, clerus timebit eas, et servient ob timorem, donec et ipsae cum aliis destruantur.

Sequitur in prophetia: « Hi pinnis montium in aciebus (*b*) lumborum densitatibus virgultorum miserabiliter confundentur »; glossa interlinearis: « pinnis montium », id est altitudinibus dignitatum; « in aciebus », id est in mentis superbia; « lumborum », id est in luxuriis; « densitatibus » etc., id est terrenis proventibus, quibus totus ordo hic scriptus pollebit, miserabiliter confundetur.

Sequitur in prophetia: « Hi sextarios sexaginta ex area se collecturos sperabunt, de quibus si decem in horreis reposuerint, satis poterunt contentari (*c*) ». Ioachim: « hi sextarios », quia continentes sunt, in gloria collecturi sunt fructum sexagesimum, et coniugati trigesimum, sicut centesimum virgines aut martyres aut summi praedicatores, iuxta expositiones sanctorum. Ideo hi arroganter se in numero continentium generaliter assignabunt, quod esse debuerit, si plene, quod promiserint, observaverint. « De quibus si decem », hoc refertur ad decem legis praecepta, ad quae omnes tenentur; et voluit dicere, quod si in numero simplicium personarum (*d*), poterunt contentari.

(*a*) As *in nimium*. — (*b*) Phil. a s. T. *maciebus*. — (*c*) Phil. a s. T. *quietari*. — (*d*) Edd. addunt *erunt*.

Subditur in prophetia: « Caveant miseri, ne quidquid severint, urens spiritus vertat in stipulam ». Glossa: « quidquid severint », id est quidquid fecerint de genere bonorum; « vertat » etc., id est in vanum deducat, ut perdant quod fecerint.

Ultimo, prophetia ad nos fratres Minores increpandos, quare non imitantur beatum Franciscum patrem eorum, se figit et beatum Franciscum multipliciter commendando dicit: « Nempe si ad petram fortem — glossa interlinearis: id est ad patrem eorum — et firmam — glossa: id est contra illecebras carnis —, quadram — glossa interlinearis: in timore Dei; Ioachim: ut sibi et Deo, amico et inimico iustitiam reddat debitam, vel quadram, id est ornatam virtutibus quatuor cardinalibus — et latam — glossa: scilicet caritate —, politam — Ioachim: id est planam, non asperam, ut superbus et humilis, arrogans et mitis secum fuerit pacifice conversatus — et albam — glossa: corporis castitate —, mundam et sanctam — glossa: scilicet verborum discretione —, unde originem protraxerunt, devote et fideliter et perfecte spectassent (*a*) — glossa: id est aspexissent —, et eius efficacias et virtutes, prout ab infantia inceperunt — id est: in sui exordio secundum glossam interlinearem — et super petram — glossa: id est patrem illorum — descriptas viderunt, totis viribus insecuti fuissent ». Ioachim: « petram », hoc ideo dicit, quia morum insignia, quae pater illorum eisdem credidit observanda, ipse pater in se perfectissime adimplevit.

Verum quia haec prophetia beatum Franciscum nominat sub nomine petrae et in principio et nunc in fine, est sciendum, quod beatus Franciscus, ultra expositionem Ioachim supra positam et nunc praemissam, potest dici petra: primo, quia ad litteram filius fuit Petri Bernardonis; unde a patre Petro potest petra nuncupari, quia Petrus et petra idem sunt, Matth. 16, 18; secundo, petra dicitur, quia imitator perfectissimus Christi, qui est petra, I Cor. 10, 4, similiter et beati Petri, qui petra est, Matth. 16, 18, quia ipse vitam Christi, Petri et aliorum prosecutus est perfectissime apostolorum, prout dicit Nicolaus papa III in regulae declaratione [1]; tertio, dicitur petra, quia petrae, id est ecclesiae firmissime adhaerens; promisit « obedientiam et reverentiam domino papae », ut dicit regula in principio, fidem ecclesiae tenuit, ut de eo cantatur [2], et pro eius fide ter mori voluit; quarto dicitur petra, quia ipse, ut dixit sibi Christus, directus ab eo erat ut reformator terrestris ecclesiae et sic petrae. Sic praefatis de causis potest dici beatus Franciscus petra. Sed haec petra appellatur primo durissima, quia firmissimus fuit in inceptis; — secundo, de valle virginis, quia beatae Virgini devotissimus; — tertio, fortis, contra diabolum et eius tentationes superando; — quarto, firma, scilicet in fide; — quinto, quadra, nullo affectu terrenorum declinans; — sexto, lata, virtutum et meritorum praerogativis; — septimo, polita, gratiae plenitudine; — octavo, alba, innocentia decorata; — nono, munda, ab omni peccato abstersa usque ad quadrantem novissimum; — decimo, sancta, perfectionis ad apicem appropinquando, Deo copulata. Possent autem et aliter talia exponi, sed brevitati est insistendum. In capitulis praecedentibus ad istud huius prophetiae Cyrilli petra modis a praefatis aliter vocitata beatus Franciscus nuncupatur, ut statim patebit.

Subdit prophetia: « Nedum sexaginta, sed etiam centum sextarios in apothecis egregie collocassent ». — Glossa: id est in caelestibus stationibus; — Ioachim: « cen-

(*a*) Codex *exspectassent*.

[1] In bulla « Exiit qui seminat ». — [2] In ant. 1 ad primas vesperas sui festi.

tum » quasi aureolam martyrum summorumque praedicatorum asseculi fuissent; etenim, qui bene regularem modestiam observaverint, quae in mentis et corporis castitate, obedientia prompta, paupertate voluntaria, vigilantia assidua, parcitate discreta, silentio irrefragabili, humilitate perfecta consistit, audeo dicere, quod pluribus martyribus, qui brevi martyrio ex hac vita migrarunt, egregie praeferuntur; laudabilis quidem vita religiosa, si recta, et valde vituperabilis, si iniqua vel prava; quia neutrum mundum acquirit ad votum. Est autem recta vita religiosa in omnibus et per omnia, si mentis humilitas, a qua cuncta bona procedunt et quam innumeri mentiuntur habere, interius conservetur, et cordis elatio, a qua cuncta mala nascuntur, quam et innumeri videntur abiicere, sed falluntur, de foris expellatur.

Et concludit prophetia: « Felix qui munde — glossa: scilicet coniugatus vel simplex — collegerit sextarios triginta ex area — Ioachim: felix qui castitatem matrimonialem illibatam servaverit —, hic non invidebit superbis cornutis a tergo » — glossa: id est religiosis, qui caputiorum cornua portant post tergum —. Haec Cyrillus; quibus patet, quomodo a Deo et eo, scilicet Cyrillo, qualis esset futurus, beatus Franciscus et suus ordo exstitit declaratus.

Idem quoque Cyrillus beatum Franciscum in capitulo 5, in versu illo: « Tunc empligadis evigilabit (*a*) » etc. vocat petram durissimam; item in capitulo 6, in parte illa: « Tunc palam » etc. vocat beatum Franciscum lapidem insecabilem; hoc, quia a sanctae paupertatis formula et caritate nunquam scindi potuit aut separari seu in minimo elongari; et in omnibus praedictis locis semper loquendo de petra seu lapide, de quo dictum est supra in prophetia, capitulo 8, teste Ioachim de beato Francisco loquitur. Sed in capitulo 7, in parte illa « Ne obliviscaris filios » etc., ibi beatum Franciscum vocat petram « oleo litam nidifluo », ubi abbas Ioachim in glossa inquit: « Ne obliviscaris etc.; hic tangit quorundam religiosorum persecutionem; et sequitur: Hi sunt filii petrae oleo litae nidifluo; — haec est petra, quae in superioribus durissima, ut puto, et insecabilis appellatur, cuius filii viam et sanctitatem deserentes paternam acerbissime punientur cum aliis quibusdam plectendis, sed non totaliter destruentur; excessus quidem sanctitatis in patre merebitur, ut usque ad iudicii tempora filii eius, quamquam pravi, perdurent; secabuntur tamen, id est dividentur quam plurimi a statu illorum, maxime qui vitae reprehensibilis fuerint. O quam gauderem, si tantum patrem cum filiis mererer videre. Ceteri vero religiosi in coccito manebunt, ut littera innuit; coccitus quidem luctus interpretatur, quod dissipationem insinuat »; haec Ioachim. Beatus Franciscus « petra oleo lita » potest vere nuncupari, quia Spiritus sancti donis et gratiis copiose inunctus, sed « nidifluo », quia Spiritus sancti oleo et dono influxit largiter ad tres nidos, id est tres ordines faciendos, qui oleo sancti Spiritus inuncti et sanctificati exstiterunt. Hac ergo prophetia Cyrilli apparet excellentia beati Francisci; apparet, quid suus ordo in principio fuit, quid erit in medio et eius fine quoad mores; demum apparet iuxta beati Francisci revelata, quod ordo Minorum usque ad diem iudicii perseverabit [1].

Septimo, fuit beatus Franciscus declaratus et eius ordo venturus et praeclara per ipsum ordinem fienda per abbatem Ioachim [2], qui fuit etiam, ut praefatus Cyrillus,

(*a*) N, R et edd. *eiulabit.*

[1] Cfr. pag. 53 not. 5. — [2] De abbate *Ioachim de Floris,* eiusque influxu in ordinem fratrum Minorum plura dicta sunt in introductione.

per tempora ante beatum Franciscum. Hic abbas Ioachim, cuius opera sunt per ecclesiam approbata, libro excepto, quem edidit contra magistrum Petrum Lombardum [1], de beato Francisco et eius ordine loquens in libro, quem edidit *Concordiae* [2], sic dicit inter alia: « Erunt duo viri, unus hinc, alius inde, qui duo ordines interpretantur, unus Italus, scilicet de Thuscia, et alter Hispanus, primus columbinus, secundus corvinus; et post istos duos ordines veniet alter ordo saccis vestitus, sub cuius tempore apparebit filius iniquitatis, qui dicitur antichristus ». Et sequitur: « Brevissimum est tempus illius, scilicet tertii ordinis, sicut brevissimi sunt dies antichristi successoris sui; ordo enim columbinus usque ad novissima tempora duraturus per mare aquilonare transibit, aspera pascua gustabit; regina austri proteget et fovebit eum in amaritudine sua; flumen Euphraten transibit et undam et impetum eius sua praedicatione mitigabit; aspera reducentur in planum in sermone eius. Terra salsuginis, id est Aegypti, ad Dominum convertetur per eum; in eadem terra secure evangelium praedicabit; multae gentes per ipsum ordinem ad Dominum convertentur; gens idololatra, cuius lingua ignorabitur, quae de finibus terrae veniens, missa a Deo in adiutorium terrae promissionis, et ut ipsa agnoscat Deum Patrem omnipotentem et Filium eius unicum Dominum nostrum Iesum Christum, ad fidem catholicam convertetur. Futurum est enim, quod ordo columbinus viriliter se opponat contra mortis angelum et contra eum praedicando; plures et maxima multitudo de filiis ipsius ordinis martyrio ad Dominum transibunt; sicut dictum est per David prophetam, Ps. 78, 2: *Posuerunt mortalia servorum tuorum escam volatilibus caeli, carnes sanctorum tuorum bestiis terrae.* Gaudebunt in canticis suis, id est praedicatione, *omnes tribus terrae* [3], et gens immunda Machumetica, quae remanebit, et hi, qui residui erunt, ad Dominum convertentur ». Quibus verbis apparet, quomodo tam de ordine quam de ipso capite est prophetatum; patet etiam, quando erit voluntas Domini, quod contra Machumeth stella, id est ordo Minorum, praevalebit, ut dicebat Sibylla in ultima parte suae prophetiae superius positae. De permanentia ordinis usque ad diem iudicii dictum est supra [4] in expositione prophetiae Cyrilli, et beato Francisco fuit a Deo, ut dicit *Legenda antiqua* [5], revelatum.

Et subdit Ioachim: « Hirudo (*a*) turpissima et venenosissima clericorum iniquitas opponet se contra ordinem columbinum, et ipsum calcare et calcitrare tentabunt nec poterunt; Dominus enim visitat ipsum ordinem et conservat et gubernat in necessitatibus et laboribus suis; mansio ipsius ordinis et habitatio solidata est in angulo sanctitatis et aeternae stabilitatis. Item, ordo corvinus opponet se contra ordinem columbinum per invidiam manifestam et clamabit contra eundem ordinem in impetu et furore. *Raucae sunt factae* [6] voces eius, more utique corvino. Hi sunt, de quibus dictum est in evangelio Domini [7]: *Cavete vobis a falsis prophetis.* Multa et diversa dicenda sunt de ipso ordine et aliis ordinibus et ecclesia fornicaria et meretrice, quae praetermitto ».

(*a*) Codex: *Hirundo.*

---

[1] Cfr. Mansi, *Sacrorum conciliorum nova et amplissima collectio,* t. XXII pag. 982. — [2] *Liber concordiae novi ac veteris testamenti,* Venetiis 1519. — [3] Cfr. Ps. 95, 12; I Mach. 13, 51; Ps. 71, 17. — [4] Pag. 52. — [5] *Legenda antiqua* (ed. Minocchi) c. 77 pag. 179; cfr. II Cel. 3, 94 et *Speculum perfectionis* (ed. Sabatier) c. 81. — [6] Ps. 68, 4. — [7] Matth. 7, 15.

Et subdit: « Ordo vero corvinus tempore pseudoprophetae annullabitur, quia tempore persecutionis elongabitur a Petri navicula durissime fluctuante, quia, quando gallus legitimus erit debilis in cantu, tunc ordo corvinus erit contumax et rebellis; scriptum est enim in evangelio Domini [1]: *Qui non est mecum, contra me est* ». Haec Ioachim [2].

Et idem libro *Concordiae* V [3], sic dicit, exponens illud, quod die sexto dixit Deus [4], ut terra produceret animam viventem: *Et creavit Deus hominem ad imaginem* etc., inquit: « Creavit in hoc sexto die in ordine laicorum novas species religionis, quae omnes in adiutorium clericorum et monachorum creatae sunt a Domino »; et subdit: « Quod autem, omnibus completis, ad ultimum in die sexto creatus est homo, qui *praesit piscibus* [5] etc.; futurum est enim, ut ordo unus convaleat in terra, *similis* Ioseph et Salomonis, ipsius quoque *Filii hominis* [6], cui etiam similis dictus est a propheta, quia in ipso et per ipsum et secundum ipsum formatus est, qui in omnibus ordinibus, qui a tempore quinto clarere coeperunt, praelatus erit gloria et dignitate; et ipse subiiciet bestias et omnem terram, ut compleatur in eo promissio psalmistae dicentis [7]: *Et dominabitur a mari usque ad mare et a flumine usque ad terminos orbis terrarum.* Ipse est ille populus sanctorum, de quo dixit angelus Danieli [8]: *Regnum autem et potestas et magnitudo regni, quae est subter omne caelum, dabitur populo sanctorum Altissimi.* Hic est populus ille sanctus, ordo scilicet iustorum circa finem futurus, de quo in typo Salomonis dictum est a Domino per Nathan prophetam [9]: *Ego ero illi in patrem, et ipse erit mihi in filium,* quae non solum de Filio Dei intelligenda sunt, sed de illis sanctis hominibus circa finem futuris, qui secuturi sunt ad integrum vestigia eius »; et plura dicit ibidem. Sed quod abbas Ioachim intelligat de ordine Francisci, patet, quia ipse solus prae aliis sequitur vestigia Christi, quia regula et vita fratrum Minorum est vita Domini nostri Iesu Christi, observare sanctum evangelium etc. Insuper beatus Franciscus primo vita, demum passione factus est ad imaginem et similitudinem Iesu Christi crucifixi.

Idem abbas Ioachim de ordine beati Francisci et Dominici loquitur expresse in *expositione Ieremiae* [10] in prologo, capitulo 1, super illud [11]: *Verba Ieremiae, filii Helciae* etc., et eodem capitulo super illud: *Noli dicere, quia puer ego sum;* post multa sic inquit [12]: « Sicut olim elegit Deus patres seniores, secundo apostolos iuniores, ita etiam nunc tertio pueros eliget ad litteram, ad praedicandum regni evangelium et excutiendum Loth in ipsis pueris fidelibus per Abraham summum pontificem, populum scilicet christianum in fluentis caduci saeculi, scilicet tabescentem conversantemque cum filiis sceleratis. Sed et pueri Hebraeorum in huiusmodi pueris designati, vestes et spolia saeculi in cultum divinum abiiciunt, id est non ponunt arbores et ramos arborum, id est iustorum doctrinas, et vites, immo propagines de saecularibus auferunt, ferentes flores munditiae et palmas victoriae, qua mundum calcant, diabolum superant, carnem frenant, in iustitiae operibus excolendo gratias

[1] Matth. 12, 30. — [2] Verba hucusque posita (a « Erunt duo viri »), quae desunt in dicta editione, Pisanus ex codice interpolato desumsisse videtur; cfr. introductionem. — [3] C. 18 (fol. 69 v). — [4] Gen. 1, 27. — [5] Gen. 1, 26 Sequentia etiam in Archiv l. c. p. 106. — [6] Dan. 3, 92. — [7] Ps. 71, 8. — [8] Dan. 7, 27. — [9] II Reg. 7, 14. — [10] *Interpretatio preclara Abbatis Ioachim in Hieremiam Prophetam,* Venetiis 1525. De hac expositione, quam Friderich aliique apocrypham habent, cfr. introductionem. — [11] Ier. 1, 1 et 6. — [12] Fol. 1 v in fine.

et laudes agunt Domino Abrahae Patri caelesti excelso, qui a filo subtegminis usque ad corrigiam caligae de his, quae ad iustitiam pertinent, veritatem impugnantibus non dimittunt. Ex ore siquidem horum praedicatio laudis perficitur, dum non aliud ore nuntiatur, quam in conversatione demonstrant. Hi sunt columba, quam Spiritus sanctus, alter Noe, qui requies dicitur, propter tribulationum impetus, quibus mundus fornicator absumitur, emisit et emittet ex arca, ut cessantibus aquis diluvii gentium futurarum, quae ad sublevandam arcam contemplantis ecclesiae in sublime conveniant ». Et subdit: « Itemque ad convertendos infideles in sua caecitate relictos et operiendam terram scientia Domini quantocius remittendos, ut sicut per Moysen et Iosue Chananaeos Deus Israelitis subiecit, christianis per Paulum et evangelistam Ioannem idololatras stravit, sic et nunc per duos ordines futuros significatos in illis gentes incredulas subigat et convertat ».

Idem de praedictis ordinibus loquitur super illud [1]: *Ollam succensam ego video;* de istis ordinibus loquitur super illud [2]: *Ecce ego congregabo* omnes reges *Aquilonis,* et super illud [3]: *Quasi tempestas currus eius,* capitulo 4, ubi inquit: « In puero, inquit, nobili et ignobili duo notantur ordines affuturi, quemadmodum in Caleph et Iosue, in Manasse et Ephraim, in Moyse et Aaron, in Ioanne et Christo, in Elia et Eliseo, in Paulo et Barnaba, in duobus exploratoribus Iericho, in quibus, qui missi sunt ad solvendum asinam alligatam, et in duobus euntibus in Emmaus et in duobus angelis missis ad subvertendum Sodomam et Gomorrham (*a*) »; et subdit: « Isti sunt equi et quadrigae Aminadab, immo Zachariae, immo Christi, immo spiritus veritatis; nam quandoque assimilantur in curribus Pharaonis, ubi sunt equi nigri, aliquando in curribus Eliae, ubi sunt equi ignei, qui et rubei, aliquando in curribus eunuchi reginae Candacis, ubi equi albi; aliquando in curribus Dei, ubi equi varii; inde *currus Dei decem* millium *multiplex* [4], ubi varietas. Isti sunt omnes fortes quoad fidem, quoad tribulationem sustinendam varii, quoad praedicationem vel religionem multiplices, quemadmodum in corvo et columba, quia et ille totus niger, et illa varia, id est mixta.

Et subdit post multa comparans istas religiones ad invicem sic inquiens [5]: « Corvus est niger, gravis, cadavera diligit, vocem grandem habet; econtra columba agilis, varia, cavet a cadaveribus, gemitum habet pro cantu, in cunctis varietas. Praedicatores illi erunt nigri tristitia cordis, non mundi, graves vita, loquaces doctrina, proximi compassione benigni. Columba fecundior prole varia est pennis virtutum, agilis in obedientia, grano electarum pascitur scripturarum, pro cantu praedicationis lamentationem de peccatis et desiderium patriae caelestis habet. Sic et Ioannes niger est in esca, quae est locusta, gravis in vita, viperarum genimina fugiebat, baptismum poenitentiae praedicabat, ecce (*b*) corvus. Econtra Iesus filiis spiritualibus inhians, varius in virtute signorum, agilis in Patris exsecutione operum, granis utens doctrinis celebribus, pro cantu laetitiae gemitum tristitiae in anima reportavit ». Et plura multum pulchra dicit de istis ordinibus, ad propositum plures sacrae scripturae figuras adducendo.

De istis etiam duobus ordinibus loquitur in cap. 12, super illud [6]: *Nunquid avis discolor hereditas mea,* aut *avis tincta per totum?* cap. etiam 13 super illud [7]:

(*a*) As et edd. om. *et Gomorrham.* — (*b*) Codex *ecclesiae.*

[1] Ier. 1, 13. — [2] Ier. 31, 8. — [3] Ier. 4, 13; *Exp.* fol. 12 v. — [4] Ps. 67, 18. — [5] C. 4 (fol. 13 r). — [6] Ier. 12, 9; *Exp.* fol. 13 v. — [7] Ier. 13, 4 et 21; *Exp.* fol. 14 v.

Tolle lumbare etc., et cap. eodem super illud [1]: *Nunquid, Domine, dolores parturientis apprehendent te?* De praedictis et eodem modo etiam loquitur cap. 16 super illud [2]: *Factum est verbum Domini ad Ieremiam: non accipias uxorem* etc., et quasi per totum capitulum; et cap. 20 super illud [3]: *Quare de vulva egressus sum?* et cap. 21 super illud [4]: *Ecce ego ad te, habitatricem vallis.* In praefatis ergo locis abbas Ioachim loquitur de praedictis ordinibus Francisci et Dominici, quibus verbis Ioachim apparet, quod supra est dictum, beatum Franciscum in veteri testamento fuisse multipliciter figuratum, quod signanter est notandum, ne frustra ista conformitas et fructus esse posita videantur. Sic ergo apparet, quomodo beatus Franciscus fuit per ipsum Ioachim futurus declaratus; et non solum abbas Ioachim beatum Franciscum praenuntiavit venturum verbo, sed etiam opere, quia eum depingi fecit in ecclesia sancti Marci de Venetiis super ostium sacristiae cum stigmatibus, sicut cernentibus hodierna die clarere potest (*a*), et hoc opere mosaico [5].

Octavo, beatus Franciscus fuit per quendam abbatem in partibus ultramarinis habentem spiritum propheticum declaratus; qui beatum Franciscum praedixit venturum, et de eius sanctitate et fratrum multa praedicens mandavit suis monachis, quod si quando in partibus illis fratres beati Francisci vel ipsum beatum Franciscum viderent, cum cruce et omni reverentia praecedere deberent [6]. Et sic fuit factum, beato Francisco cum duodecim sociis mare transito ad Soldanum pergente, ut dicit *Legenda antiqua* [7].

Nono, beatus Franciscus declaratus fuit per angelum in specie peregrini suae matri et nutrici, qualis esset futurus; nam, beato Francisco nato, peregrinus quidam ad domum patris beati Francisci accessit, et petita eleemosyna, puerum natum petiit videre, et cum nutrix nollet, mandato dominae Picae, matris beati Francisci, puerum ipsum eidem peregrino videndum obtulit, qui ipsum amplexatus benedixit et, ut dicitur, in humero dextro signum crucis impressit et tunc dixit astantibus: « In vico isto hodie nati sunt duo pueri, iste et unus alius. Iste erit de melioribus hominibus de mundo, sed alius de peioribus »; et dixit, quod beatus Franciscus propter insidias diaboli bene custodiretur, quo dicto statim ipse peregrinus disparuit [8].

Decimo, beatus Franciscus fuit declaratus, qualis esset futurus, per quendam virum simplicem de Assisio, prout dicit dominus frater Bonaventura in *Legenda maiori*,

(*a*) As, N, R et edd. *clare apparet.*

[1] Ier. 16, 1, 2; *Exp.* fol. 17 r. — [2] Ier. 16, 2; *Exp.* fol. 33 v. — [3] Ier. 20, 18; *Exp.* fol. 45 v. — [4] Ier. 21, 13; *Exp.* 48 r. — [5] Errat cum aliis Pisanus, imago sancti Francisci est temporis posterioris; cfr. *Acta Sanctorum,* maii t. VII pag. 141 et Meschinello, *Chiesa Ducale di S. Marco,* t. II p. 45. — [6] Apud Gerardum de Fracheto O. P. (*Vitas Fratrum,* p. I c. 2) eadem prophetia ab abbate Ioachim de S. Dominico facta refertur: « Ioachim abbas, inquit, de ipso ordine Praedicatorum in multis libris et in multis locis scripsit; et describens ordinem et habitum monuit fratres suos, ut post mortem suam, cum talis ordo exsurgeret, susciperent eum devote; quod et fecerunt recipientes fratres cum cruce et processione, quando primo venerunt ad eos ». Apud Marianum Florentinum prophetia attribuitur abbati « di *Montagna Nera* in Siria presso la famosa ciptà di Antiochia a sette miglia, dove era una famosa abbadia con monaci di *sancto Basilio* »; ex Cod. Strozzi XXXVIII. 99 bibl. Nationalis Florentinae fol. 16 (cfr. Sabatier, *Bartholi* pag. CXXX et 145). — [7] L. c. c. 13 sermo est de S. Francisci itinere in orientem (cfr. *Actus* c. 27), at nulla fit mentio de re hic a Pisano relata. — [8] Cfr. infra fr. IV p. 2 in principio.

parte I [1], qui beato Francisco adhuc saeculari eunti per civitatem, eidem obviando, deponebat pallium, tergebat viam et sternebat ipsius pedibus vestimentum; et cum interrogaretur, quare sic ageret, asserebat beatum Franciscum omni reverentia dignum, utpote qui in proximo esset magna facturus, et ob hoc ab universitate fidelium magnifice honorandus.

Undecimo, beatus Franciscus, qualis esset futurus, declaratus fuit a sua matre, prout narrat frater Thomas de Celano in *Legenda beati Francisci* [2]. Nam Francisci adhuc exsistentis in habitu saeculari magnanimitatem et morum honestatem admirantibus convicinis, ipsa beati Francisci mater divinitus instructa dixit: « Quid putatis iste filius meus erit? meritorum [3] gratia Dei filium ipsum noveritis affuturum ».

Duodecimo, beatus Franciscus, qualis esset futurus, ostensus fuit sacerdoti Silvestro in visione illa, de qua dictum est supra [4] de dracone et de cruce aurea ex ore beati Francisci procedente, quam conspexit; qua visione ter sibi demonstrata, mundum relinquens, habitu, professione et imitatione beato Francisco adhaesit.

Tertiodecimo, declaratus fuit beatus Franciscus, quid esset peracturus in fidelium cordibus, regi versuum et laureato, fratri Pacifico, in habitu adhuc saeculari degenti, qui beatum Franciscum reperiens praedicantem apud castrum Sancti Severini de Marchia, super ipsum Domini manu facta vidit praedicatorem crucis beatum Franciscum duobus ensibus valde fulgentibus in modum crucis signatum, quorum unus a capite ad pedes, alius a manu in manum per pectus transversaliter tendebatur; qui beatum Franciscum non noscens, attamen tanto viso miraculo et verbis eius compunctus, mundum abdicans, eidem patri cohaesit, quem ab inquietudine mundi ad Christum conversum sanctus Franciscus fratrem Pacificum censuit appellandum. Hic temporis processu in omni proficiens sanctitate, *Thau* meruit videre in facie beati Francisci, quod colorum varietate distinctum (*a*) eius faciem miro venustabat ornatu [5].

Decimoquarto, qualis esset beatus Franciscus futurus, declaratus fuit a Deo domino papae Innocentio III, qui in somnis videbat Lateranensem ecclesiam ruinae fore iam proximam, quam ipse beatus Franciscus pauperculus, modicus et despectus, proprio dorso submisso, ne caderet, sustentabat; et tunc cognovit, quod beatus Franciscus erat ille missus a Deo, qui opere et doctrina Christi sustentaret ecclesiam [6].

Decimoquinto, fuit declaratus suis duodecim sociis, regula prima iam habita, qualis esset ipse beatus Franciscus, qui absentatus ab ipsis circa mediam noctis horam in curru igneo transfiguratus apparuit; ad quod secutum est illud mirabile, ut virtute talis luminis, quo beatus Franciscus transfiguratus apparuit, alterius alteri conscientia nuda fuit, et quod, ut « veri Israelitae post ipsum incederent, qui virorum spiritualium, ut alter Elias, factus fuerat a Deo currus et auriga [7] ».

Decimosexto, fuit fratri Leoni, qualis esset (*b*) beatus Franciscus, multipliciter declaratus sursum elevationibus in Deum et divinis ad beatum Franciscum locutionibus, contemplatione Iesu beatum Franciscum praecedentis in cruce aurea fulgentissima, ut infra suis dicetur in locis; sed praecipue hoc obtinuit, dum semel frater Leo staret

(*a*) As, N, R et edd. *depictum*. — (*b*) As, N, R et edd. addunt *futurus*.

[1] L. c. c. 1 n. 1. — [2] II Cel. 1, 1. — [3] Rinaldi et Amoni *multorum*, Rosedale *meritorum* — [4] Pag. 43. — [5] II Cel. 3, 49; Bonav. l. c. c. 4 n. 9. — [6] Bonav. l. c. c. 3 n. 10. — [7] Bonav. l. c. c. 4 n. 4.

cum beato Francisco, vidit chartam de caelo descendentem super beatum Franciscum scriptam: *Hic est gratia Dei*, quae charta rediit in caelum a fratre Leone perlecta [1].

Decimoseptimo, beatus Franciscus fuit declaratus cuidam nobili, quem in fratrem ipse beatus pater habere optabat; pro quo orans beatus Franciscus dictus nobilis vidit Christum loquentem cum beato Francisco, et ipsum beatum patrem tam corpore quam mente a terra elevatum. Quo viso, statim ad beatum Franciscum homo cucurrit cunctaque dimittens factus est frater Minor devotissimus, ut sanctus pater flagrarat [2].

Decimooctavo, fuit beatus Franciscus, qualis esset futurus, daemonibus declaratus; nam ut habetur in *Legenda antiqua* [3], in miraculo de quodam daemoniaco (*a*) a beato Francisco liberato, ipse diabolus interrogatus de sanctitate beati Francisci, antequam ipse beatus pater, ubi erat ipse invasus, accederet, a sacerdote et aliis, inter alia dixit, quod in hora nativitatis beati Francisci tanta facta est in inferno commotio, quod omnes crediderunt, iudicium futurum advenisse, et tandem videntes, quod iudicium non parabatur, dixerunt pro certo aliquem esse natum, qui ipsum commoveret infernum et destrueret; et tunc a principe tenebrarum missi in omnem terram, hunc beatum Franciscum natum illa hora repererunt, pro certo tenentes per ipsum fore eos et suos destruendos, sicut fructu III et conformitate plenius dicetur.

Decimonono, beatus Franciscus fuit declaratus sancto Dominico de ordine Praedicatorum; qui cum beato Francisco se Romae reperiens, in mutuos ruentes amplexus, sanctus Dominicus chordam petens beati Francisci, cum impetrasset et a beato Francisco recessisset, dixit pluribus, qui aderant: « In veritate dico vobis, hunc virum sanctum Franciscum ceteri religiosi sequi deberent, tanta est suae sanctitatis perfectio [4] ». Declaratus etiam fuit beatus Franciscus beato Dominico in capitulo generali celebrato per beatum Franciscum apud Assisium, in quo, cum essent ultra quinque millia fratrum, ipse beatus Dominicus cum pluribus ex suis affuit fratribus, ubi divinam providentiam agnovit circa fratres adesse meritis beati Francisci, cum tot fratribus nihil habentibus nec de victu cogitantibus, subito divina providentia omnia ministravit copiose; propter quod ipse beatus Dominicus dicere habuit: « Vere Dominus habet curam de istis pauperculis sanctis, et ego nesciebam [5] ».

Vigesimo, fuit beatus Franciscus declaratus domino Gregorio IX, tunc Ostiensi episcopo, cui beatus Franciscus praedixit eum futurum summum Pontificem, ad quem ipse habuit summam devotionem, cui ipse dixit: « Francisce, fili, quod bonum est in oculis tuis fac, quia Dominus tecum est [6] ». Alteri etiam cardinali fuit beatus Franciscus cognitus et declaratus, qui cum a beato Francisco de obscuris sermonibus interrogasset solutionem, et beatus Franciscus profundissime respondisset, dixit ad eum cardinalis: « Ego te non interrogo tanquam litteratum, sed tanquam hominem ha-

(*a*) Codex *monacho*.

[1] Cfr. *Verba fratris Conradi*, c. 7 (in Opuscules de critique historique, t. I pag. 380) et cod. ms. Collegii S. Antonii (cfr. introductionem huius tomi) fol. 53 r; in primo loco non referuntur verba in charta illa scripta. — [2] Cfr. *Fioretti* (ed. Amoni) c. 37; textus latinus huius capituli in cod. Kast 4 plut. C n. 2 bibl. univ. Rheno-Traiectinae (ex *Anal. Bolland.* t. XXI pag. 443). — [3] In « legenda antiqua », quam edidit Minocchi, invenitur solum caput 22, quod aliqualiter huc referri potest; magis convenit relatio, quae exstat in *Chronicis XXIV generalium* pag. 27. — [4] II Cel. 3, 86 et 87. — [5] *Actus* c. 29. — [6] II Cel. 3, 19.

bentem spiritum Dei, et tuae responsionis intellectum ideo libenter accipio, quoniam scio ipsum a solo Deo procedere [1] ».

Vigesimo primo, fuit declaratus uni sacrae theologiae magistro de ordine Praedicatorum apud Senas, qui cum beatum Franciscum interrogasset de quodam passu sacrae scripturae, a beato Francisco responsum de praedictis reportavit, cum reseratione sui cordis nulli palam facta (*a*) secretorum, qui stupore vehementi admiratus theologiam beati patris et spiritum specialiter commendavit [2].

Vigesimo secundo, cognitus et declaratus est domino Bernardo de Quintavalle prudentiori, nobiliori et ditiori de Assisio, qui beati Francisci perfectione agnita, omnia vendendo et pauperibus dando, prius nihil sibi servando, primus prae aliis beati Francisci factus est frater et filius spiritualis.

Vigesimo tertio, fuit beatus Franciscus fratri Aegidio declaratus, a quo cum fratres quaererent, quid sentiret de beato Francisco, respondit totus inflammatus ex auditu beati Francisci dicens: « Ille homo, beatus Franciscus, nunquam deberet nominari, quin homo prae gaudio lamberet labia sua; tantummodo sibi defuit unum, scilicet corporis fortitudo; si enim habuisset tale corpus, quale ego habeo, scilicet ita robustum, proculdubio totus mundus eum sequi minime potuisset [3] ».

Vigesimo quarto, fuit beatus Franciscus beatae Clarae declaratus, cuius monitu et praedicatione dimissis omnibus, quae sunt mundi, aeterno sponso est iuncta; nec id solum effecit, sed verbo Francisci de Iesu praedicantis, adeo fuit in bono firmata, ut nulla tribulatio seu angustia (*b*) demum sibi gravis aut difficilis ad ferendum fuerit.

Vigesimo quinto, fuit beatus Franciscus fratri Morico, prius de ordine Cruciferorum, sed post de ordine Minorum, declaratus, qui, cum morbo gravissimo laboraret, supplex per internuntium factus Francisco, ut pro se Dominum exoraret, antidoto a beato Francisco confecto eiusque prece statim ab omni fuit infirmitate liberatus (*c*) [4].

Vigesimo sexto, fuit beatus Franciscus ministris pluribus provincialibus, dum conderet ultimam regulam, declaratus, quibus coram verbis beati Francisci Iesus inclinatus suam intentionem sic esse de regula observanda eiusque se censuit conditorem coram praefatis et non beatum Franciscum acclamavit [5].

Vigesimo septimo, fuit beatus Franciscus agnitus et declaratus fratribus consociis, quorum conscientias et secreta agnovit, ut patet de fratre Massaeo, fratre Leonardo de Assisio et fratre Riccerio et de aliis pluribus, de quibus dicetur fructu et conformitate XVIII et XXVI.

Vigesimo octavo, fuit beatus Franciscus medico declaratus, cuius esset virtutis, qui ignem crepitantem a parte capitis ad aliam cocturam pertrahendo, nullam vidit ab igne molestiam beato patri inferri [6]; et demum capilli beati Francisci positi intra scissuram suae domus de sero, de mane reperit eam totaliter coadunasse [7].

Vigesimo nono, fuit beatus Franciscus abbati sancti Iustini declaratus, qui eius oratione prae solito consolationem persensit spiritus [8]. Idemque episcopo Assisinati,

(*a*) Codex et As *facto*. — (*b*) As, N, R et edd. *adversitas*. — (*c*) As, N, R et edd. *curatus*.

[1] II Cel. 3, 47. — [2] II Cel. 3, 46. — [3] Quae alio loco non invenimus; cfr. *Dicta beati Aegidii* (Bibl. asc. franc. t. III), pag. 108. — [4] Bonav. l. c. c. 4 n. 8. — [5] Leo, *Verba S. P. Francisci* n. 4 (in Docum. ant. franc. t. I pag. 101); cfr. *Speculum perfectionis* c. I. — [6] II Cel. 3, 102; Bonav. l. c. c. 5 n. 9. — [7] Bonav. l. c. c. 7 n. 11. — [8] II Cel. 3, 44.

qui praecipitanter beati Francisci cellam ingrediens linguam cum viribus amisit, sed poenitens deinde recuperavit [1]. Similiter soldano fuit beatus Franciscus declaratus, qui ad ipsum summam concepit devotionem et tandem ipsius meritis regeneratus in Christo est salvatus [2].

Trigesimo, fuit beatus Franciscus agnitus et declaratus omnibus generibus creaturarum, qualis esset, videlicet mari, igni, aeri, terrae, angelis bonis, daemonibus, praelatis ecclesiae, regibus, principibus, hominibus aliis, mulieribus, animalibus brutis, volatilibus, natatilibus, ferocibus, arboribus et plantis, ut suis infra in locis dicetur, et specialiter fructu et conformitate XIII, ut de ipso beato Francisco tam ante ortum quam in ortu et post ortum declarato et agnito dicere possimus cum Psalmo 92, 5: *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis. Celebre factum est nomen eius,* I Reg. 18, 30. Unde beatus Franciscus potest dicere illud Ezech. 38, 23: *Et magnificabor et sanctificabor et notus ero in oculis gentium multarum;* nam *nomen eius vulgatum est in omni terra,* Iosue, 6, 27, ad laudem Christi Iesu Redemptoris nostri. Amen.

SECUNDUS FRUCTUS ET CONFORMITAS:

Iesus Emissus Caelitus — Franciscus Destinatur.

Expositio primae partis, videlicet: Iesus emissus caelitus.

1. Deitas illa superna, cuius omnipotentia de non esse ad esse, cuius clementia et bonitate in esse sumus, cuius misericordia sustentamur, cuius liberalitate dona tam naturae quam gratiae assidue percipimus, cuius gratuita pietate nostris condescendit indignis precibus, cuius sapientia omnia moderantur et ordinantur, cuius abundantia in bonis et affluentia humanum genus in sui exordio est multipliciter adornatum, ordinatum et mirificatum, non solum testimonio psalmistae dicentis Ps. 8, 6 sqq.: *Minuisti eum paulo minus ab angelis, gloria et honore coronasti eum et constituisti eum super opera manuum tuarum; omnia subiecisti sub pedibus eius, oves et boves universas, insuper et pecora campi,* verum hoc ostenditur, si attenditur, quid Deus hominem condendo eidem exhibuit et donavit. Ipsum enim primum hominem primo creavit ad suam imaginem et similitudinem; secundo, in paradiso amoenissima collocavit; tertio, scientia omnium illustravit; quarto, dominium super omnia condonavit; quinto, in aetate florida formavit; sexto, iustitia originali adornavit; septimo, deliciis omnium constipavit; octavo, consortio angelorum collocavit; nono, sui, scilicet Dei, singulari cognitione praedotavit; decimo, immortalitatem, si vellet, concessit; undecimo, liberum arbitrium, quo posset stare, indidit; duodecimo, firma sponsione, si staret et obediret, vitam aeternam se daturum eidem repromisit et sibi in petitis adesse spopondit; quibus et aliis primis parentibus exhibitis, liberalitas Dei ad hominem et genus humanum veraciter declaratur. Verum quia homo probari decebat a Deo, si Deo pro impensis gratus exsisteret, si aeterna potius quam temporalia quaereret, si Creatorem, a quo factus erat, diligeret, inhaereret et eius imperio subdi vellet, si armis liberi arbitrii fretus sciret se custodire et ab hoste defendere, si per merita caelum adire studeret, et si spiritualis potius optaret esse quam carnalis; post praefata homini a Deo magnifice collata ad eum probandum in iam dictis, praecepta non gravia sed levia, non spernenda sed toto posse capienda et adim-

---

[1] II Cel. 3, 43. — [2] *Actus* c. 27.

plenda, utpote, quia *in custodiendis illis retributio multa* [1], homini a Deo sunt data. Sed homo parvipendens Creatoris imperium, non attendens suae creationis initium, aut suae mentis insignium, hostis maligni desiderium, carnis pravum dominium, vel caelestis patriae praemium, prudentiae cuiusque consilium ac suum liberum arbitrium, quid egit, inquam? Fregit, contempsit, despexit et a se deiecit divinum mandatum, potius obsecundans carni quam spiritui, uxori quam Deo, diabolo quam conditori, appetitui bestiali quam rationali, parvissimo ac vilissimo et insipidissimo ligni esu. Cuius gustu homo Deum summe offendit, eum vilipendendo, despiciendo, contemnendo et eius excellentiam appetendo; caelum sibi clausit, intellectum obscuravit, hebetavit ingenium, hereditate privavit aeterna, a paradiso se exclusit, elongavit ab angelis, diabolo pro servo se subdidit, donis se gratuitis spoliavit, iustitiam originalem amisit, genus humanum originali culpa foedavit, morti se tradidit, et ad inferna, quantum in se fuit, cum sua posteritate transmisit et deputavit. Quibus homo factus est de domino servus, de spirituali carnalis, de domestico Domini hostis et adversarius, de caelesti terrenus, de libero et soluto obligatus, de puro (*a*) infectus, de divite pauper, de caeli cive mundi accola, de sano infirmus, de virtuoso vitiosus (*b*), de homine bestia, de innoxio noxius, Deo pro se et tota sua posteritate debitor et obnoxius et ad satisfaciendum Deo multipliciter obligatus et deputatus, ob commissa, dimissa, admissa et amissa ab eo et per eum; et adeo factus impotens ad Deo satisfaciendum ob peccatum, quod nec pro se et sua posteritate, quam culpabiliter infecerat, quoquo modo valeret, loquendo stricte de satisfactione.

Quod enim, nec pro se aut sua posteritate de stricto rigore satisfacere nequiret, patet, primo quia, cum dicit venerabilis Anselmus libro *Cur Deus homo* c. 1 [2], quod satisfactio est redditio aequivalentis alias indebiti, nec aequivalens ad humanum genus et se ipsum reddere poterat; et cum Deo in actionibus ex collatis et in passionibus omnibus Deo ex peccato teneretur, aequivalens alias indebitum reddere non poterat, quod oportebat. Secundo, maculam, qua omnes infecerat et se, ab animabus nullo modo quibat removere, cum hoc Dei sit solius, qui, sicut animam per se creat, sic et mundat, ut Magister docet II sent. d. VII c. 9, et etiam Augustinus III *De Trin.* c. 5 [3]. Tertio, dominium rependere, quo se privavit, dominium, inquam, carnis ad spiritum per iustitiam originalem, qua perdita, recuperare se non potuit, et dominium, quo soli Deo esset cum suis subiectus, dominium insuper ad temporalia, ut omnia sibi succederent ad nutum et sine difficultate parerent. Quarto, debitum exsolvere, quod exigebatur; offenderat infinitum et si finite quoad actum, infinite quoad obiectum, et summe ipsum inhonoraverat, sibi creaturam praeponendo; quomodo ergo aliquid, quod Deo placeret, poterat exercere, sicut offensa displicuerat, et tantum de honore rependere, quantum amoverat? ac quod esset bonum tantum in se, sicut Dei offensa mala est comprobata? Quinto, diabolum subiicere, sub quo detinebatur, cum non sit potestas, quae aequiparetur ei, et homo iuste, quia se diabolo voluntarie tradiderat, subiiciebatur; quomodo ergo poterat se cum suis a suis evellere manibus et removere? Sexto, caelum peccato clausum valebatne homo sibi et suis sequacibus aperire? Certe non; quia ipsius est aperire, de quo dicit Psalmus 15, 5: *Tu es qui restitues hereditatem meam mihi,* et leonis de tribu Iuda, cuius est *aperire librum et solvere septem signacula eius,* Apoc. 5, 5. Aliis rationibus posset deduci propositum, sed sufficiant praedictae.

Sic ergo patet, quod primus homo nec pro se stricte loquendo, nec quomodocumque loquendo pro sua posteritate, videlicet natura humana, poterat satisfacere, sed nec aliqua pura creatura hoc valebat; non angelus, propter iam dictas rationes, quia, etsi angelus bonus non tenetur Deo in passionibus, sed in actionibus, nulla passio fuisset intensive infi-

(*a*) Codex *pravo.* — (*b*) Codex *de vitioso virtuosus.*

[1] Ps. 18, 12. — [2] P. L. 158, 392 sq. et 411 sq.; cfr. Bonav., Opera omnia t. III pag. 264 not. 4. — [3] Potius c. 8 n. 14 (P. L. 42, 876).

nita et tam bona, sicut culpa fuit mala. Item, quodlibet citra Deum est minus Deo, quare non sufficiens. Item, nullus angelus est tam bonus, quam bona erat tota humana natura, quam primus homo peccando infecerat et occiderat. Item, da, quod angelus pateretur pro culpa hominis, homo rationabiliter angelo subiiceretur, ut suo redemptori et liberatori, et sic homo ad statum primum non restitueretur, in quo soli Deo erat subiectus et nulli creaturae. Quo concluditur, quod si angelus, qui est nobilior inter creaturas, non potuit pro homine satisfacere, a fortiori nulla alia creatura citra hoc valuit.

Sed nunquid homo peccando decuit a Deo reparari?

Respondetur, quod sic; primo, quia totum corruptum erat in primis parentibus; secundo, quia alio impellente ceciderat; tertio, quia nec propria malitia se infecerat; quarto, quia terminus, nec tempus poenitendi transierat, quae omnia fuerunt in angelis cadentibus; quare decentissimum erat Deum ipsum reparare.

Sed quomodo et per quem debebat reparari?

Respondetur, quod debebat reparari per viam satisfactionis et per hominem-Deum. Et pro primi evidentia est sciendum, quod, si consideretur divina potentia per se et absolute, id est, quia infinita et non coniuncta iustitiae et aliis perfectionibus divinis, peccatum sine satisfactione Deus potest remittere; sed quia Deus cuncta, quae agit, iuste et sapienter facit, sic cum his perfectionibus Dei potentia coniuncta, quae potentia Dei ordinata vocatur, Deus peccatum inultum, id est sine satisfactione illius, qui peccatum agit, vel alterius pro eo dimittere non valet. Ratio, primo, quia peccatum est contra Dei voluntatem; secundo, hominem facit Deo rebellem; tertio, privat gratuitis; quarto, displicet [Deo]; quinto, fugibile summum est; sexto, nihil inordinatum Dei sapientia sinit esse in mundo; septimo, ad peccatum sequitur semper poena peccati; octavo, si impunitum dimitteretur, nulli legi subiaceret et sic [esset] aequale Deo; nono, apud Deum iustus et iniustus idem haberetur.

Quare, praefatis ponderatis, sine satisfactione peccatum mortale a Deo dimitti non valet. Sic enim faciendo, scilicet peccatum puniendo, primo divina iustitia declaratur; quae inseparabiliter et inobliquabiliter peccato annectit poenam; secundo, Dei sapientia; poena enim in peccati supplicium ordinata ad decorem est universi, et per consequens in laudem est divinae sapientiae, quae in modico turpari non sinit universum; tertio, divina praesidentia (*a*); quam non aufugit peccatum, sed eidem poenaliter subiicitur et supponitur suae legi; quarto, honorificentia maiestatis divinae; quaerendo enim suum honorem, quem peccatum adimit, et hoc poena debita honor eius declaratur et manifestatur. Et si dicatur: si Deus peccatum inultum non (*b*) relinquit, ubi est eius misericordia? respondetur, quod Dei misericordia reseratur tali punitione, non quod Deus non puniat, sed quia in infinitum citra condignum minus punit, quam mereatur, claret misericordia Dei in suscitando (*c*) peccatorem post lapsum; in erigendo a peccato, a quo per se surgere non posset; in remittendo culpam, et sibi ab ipso illata; sed iustitia apparet in punitione mitissima, quam ingerit peccato in infinitum minus citra condignum; et sic *universae viae Domini misericordia et veritas* [1]. Sic ergo patet, quod peccatum inultum dimitti non decet, et sine satisfactione.

Sed pro evidentia secundae partis, videlicet quod decuit, ut satisfactio fieret per hominem-Deum, hoc declaratur quibusdam prius attentis. Primum est, quod Deus hominem condidit ad beatitudinem, dicente Salomone Prov. 16, 4: *Omnia propter semetipsum operatus es, Domine,* et Augustinus I *Conf.* [2] « Fecisti nos, Domine, ad te, et inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te ». Haec est conclusio Magistri, II sent. d. I [3]. Ne frustraretur intentum divinum, aliquando homo ad beatitudinem pervenire debebat. Secundum est, quod ad beatitudinem homo pervenire non poterat de potentia Dei ordinata, nisi pro peccato ho-

---

(*a*) Edd. *praescientia.* — (*b*) Codex *peccatum non inultum non.* — (*c*) Edd. *sustinendo.*

[1] Ps. 24, 10. — [2] C. 1 n. 1 (P. L. 32, 661). — [3] P. II c. 4.

minis Deus satisfaceret, ut dictum est. Tertium, quod primus homo, nec aliqua creatura stricte loquendo pro ipsius peccato satisfacere Deo poterat. Quartum, quod Deus est bonum infinitum, et cuicumque se personaliter uniret ad satisfaciendum Deo Patri seu Filio vel Spiritui sancto, esset sufficientissimum pretium, ut dicetur infra fructu et conformitate XXXI. Quintum est, ex quo homo tenebatur Deo pro peccato satisfacere et non poterat, et per consequens per aliquid maius homine hoc fieri oportebat. Sextum est, quod tale decebat, quod formam haberet et assumeret humanam. Ratio, ex quo pro homine satisfaceret, ut propria esset, ac homo in primo esse libertatis remaneret, qua soli Deo subiiciebatur, et quia homo Deo in hoc, scilicet, ad satisfaciendum tenebatur; quibus patet, quod per hominem-Deum homo, qui ceciderat, decebat reparari. Nam cum nulla creatura hoc posset, et propositum divinum de homine non debet frustrari, et iustitia satisfactionem exigebat, ergo, per aliquid maius homine et quacumque creatura hoc fieri debebat; et sic per Deum, et fieri, non nisi hominem assumendo; quia solus homo tenebatur. Et quia passione sola hoc habebat, ut infra fructu et conformitate XXXI dicetur; quare, tali satisfactione pensata, Deum hominem fieri erat necessarium, ut (*a*) per Deum-hominem, utpote bonum et sufficientissimum, homo repararetur. Sic ergo breviter apparet divinae incarnationis congruitas ac peccati primorum parentum iniquitas, ob quam removendam necessarium, declarata necessitate, fuit, Deum incarnari.

Et quia in deitate tres sunt personae, videlicet Pater et Filius et Spiritus sanctus, quae harum personarum decuit ad liberandum hominem incarnari? Certe non persona Patris, ne paternalis dignitas offenderetur; offenderetur quippe, si aliquando Filius esset; insuper patet, cum a nullo sit, nec ab alio mitti decebat, nec alteri supplicare, ne persona alia prior eo in divinis esse videretur. Nec personam Spiritus sancti decebat incarnari, cuius est procedere, non quomodo natus, sed quomodo datus, ut dicit Magister I sent. d. XVI, quare eius proprietas etiam extrinsece obfuscari nascendo de aequo non decebat.

Persona Filii naturam humanam assumere debebat; et fecit. Quod debebat, apparet congruentiis pluribus: prima, ut, sicut per Verbum omnia sunt in esse constituta et creata, sic per ipsum omnia ad esse gratificum forent reparata et reformata; secunda, ut qui est Dei Patris Filius in divinis fieret hominis filius in humanis; tertia, ut imago creata peccato obfuscata per imaginem increatam, Dei Filium scilicet, qui est imago Patris, reformaretur; quarta, ut cum per hominem, etsi toti Trinitati offensa sit illata, praecipue Dei Filio, qui est sapientia Dei Patris, similis et aequalis per omnia Patri, et ipse sapientiam, similitudinem et aequalitatem appetiit Dei; quare per ipsum Dei Filium, qui est sapientia et Patri similis et aequalis, decuit reparari; quinta, per Filium, quem Pater ut se diligit, decebat nos in Dei filios adoptari; sexta, decebat Filium Patri supplicari pro nobis, et non econverso; septima, per illum, scilicet Dei Filium, a manibus diaboli decebat nos liberari, qui *est Dei virtus;* octava, per ipsum Dei Filium, qui est *heres universorum* [1], nos decebat in hereditatem induci. Nona, decebat, ut ille, qui est in caelis sine matre, carnem sumeret de Virgine matre, utramque nativitatem acciperet, aeternam de Patre, temporalem de matre, ut idem esset et Filius Patris et Virginis matris. Decima, quia decebat, quod, sicut genus humanum in esse exierat per Verbum incarnatum et in culpam ceciderat deserendo verbum inspiratum, nec minus sit, ut dicit Augustinus [2], condita reparare quam in esse constituere; sicut non minus bene esse gratiae quam esse naturae, sic et resurgere per Verbum incarnatum. Aliae congruentiae possunt adduci, sed praedictae sufficiant.

Licet ergo mysterium incarnationis et opus tota Trinitas sit operata, in Filio tamen solo est haec operatio terminata. Pater ergo aeternus nolens in ira circa hominem miseri-

(*a*) Codex *et*.

[1] Hebr. 1, 2. — [2] *Tract.* 72 *in Ioan. evang.* n. 3 (P. L. 35, 1823).

cordias suas continere, ad liberandum hominem mittere Filium suum decrevit et ordinavit. Et quia hoc erat maximum beneficium possibile homini conferri, incarnatio videlicet Filii Dei, utpote homo-Deus et Deus-homo, Deusque, teste Amos, 3, 7: *Non faciet verbum, quod prius non loquatur ad servos suos prophetas,* hinc est, quod hoc donum se daturum patribus promisit, scilicet Abrahae, Gen. 22, 18: *In semine tuo benedicentur omnes gentes terrae;* Isaac, Iacob, David, Ps. 131, 11: *De fructu ventris tui* etc.; suumque Filium incarnandum revelavit patribus et prophetis. Quo cognito, Deum affuturum in carne humana praedixerunt, ut patet de Iacob, Gen. 49, 10: *Non auferetur sceptrum de Iuda et dux de femore eius, donec veniat, qui mittendus est; et ipse erit exspectatio gentium;* de Balaam, Num. 24, 17: *Orietur stella ex Iacob* etc.; de Salomone, Sap. 18, 14: *Cum quietum silentium tenerent omnia, et nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus a regalibus sedibus venit;* de Isaia, 7, 14: *Ecce virgo concipiet et pariet filium* etc.; de Ieremia, 31, 22: *Novum faciet Dominus super terram: femina circumdabit virum;* de Baruch, 5, 1: *Exue te, Ierusalem* etc.; de Daniele, 2, 44: *In diebus autem regnorum illorum suscitabit Deus regnum caeli, quod in aeternum non dissipabitur* etc.; de Aggaeo, 2, 8: *Ego movebo caelum et terram, et veniet desideratus cunctis gentibus;* de Zacharia, 9, 9: *Ecce Rex tuus venit,* etc.; de Michaea, 5, 2: *Tu Bethlehem terra Iuda;* et sequitur: *Ex te exiet dux* etc.; de Malachia, 3, 1: *Statim veniet ad templum sanctum suum dominator* etc.; et sic de aliis prophetis, quibus revelando Deus Pater sui Filii in mundum destinationem de eius adventu prophetarunt et venturum in mundum praedicarunt; et non solum eum affuturum praedixerunt in generali, sed eius vitam descripserunt typis et verbis in particulari, ut fructu praecedenti et conformitate est dictum.

Quam promissionem Dei Patris et prophetarum praedictionem fideles attendentes et per longum tempus dilationem [deflentes] ad Deum clamabant, ut patet de Moyse, Ex. 4, 13: *Mitte, Domine, quem missurus es;* de David, qui dixit Ps. 79, 3: *Ostende faciem tuam et veni, ut salvos facias nos,* et Ps. 68, 2: *Salvum me fac Deus; quoniam intraverunt aquae usque ad animam meam;* et Ps. 79, 4 et 8: *Ostende faciem tuam, et salvi erimus; ostende nobis Domine misericordiam tuam et salutare tuum da nobis* [1]; et sponsa dicit, Cant. 7, 10: *Veni, dilecte mi,* etc.; de Isaia, qui dixit, 64, 1: *Utinam disrumperes caelos et descenderes;* de Daniele, 9, 17: *Propter temetipsum, Deus meus, inclina aurem tuam, et audi, aperi oculos tuos, et vide desolationem nostram;* de Habacuc, 1, 2, qui dixit: *Usquequo, Domine, clamabo ad te, et non exaudies? vociferabor vim patiens, et non salvabis?* de Ieremia in Thren. 5, 1, dicente: *Recordare, Domine, quid acciderit nobis, intuere et respice opprobrium nostrum* etc., et sic de aliis. Quorum clamoribus Deus inclinatus et se compati dicit, iuxta illud, quod habetur in figura, Ex. 2, 23: *Filii Israel ingemiscentes propter opera vociferati sunt; ascenditque clamor eorum ad Dominum, et audivit gemitum eorum;* et sequitur 3, 7, quod Dominus ait Moysi: *Vidi afflictionem populi mei et clamorem eius audivi; et sciens dolorem* eorum *descendi, ut liberarem eum;* et Isaias, 19, 21, praedixerat dicens: *Clamabunt ad Dominum a facie tribulantis; et mittet eis salvatorem et propugnatorem, qui liberet eos.*

Attamen ipse Deus, cuius *sapientiae non est numerus* [2], etsi tot clamoribus sanctorum pulsaretur et precibus ac multos destinasset probos et sanctos viros ad informandum populum ab eo electum, scilicet filios Israel, et hoc tempore legis latae praecipue, ante tamen miserat quosdam ad totum genus humanum reformandum, videlicet primo tempore misit patres Seth, Enos, qui *incepit invocare nomen Domini* [3], Henoch, qui *translatus est in paradisum* [4], et sic de aliis; Noe, qui in diebus suis, Eccli. 44, 17, *inventus est iustus,* et sic de patribus aliis. Secundo misit patriarchas, Abraham, Isaac, Iacob cum duodecim filiis suis. Tertio misit rectores, Moysen scilicet et Aaron. Quarto misit principes, scilicet Naasson, Aminadab et Salmon. Quinto iudices; sicut patet per totum librum Iudicum. Sexto misit reges, sicut David

[1] Ps. 84, 8. — [2] Ps. 146, 5. — [3] Gen. 4, 26. — [4] Eccli. 44, 16.

et alios. Septimo sacerdotes, ut Eleazar, Phinees et Heli, et sic de aliis. Octavo prophetas, sicut Samuelem, Nathan, Eliam, et sic de aliis. Nono misit duces, sicut Zorobabel et Salathiel. Decimo viros iustos et bonos, sicut tempore Iudith, Esther, Esdrae et Machabaeorum, quorum temporibus fuerunt multi viri perfecti, ut patet de Tobia, Mardochaeo, Esdra, Nehemia, et sic de aliis. Hos et similes Deus Pater misit non ad redimendum humanum genus, sed ad reformandum, loquens per eos patribus et fidelibus; non tamen temporibus praefatorum Pater caelestis, etsi praefatos ad suam excolendam misisset vineam, Filium suum voluit destinare nec mittere; et ratio, quamvis sit notissima Deo, nobis tamen aliqualiter poterit apparere, si solutio quorundam videatur dubiorum.

Primum dubium est: cur non statim post lapsum primi hominis Filius a Patre ad liberandum hominem est missus? Ratio ad hoc est, quia qui cito dat beneficium bis dat; insuper cum misericordia misero sit semper praestanda, ac tali statim missione et primorum parentum reparatione videtur, quod fuisset praeservatio humani generis a malo; quare statim, ut videtur, venire debebat et dirigi.

Respondetur, quod multiplex congruentia ad hoc assignari potest, et ratio una sola est, quia voluntas Dei sic voluit exercere; cuius voluntatis causa non est quaerenda, cum ipsa sit prima omnium causa, et quae sapienter agit. Tamen congruentia prima assignatur a doctoribus, quod remedium sic est adhibendum morbo, ut morbus cognoscatur, medicina quaeratur, remedium concessum acceptum et gratum habeatur; ut patet experientia. Infirmus, si statim a sua liberaretur infirmitate, non medico, sed naturae imputaret, nec suam cognosceret infirmitatem, quanta scilicet laborasset, nec beneficium sanitatis, uti est, acceptaret. Sed cum diu infirmitatem patitur, agnoscit, quid patitur, videns se per naturam non posse liberari, tunc quaerit medicum; et si liberatur, magnum sibi putat a medico collatum beneficium. Hac de causa voluit Deus hominem cognoscere suam infirmitatem, quam magna esset, ut diceret cum psalmista: *Iniquitates meae supergressae sunt caput meum; et sicut onus grave gravatae sunt super me,* Ps. 37, 4; et: *Infixus sum in limo profundi, et non est substantia,* Ps. 68, 3. Totum enim genus humanum infectum fuit et infirmatum. Voluit etiam Deus, quod experiretur, si a sua infirmitate naturalibus poterat liberari, et hoc tempore legis naturae, et cognovit quod non; insuper si auxilio alicuius creaturae, et hoc tempore legis datae, et hoc non, quia lex non iustificabat, sed fides futuri. Quare videndo homo, infirmitatem suam nec se nec alio privato (*a*) posse iuvari, *multiplicatae sunt infirmitates, postea acceleraverunt* [1], scilicet ad petendam liberationem dicentes [2]: *Libera me de sanguinibus, libera me de aquis multis,* quod figuratum fuit in filiis Israel tam exsistentibus in Aegypto, quam tempore Iudicum exsistentibus in terra eis tradita a Domino, etsi a Domino recessissent, qui ingemiscentes propter illa, quae patiebantur, clamabant ad Dominum; et quia infirmitates agnoscebant, descendebat Deus et mittebat eis Salvatorem, qui liberaret eos. Sic ergo humanum genus agnoscendo reatum suum et iniquitates ac infirmitates, ipsoque dicente cum propheta [3]: *Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum. Sana me, Domine, quoniam defecit virtus mea,* tunc ipse Salvator venit dicens illud Matth. 8, 7: *Ego veniam et curabo eum.* Venit enim tunc medicus, quando totum humanum genus per mundum iacebat aegrotum, ut dicit Augustinus [4]. Tunc agnovit medicum et remedium sibi fore per omnia opportunum.

Secunda congruentia assignatur [a doctoribus] ex parte descendentis: quia enim magnus Dominus et Deus veniebat, ne eius adventus ab hominibus ignoraretur, et ut debite reciperetur, longa praeconum series praecedere debebat; primo per patres, secundo per prophetas, tertio per legem, quarto per regnum et sacerdotium Deum incarnandum est praedictum;

(*a*) As et ed. *creato.*

[1] Ps. 15, 4. — [2] Ps. 50, 16; 143, 7. — [3] Ps. 6, 3; 70, 9. — [4] Sermo 87 (alias *De verbis Domini* 59) c. 11 n. 13 (P. L. 38, 537).

quare statim, ne eius adventum homines non agnoscerent, noluit venire; sed postquam typis et verbis est declaratus hominibus, tunc Rex regum venit in mundum.

Tertia congruentia: modus in operibus a sapiente debet servari, et modus est, ut de imperfecto ad perfectum procedat; et non econverso. Decuit Dei Filium incarnari non in initio temporum sed in fine temporum; ut sicut primus homo, qui fuit totius mundi sensibilis ornamentum, ultimo fuit conditus [videlicet sexta die], sic secundus homo, totius reparati complementum, in quo primum coniungitur cum ultimo, scilicet Deus cum limo, decuit, ut fieret in fine temporum, sexta videlicet mundi aetate, qua et tempus gratiae incepit, et ipse desideratus advenit.

Quarta congruentia: distulit Pater aeternus mittere Filium, quia locus dignus pro eius incarnatione non est repertus, scilicet virgo Maria. Quaesita enim est diu in omnibus finibus Israel aliqua pro loco Dei nec est inventa; quia nulla illa puritate nitebat, qua sub Deo maior nequit intelligi; et sic de aliis virtutibus et gratiis, quibus decebat eam, ut esset Dei Mater, adornari. Sed nunquid Deus potuit istum locum praeparare omni tempore, videlicet beatam Mariam? Certe sic; sed congruit, ut ipsa Dei Mater prius et eius perfectiones declararentur et postmodum a Deo in esse producerentur, ut quanta esset beatae Mariae excellentia et sanctitas, cunctis demonstraretur; quare prius figurari debuit et verbis sua excellentia declarari. Quae duo, etsi aliquando sint facta simul, attamen figurata est tempore patrum et declarata per prophetas. Cum ergo totum vetus testamentum horum duorum, scilicet patrum et prophetarum, temporibus decurrat, non in tempore praedictorum, sed in fine Deus Pater nasci voluit beatam Virginem; ut sicut ab aeterno eam deputarat Matrem pro Filio, sic et in tempore eam faciendo nasci locum aptum Filio disponeret et praepararet. Hac reperta et ad Dei Filium suscipiendum apta, tam natura quam gratia, a Deo Patre missus est angelus Gabriel, ut eidem in ea Dei Filium incarnandum nuntiaret, et fieret, ipsa assensum praebente. Congruentiae aliae multae possunt adduci, sed praefatae sufficiant, quia de hac materia dictum est per me sufficienter in opere *De vita beatae Virginis*, fructu XVI [1]. Sic ergo apparet, quare Pater aeternus Filium statim post peccatum non misit; et sic patet ad primum dubium.

Secundum dubium, quare hoc beneficium in fine mundi non est protensum ad ipsum homini conferendum, ex quo dilatum est per quinque millia annorum?

Respondetur, quod hoc factum est decentissime; quia, si usque in finem incarnari distulisset, nec misericordia Dei apparuisset aliquando, nisi eius iustitia, quae puniebat, nec misericordia suum tempus habuisset; insuper eius adventus nimis tardus fuisset, quia nec morbo remedium poenitentiae, nec opportunitas ex tempore medio ante iudicium homini currendi ad bravium affuisset, nec tempus gratiae melius fore quam peccati esset ostensum. Sacramentorum poenitentiae aut doctrinae evangelicae tempus non fuisset debite ordinatum; quare his misericordiam suam Deus non retinuit, sed tempore plenitudinis gratiae adveniente, ad liberandum hominem Pater Filium direxit et misit. Sic ergo apparet, quod missio Filii a Patre non debuit esse statim post peccatum, nec usque in finem debuit differri; quia de isto beneficio loquendo, cum fuerit maximum, non debuit dari statim, sed prius praecognosci; quia, sicut nullum beneficium est dandum nisi praecognoscenti, sic nec istud. Insuper, et si istam misericordiam ultimam Deus non dedit homini, plures tamen dedit statim post peccatum, utpote ipsum in esse dimittendo, quo debebat privari de rigore iustitiae, ipsum ad poenitentiam reservando et gratiam infundendo; et sic de aliis.

Et si dicatur: cur Deus ante peccatum Filium suum non misit? respondetur: primo, quia parvum tempus fuit inter conditionem hominis et eius lapsum, et tantum beneficium agnosci debebat, quod fieri non potuisset; secundo, quia cum nasci deberet ex femina, et nulla tunc esset nisi Eva, si ex ea carnem sumsisset, et tunc vel fuisset cognita post ab Adam, et sic

[1] *De vita et laudibus beatae Mariae Virginis* (Venetiis 1596), l. II fr. 6.

inconveniens [fuisset], quod defloraretur per hominem, et si non, oportuisset Deum in adiutorium primi hominis aliam mulierem condidisse, ut ex ipsa genus propagaretur humanum; tertio, quia vel Eva potuisset peccare post vel non; si sic, indecentissimum esset, ut mater Dei aliquando peccaret; si non, et tunc fuisset confirmata in gratia et sic non potuisset mori, contra scripturam dicentem, Eccle. 7, 30, quod Deus *fecit hominem rectum* etc.; sequitur, Eccli. 15, 18: *Posuit ante eum vitam et mortem* etc., et contra doctores dicentes, primos parentes conditos esse, ut possent non mori, sed non, quod non possent mori. Sic ergo patet, quod nec ante peccatum nec immediate post, seu in fine temporum circa iudicium, Pater misit Filium.

Sed quo tempore? Respondet apostolus dicens, Gal. 4, 4, quod, *ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum.* Praecesserat tempus legis naturae et legis scriptae; restabat tempus gratiae. In hoc siquidem tempore missus est de valle Hebron Ioseph a patre, id est Dei Filius de caelis a Patre aeterno ad visitandum fratres suos, et sic venit in Sichem, id est in vallem hanc laboriosam et miseriae, ut in figura habetur, Gen. 37, 13. Tunc *sermo Domini a regalibus sedibus venit,* Sap. 18. 15; tunc venit David in Nobe, I Reg. 21, 1; et *ad gentes apostatrices* missus est Ezechiel, 2, 3; Moyses in Aegyptum, Ex. 3, 10; Elias in Bersabee Iuda, III Reg. 19, 3; Nehemias in Iudaeam, II Esdr. 2, 2; Isaias est missus a Domino, Is. 6, 9; Habacuc venit in Babylonem, Dan. 14, 35; et Ionas ad Ninivitas, Ion. 1, 2; et sic de aliis figuris veteris testamenti figurantibus hanc piissimam Filii Dei a Patre missionem et ad nos adventum. Tunc arcus positus est in nube, Gen. 9, 13; columba a Noe emissa, Gen. 7, 10; arca foederis Domini posita sub tentoriis, Ex. ultimo, 19, et tabernaculum Domini positum in Silo, Ios. 19, 51; maiestas Domini ingressa est templum Domini, II Par. 7, 1; Dominus ingressus est nubem et Aegyptum, Is. 19, 1; a femina Dominus circumdatus, Ier. 31, 22; per portam clausam ingressus est Dominus, Ezech. 44, 2; *lapis abscissus est de monte sine manibus,* Dan. 2, 34; et sol nube est tectus, Ezech. 32, 7; et sic de aliis.

Sed adverte, quod apostolus dicit, quod *in plenitudine temporis* est Filius a Patre directus; vocat enim tempus Christi adventus tempus plenitudinis: primo, quia tunc venit plenitudo, id est Christus, in *quo est omnis plenitudo gratiae et veritatis,* Ioan. 1, 14; secundo, quia Mater eius Maria in plenitudine gratiae et sanctorum est posita et locata, Eccli. 24, 16; nam Mariae plenitudo gratiae est collata, ut dicit Hieronymus in *Sermone de assumtione* [1]: Hodie etc.; tertio, quia primo gratia creata inerat humano generi, sed tunc gratia increata animae Christi et carni est iuncta et unita; et sic omnis plenitudo deitatis homini assumto est communicata; quarto, quia omnia prophetata, figurata et promissa per veritatem Christum adimpleta et terminata; quinto, plenitudo gratiae ecclesiae pro suis membris ad merendum data et concessa, quia *omnes accepimus de plenitudine eius,* Ioan. 1, 16; sexto, quia summa gratia, id est beneficium summe gratuitae incarnationis Dei, est nobis a Deo Patre donatum; et demum tempus plenitudinis, quia sexta mundi aetate, qua non iustitia, ut prius, sed misericordia Domini et gratia cunctis apparet fidelibus, quo et merito tempus gratiae et misericordiae dicitur et vocatur.

Hoc ergo in tempore Dei sapientia, id est Dei Filius venit; sed quid eius adventu est a nobis perceptum, fructu dicetur et conformitate sequenti. In hoc siquidem tempore verum Messiam, id est Deum hominem assumsisse et oculis apparuisse mortalium, ostendunt:

Primo a prophetis vaticinata, scilicet Iacob, Gen. 49, 10, in benedictione data Iudae dicendo: *Non auferetur sceptrum de Iuda* etc.; quae impleta est tempore Herodis regis Iudaeorum, qui non fuit Iudaeus, sed Idumaeus; a Daniele, 9, 24: *Post septuaginta hebdomadas annorum* etc., quae prophetia impleta est decimo octavo anno Tiberii Imperatoris, quo tempore Christus passus est; ab Aggaeo, 2, 7, dicente: *Post modicum ego movebo caelum et terram;* sequitur: *Et veniet desideratus* etc.; sequitur: *Implebo domum hanc gloria* etc., quae impleta est, beata Maria Filium in templo praesentante; et sic de aliis prophetiis.

---

[1] *Epistola ad Paulam et Eustochium* (inter opera Hieron.), P. L. 30, 127.

Secundo hoc ostendunt, quae dicta sunt de Messia et figurata, in Christo terminata; de hoc dictum est seriose fructu I. et conformitate, et quia illa debebant impleri in adventu Messiae et impleta sunt in Christo, patet propositum.

Tertio ostendit hoc unctionis Iudaeorum cessatio, Dan. 9, 24: Cum venerit *sanctus sanctorum,* cessabit unctio vestra; sic allegatur haec auctoritas ab Augustino, et sic habetur in alia translatione; sed cum Iudaei non habeant unctionem regalem nec sacerdotalem, patet propositum.

Quarto, hoc ostendit ipsorum Iudaeorum captivatio et *statuta desolatio,* quae per mortem veri Messiae et Christi eis evenire debebat, ut habetur Dan. 9, 26; quae captivatio et dissipatio ac desolatio usque in hodiernum diem ab anno 1346 (*a*) viget.

Quinto, ostendit hoc Iudaeorum attestatio. Ioannes Baptista fuit Iudaeus et sanctus, et ipse perhibuit Christum venisse dicens Ioan. 1, 26: *Medius vestrum stetit, quem vos nescitis* etc.; et infra dicitur, quod Ioannes *testimonium perhibuit,* quod Iesus est Filius Dei; Simeon Iudaeus fuit; pastores, qui Christum adoraverunt, etiam et ipsi Christum venisse perhibuerunt, Luc. 2, 9 sqq. Sic etiam Iosephus, qui fuit notabilis (*b*) Iudaeus, XVIII *Antiquitatum* libro [1], de Christo Iesu loquens, ubi expresse ponit, quod Iesus fuit vere Christus, id est Messias in lege promissus.

Sexto, hoc ostendit gentilium assertio. Sibylla Erithea, quae fuit tempore Ezechiae et Numae Pompilii, secundi regis Romanorum, in expositione somnii visi simul a centum senatoribus, qui viderunt novem soles, et per solem intelligendo novem generationes, sic inquit: « In diebus quartae generationis exsurget mulier de stirpe Iudaeorum, nomine Maria, habens sponsum, nomine Ioseph, et procreabitur ex ea sine commixtione viri de Spiritu sancto Filius Dei, nomine Iesus; et ipsa erit virgo ante partum et virgo post partum; qui vero ex ea nascetur erit verus Deus et verus homo; sicut omnes prophetae praedicaverunt ». Et de tempore subdit: « In diebus illis erit Caesari Augusto celebre nomen, et regnabit in Roma, et subiiciet omnem terram sibi [2] ». Et plura dicit ibidem, de quibus vide in opere a me edito *De vita beatae Mariae,* fructu XXVIII [3], et de praefatis et dicendis, quia ibi copiose hic dicta ponuntur. Illa alia Sibylla Tiburtina non solum praedixit, sed virginem Mariam cum Filio Octaviano imperatori in caelo ostendit [4]. Albumazar *VI maioris introductorii* differentia I [5] ponit concordans cum astrologis Babylonis, Graecis et Aegyptiis, quod tempore Octaviani imperatoris anno quarto puella virgo pulchra pareret filium, nomine Iesum. Chalcidius super II *Timaei* Platonis [6] ponit, quod stella quaedam creata fuit designans ortum et descen-

(*a*) N et R omittunt annum; edd. *anno quadragesimo post passionem Domini.* — (*b*) As et edd. *nobilis.*

[1] C. 3 n. 3 (ed. Dindorfii t. I pag. 639). — [2] Errat Pisanus; non Sibyllae Eritheae, sed Tiburtinae illud vaticinium attribuebant. Habetur inter opera *Bedae* (P. L. 90, 1181) sub titulo *Sibyllinorum verborum interpretatio.* Cfr. Alexandre, *Oracula Sibyllina,* t. II (Paris 1856) pag. 290 sq., qui inter alia dicit, « scripta haec esse non a venerabili Beda, octavo saeculo incipiente, verum ab aliquo sive Italo sive Germano homine, tum quum Henricus sextus Germanis imperabat, sub duodecimi saeculi finem ». — [3] L. c. pag. 392 et 437. — [4] Plura de huius legendae ortu et evolutione videsis apud Alexandre, l. c. pag. 303 sqq. Pag. 306 ait: « Verum hactenus arae [*in ecclesia sanctae Mariae in Capitolio*] quidem Virginisque supra eam visae mentio facta est, minime vero Sibyllae; quaerendum igitur, quosnam illa mulier in hanc scenam habuerit ingressus. Primum de ea auctorem invenimus *Martinum Polonum* circa annum 1268 ». — [5] Qui fuit celeberrimus astrologus saeculi IX p. Chr.; inter alia scripsit *Introductorium in astronomiam* (impr. Augustae Vindelicorum 1489), in cuius l. VI c. 2 circa medium habentur supra citata. — [6] N. CXXVI (ed. Wrobel, Lipsiae 1876, pag. 190), ubi ait: « Est quoque alia sanctior et venerabilior historia, quae perhibet ortu stellae cuiusdam non morbos mortesque denuntiatas, sed descensum dei venerabilis ad humanae conservationis rerumque mortalium gratiam. Quam stellam cum nocturno itinere

sum Dei ad humanae conversationis gratiam mortalium, cuius inspectione stellae sapientes Chaldaeorum quaesisse recentem ortum Dei, repertaque illa maiestate puerili, eam veneratos esse et vota tanto Domino convenientia ministrasse; Magos etiam, de quibus dicit Chalcidius, adorasse et quaesisse Deum natum, scilicet Dominum Iesum, in diebus Herodis regis, est certum. Centurio ille gentilis Deum advenisse cognovit in carnem Dominum Iesum Christum, quando ipsum adire domum suam non permisit, indignum se esse profitendo, ut sub eius tecto tanta celsitudo intraret, Matth. 8, 8; alter centurio passionis Christi tempore, et Deum in carnem venisse et Dominum Iesum Christum esse Filium Dei professus est, ut patet Matth. 27, 54. Nec mirum est, si per ora gentilium Dominus adventum suum voluit esse cognitum et testatum, quia ipse ad redimendum tam gentiles, quam Iudaeos venerat, et facere de eisdem unum populum et unum ovile, quorum omnium ipse esset pastor; et ideo David propheta dicit, Ps. 86, 6, quod Dominus de Christi adventu et fiendis per eum *narrabit,* inquit, *in scripturis populorum.*

Septimo, ostendit hoc supernorum spirituum proclamatio; eius enim adventum et incarnationem angelus praedixit Mariae, Luc. 1, 31; dixit Ioseph, Matth. 1, 20; evangelizavit eius ortum pastoribus, Luc. 2, 10; angeli, qui in eius sacro ortu cecinerunt gloriam Deo, Luc. 2, 14; qui etiam ipsi servierunt in deserto, Matth. 4, 11; et eius resurrectionem testificarunt; ut patet in evangelio Matthaei, Marci, Lucae, Ioannis circa finem.

Octavo, daemonum acclamatio hoc ostendit; daemones enim Iesum esse Filium Dei et venisse ad eos torquendum acclamarunt, ut patet Matth. 8, 29; Mar. 5, 7; et Luc. 8, 28.

Nono, hoc ostendit miraculorum operatio; suscitando mortuos et alias infirmitates curando solo iussu et verbo, ipsum esse Deum et venisse in carnem ostendunt.

Decimo, ostendunt hoc inimicorum Christi deiectio et prostratio, scilicet Iudaeorum, imperatorum et tyrannorum Iesum et suos persequentium, *quorum non est memoria amplius* [1], miserabiliter mortui et prostrati.

Et licet sint multa alia propositum ostendentia, praedicta sufficiunt ad praesens. Quibus arguitur Christum Deum esse et a Patre destinatum et missum esse; ut dicit prima pars praesentis fructus et conformitatis: videlicet **Iesus emissus caelitus.**

Et dicta sufficiant pro eius brevi expositione.

Secunda pars secundi fructus et conformitatis est:

Franciscus destinatur.

Expositio.

Exposita prima parte secundi fructus et conformitatis istius, videlicet *Iesus emissus caelitus*, consequenter declaranda est secunda pars eiusdem fructus et conformitatis, scilicet: *Franciscus destinatur*, id est a Deo ipse est emissus et destinatus. Circa cuius expositionem sunt tria videnda: primum, quod beatus Franciscus fuit a Domino destinatus; secundum, de tempore, quo fuit et debuit destinari et mitti; tertium, ad quid faciendum a Deo beatus Franciscus est directus et transmissus. Quibus visis, patebit expositio huius secundae partis fructus et conformitatis istius.

---

suspexissent Chaldaeorum profecto sapientes viri et in consideratione rerum caelestium satis exercitati, quaesisse dicuntur recentem ortum dei repertaque illa maiestate puerili venerati esse et vota tanto deo convenientia nuncupasse ». Chalcidius « *Christianus* scriptor fuit et bene antiquus! quippe, si non temporibus vixerit Constantini Magni, saltem iunior haud fuerit temporibus Theodosianis » (Vossius apud Wrobel, Introd. pag. XII); cfr. etiam Switalski, *Des Chalcidius Kommentar zu Plato's Timaeus* (Münster 1902), c. 1. — [1] Ps. 87, 5.

1. Quantum ad primum, beatum Franciscum directum, missum et destinatum a Domino multa ostendunt.

Et primum est sacrae scripturae figura. Ubi advertendum est, quod, ut dictum est fructu et conformitate praecedenti, quia beatus Franciscus gratia divina faciente fuit patriarcha, propheta, apostolus, martyr, doctor, confessor, virgo ac angelus, et Christo prae aliis sanctis conformior, ut praesens opus declarat, quare si figurae capitis Christi ad membra possunt aliquando coaptari, id est ad sanctos, quare a fortiori beato Francisco, et quia similis omnibus sanctis et electis, per figuras omnium potest figurari; quare per missos et directos et destinatos a Domino et ab his, qui Domini vicem vel figuram retinent, videlicet per Ioseph directum a patre ad fratres, Gen. 37, 13; per Iudam missum a Iacob, Gen. 46, 28; per Moysen in Aegyptum directum, Ex. 3, 10 sqq.; per David missum ad Saul, I Reg. 17, 17 sqq.; per Eliam missum a Domino Bethel, IV Reg. 2, 4 et 23; per angelum missum a Domino ad percutiendum castra regis Assyriorum, II Par. 32, 21; per Nehemiam missum in Iudaeam, Nehem. 2, 6; per Habacuc missum, Dan. 14, 33; per Isaiam missum a Domino, Is. 6, 9; per Ieremiam, 1, 5 sqq.; per Ezechielem missum a Domino ad gentem apostatricem, Ezech. 2, 3; per Ionam missum in Ninive, Ion. 1, 2, et per Ioannem Baptistam, ut dicetur, missum a Domino, Ioan. 1, 6; et sic de aliis, quae ad beatum Franciscum possunt veraciter applicari, quia beatus Franciscus Ioseph est ratione vaticinii prophetalis, Iudas ratione collaudationis divinae, Moyses ratione immunitatis a scelere, David in diaboli superatione, Elias in observantia divinae legis, angelus ratione puritatis, Nehemias in zelo, Habacuc [in] carnis subiugatione, Isaias in sanctificatione, Ieremias in compassione, Ezechiel in formatione, Ionas [in] simplicitate et Ioannes Baptista [in] poenitentiae exhibitione. Quia igitur beatus Franciscus virtutis conformitate praefatis est similis, per ipsos habet figurari et per ipsorum missionem.

Et quia multa virtuosa beatus Franciscus exercuit, et hoc circa diversos, ideo ad distincta loca et actus more praedictorum dicitur destinatus et missus, ut in sequentibus apparebit, et praecipue conformitate X et fructu, quando de ipsius agetur praedicatione. Succincte tamen potest dici, beatum Franciscum missum ut Ioseph ad fratres, cum et fratres congregavit, profectum ordinis praedixit et eorum conscientias serenavit, et hoc ipso beato patre in curru igneo iam transformato [1]; ut Iudas est missus a Iacob ad Ioseph, cum omnem intentionem tam suam quam fratrum agebat, et docebat iactare in Christum dicens fratribus eos mittendo: *Iacta cogitatum tuum in Domino* [2], ac omnia ad Christi gloriam referendo et laudem [3]; ut Moyses ad Aegyptum, quando multos de errore praesentis vitae et tenebris ad lumen sua praedicatione perduxit veritatis, ut patuit in fratre Pacifico et latronibus per ipsum conversis; ut David ad Saul est directus, quando cithara, id est cruce Christi, a daemonio quamplures liberavit; ut Elias ad Bethel, id est ad sanctam Mariam de angelis, ad quem locum zelum habuit et amorem plus quam ad alia loca ordinis; ut angelus est missus ad percutiendum, quando a civitate Aretii plena daemonibus omnes eiecit, et ad pacem civitas est reducta; ut Nehemias directus in Iudaeam, ut aedificaret civitatem Ierusalem, quia beatus Franciscus datus est a Christo in lucem gentium, ut dicetur, et reparationem Ierusalem, id est ecclesiae terrestris, ut Christus eidem dixit [4],

[1] Bonav. l. c. c. 4 n. 4. — [2] Ps. 54, 23. — [3] Bonav. l. c. c. 3 n. 7. — [4] II Cel. 1, 6.

et dominus Innocentius III in sustentatione ecclesiae Lateranensis a beato Francisco conspexit[1]; ut Habacuc, quando, habita prima regula, beati Francisci precibus annonam sibi et sociis Deus ab homine incognito direxit[2]; sic et in mari fecit Sclavoniae subveniendo nautis[3]; ut Isaias missus est, quando eius verba erant calculo ignito, id est Spiritu sancto plena, et tam saeculares masculos quam feminas ad Christum convertit, ut patuit in tribus ordinibus ab eo institutis; ut Ieremias est missus ad compatiendum cunctis, quia omnibus, quibus non poterat [dare] censum, se ipsum praebebat et affectum[4]; nulli enim rei parcebat, sed omnia dabat, etiam superimpendere semetipsum; ut Ezechias ad infideles est directus convertendos, et tandem Soldanum ad Christum convertit, ut patebit fructu et conformitate XXXIX; ut Ionas ad Niniven, quando beatus Franciscus eundo per mundum, tam exemplo eius quam verbo, multi omnia dimittentes ad Christum conversi sunt et vitam asperrimam actitarunt (*a*), adeo, ut fratribus per ipsum fuerit in quodam generali capitulo commendatum (*b*), quod loricas, circulos et huiusmodi omnino deberent deponere[5]; ut Ioannes Baptista est missus, ut dicetur, non solum ad poenitentiam praedicandum, propter quod et ordinem unum fecit, qui titulo *fratrum de poenitentia* praenotatur, sed etiam directus est, ut viam pararet Christo, id est vitam Christi evangelicam reformaret et Christum crucifixum in cordibus complantaret. Sic ergo apparet praefatis et similibus figuris directio beati Francisci et causa figurarum beato Francisco applicatarum.

Sed inter alias ad nostrum propositum est figura de columba a Noe ex arca emissa, quae, teste Ioachim in *expositione Ieremiae* et in aliis locis pluribus, beatum Franciscum et ordinem eius significavit[6]; nam ordo Minorum ab ipso ordo columbinus vocatur, tam conformitate coloris in habitu quam proprietate in columbae effectibus; a Noe ergo columba emittitur, quando beatus Franciscus a Deo Christo et Deo Patre ad mundum destinatur, sed ex arca, quia insignitus fide perfectissima sanctae romanae ecclesiae. Sed adverte, quod bis ex arca Noe emisit columbam, quia bis Francisco fuit revelatum, ut dicetur, quod non ad loca solitaria iret ad morandum, sed ad civitates, castra et villas, quia ad convertendum animas sua praedicatione a Deo erat directus; sed secunda vice beatus Franciscus portavit ramum olivae ad Noe, quia secundo facta sibi revelatione a Christo, ut iret ad praedicandum, statim accessit, nec solum pacem primo semper annuntiando, sed a Christo longinquos ad Christum pacificatos verbo suae praedicationis reducendo; nam praedicationem eius tunc homines de Canania (*c*) audientes, tam masculi quam feminae, castrum (*d*) volebant relinquere, propter quod tertium ordinem communem, qui *fratrum de poenitentia* intitulatur, constituit[7]. Sic ergo, etsi Franciscus primo emissus, id est [cum] sibi primo revelatum fuit, quod iret ad praedicandum, magnum fecerit fructum, in secunda tamen emissione, id est post secundam revelationem, maiorem fecit, quia tertium ordinem de hominibus et mulieribus ad Christum conversis instituit. Sic ergo apparet missio et directio beati Francisci sacrae scripturae figura.

(*a*) As *aptitarunt*. — (*b*) As *mandatum*. — (*c*) Edd. *Canario*. — (*d*) As *castra*.

[1] Bonav. l. c. c. 3 n. 10. — [2] Bonav. l. c. c. 4 n. 1. — [3] Bonav. l. c. c. 9 n. 5. — [4] Bonav. l. c. c. 8 n. 5. — [5] Cfr. *Speculum perfectionis* (ed. Sabatier) c. 27. — [6] Cfr. supra pag. 55. — [7] *Actus* c. 16.

Secundum, quod beati Francisci ostendit a Deo destinationem, est ecclesiae censura; dominus papa Gregorius IX, qui eum catalogo adscripsit sanctorum, in prosa, quam fecit de ipso, quae incipit [1]:

Caput draconis ultimum, ultorem ferens gladium,
Adversus Dei populum excitat bellum septimum,
Contra caelum erigitur, et nititur attrahere,
Maximam partem siderum ad damnatorum numerum,

dicit beatum Franciscum a Christo destinatum, sic subdens:

Verum de Christi latere novus legatus mittitur,
In cuius sacro corpore vexillum crucis cernitur,
Franciscus princeps inclytus signum regale baiulat,
Et celebrat concilium per cuncta mundi climata,
Contra draconis schismata acies ternas ordinat,
Expeditorum militum ad fugandum exercitum,
Et tres catervas daemonum, quas draco semper roborat.

Sic ergo patet auctoritate papali beatum Franciscum a Domino missum et destinatum.

Tertium, quod beatus Franciscus sit missus a Domino, declarat dignitas cardinalis; nam dominus frater Bonaventura, cardinalis et episcopus Albanensis, sanctitate et scientia orbi toti praeclarus, in prologo *Legendae maioris* ipsius beati Francisci sic ad propositum dicit: « *Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri* [2] diebus istis novissimis in servo suo Francisco, quem tanta benignitate Deus *respexit* [3] excelsus, quod non solum de mundiali pulvere *suscitavit* egenum, verum etiam evangelicae perfectionis professorem, ducem ac praeconem effectum in lucem dedit credentium, *ut testimonium perhibendo de lumine* [4] viam lucis et pacis ad corda fidelium Domino praepararet. Hic etenim *quasi stella matutina in medio nebulae* [5] claris vitae micans et doctrinae fulgoribus, *sedentes in tenebris et umbra mortis* irradiatione praefulgida direxit (*a*) in lucem, et tanquam *arcus refulgens inter nebulas gloriae* [6] signum in se dominici foederis repraesentans, *pacem* et salutem *evangelizavit* hominibus, exsistens et ipse angelus verae pacis, secundum imitatoriam quoque similitudinem praecursoris destinatus a Deo, ut *viam parans in deserto* [7] altissimae paupertatis, tam exemplo quam verbo poenitentiam praedicaret ». Haec doctor et dominus iste.

Quartum, quod propositum ostendit de missione beati Francisci a Domino, est Christi caritas visceralis; beatus Franciscus, ut dicit II pars *Legendae maioris* [8], instigante spiritu, cum deambulando circa ecclesiam sancti Damiani eandem intrasset ad orandum, et ante Crucifixum orans consolationem spiritus a Domino recepisset, cumque lacrymosis oculis in dominicam crucem intenderet, vocem Crucifixi ad se

(*a*) Codex *duxerit*.

[1] Cfr. Chevalier, *Repertorium Hymnologicum*, n. 2625. — [2] Tit. 2, 11. — [3] Is. 66, 2 et Ps. 112, 7. — [4] Ioan. 1, 7. — [5] Eccli. 50, 6; deinde Luc. 1, 79. — [6] Eccli. 50, 8; deinde Gen. 9, 13 et Rom. 10, 15. — [7] Marc. 1, 3 et Luc. 3, 4. — [8] C. 2 n. 1.

delapsam audivit ter dicentem sibi: « Francisce, vade, repara domum meam, quae, ut cernis, tota destruitur ». Ad reparandum potius spiritualiter quam corporaliter ergo domum Dei mandatum (*a*) accepit, quod iret beatus Franciscus, et sic consequenter a Christo est destinatus et missus.

Quintum, quod ostendit beatum Franciscum directum a Domino, est divinalis revelatio; ut enim dicit IV pars *Legendae maioris* [1], habita prima regulae confirmatione a domino Innocentio III, cum in vallem Spoletanam esset reversus, cum sociis « tractare coepit, utrum inter homines conversari deberent an ad loca solitaria se transferre. Sed Christi servus Franciscus non de sua vel de suorum confidens industria per orationis instantiam divinae super hoc voluntatis beneplacitum requisivit. Supernae igitur revelationis illustratus oraculo, intellexit se ad hoc missum a Domino, ut Christo lucraretur animas, quas diabolus conabatur auferre; ideoque magis omnibus quam sibi vivere soli praeelegit, illius provocatus exemplo, qui *unus pro omnibus mori* dignatus est [2] ». Et vice alia, prout in XII parte habetur *Legendae maioris* [3], dum dubitaret, an orationi vel praedicationi vacaret et dubitationem fratribus exposuisset multa pro utraque parte allegando, et quia de se nihil confidebat aut praesumebat, volens super hoc scire Domini beneplacitum certum et habere, fratrem Massaeum, unum ex sociis, cum alio fratre ad fratrem Silvestrum, qui crucem auream progredientem viderat ex eius ore, qui tunc in loco, qui de Carcere nunc vocatur, manebat, misit, ut super hoc divinum responsum perquireret. Id ipsum sacrae virgini beatae Clarae mandavit, ut per aliquam simpliciorem et puriorem de suis virginibus nec non et per suam orationem scire a Domino mereretur. Qui frater Silvester et virgo Deo dicata Clara ac eius socia divina revelatione concordarunt beatum Franciscum directum a Domino, ut potius praedicaret quam oraret. Quod vir Dei cum summa reverentia, quid Dominus vellet de ipso, percipiens, statim assumtis duobus sociis, videlicet fratre Massaeo et fratre Angelo sanctis viris, ad praedicandum accessit, ut ad quod missus erat a Domino, perficeret sine mora et ageret. Sic ergo divina revelatione patet, patrem Franciscum a Domino esse directum.

Sextum ostendens nostrum propositum, scilicet beatum Franciscum a Domino directum, est Virginis gloriosae apud Christum Filium supplicatio; ut enim in *Legenda beati Dominici* habetur [4], Christus peccatis hominum, videlicet superbiae, avaritiae et luxuriae irritatus, dum tres lanceas ad mundum destruendum vellet vibrare, meritis Matris et supplicatione cum promissione destinationis beatorum Francisci et Dominici ad mundum convertendum ab ipsa Dei Genitrice inclinatus Dominus mundo pepercit et praefatos ad mundum convertendum destinavit.

Septimum, quod ostendit propositum, est diaboli attestatio, qui per os cuiusdam mulieris de beato Francisco et eius loquens ordine dixit, quod, Deus Pater peccatis hominum cum finem mundi vellet maturare, Christus eius Filius Patri supplicavit, ut daret sibi aliquos, qui essent suae crucis baiuli, et numerus salvandorum augeretur; et tunc a Patre aeterno datus est sibi beatus Franciscus cum ordine suo, et ipsum Christus direxit cum ordine ad praefata. De multiplicatione ordinis et de

(*a*) As *mandato*.

[1] C. 4 n. 2. — [2] II Cor. 5, 14. — [3] C. 12 n. 2. — [4] *Vitas Fratrum* Gerardi de Fracheto, p. 1 c. 1 (cfr. *Acta Sanctorum*, t. 1 augusti, *De S. Dominico*, n. 436-439.

multis aliis, de quibus suis dicetur in locis infra [1], diabolus dixit per os illius mulieris cuidam baroni moranti inter alpes Eugubii et Massam Trabariae.

Octavum, quod ostendit beatum Franciscum a Domino directum, est sui et fratrum destinatio; statim enim, ut octo fratres fuerunt, eos beatus Franciscus ad quatuor orbis partes ad praedicandum direxit, ipse cum socio unam partem eligendo [2]; sic etiam fecit temporis in processu per orbem mittendo et ad partes infidelium. Et quia nil agebat, nisi quantum divinus spiritus praemonebat, a Deo hoc indicio beatum Franciscum cum suis esse directum ostenditur et declaratur.

Nonum, ostendit beati Francisci destinationem a Domino Iesu Christi ad beatum Franciscum locutio. Nam quando indulgentiam pro sancta Maria de angelis a Christo petiit, tunc Christus eidem dixit, quod peteret, quidquid vellet, circa salutem gentium, et consolationem animarum et ad honorem deitatis et reverentiam, « quia, inquit, datus es in lucem gentium et reparationem ecclesiae terrestris [3] »; haec Christus. Quare concluditur merito, ut alter Isaias et Ioannes Baptista, de quibus similia dicuntur, beatum Franciscum destinatum ut ipsi a Domino.

Decimum propositum ostendens est beati Francisci ad animas fervor et dilectio, ad quas viscera gestabat materna, pro quarum salvatione orabat, praedicabat, exempla sanctitatis praebebat, et sic de aliis; quod utique ipse tanto non fecisset fervore, nisi sciret se ad harum salutem procurandam a Domino missum.

Undecimum asserens propositum de beato Francisco est ipsius a Christo consignatio; sacrorum enim stigmatum a Christo in beato Francisco impressio est evidens argumentum, ipsum destinatum a Christo ad mundum renovandum, ut dicetur statim et fructu et conformitate XXXI latius ostendetur.

Duodecimum ostendens propositum est sanctorum secundum diversitatem temporum in mundum a Deo directio et destinatio; nam a peccato primi hominis usque ad tempora ipsius beati Francisci operarios Dominus non destitit mittere in vineam omni tempore, et sic fecit tempore beati Francisci, ut statim ostenditur, et est factum.

Quare praefatis duodecim viis et aliis, de quibus in expositione hac, scilicet huius conformitatis, dicetur, patet beatum Franciscum a Domino missum et dictum, quod erat primum videndum.

2. Videndum est nunc de secundo, scilicet de tempore, quo est missus a Domino et directus. Et quantum ad hoc patet responsio per evangelistam Ioannem, Apoc. 6, 12 sqq. et 7, 2 sqq., quod in apertione sexti sigilli angelus est directus habens *signum Dei vivi*, id est beatus Franciscus. Pro cuius evidentia et dicendorum est sciendum, quod novum testamentum in veteri testamento est sicut *rota in rotam*, iuxta visionem Ezechielis, 1, 16. Quare, quemadmodum in novo testamento sunt septem sigilla, id est totum tempus novi testamenti per septem curricula volvitur, sic et in veteri testamento, et econverso, sicut in veteri, sic et in novo [4]. In quorum quolibet,

---

[1] Idem fusius infra fr. XXXIV p. II; cfr. *Chron. XXIV gener.* pag. 29 et *Legenda antiqua* c. 22. — [2] Bonav. l. c. c. 3 n. 7. — [3] *Bartholi,* c. 5. — [4] Doctrina haec de *septem aetatibus* a Ioachimo in *Expositione in Apocalypsim* (Venetiis 1517) fol. 5 r proposita multos, praesertim inter « spirituales », habuit asseclas, qui Ioachimi ideas plus minusve mutatas repetierunt; cfr. *Petrus Ioannis Olivi* (Baluze, *Miscellanea,* t. II pag. 258) et *Ubertinus de Casali* (*Arbor vitae crucifixae Iesu,* l. V c. 1).

etsi plures homines perfecti missi sunt a Deo, inter eos fuit aliquis praecipue missus homo Deo acceptissimus et singularis; tot enim stellae sunt in firmamento ecclesiae militantis a Deo positae ad humani generis directionem et lucem et tot in vineam operarii a Domino missi, quot sanctos Deus nasci in hoc mundo fecit.

Tempora seu sigilla veteris testamenti incipiendo a mundi exordio et lapsu primorum parentum usque ad Christi adventum: primum est et fuit prima aetas, videlicet mundialis fabricationis et primordialis obliquationis; et incepit ab Adam et duravit usque ad Noe. Hoc tempore, etsi singularissimus fuerit Adam, quia tamen principium est nostrae praevaricationis, non computatur inter electissimos Dei. Fueruntque etiam alii, utpote Abel, Seth, Enos, qui *incepit invocare nomen Domini*, Gen. 4, 26; tamen praecipuus inter eos fuit Henoch, de quo, Eccli. 44, 16, dicitur, quod *Henoch placuit Deo et translatus est in paradisum;* sed quia debet venire tempore antichristi, ut patet Apocalypsi [1], ad quem finem subditur in loco praeallegato, *ut det gentibus sapientiam*, id est praedicet *Christum, Dei virtutem et sapientiam* [2], vel, ut alibi habetur [3], *det gentibus poenitentiam*, id est ad poenitentiam inducat antichristi imitatores.

Secundum sigillum et aetas est humanalis declinationis et infectionis; et coepit a Noe usque ad Abraham, quo tempore *omnis* homo *corruperat viam suam* [4] vitio luxuriae, adeo, ut poeniteret Deum fecisse hominem [5]; attamen mittendo diluvium Deus omnes necavit (*a*). Hoc in tempore fuit homo singularissimus destinatus a Deo, scilicet *Noe, iustitiae praeco*, I Petr. 2, 5, qui *inventus est perfectus, iustus et in tempore iracundiae factus est reconciliatio*, Eccli. 44, 17, et solus cum sua posteritate est a Deo a diluvio disparatus (*b*), Gen. 7, 1 sqq.

Tertium sigillum et aetas est singularis plebis electionis; et coepit in Abraham et duravit usque ad Moysen; et vocatur singularis electionis, quia hoc tempore Deus praecipiendo Abrahae, ut exiret *de terra* sua et iret *in terram, quam* eidem ostenderet, Gen. 12, 1, ipse Abraham cum sua posteritate in peculiarem Domini populum est electus. Sed hoc tempore, etsi multi iusti fuerunt, scilicet Abraham, Isaac et Iacob cum filiis, praecipue tamen fuit ipse pater Abraham, et ipse a Deo est missus. Quam enim fuit singularis et a Deo acceptus, multa capitula ostendunt libri Genesis, sed de ipso loquendo Ecclesiasticus, c. 44, 20, sic dicit: *Abraham magnus pater gentium multitudinis, et non est inventus similis illi in gloria, qui conservaret legem Excelsi;* et plura dicit ibidem ad eius laudem et commendationem, vide ibi; nam *pater fidei nostrae* ipse vocatur a matre ecclesia, quia *credidit Deo*, Gen. 15, 6.

Quartum sigillum et aetas est divinalis potentiae demonstrationis; quo tempore Dominus in virtute multa populum de Aegypto extrahendo nomen suum Pharaoni et eius populo indicavit, scilicet Adonai, Ex. 6, 3. Qua aetate Dominus singularem misit virum, scilicet Moysen, Ex. 3 et 4, *dilectum a Deo et hominibus, cuius memoria in benedictione est* [6]; et qualis hic fuerit, liber Exodi, Levitici, Numeri et Deuteronomii manifestant. De isto loquens Ecclesiasticus, 45, 2, dicit: *Similem illum fecit in*

(*a*) As *omnipotens vocavit.* — (*b*) As *reservatus.*

[1] Apoc. 11, 3. — [2] I Cor. 1, 24. — [3] Iuxta vulgatam translationem Eccli. 44, 16. — [4] Gen. 6, 12. — [5] Gen. 6, 7. — [6] Eccli. 45, 1.

gloria sanctorum, et in verbis suis monstra placavit; et multa de eo dicit magna; de hoc dicit scriptura, Deut. ultimo, 10, quod *non surrexit propheta ultra in Israel sicut Moyses, qui nosset Deum facie ad faciem* etc.

Quintum sigillum et aetas est peculiaris dominationis; et incepit a David usque ad Eliam, quo tempore populus Dei per reges est gubernatus. Hoc tempore missus est David, qui erat vir secundum *cor Domini,* I Reg. 13, 14, qui fuit *sicut lux aurorae absque nubibus,* II Reg. 23, 4; de quo habetur Eccli. 47, 3,: Qui *cum leonibus lusit,* sicut *cum agnis,* et sequitur, 9 et 10: *In omni opere dedit confessionem sancto, de omni corde suo laudavit Deum* etc.; et si multi fuerint singulares, ipse prae aliis commendatur, quia Christus *purgavit peccata illius et exaltavit in aeternum cornu illius,* dicitur ibidem, 13.

Sextum sigillum et aetas est prophetalis irradiationis; et coepit a tempore Eliae usque ad transmigrationem Babylonis. Quo tempore fuerunt multi prophetae, Elias, Elisaeus, Isaias, Ieremias, et sic de aliis; sed inter alios hoc tempore fuit directus a Domino ipse propheta Elias, de quo dicit Ecclesiasticus, 48, 1, quod *surrexit quasi ignis, et verbum ipsius quasi facula ardebat;* et plurima dicit ad eius laudem, de cuius mirabilibus habes III Regum 17, 18, 19 et in principio IV; qui tandem *in caelum per turbinem ascendit,* ut patet IV Reg. 2, 11.

Septimum sigillum et ultimum ac aetas est generalis vexationis; et coepit a transmigratione populi iudaici (*a*) usque ad Christum; quo tempore populus Dei fuit multipliciter afflictus, ut patet de rege Babylonis, de rege Ninive tempore Iudith, de Aman tempore Esther, et de aliis tempore Machabaeorum. Etsi multi fuerint singulares hoc tempore, scilicet Ezechiel, Daniel, Esdras, Nehemias, Tobias, et sic de aliis, praecipue tamen hoc tempore missus est ille singularis homo a Deo, videlicet Simon Oniae, de quo dicitur, Eccli. 50, 1 et 6: *Qui in vita sua suffulsit domum,* et subdit, quod fuit *quasi stella matutina in medio nebulae* etc.; multa dicit ad eius commendationem. — Ex quibus septem sigillis sive aetatibus, omissis quae in eis facta sunt, patet, quod septem singularissimos homines ad mundum renovandum destinavit Dominus Deus, quorum ad instar in novo testamento septem sigilla ponuntur et aetates, de quibus sex iam, ut creditur, transierunt, et septima exspectatur sive iam incepit.

Novi testamenti primum sigillum est visceralis miserationis, scilicet plenitudinis gratiae; quo tempore Deus Pater, *propter nimiam caritatem suam, Filium suum misit in similitudinem carnis peccati* [1]. Hoc tempore, etsi Ioannes Baptista sit *missus a Deo,* Ioan. 1, 6, tamen, quia venit in testimonium Iesu Christi, ipse Iesus est ille *homo missus a Deo* ad mundum renovandum et redimendum, *quem Pater sanctificavit et misit in mundum* [2], qui fuit verus Deus et homo, *potens in opere et sermone* [3], de quo de quampluribus aliqua ponunt evangelia, ubi, qualis fuerit moribus, vita, conversatione, doctrina et sermone, ostenditur.

Secundum sigillum et aetas est apostolaris praedicationis; et incepit ab adventu Spiritus sancti in apostolos in die Pentecostes. Quo tempore, etsi missi sint sancti apostoli ad praedicandum in orbem universum, Matth. ultimo, 19, tamen unum sin-

(*a*) As addit *in Babylonem.*

[1] Eph. 1, 4 et Rom. 8, 3. — [2] Ioan. 10, 36. — [3] Luc. 24, 19.

gulariter elegit et misit, scilicet apostolum Paulum, qui fuit *vas electionis* a Christo directum, ut eius *nomen portaret coram gentibus et regibus et filiis Israel*, Act. 9, 15; *qui apostolus vocatus, segregatus in evangelium Dei*, Rom. 1, 1, *raptus ad tertium caelum*, II Cor. 12, 2, qui plus *omnibus laboravit*, I Cor. 15, 10.

Tertium sigillum et aetas est victorialis triumphationis, scilicet tempore martyrum; et incepit a persecutione Neronis, Domitiani et aliorum imperatorum sive tyrannorum Christum propter idola persequentium ac sanctos Christum profitentes interficientium; et hoc tempus bene per tercentos et ultra duravit annos usque ad Constantini ad Christum conversionem. Quo tempore missi sunt et fuerunt martyres insignissimi, ut patet in sanctorum legendis, sed praecipue unus est missus a Christo et fuit, de quo prae aliis magis solemnizat ecclesia, videlicet beatus Laurentius; hic qualis fuerit solemnitas ecclesiae evidenter declarat.

Quartum sigillum et aetas est carnalis subiugationis; et coepit a baptismo Constantini et duravit usque ad tempora beati Benedicti. Quo tempore fuerunt illi sancti confessores in desertis Aegypti et aliis locis morantes ad carnis subiectionem praecipue immorantes, inedia, austeritate vitae, vigiliis, orationibus, disciplinis et aliis carnem in servitutem spiritus redigentes. Sed hoc in tempore, etsi Paulus primus eremita et alii post eum plures sanctitate famosi sint directi, praecipue tamen unus fuit beatus Antonius abbas, pater quasi omnium monachorum et anachoretarum, magister Pauli simplicis, Hilarionis, Macarii et sic de aliis, cui post superationem daemonum dixit Christus: « Quia viriliter fecisti, te faciam in toto orbe nominari [1] »; quo nomine Augustinus et alii ad sancte peragendum sunt incitati.

Quintum sigillum et aetas est mirabilis mundi sublevationis a pressuris, quae inerant in orbe per gentes Vandalorum, Gothorum, Hunnorum, Longobardorum, et sic de aliis. Quo tempore missi sunt multi probi et sancti viri, prout beatus papa Gregorius recitat in libris suorum *Dialogorum*, qui mirabiliter mundum suis virtutibus et signis sublevarunt; sed inter eos missus est singularissimus vir, re et nomine Benedictus, cuius conversatio, vita, doctrina ac per orbem nominatio a beato Gregorio II *Dialogorum* libro luculenter exprimitur et declaratur [2].

Sextum sigillum et aetas est poenitentialis et passionalis crucis renovationis; quod tempus incepit a beato Francisco, tempore videlicet Friderici II imperatoris, 1206 Domini anno, quo tempore apertum est sextum sigillum, ut Ioannes ponit, Apoc. 6, 12. Qua apertione sigilli facta in tempore huius imperatoris Friderici et regis Siculorum *factus est terraemotus magnus*, videlicet persecutionis ecclesiae; *sol factus est niger*, id est dominus papa, qui tempore suo fuit niger, ut non inveniretur, repertus tandem in quodam hospitali Venetiis; *et luna facta est sanguis*, quia multi clerici eidem Friderico non adhaerentes occisi sunt, et sic ecclesia per lunam signata *facta est tota sanguis; stellae ceciderunt de caelo*, quia multi praelati per stellas signati ceciderunt de caelo militantis ecclesiae propter adhaesionem ad ipsum Fridericum. Isto denique tempore, quo mundus cruciabatur, et specialiter romana ecclesia propter Saracenos ad partes fidelium per ipsum Fridericum adductos, ut nullus auderet papam seu ecclesiam nominare, nec Christum seu apostolos quis sequebatur; vita Christi in contemptum per despectum paupertatis et appetitum divitiarum omnino oblitterabatur, intentus a maiori usque ad minimum quilibet avaritiae signatae per malleolos, su-

[1] Athan., *Vita S. Antonii* (P. G. L. 26, 859). — [2] P. L. 66, 125 sq.

perbiae signatae per stuppam, luxuriae signatae per picem, invidiae signatae per naphtham, quibus fornax per ministros daemones incenditur huius mundi, ut in figura habetur, Dan. 3, 46 sqq. Hoc, inquam, tempore, ut Ioannes evangelista inspexit, Apoc. 7, 2, sexto aperto sigillo, *ab ortu solis,* id est de civitate Assisii ad orientem posita, *ascendit angelus,* id est angelicus vir Franciscus, puritate et sanctitate consimilis angelis, directus a Domino. Sed quomodo? Inquit: cum *signo Dei vivi,* quia ipse, ut dicetur fructu et conformitate XXXI, et solus signatus est *signo,* id est stigmatibus, *Dei vivi;* cum isto signo venit beatus Franciscus. Sed ad quid, statim dicetur. Sic ergo patet, quod beatus Franciscus est directus a Domino et missus, et quo tempore, quia « sub sexti sigilli apertione », ut dominus Albanensis asserit in prologo *maioris legendae* beati Francisci [1]. Et quod tempore Friderici II beatus Franciscus ordinem inceperit et consequenter a Domino missus, patet chronicam intuenti; regnavit enim 36 annis et si pluribus ab ecclesia depositus. Insuper isto imperatore in Apulia exsistente, beatus Franciscus baronibus suis praedicavit, et ab ipso imperatore tandem invitatus ad coenam, collocata est eius mandato mulier in camera cum beato Francisco, quae miraculo magno viso de igne, super quem nudum se beatus Franciscus posuerat et non laesus, ad ipsum beatum Franciscum efferbuit devotione speciali [2]. Istius etiam tempore beata Clara post mortem beati Francisci vivebat et circa gentes eiusdem exercuit illud miraculum, ut corporis Christi portatione omnes, qui iam suum intraverant monasterium, effugaret [3].

De tempore septimi sigilli, quando proprie incipiet et quis specialiter mittetur, quia non nobis est certum, ideo nihil ad praesens.

Sic ergo patet de tempore, quod erat secundum pro praesenti declarandum.

3. Circa tertium, quod est videndum, videlicet ad quid a Domino beatus Franciscus est missus et directus, est advertendum, quod, cum tempore beati Francisci, quo missus est, oblitterata esset perfectionis via, quae in Christi imitatione et apostolorum fundatur, homines peccatis irretiti poenitentiae formam ignorabant ac scientes peragere declinabant; et beneficium passionis Christi a cordibus hominum aberat totaliter, utpote, quia nec passio meditabatur a quoquam, nec Christus crucifixus intra cordis viscera, velut fasciculus myrrhae, stringebatur. Beatus igitur Franciscus ad hoc directus a Domino est, ut poenitentiam exercendo poenitentiam praedicaret et ad ipsam faciendam fideles induceret, oblitteratam Christi vitam et apostolorum renovaret, eam tenendo, profitendo et observando, et demum ad Iesu crucem sectandam, meditandam et cordis amplexibus perstringendam omnes christicolas induceret et vocaret; ad haec tria a Domino beatus Franciscus est directus.

Quod enim ad poenitentiam faciendam beatus Franciscus est missus, patet primo, domini Innocentii III mandato, qui regulam approbans dedit beato Francisco et suis sociis « de poenitentia praedicanda mandatum [4] »; secundo, patet, quia conversus ad

[1] N. 1. Cfr. etiam ea, quae Ubertinus a Casali, l. c. l. V c. 2 refert: « Et ego audivi a solemni doctore istius ordinis, quod frater Bonaventura, tunc generalis minister et doctor solemnis, praesente praefato doctore, qui mihi dixit, quod in capitulo Parisiensi solemniter praedicavit, quod ipse erat certus et certificatus, quod beatus Franciscus erat angelus sexti signaculi ». etc. — [2] Cfr. cod. ms. coll. S. Ant. fol. 68 v. — [3] *Legenda S. Clarae,* c. 3 n. 21 et 22. — [4] Bonav. l. c. c. 3 n. 10.

Dominum coepit poenitentiam praedicare, cuius verbis animati ad poenitentiam exercendam eidem plures, omnibus relictis, adhaeserunt; quos et fratres Minores vir humilis censuit appellari; tertio, hoc patet verbis domini Albanensis dicentis in prologo *Legendae maioris*[1]: « Secundum imitatoriam quoque similitudinem praecursoris destinatus a Domino, ut *viam parans in deserto*[2] altissimae paupertatis tam exemplo quam verbo poenitentiam praedicaret », de cuius beati Francisci poenitentia infra dicetur fructu et conformitate XIX; quarto, hoc patet exemplo ordinis et experientia a beato Francisco instituti; nam tertium ordinem instituit, Minorum ac ordinem pauperum dominarum, qui tres ordines ad poenitentiam exercendam peculiariter a Christo sunt ordinati, etsi mediante beato Francisco; et quot eius exemplo et verbo sint et fuerint poenitentiam exercentes, illius est scire, qui solus stellas numerat et sua intelligentia cuncta comprehendit; qui enim cupit poenitentiam agere Deo placabilem et acceptam, praefatorum ordinum normam amplexetur et mores, quod faciendo dignos poenitentiae fructus facere, mercede tandem percepta, agnoscet.

Beatus insuper Franciscus missus est ad vitam evangelicam in se et aliis renovandam, profitendam et observandam; nam ipse totum evangelium observavit ad litteram, prout de ipso cantatur[3]: « Franciscus evangelicum nec apicem vel unicum transgreditur, nec iota ». Hoc patet etiam tam ex prima regula, quam confirmavit dominus Innocentius III, quam ex secunda, quam confirmavit papa Honorius III, quae regulae omnes sunt fundatae in sancto evangelio; et prima verba sunt: « Regula et vita fratrum Minorum haec est: Domini nostri Iesu Christi sanctum evangelium observare »; et in fine dicitur: « Et sanctum evangelium Domini nostri Iesu Christi, quod firmiter promisimus, observemus ». Et quod regula fratrum Minorum fundetur in evangelio, non solum patet experientia, sed per determinationem patet ecclesiae, dicente domino papa Nicolao III in regulae declaratione — et est posita in *Corpore, Extra, De verborum significatione*[4] — *Exiit*, ubi dicit, quod regula fratrum Minorum « evangelico fundatur eloquio, vitae Christi roboratur exemplo, fundatorum militantis ecclesiae apostolorum eius sermonibus actibusque firmatur ». De ista regula multa dicentur fructu et conformitate IX. Nulla alia regula a beato Augustino seu Basilio seu Benedicto composita sic verbo et facto in evangelio fundatur, ut regula Francisci, et per consequens, quod sit vitae [Christi] expressiva et apostolorum; ac consequenter, quia beatus Franciscus, audita forma vivendi apostolorum, eam assumserit, ut dicit dominus Albanensis in III parte *Legendae maioris* in principio[5], ac ipsam Christus dictavit, instituit et sic esse voluit, prout ipse Christus eloquio suo in monte Rainerio seu fontis Palumbae multis ministris expressit et fratribus, concludi potest per beatum Franciscum et suos vita Christi et apostolorum sic renovata, approbata et observata; et per consequens claret, beatum Franciscum ad hoc a Christo directum, ut in se ac suis et per ipsum convertendis Domini Iesu vita et suorum apostolorum per imitationem ipsius renovaretur et servaretur. Unde papa Alexander IV in privilegio de stigmatibus beatum Franciscum considerans destinatum a Christo tam ratione poenitentiae insinuandae quam vitae Christi imitandae — et incipit privilegium *Benigna divinae operatio voluntatis*[6] — sic dicit: « Benigna divinae operatio voluntatis in caelo potenter innovans signa et sapienter immutans miracula super terram, postquam

---

[1] N. 1. — [2] Marc. 1, 3; Luc. 3, 4. — [3] Ant. 4 in 1 vesperis sui festi. — [4] Tit. XIV c. 1. — [5] C. 3 n. 1. — [6] Sbaralea, *Bullarium franciscanum*, t. II pag. 85.

Dei Filius victor mortis ad Patrem, unde descenderat, vehiculo propriae maiestatis ascendit, mirificae fortitudinis viros in confirmationem sanctorum diversis temporibus suscitavit »; et subdit: « Inter alios autem diebus nostris almus Christi confessor apparuit Franciscus signis et virtutibus gloriosus, qui clarissimis pie vivendi meritis et exemplis fecundavit ecclesiam, et caligantia praesentis aetatis tempora fulgoris sui lampade illustravit, viam perfectae iustitiae parans in deserto altissimae paupertatis, quam ipse currens alacriter et exsultans contra carnem, mundum et diabolum velut gigas, traxit post se de daemoniferis faucibus et traduxit ad Dominum populum humilem bonorum operum sectatorem »; et sequitur: « Ut autem ad illuminationem gentium celebris eius memoria, tanquam rutilum sidus in corusco firmamenti mystici aethere, servaretur, multis divina potentia et adhuc militantem inter homines et demum in sanctorum agmine triumphantem dignata est deificare miraculis »; et subdit postea de stigmatibus, de quibus infra fructu et conformitate XXXI habetur.

Sic ergo apparet,quod ad duo praefata beatus Franciscus a Domino est directus.

Restat ergo ostendendum, quod directus est ad crucem Domini praedicandam, baiulandam et cordibus fidelium implantandam. Et quod sic sit, hoc ostenditur primo figura prophetali; Ezech. 9, 4 habetur, quod vir quidam apparuit *signans Thau super frontes gementium et dolentium;* qua signatione a percussione angelica liberabantur; et quod haec figura, etsi [primo] sit de Christo, secundario sit de Francisco, patet visione fratris Pacifici, qui vidit in facie beati Francisci *Thau,* scilicet in fronte; hoc enim signum beatus Franciscus semper amavit, de ipso saepius praedicando et suas litteras consignando [1]; secundo hoc patet figura Apoc. 7, 2 sq., quod Ioannes *vidit angelum ascendentem ab ortu solis, habentem signum Dei vivi;* et signo crucis, ne percuterentur, fideles angelus (*a*) consignavit; haec figura esse beati Francisci ostendit et Francisci stigmatizatio et fratris Silvestri visio, qui crucem auream ex ore procedentem vidit beati Francisci, cuius splendore draco fugabatur et fideles liberabantur [2].

Secundo probatur factura (*b*) Dei singulari; in signum huius, scilicet quod beato Francisco praedicanda erat crux, et multi eum quoad hoc sequi debebant, ipsi beato Francisco ostensum est palatium cum militaribus armis, dictumque est sibi, « sua fore militumque suorum [3] ». Visio fratris Silvestri, dum adhuc esset presbyter saecularis: ter visio sibi ostensa de cruce aurea ex ore beati Francisci procedente pertingente ad caelum et ad terminos mundi, cuius crucis visione draco effugabatur, praetendit idipsum, scilicet per Franciscum meditatio passionis, quia ex ore, et praedicatio eius per attingentiam ad mundi terminos. Idipsum ostendit visio fratris Pacifici, qui beatum Franciscum praedicantem vidit duobus ensibus valde fulgentibus transversaliter consignari (*c*), quo edoctus fuit per beatum Franciscum crux et meditari et praedicari ac crucis gloria velut per gladium cordibus fidelium infigi [4]. Apparet hoc etiam beati Francisci in modum crucis sui repraesentatione, videlicet fratribus in capitulo Arelatensi, beato Antonio fratribus praedicante [5]. Astruit etiam hoc beati Fran-

(*a*) As et edd. *ab angelis fideles.* — (*b*) Edd. *figura.* — (*c*) Edd. *Pacifici de ensibus, quibus transversaliter beatus Franciscus erat consignatus.*

[1] Bonav. l. c. c. 4 n. 9. — [2] II Cel. 3, 52; Bonav. l. c. c. 3 n. 5. — [3] I Cel. 5; Bonav. l. c. c. 1 n. 3. — [4] II Cel. 3, 49; Bonav. l. c. c. 4 n 10. — [5] I Cel. 48; Bonav. l. c. c. 4 n. 10.

cisci in oratione sublevatio; nam a terra visus est elevatus multoties brachiis in modum crucis extensis, et nubecula clarissima circumdatus. Hoc idem astruit visio fratris Leonis, qui eundo de Perusio Assisium Christum crucifixum vidit praeeuntem beatum Franciscum, cum stante stantem et cum eunte euntem et secum loquentem [1]. Haec omnia indicant beatum Franciscum habuisse ad Christum specialem (*a*) affectum et amorem; et quia amantium mos est, ut amorem suum silentio tegere nequeant, quare et lingua Francisci et conatus fuit alios ad Crucifixi amorem provocare.

Tertio ostenditur propositum beati Francisci studio; nam, ut habetur in principio IX partis *Legendae maioris* et in fine *Legendae maioris* [2], totum suum studium tam publicum quam privatum circa passionem Domini erat, adeo « ut omnis eius vita non nisi crucis vestigia sequeretur, non nisi crucis dulcedinem saperet, non nisi crucis gloriam praedicaret ».

Quarto ostenditur hoc beati Francisci eloquio; unde in IV parte *Legendae maioris* [3] dicitur, quod, carentibus libris fratribus ad dicendum divinum officium, « loco illorum, librum crucis Christi continuatis aspectibus, diebus ac noctibus revolvebant exemplo beati Francisci patris et eloquio eruditi; qui iugiter faciebat eis de cruce Christi sermonem »; quo patet, quod non solum beatus Franciscus, sed fratres per eum inducti sunt ad contemplandam dominicam passionem et crucem.

Quinto Crucifixi hoc ostendit apparitio; beato Francisco ut contemplatori ac crucis praedicatori voluit Dominus Iesus Christus apparere uti cruci confixus, et adeo cor Francisci transfixit haec apparitio et visio, ut quasi iugiter Domini plagas cerneret et vix a lacrymis continere valeret. Et ista visio, etsi in habitu saeculari exsistenti beato Francisco est facta, ad hoc est eidem ostensa, ut quid deberet contemplari et quid praedicare (*b*), et quomodo crucifixio fuit amara, sibi a Domino monstraretur. In ecclesia sancti Damiani Crucifixus fuit ei locutus; ut ecclesiam repararet, demandavit eidem, ut per crucis praedicationem ipse beatus Franciscus praenosceret ecclesiam terrestrem ab eo fore reparandam [4].

Sexto ostendit hoc habitus designatio; ut Christus ad crucem praedicandam beatum Franciscum direxisse ostenderet, et in habitu, quem portare ipsum voluit, declaravit, qui habitus in forma crucis est et crucis intuitu a beato Francisco sic designatus, ut corde prius, habitu secundo et demum verbo omnibus Crucifixum demonstraret [5].

Septimo ostendit hoc diaboli attestatio praefato baroni, ut dictum est supra [6]; diabolus per os cuiusdam mulieris dixit, quod Christus a Patre petivit, ut daret sibi aliquos, qui essent suae crucis baiuli, et Pater caelestis dedit sibi beatum Franciscum cum suo ordine (*c*); et dixit diabolus, quod si tunc ordo beati Francisci esset parvus, super omnes alios ordines multiplicaretur. Patet ergo propositum.

Octavo hoc ostendit beati Francisci stigmatizatio a Christo; quod enim miserit eum ad crucem et passionem praedicandam, imprimendo sibi stigmata cunctis evidenter declaravit; et quia de hoc plene dicetur fructu et conformitate XXXI, ad praesens omitto.

(*a*) As et edd. *crucifixum singularem*. — (*b*) Edd. addunt *cerneret*. — (*c*) Edd. om. a *supra* — *ordine*.

---

[1] *Actus* c. 38 et 39; *Chron. XXIV gener.* pag. 68. — [2] C. 9 n. 2 et *Miracula* § 10 n. 8. — [3] N. 3. — [4] Bonav. l. c. c. 2 n. 1. — [5] Cfr. *Legenda antiqua*, c. 27. — [6] Pag. 73.

Nono hoc ostendit miraculorum operatio facta cruce et Crucifixi invocatione, de quibus miraculis habes infra fructu et conformitate XIII.

Quibus novem apparet beatum Franciscum directum a Christo, ut non solum crucem meditaretur, sed et crucis gloriam praedicaret, ac praedicando ad Crucifixi sectanda vestigia et suae passionis acceptanda insignia fideles inducerentur. Qui cupit ergo poenitentiam exercere, vitam Christi tenere ac Iesu crucifixi magnalia videre, beatum Franciscum inspiciat, attendat et prosequatur; quia ad praefata a Christo emissus iam dicta docent, et docuit tam vita quam exemplo et verbo.

Sed quia in secunda parte huius expositionis, loquendo de sexto sigillo novi testamenti, dictum est prae aliis beatum Franciscum directum a Christo, quia plures sunt etiam tunc destinati, sicut sanctus Bernardus abbas, qui ante beatum Franciscum parum temporis fuit, sic etiam sanctus Dominicus fuit emissus et sic de aliis, videtur ergo aliis sanctis derogari nec debere missio prae ceteris beato Francisco attribui; respondetur, quod non est negandum, quin etiam praedicti sint missi, cum in quolibet sigillo et aetate tam novi quam veteris testamenti sint multi sancti a Domino missi; sed praefati sunt expressi ob excellentiam sanctitatis ad alios. Quia enim beatus Franciscus venit et ascendit ab oriente, Dominicus et Bernardus ab occidente, insuper et Franciscus in filiis (*a*) et sanctitate, numero et scientia et nobilitate est exaltatus, ut fructu et conformitate VIII patebit, fuit etiam ipse solus magis conformis Christo quam ipsi, ut hoc opus declarat, et suis stigmatibus consignatus, quo celsior aliis reperitur, ut ostendit fructus et conformitas XXXI; his ex causis solum Franciscum dico antonomastice a Deo destinatum tali tempore et specialiter talibus finibus et fine.

Ex praedictis patet, quomodo Franciscus est destinatus a Domino, quo tempore et ad quem finem; et sic patet succincta declaratio huius secundae partis II fructus et conformitatis, videlicet: *Franciscus destinatur.*

TERTIUS FRUCTUS ET CONFORMITAS:
Iesus Laete Progenitus — Francisco Vir Laetatur.

Expositio primae partis, scilicet: Iesus laete progenitus.

1. Divini consilii inscrutabilis altitudo ex quo decreverat hominem a diabolo et a morte peccati redimendum et liberandum, ac tempore gratiae superveniente, ab arce Patris missus est Dei Filius, ac carni nostrae in sacro Virginis utero unitus in sua permanens deitate, factus est homo verus; in qua incarnatione mirifica *innovata sunt signa* divinae potentiae, et *immutata sunt mirabilia* [1] stupendiora prae solito Deus excelsus faciens.

Et primum stupendum et mirabile est Dei ad miserandum inclinatio; per quinque millia annorum *continuit in ira sua misericordias suas* [2], non flexus lacrymis, non precibus inclinatus, nec miseriis commotus sanctorum patrum ac humani generis; attamen in hac incarnatione quid ait? illud Ex. 3, 8: *Descendi, ut liberarem populum meum.*

(*a*) As *figuris.*

[1] Eccli. 36, 6. — [2] Ps. 76, 9.

Secundum stupendum et mirabile est Dei humiliatio; cum enim nihil vilius sit carne humana, et tamen eam apprehendere humiliando se dignatus est Deus, propter quod, Phil. 2, 7, dicit apostolus, quod Deus *exinanivit semetipsum, formam servi accipiens.* Unde non solum est stupendum haec unio, scilicet mortalis naturae ad Deum, sed ipsa carnis vilis assumtio stuporem intuentibus ingerit singularem.

Tertium stupendum est naturarum impermixtio; gutta aquae indita mari et iniecta nomen amittit et naturam, et tamen natura humana mari infinito coniuncta nomen retinet et naturam, ut sine naturarum, scilicet divinae et humanae, commixtione et confusione utraque permanet in una persona, quae est Christus, Deus et homo.

Quartum stupendum est idiomatum communicatio; Origenes libro I *Super epistolam ad Romanos* [1]: « Propter indissolubilem unitatem (*a*) Verbi et carnis omnia, quae carnis sunt, attribuuntur Verbo, et omnia, quae Verbi sunt, praedicantur de carne »; et Augustinus I *De Trinitate* c. 13 [2] dicit, quod talis est illa assumtio humanitatis a deitate in Christo, « ut Deum hominem faceret et hominem Deum ». Quo patet, quod tali unione facta est naturarum communicatio, ut quae dicuntur de Deo, dicantur de homine, et econverso, saltem concretive; facta est enim communicatio: primo quoad perfectiones essentiales, ut homo est spiritus infinitus, et Deus est corpus; secundo quoad proprietates accidentales, ut Deus est albus, et homo aeternus; tertio quoad actiones, quia actiones naturarum communicantur ad invicem, ut homo creat, et Deus comedit; quarto quoad passiones, quia ex quo in actionibus est communicatio, erit et in passionibus, et sic dicitur Deus passus et homo aeternaliter generatus.

Quintum stupendum est plenitudinis deitatis communicatio et concessio, quia entitative, formaliter et secundum omnem perfectionem ac gradum immensum se homini assumto communicavit, ut dicit apostolus Col. 2, 9: *In Christo habitat omnis plenitudo deitatis,* et Ioan. 1, 14: *Verbum caro factum est.* Est tamen sciendum, quod non est communicata secundum omnem modum perfectionalem, quia, etsi homo dicatur Deus, non tamen deitas in abstracto; ratio, quia, etsi natura humana sit facta una cum divina unitate personae, non tamen unitate naturae, quare ibi est distinctio, et sic ad propositum. Insuper tam animae quam corpori sic est unita deitas, scilicet secundum omnem perfectionem essentialem, carni tamen non; sed animae unita est secundum modum (*b*) vitalis immutationis. Ratio, quia corpus non, sed anima essentia est vitalis; nec etiam animae unita est secundum vitalem immutationem immense quoad gradum, sed solum quoad speciem et obiectum, quia anima non est capacitatis immensae (*c*), etsi sit capacitatis infinitae.

Sextum stupendum [est] duarum naturarum et substantiarum una personatio; in Christo enim, etsi sint duae naturae, non tamen est nisi unum suppositum et una persona; natura enim humana non prius fuit condita, quam assumta in Christo; quare nunquam fuit persona, ut docet Magister sent. III d. 5 [3]; et sic, quod natura humana divino subsistat supposito, est stupendum.

Septimum stupendum est, quod in atomo, id est indivisibili, totius hominis assumtio, ut dicit Damascenus [4], quia non prius corpus quam anima, vel econverso, sed simul corpus et anima (*d*), etsi corpus mediante anima sit assumtum, ut dicit Magister III d. 2 c. 2 et 3, ut talis mediatio non dicat causam et prioritatem colligantiae, sed congruentiae; ad quod secutum est illud stupendum, videlicet corporis Christi in instanti organizatio, animae creatio et in eodem instanti corporis et animae cum deitate unitio, ut dicit Magister III d. 3 c. 4, contra ordinem naturae, quae quadraginta sex diebus corporis humani quoad virum intendit formationi.

(*a*) Codex *veritatem.* — (*b*) Ed. 1 *medium.* — (*c*) As et edd. *infinitae.* — (*d*) Codex *animam.*

[1] N. 6 (P. G. L. 14, 852). — [2] N. 28 (P. L. 42, 840). — [3] C. 3. — [4] III *De fide orthodoxa,* c. 11 (P. G. L. 94, 1023).

Octavum stupendum est istius unionis naturae humanae non ad personam Patris nec Spiritus sancti, sed ad solam personam Verbi terminatio, etsi sint indivisa opera Trinitatis ad extra, quia hoc non est principaliter ad naturam, et consequenter ad personam, sed econverso; hinc est, quod una persona potest incarnari sine alia; sed quare Filius et non Pater ac Spiritus sanctus, dictum est fructu et confórmitate praecedenti.

Nonum stupendum est naturae unitae sic copulatio, ut nunquam dimissio. «Quod semel assumsit, nunquam dimisit», ut Damascenus dicit [1]; etsi passionis tempore anima a corpore, neutrum tamen a deitate est separatum; et sic haec unio stabit sempiternaliter, ut nunquam desinat Deus esse verus homo; quo sequitur stupendum illud, quod nulla indissolubilior et maior reperitur coniunctio, quam haec unio benedicta; patet omnibus modis coniunctionis et unionis pensatis cum communicatione idiomatum, quae est in ista sacra unione.

Decimum stupendum est animae Christi sapientiae infusio, ipsius quoad portionem superiorem beatificatio et in parte inferiori doloris perceptio, quae tria sunt miranda; nam anima Christi est omnisciens, III sent. d. 13, nec Christus profecit quoad habitum scientiae, sed quoad experimentum, et beatus fuit in portione superiori et non inferiori, ut dicit Magister III d. 15 [2].

Undecimum [stupendum] est talis naturae humanae assumtione hominis exaltatio, ut homo susceptus sit a Deo et Deus factus — hoc est stupendum et antea inauditum — et consequenter super omnia sublimatus, utpote in bonis potioribus sublimatus et locatus, quia *a dextris Dei,* Marc. ultimo, 9.

Duodecimum stupendum est per cultum latriae humanae naturae in Christo veneratio; talis enim cultus sibi congruit, ut docet Magister III d. 9. Hac enim naturae humanae assumtione facta, angeli, qui primo adorari se ab homine permittebant, deinceps non permiserunt, ut patet Apoc. 19, 10 et 22, 9; quibus apparet, quod signa stupenda in Filii Dei incarnatione sunt a Deo operata.

Possunt etiam alia stupenda videri facta hac incarnatione. Stupendum quippe est primo, ut una puella paupercula et modica Dei mater efficeretur; secundo, ut puella sine virili complexu et virginitate permanente gravidaretur; tertio, ut dictum est, in instanti corporis Christi organizatio et formatio de purissimis beatae Mariae sanguinibus; quarto, sine labe a Virgine contra morem aliorum corporis Christi decisio; quinto Christi perfectio, in illo instanti perfectus homo fuit utens ratione iuxta Ieremiae 31, 22 vaticinium: *Femina circumdabit virum;* sexto, corporis tam minimi, sicut fuit Christi, in instanti animatio contra morem aliorum; septimo, totius Trinitatis in Virgine descensio; octavo, Christi a Virgine sine pondere et gravamine in suo utero baiulatio; nono, Virginis mentis, Christo in eius ventre stante, ad cernendum superna evectio; decimo, illius animae benedictae Virginis summa consolatio et refectio; undecimo, ultra morem aliorum Christi in ventre Mariae statio et permansio, quia perfectus homo novem stetit mensibus; duodecimo, Christi plus ad Matrem suam quam sit aliorum germanitatis et consanguinitatis affectio et dilectio; nam corpulentam substantiam totam habuit a sola beata Virgine.

Alia stupenda possunt dici, sed praefata sufficiant.

2. Sed hic Dei Filius carne circumdatus, postquam in utero Virginis novem steterat mensibus ad publicum nostrum volens egredi et sua praesentia mundum visitare, ut (*a*) ante *multifarie multisque modis* fuerat *patribus locutus* [3], videlicet: primo per somnia in visione, ut Iacob, dum pergeret Haran, de nocte in visione scalam vidit et Deum sibi loquentem

(*a*) As et edd. addunt *quia*.

[1] *De fide orthodoxa,* l. III c. 27 (P. G. L. 94, 1098); cfr. Bonav., Opera omnia t. III pag. 138 not. 8. — [2] C. 1. — [3] Hebr. 1, 1.

audivit, Gen. 28, 12 et 13; secundo vocali expressione, sicut Moyses, dum iret ad videndum rubi visionem, a Domino fuit vocatus, Ex. 3, 4; tertio per occultam inspirationem, sicut fuit Daniel, quando iuvit Susannam ab impositione falsi criminis, Dan. 13, 45 sqq.; quarto per manifestam apparitionem, in qua constat Deum loqui, Ps. 84, 9: *Audiam, quid loquatur in me Dominus Deus meus,* et Os. 1, 2: *Principium loquendi Domino in Osee;* quinto per angelicam informationem, ut patet Zach. 2, 3: *Ecce angelus Domini, qui loquebatur mecum;* quod fit ab angelis per modum luminis irradiantis vel speculum offerentis vel linguae efficaciter exprimentis; sexto operum significatione, ut Isaias 20, 2 dicit: *Solve saccum de lumbis tuis,* ostendens, quod Iudaeorum erat solvenda captivitas; septimo figurae ostensione, quo modo Deus loquitur angelis (*a*), sed Moysi *ore ad os,* Num. 12, 8; octavo signorum et portentorum exhibitione, Ex. 20, 18: *Cunctus populus audiebat voces et videbat lampades* etc.; nono scripturae impressione, ut Baltassar regi, Dan. 5, 5, qui vidit manum scribentem in pariete, et per articulos manus Deus est ei locutus; decimo miraculorum operatione, ut Eliae, Moysi et aliis prophetis, quae miracula erant verbum naturale locutionis divinae, sicut est effectus verbum naturale suae causae, iuxta dictum Christi, Ioan. 5, 36: *Ipsa testimonium perhibent de me;* undecimo flagellorum incussione, sic locutus est Deus pharaoni in Exodo, 11, 1 et 12, 29, et Heliodoro, II Mach. 3, 25 sqq.; duodecimo doctorum eruditione, loquitur enim per linguas doctorum, ut patet de prophetis missis ad populum informandum, quibus dicit Christus, Matth. 10, 14 [1]: *Qui vos audit, me audit;* tertiodecimo peccatorum improperatione, sic locutus est Adae post peccatum dicens, Gen. 3, 9: *Adam, ubi es?* quartodecimo creaturarum informatione, Ps. 18, 1: *Caeli enarrant gloriam Dei* etc.; quintodecimo beneficiorum collatione, Ps. 98, 7: *In columna nubis loquebatur ad eos;* tandem, quid egit Dominus? Inquit illud Is. 52, 6: *Ecce ego ipse, qui loquebar adsum,* ita quod per seipsum, id est ostendendo se incarnatum, voluit nobis loqui, et hoc quando Dei Genitrix ipsum *peperit Filium suum primogenitum,* Luc. 2, 7. Et inter alia duo fecit: primo, quia fuit nobis locutus multipliciter, non lingua carnis, sed exemplo et effectu operis; secundo tali allocutione et suo ortu nos multipliciter laetificavit.

3. Primo dico, quod locutus est nobis multipliciter, non solum ipse, sed iuxta modum loquendi apostoli, Hebr. 1, 2, Pater aeternus *in Filio est nobis locutus.* Sed quomodo? Certe, inquam, Pater ipsum nobis largiendo Filium primo in pretium nostrae redemptionis, Gal. 1, 4; secundo in pabulum nostrae refectionis, Ps. 135, 25; tertio in speculum et radium nostrae cognitionis, Luc. ultimo, 31; quarto in modulum et titulum nostrae correctionis, Ioan. 13, 8 sqq.; quinto in socium nostrae consolationis, Ps. 105, 44 sqq.; sexto in brachium perseverationis, Eccli. 24, 30; septimo in medium foederationis, I Cor. 5, 4 et Is. 42, 1 sqq.; octavo in vinculum nostrae adamationis, Ioan. 17, 3 sqq.; nono in dominium gubernationis, III Reg. 3, 11 sqq.; decimo in baculum sustentationis, II Reg. 17, 40; undecimo ad studium bonae operationis, Is. 49, 6 sqq.; duodecimo in praemium nostrae remunerationis et beatificationis, I Petr. 1, 4 sqq.

Ipse denique Dei Filius speciali modo nascendo est nos allocutus, exempla nobis ingerendo obedientiae, venit enim ad nostras calamitates, ut Patri obediret; humilitatis, dicit apostolus, Phil. 2, 7 et 8, quod *humiliavit et exinanivit semetipsum, formam servi accipiendo;* paupertatis, ostendit in parentibus, in loco, in quo natus est, in lecto, ubi est reclinatus, in pannis vilibus, quibus fuit involutus, et in incommodorum susceptione; mundi despectibilitatis (*b*), in suo enim ortu ac vitae progressu omnia mundana contempsit; caritatis, hac dedit se nobis, non nostris meritis; austeritatis, poenitentiae statum in suo ortu incepit

(*a*) As et edd. *aliis.* — (*b*) Edd. *contemptus.*

[1] Potius Luc. 10, 16.

cubitando in paleis, in frigore stando et nuditate; piae et benignae conversationis, consideratis cum quibus est conversatus, cum animalibus mitibus, cum Maria et suo sponso; evitationis peccati, pro cuius expiatione natus et tot incommoda suscepit; affectionis totalis ad patriam, dum enim mundum contemnit, exemplum praebet et patriam appetendi; perfectionis, omnia enim, quae gessit in suo ortu, perfectionem dicunt et ostendunt; dilectionis divinae, a qua nunquam recessit, quia semper est Deus, etsi carnem assumsit; imitationis assiduae, ut quemadmodum fecit, sic et nos agamus. Sic locutus est nobis.

Allocutus est Iesus oriens multos et diversimode, et primo Matrem, quam continue illustrabat; secundo angelos, quos ad Deum et se laudandum incitabat; tertio pastores et Magos, quos ad se adorandum vocabat; quarto mundi principes, quos suo exemplo ad mundi contemptum invitabat; quinto sacerdotes, quos ad verum sacrificium de (*a*) se offerendum ordinabat; sexto pauperes et humiles, quibus se conformabat; septimo divites, quos, eorum statum fugiendo, declinabat; octavo crudeles, quos ut Herodem superabat; nono peccatores, ad quos liberandos se humanabat; decimo ignorantes, quos de se luce venustabat; undecimo patres antiquos, quos, ut dicetur, suo ortu laetificabat; duodecimo indigentes, quos ad accipiendum optata dulciter provocabat.

Beatam Mariam suam matrem alloquebatur *lingua Chanaan,* de qua Is. 19, 18, quae glorificata interpretatur; quia eam suo ortu gloria maternitatis et honore glorificavit. Angelos allocutus est *lingua iudaica,* de qua habetur II Par. 32, 18, quae confitens Domino interpretatur; nam in suo ortu Deum confitentes laudaverunt. Pastores et Magos allocutus est *lingua clementiae,* de qua habetur Prov. 31, 26, quia clementer ad se adorandum vocabat. Mundi principes allocutus est *lingua syrica,* de qua habetur IV Reg. 18, 26, quae lingua interpretatur sublimis; quia per contemptum mundi ad sublimia appetenda mens elevatur. Sacerdotes *lingua angelica,* de qua habetur I Cor. 13, 1, est allocutus; quia ut angeli debent esse puritate, ut Deo placeant. Pauperes et humiles *lingua humana* et *benigna,* de qua habetur I Cor. 13, 1 et 4, quibus se conformavit. Divites allocutus est *lingua ignea,* Is. 30, 27, quia tales ut ignem de suo consortio emittebat. Peccatores allocutus est *lingua lactea* et *mellica,* Cant. 4, 11, quia ad dulcedinem suae misericordiae invitabat. Crudeles allocutus est *lingua fera* et *chaldaica;* quia ipsos superavit. Ignorantes allocutus est *lingua erudita,* Is. 50, 4. Patres antiquos allocutus est *lingua exsultationis,* Ps. 125, 2. Indigentes allocutus est *lingua sapientiae,* Prov. 12, 18. Praefatis linguis iuxta proprietatem eorum, quos alloquebatur, puer et infans Iesus in suo ortu est locutus.

4. Ad istam denique allocutionem dulcissimam et suavissimam Dei Patris in Filio et Filii in se ipso et per se ipsum, quid secutum est? Certe nostra exsultatio et laetificatio; et istud est secundum, quod erat videndum, de quo dicit prima pars huius III fructus et conformitatis, videlicet quod Iesus laete quoad nos et omnia est a beata Maria progenitus. Et circa hanc partem est sciendum, quod Christus humanam carnem assumendo et postmodum ad nos egrediendo, laetificavit omnia iuxta illud, quod David in Ps. 95, 12 praedixerat dicens: *Tunc exsultabunt omnia ligna silvarum* etc., et Ps. 96, 11: *Lux orta est iusto et rectis corde laetitia,* et Ps. alio, 97, 1 et 4: *Cantate Domino canticum novum, quia mirabilia fecit;* sequitur: *Iubilate Deo omnis terra* etc.

Exsultaverunt et laetificata sunt omnia: et primo, supercaelestia, scilicet caelestes spiritus propter multa: primo, quia assumtione animae, quae est soror angelorum, eorum natura est nobilitata, quia Deo anima est indissolubiliter unita; secundo, ipsorum ruina est reparata, etsi non Christi ortu, sed fine incarnationis; tertio, hostium ipsorum, scilicet daemonum, saevitia est mitigata, nam post incarnationem Christi eorum audacia est refrenata et specialiter Christi passione; quarto, quia eorum custodia circa homines roborata, nam ante

(*a*) As *ad.*

nullum ad paradisum poterant deducere, sed diaboli ab eorum manibus omnes homines sive bonos sive malos accipiebant et ad limbum sive infernum deducebant; quinto, quia pax cum homine et concordia est celebrata, propter quod cantaverunt: *In terra pax hominibus bonae voluntatis* [1]; sexto, eorum oratio pro homine a Deo est acceptata, ut parceret Deus homini, instanter exposcebant; septimo, quia ipso Domini misericordia est mirabiliter declarata, de honore divino gaudent, quare et videndo Deum incarnatum hanc misericordiam exhibuisse homini; octavo, quia gaudium eorum accidentale accrevit, animam Christi cernentes beatam et alios per Christum in brevi beatificandos; nono, quia a gloria animae Christi vita superna et civitas (*a*), utpote ab anima, super omnes beatificata est et splendore nimio (*b*) clarifice perlustrata; decimo, quia ipsorum puritas et integritas in Maria pariente et Christo oriente est declarata, et similia similibus gaudent; undecimo, est operatio divina excellenter demonstrata, quia Deus fecit effectum insolitum, et de honore et gloria Conditoris (*c*) gaudent; duodecimo, quia munificentia summi Domini et Dei ipsorum est homini reserata, quia non dedit Deus se homini quoad partem, sed totum, quia Deus factus est homo et homo Deus. Quare laetificati cantaverunt in nativitate Domini: *Gloria in altissimis Deo* Patri mittenti et Filio venienti et Spiritui sancto naturam humanam cum divina unienti.

Secundo, laetificata sunt caelestia, quod patuit in stella oriente; statim enim caeli stellam emiserunt, et si non suam, saltem suis similem et prae aliis stupendissimam, ut fructu et conformitate sequenti dicetur in parte.

Tertio, laetificata sunt elementa et elementata; aer nova Christi ortu indutus est claritate iuxta vaticinium Isaiae 9, 2: *Populus, qui ambulabat in tenebris,* et corporaliter et spiritualiter (*d*), *vidit lucem magnam;* aqua, quae se convertit Romae in oleum in taberna emeritoria et abundantissime fluxit; terra, quae in statuis idolorum emarcuit et ad nihilum ea redigendo se purgavit; templo Romuleo Romae cadente, terra Deum natum solum et adorandum est professa; ignis, scilicet sol, qui est igneus effectualiter, qui se triplicavit [2]. Et sic elementa et elementata prae solito facta laetificata se esse Christi ortu professa sunt.

Quarto, laetificata sunt animata. Si de animatis anima vegetativa, patet [in vineis Engaddi, quae floruerunt et balsami fructum dederunt. Si de anima vegetativa et sensitiva, patet] de bove et asino, iuxta vaticinium Isaiae 1, 3, qui *cognoverunt possessorem et praesepe Domini sui*, ipsum Deum adorando. Si de animatis anima vegetativa, sensitiva et intellectiva, scilicet de hominibus, patet quod Christi ortu gavisi sunt et laetati, et primo generaliter ob beneficia percepta Christi ortu, incarnatione et nativitate; nam Christi ortu et incarnatione data est patria exulibus, panis esurientibus, aqua vitae sitientibus, portus naufragantibus, lumen ignorantibus, antidotum languentibus, requies laborantibus, vita morientibus, salus desperantibus, venia peccatoribus, via errantibus et summum bonum in caelo commorantibus, propter quae merito debet homo gaudere.

Alia etiam beneficia sunt homini collata: primum divinae miserationis, quia deitas ad miserandum homini est inclinata; secundum est pacificationis, quia pax inter Deum et hominem et angelum facta est et celebrata; tertium est promissionis factae patribus adimpletionis, quia quod locutus est et promisit patribus, perfecit, et sic quietavit eorum desideria et affectus; quartum est deificationis, nam homo factus est Deus et Deus homo, utraque natura impermixta permanente (*e*); quintum venerationis, nam natura humana propter assumtionem a Verbo ab angelis et aliis veneratur et honoratur, ut patet Apoc. 22, 9, ubi angelus Ioannem non permisit eum adorare; sextum est diaboli subiugationis, quia per

(*a*) As *caritas.* — (*b*) As *modo.* — (*c*) As *conditionis.* — (*d*) As et edd. om. *et corporaliter et spiritualiter.* — (*e*) Edd. *impermixta et permanente.*

[1] Luc. 2, 14. — [2] Cfr. Bonav. t. VIII pag. 95, t. IX pag. 123.

incarnationem Filii Dei et passionem ab eius sumus manibus liberati; septimum est exauditionis, nam per Christum exaudimur dicentem: *Quidquid petieritis in nomine meo, dabitur vobis* [1], et ante: *Cum multiplicaveritis orationes vestras, non exaudiam* [2]: octavum gratiae collationis, quia tempus praesens vocatur gratiae tempus, *et de plenitudine Christi* (*a*) *omnes accepimus*, Ioan. 1, 16; nonum est hereditatis restitutionis, Ps. 15, 5: *Tu es, qui restitues hereditatem meam mihi;* ipse est, qui aperuit librum signatum, Apoc. 5, 9; decimum est nostrae exaltationis, quia a dextris Dei natura humana in Christo collocatur; undecimum super omnes dominationis, quia Christus factus est imperator caeli et terrae, qui *est frater noster* [3]: duodecimum est beatificationis, quia homo totus in Christo beatificatur quoad animam in deitate, quoad corpus in humanitate. Sic ergo generaliter his beneficiis natura humana adventu et ortu Christi Iesu exsultat et laetatur.

Laetari debet quilibet homo huius benedicti pueri Iesu a Maria progeniti conditionibus consideratis, quas ponit sanctus Lucas 2, 1 sqq. in evangelio suo, quod evangelium in nocte cantatur nativitatis ipsius: nam ipse est primo orbis imperator, quia est *caesar augustus*, et consequenter magnificus; secundo mundi ordinator, quia *edictum emisit*, quare prudentia conspicuus; tertio plebis examinator, quia *mundum describit*, et sic est iustificus; quarto fidei condonator, *singuli* enim suo ortu *profitentur*, quare est pro nostra salute sollicitus; quinto veri demonstrator, vadunt enim *singuli ad civitatem suam*, quare in omnibus veridicus; sexto gratiae largitor et ministrator, quia *Ioseph ascendit* etc., et sic est totus gratificus; septimo est fratrum exaltator, quia eum *peperit Maria*, quare et amator noster praecipuus; octavo Matris conservator, quia *peperit Filium suum primogenitum*, quare et actor mirificus; nono pompae abdicator, *pannis involutus*, quare vir caelificus; decimo carnis macerator, quia *in praesepio reclinatus*, quare imitatione dignificus; undecimo cordis excitator, quia *pastores* etc., quare et operator vivificus; duodecimo mentis illustrator, quia *claritas Dei* etc., quare ipse est fontalis radius; tertiodecimo gentis roborator, quia *nolite timere* etc., quare totus salvificus; quartodecimo noster consolator, *evangelizo vobis* etc., quare deificus; quintodecimo coetus adamator (*b*), quia omni populo et non uni etc., quare in donis munificus: sextodecimo a morte peccati liberator, quia *Salvator*, quare in cunctis salvificus; decimoseptimo Deus et Creator, quia *Christus*, id est Messias, est, quare factor singularissimus; decimooctavo omnium gubernator, quia *Dominus*, quare rector assiduus; decimonono verax et promissi observator, quia *hoc vobis erit signum*, quare testis indubius; vigesimo solus triumphator, statim enim *militia caelestis* ei congregatur, quare victor exercitus; vigesimoprimo aptus praemiator (*c*) et caelibator (*d*), quia *gloria in altissimis* est, quare noster finis perpetuus; vigesimosecundo noster mediator, quia *pax* etc., quare noster fidus et medius; vigesimotertio omnis perfecti patrator, quia *bonae voluntatis*, quare bonus, sanctus, factor boni indesinens et continuus. Hae sunt conditiones pueri Iesu ad nos egredientis; quare susceptione eius et tanti doni laetificari debemus.

Quibus evidenter ostenditur, quod homo quilibet in nativitate Domini gaudere et laetari debet et dicere cum Isaia, 61, 10: *Gaudens gaudebo in Domino* etc.

5. Sed in speciali debetne homo aliquis laetari et gaudere? Dicitur, quod sic; et primo sancta eius genitrix Maria. Nam nativitate Dei Filii eius in utero et ortu, etsi ante multa haberet et habuerit, habuit tamen ea modo perfectiori, et aliqua, quae ante non habuit. Et quae habuit beata Maria, unde laetatur et laetificata est eius Filii benedicti ortu? Multa, inquam, habuit: primo, quia fuit perfectissime sanctificata, Ps. 45, 5: *Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus;* secundo, fuit gratia plene fecundata, Luc. 1, 28 sqq.; tertio, est

(*a*) As et add. *gratiae*. — (*b*) As *adunator*. — (*c*) Codex *praeliator*. — (*d*) As *caelibajulator*.

[1] Ioan. 14, 13. — — [2] Is. 1, 13. — [3] Matth. 12, 50.

in gratia et in plenitudine consummata, ut dicit Hieronymus in *Sermone de assumtione* [1]: *Hodie* etc. et Richardus de sancto Victore in expositione: *Ecce virgo concipiet,* lib. II [2]; tantam enim plenitudinem gratiae Deus animae beatae Mariae infudit, quantam eam pro futuro promereri conspexit; quarto, donis Spiritus sancti repleta et impinguata, quia Spiritus sanctus venit super eam excellentiori modo, quam super aliquam puram creaturam; quinto, fuit in bono et in gratia confirmata; hoc asserit Richardus loco praeallegato et Bernardus in *Epistola ad Lugdunenses* [3]; non enim habuit potentiam peccandi post secundam sanctificationem, ut dicit Bonaventura III sent. [4] d. 3 q. 6, Thomas parte III q. 27 a. 5, in responsione ad secundum articulum, Alexander de Halis III parte 1 q. 88, et Richardus de Mediavilla III sent. d. 3 q. 4; sexto, de perseverantia in gratia et stabilitate finali certificata; hoc scivit Magdalena de parte optima electa, Luc. 10, 42, apostoli de permansione Spiritus sancti in aeternum in eis, Ioan. 14, 16, Paulus apostolus de inseparatione a caritate Christi, Rom. 8, 39; non debet hoc a Virgine negari, quia privilegia gratiarum secundum Bernardum aliis concessa ab ipsa negari non debent, sed concedi, et hanc certitudinem habuit vel habere potuit divina inspiratione vel revelatione vel alio modo ad hoc convenienti; septimo, fuit internaliter radiata (*a*), quia luce aeterna eam radiante (*b*) edidit canticum *Magnificat,* in quo triplici lumine prophetico, scilicet praesentis, praeteriti et futuri, se illuminatam deprompsit; octavo, sunt ei sacrae scripturae mysteria quoad incarnationem revelata, ut ipsa expressit in ultimo cantici sui versu, cum dixit: *Sicut locutus est ad patres nostros* etc.; nono, fuit sibi Dei facies, ut pie creditur, revelata; saltem hoc pie credi potest Verbo in eius utero commorante esse factum; decimo, secundum quod est possibile in praesenti vita, recreata; hoc sequitur ad nonum praemissum; Petrus, visa gloria Christi transfigurati, dixit [5]: *Domine, bonum est nos hic esse;* quid beata Maria, visa deitate? undecimo, Mater Dei vocata et facta, quo nihil potest dici maius ad Virginis honorem; hoc solo posito, quod ipsa est Mater Dei, sequitur, quod beata Maria est purissima, quia Deus in mundissimo habitare dignatur; gratiis et donis plenissima, ut Mater Dei esset, hoc exigebatur; Deo acceptissima, quia ipsa sola hanc apud Deum invenit gratiam; omni laude dignissima, quia ipsa sola prae aliis hac gloria decoratur; in mente elevatissima, spiritus eius *in Deo exsultavit salutari suo* [6]; intellectu illuminatissima, habuit enim *lucem inaccessibilem* in ventre suo, et consequenter in mente; vita singularissima verbo, cibo, potu, convictu et consolatione divina; sua anima perfectissima, saltem in esse perfectionis et gratiae est verum, et credendum est etiam de esse naturali; cunctis creatis amantissima, quia genuit Creatorem omnium; ad dandum et influendum copiosissima, per eius gratiam largo Spiritus sancti imbre perfusa est omnis creatura, secundum Hieronymum [7], super omnes mulieres excellentissima conditionibus et aliis, et super omnia eminentissima, quia imperatrix est caeli et terrae; haec et alia Virgo beata habet, quia Mater Dei; duodecimo, quia ipsa est super omnes puras creaturas exaltata gratia, meritis et gloria; magnitudo gloriae Mariae processit ex undecimo praemisso, quia Mater Dei; quare ex hoc fuit et est *super omnes* exaltata.

Quia igitur haec duodecim singularia fecit Iesus in beata Maria, virginitate servata in partu, matremque effecit, ipsa suo ortu in utero et ex utero est a Filio laetificata; propter quod ipsa haec considerando in se facta intonuit in laudem Dei dicens: *Magnificat anima mea Dominum,* cuius cantici expositionem, cum factis a Iesu Filio in Maria, vide in opere edito a me *De Virgine Maria,* fructu XXII [8].

(*a*) As *aeternaliter radificata.* — (*b*) As *mediante.*

---

[1] P. L. 30, 126 sq. (inter op. S. Hieron.). — [2] C. 30 (P. L. 196, 664). — [3] Epist. 174 n. 5. Cfr. Bonav. III sent. pag. 72, not. 8. — [4] Nunc dist. III p. I a. 2 q. 3. — [5] Matth. 17, 4. — [6] Luc. 1, 47; deinde I Tim. 6, 16. — [7] Cfr. supra pag. 67 not. 1. — [8] Pag. 327.

Secundo, suo ortu Iesus, etsi in utero, Ioannem Baptistam laetificavit; nam beata Maria pergens in montana et intrando domum Zachariae, dum salutat cognatam, virtute Iesu iam orti in utero Mariae Ioannes in utero matris exsultavit, et merito, quia visitatione Iesu et Mariae Ioannes fuit tunc primo ab originali purgatus; secundo gratificatus, quia gratia infuit; tertio Spiritu sancto repletus; quarto modo miro tam negative et privative quam modis aliis sanctificatus; quinto confirmatus in gratia, ut nunquam mortaliter peccaret; sexto cognitione virili et sensu illustratus secundum Augustinum et Hieronymum; septimo de deitate Iesu certificatus; octavo exhilaratus, quia *exsultavit in gaudio* [1]; nono regem Christum veneratus, eius adventum gaudio declarando; decimo summe refectus et consolatus, quia diem Christi vidit. Quapropter Ioannes gaudendo Iesu nato, Iesus est ei natus laetifice. De hoc plenissime vide in *Arbore de vita beatae Mariae,* fructu XX [2].

Tertio, in suo ortu est Elisabeth, mater Ioannis (*a*), laetificata. Nonne Elisabeth est Christi ortu in utero laetificata? quae repleta est Spiritu sancto praesentia eius visitata cum Filio, voceque salutata Mariae exclamasse voce magna evangelista testatur. Haec enim sancta mulier Domini praesentia visitata, Christo videlicet exsistente in Mariae ventre, cognoscendo Iesum beatae Mariae Filium primo promissorum impletorem, ut sicut promiserat, sic in Maria incarnatus erat, ut ipsa agnoscebat; secundo veterum terminatorem, incarnando enim dicta et prophetata quoad multa sunt impleta; tertio cordium laetificatorem, patuit in filio, qui exsultavit; quarto miraculorum operatorem, filio Ioanni usum rationis contra consuetudinem infundendo; quinto mentium illuminatorem, quia se sibi et filio revelavit, unde filius exsultavit et ipsa exclamavit; sexto criminum purgatorem, se enim et filium a peccato purgavit; septimo hominum sanctificatorem, ipsam enim cum filio sanctificavit; octavo recreatorem omnium et consolatorem, patuit filii exsultatione; nono donorum diffusorem, filium et ipsam Spiritu sancto replevit; decimo fidelium protectorem et adiutorem, patuit in Maria, quam cernebat per tantum iter ad se venisse infatigata, ac filium suum Ioannem deinceps a peccato servavit; undecimo omnium foederatorem, videndo ipsum coniunxisse summa imis et Deum homini; duodecimo omnium dominatorem et gubernatorem, nam Mariam vocat Matrem Domini; tertiodecimo benedictionis obtentorem et impetratorem, quia ipsum benedictum fructum dicit; quartodecimo hominum renovatorem dicit: *ex quo facta est vox* [3] etc.; quintodecimo ad laudandum Deum incitatorem et excitatorem Elisabeth exclamat; sextodecimo humilium dilectorem, quia Mater Domini, quare et dilecta ab ipso; decimoseptimo pauperum promotorem et exaltatorem, dicit: *Unde mihi hoc, ut veniat Mater Domini mei ad me* [4]*?* Haec omnia Elisabeth videndo, merito de Iesu nato in utero et ex utero debebat gaudere.

Laetificatur etiam Elisabeth praesentia Mariae, talem filium habendo in utero et se visitando; quomodo enim non laetificabatur agnoscendo consanguineam suam esse primo obedientissimam et promptissimam, cum enim Maria impulsu divino ageretur cum festinatione ad Elisabeth eundo, obedientiam summam ostendit et promptitudinem; secundo in cultu honestissimam, ad eam, etsi accessit, ut serviret, ivit nihilominus, ut vitaret consortia hominum; tertio ipsam esse patientissimam, per tantum iter ad ipsam accedendo; quarto sanctissimam, haec comprehendit et domum intrando et ipsam salutando; quinto eam esse virtuosissimam, quia eam salutando, salutem eidem precata est et obtinuit; sexto ipsam esse singularem quoad operationem et efficaciam, ad vocem Mariae commovetur infans et exsultat in utero; septimo plenam esse Dei gratia et caritate, quia ipsam Elisabeth replevit Spiritu sancto meritorie et intercessive; octavo ipsam esse summae potestatis, quae sic eam commovit et exclamare coegit; nono ipsam esse Deo acceptissimam, quia

(*a*) As et edd. addunt *Baptistae.*

[1] Luc. 1, 44. — [2] Pag. 281 sqq. — [3] Luc. 1, 44. — [4] Luc. 1, 43.

eam *benedictam inter mulieres,* id est super omnes asserit mulieres; decimo ipsam esse Dei Filio fecundatam, quia clamat: *Benedictus fructus ventris tui,* et Matrem Domini eam dicit; undecimo prae cunctis eam praedicat humilitate insignem: *Unde hoc,* inquit, *mihi, ut veniat Mater Domini ad me?* duodecimo ipsam esse excellentissimam quoad dignitatem, dicendo eam Matrem Domini; tertiodecimo purissimam esse, dum eam asserit Dei Matrem; quartodecimo benignissimam, quia, inquit, *ad me veniat,* cuius non sum digna corrigiam calceamenti solvere; quintodecimo liberalissimam, dona ipsa recepit, inquit, *ex quo facta est vox tua in auribus meis;* sextodecimo ipsam esse summae magnificentiae et bonitatis, quia *beata, quae credidisti;* decimoseptimo ipsam esse refulgentissimam, eam illuminando de multis et eundo ad ipsam et cum ea stando, propter quae ipsa dixit: *Perficientur in te, quae dicta tibi sunt a Domino.* Quia ergo Elisabeth talem agnoscebat Matrem Domini et sic in se ortum habere Dei Verbum, merito gaudebat ipsa Elisabeth et laetabatur Christi ortu; poterat dicere cum Habacuc, 3, 18: *Ego autem in Domino gaudebo et exsultabo in Deo Iesu meo.* Et sic apparet, quare et quomodo antea est laetificata. De hoc vide plenius in opere a me edito *De vita Virginis* fructu XXI [1].

Quarto, in Christi ortu est laetificatus ille senex antiquus et summus sacerdos Zacharias, pater Ioannis Baptistae, qui, prout in suo patet cantico, cognito Christi ortu et pro quo fine, gaudiose et laete Christum Deum Israel benedixit. Se enim gaudere deprompsit Christi ortu et consequentibus: primo, quia Pater aeternus Christo directo humani generis *fecit redemptionem,* accipit praeteritum propter infallibilitatem divinae praescientiae et ordinationis pro futuro; secundo, Deus Iesu Christo incarnato et nato nostram fecit sublimationem, carnem sumendo de David, sublimissimum *cornu fecit nostrae salutis,* hominem Deum faciendo; tertio, ipsum Iesum fecit terminatorem omnium promissorum, fideliter enim adimplevit, quae locutus fuerat *per os sanctorum* tam verbis quam figuris; quarto, de ipso Christo fecit hostis diaboli deiectionem et prostrationem, eum privando potestate et sanctos patres ab eius manibus extrahendo; quinto, ipso Verbo incarnato, quia reconciliati Deo Patri, indulgentiam et misericordiam ab ipso obtinuimus; sexto, quod patribus ad gaudium est promissum, Zacharias vidit impletum, scilicet *Domini ad patres iusiurandum,* quod se per incarnationem daret nobis. Quare praefatis generaliter Christi ortu collatis, inducit Zacharias ad gaudiose serviendum et laete Domino, et modum ostendit: quia in *sanctitate* vitae, in *iustitia* quoad Deum et proximum, cuilibet quod suum est tribuendo.

Non solum autem gaudebat Zacharias factis Iesu ortu circa homines generaliter, sed propter acta circa filium specialiter: primo, quia fecit eum suum fidelem servitorem, quia *puerum Altissimi;* secundo illuminavit, quia *prophetam;* tertio suum praecursorem et declaratorem fecit, ut eum advenisse mundo reseraret et sic *scientiam dare* de eo et agnitionem; quarto praedicatorem singularem, cuius praedicatione cum fide Redemptoris gentes haberent *remissionem peccatorum;* demum Zacharias laetabatur magis, quia ortus Christi nostris non est factus meritis, sed *per viscera suae misericordiae;* et quantum bonum Christi ortu est secutum, quo merito ipse et nos laetari debemus concludit, quia fidem dedit, qua *illuminamur* in hac valle *tenebrarum,* ac viam ostendit per quam *pedes nostri,* id est affectus et opera, diriguntur *in viam* obtinendae perpetuae *pacis.* Ecce quam mira suo Iesus ortu in utero et ex utero suo operatur; propter quae natus laetifice Zachariae declaratur.

Quinto, Christi ortu laetatus est archangelus Gabriel, qui ipsum nascendum Matri Mariae nuntiaverat, quia, ut praedixerat, erat impletum, et quia Regem suum cernebat natum et finem sciebat propter quem et alia; *cum ipso angelo facta est multitudo militiae caelestis exercitus laudantium Deum* laete et gaudiose, Luc. 2, 13.

Sexto, ipse Ioseph, vir Mariae, est Christi ortu laetificatus, quia etsi Iesus non erat filius suus, erat tamen suus, quia mutua traditione corporum facta inter ipsum et Mariam,

[1] Pag. 306 sqq.

lege thori servata in matrimonio, quidquid ex Maria exibat, erat ipsius; quare et Iesus. Et quia integritatem agnoscebat Mariae informatione angelica, sanctitatem ac Filii divinitatem finemque, quia salutem humani generis fiendam per ipsum, gaudebat summe et laetatus erat. Quid enim Ioseph habuerit matrimonio et consortio Mariae et Iesu, dixi in *Arbore Virginis Mariae,* fructu XV et XVIII. Gaudebat enim Ioseph videndo Christo et sua uxore Maria in Ioanne Baptista mira fieri, in Elisabeth sua matre, in patre Zacharia, et specialiter in Christi ortu caelestes spiritus gratulari, lucem ineffabilem tenebras noctis expellentem terris dari, de Iesu pastores informari, animalia puerum Iesum venerari, Magos ad Christum adorandum tali stellae signo duci, elementa deitatem Christi protestari, Simeonem cum Anna puero Iesu iucundari ac Iesum *speciosum prae filiis hominum* [1], Filium Dei Patris, sibi in custodiam dari et assignari; qui puer sua deitate ipsum illuminavit, sua sanctitate sanctificavit, sua gratiositate laetificavit. Non immerito ergo poterat dicere illud apostoli II Cor. 7, 4: *Superabundo gaudio, repletus sum consolatione,* et ipsi puero Iesu illud Prov. 23, 15: *Gaudebit cor meum tecum;* nec immerito, quia illum cernebat oculis, cuius diem Abraham videndo sola promissione gavisus est, qui est gaudium et laetitia omnium beatorum, et qui eum novis revelationibus et gratiis continue tangendo, stringendo et cum eo stando replebat.

Superlaetificati [sunt] alii Christi ortu, videlicet pastores, qui sunt septimi in ordine: octavo Magi; nono Simeon et Anna; et quia de his dicetur fructu et conformitate sequenti, ad praesens dimitto et venio ad alios, qui laetificati sunt Christi ortu, et sunt in hoc ordine, dimissis pastoribus, Magis, Simeone et Anna, septimo, laetificati sunt sancti patres in limbo degentes. Si enim angelus ad gaudium Christi ortum nuntiavit pastoribus, pie credendum est, quod sanctis patribus; insuper tripudium et gaudium ab angelis est factum Deo Patri in nativitate Christi; quare etsi sancti non audierunt, tamen ad ipsos angeli descendentes factum gaudium et causam nuntiaverunt, cum angelorum ad ipsos continuus esset descensus; aliter nullam consolationem, sed desolationem semper habuissent tam ex loco quam daemonum visione, cuius oppositum doctores dicunt. Insuper multi sancti in praesenti (*a*) exsistentes Dei revelatione agnoverunt non solum Deum incarnandum, sed et tempus sciverunt; patet de Iacob, Gen. 49, 10: *Non auferetur sceptrum de Iuda;* patet de Isaia 7, 14 sqq.; patet de Aggaeo 2, 8: patet de Daniele 9, 24 sqq., et sic de aliis; nec talium post mortem sunt obliti, cum recordentur praeteritorum, ut dicit Augustinus super illud Ps. 108, 9: *Fiant filii eius orphani* etc., et IX *Confessionum;* et Gregorius exponens illud: *Misericordias Domini in aeternum cantabo* [2], et omnes doctores catholici idipsum dicunt, hanc materiam tractantes IV sententiarum d. 44 et 45; quare de tempore Christi ortus advento (*b*) gaudebant.

Sed qua de causa? Certe prima erat, quia videbant eorum desideria quietata; optabant enim totis praecordiis Deum descendere per carnis assumtionem, dicente Isaia [3]: *Utinam disrumperes caelos et descenderes,* et sic de aliis; et videndo Deum incarnatum merito gaudebant; secunda causa, quia promissa a Deo erant verificata et observata, sicut locutus est ad ipsos, quod incarnari deberet, sic et fecit Deus; tertia, sub figuris et aenigmatibus ab eis visa impleta erant et declarata; nam quod viderat Adam, Gen. 1, 3. *lucem factam,* impletum videbat, quia deitas incarnata; *terram germinare herbam virentem,* quia Maria germinavit Christum humilem; sexta die se factum ad imaginem Dei, Gen. 1, 27, sic sexta mundi aetate factus est alius Adam, qui *est imago Dei invisibilis; fontem ascendentem e terra,* Gen. 2, 6, Christum egredientem e Virgine Maria; *paradisum plantatum,* Gen. 2, 8 et 9, *et lignum vitae positum in medio,* Mariam paradisum cum anima Christi intelligebat, in cuius Mariae utero, ut in medio, vita nostra, Christus, esset collocata; Noe quod viderat de arcae

(*a*) Edd. add. *vita.* — (*b*) As et edd. *advenisse Christi.*

[1] Ps. 44, 3. — [2] Aug., *Enarrat. in Ps.* 108 n. 17 (P. L. 37, 1437 sq.); Greg., *IV Moral.* c. 36 n. 72 (P. L. 75, 678). — [3] C. 64, 1.

fabricatione, Gen. 6, 14 sqq., et eius ingressu, Christum intelligebat Mariam condidisse et ipsam incarnando introisse; de arcu posito in nube, Dei Verbum in carne, ad quod respiciendo Deus *recordatur misericordiae suae* [1]; Abraham, cui dictum est, quod *caeli stellas, si posset, numeraret,* Gen. 15, 5, hoc videbat in Christo impletum, cuius anima ad instar caeli beata infinitis gratiis et virtutibus est repleta; Rebecca Isaac est iuncta, Maria Iesu Christo est copulata, Gen. 24, 67; Isaac *agrum* dicit *benedictum,* Gen. 27, 27, anima Christi et Mariae omni benedictione sunt repletae; Iacob, Gen. 28, 12, cernit *scalam,* cui stat innixus Deus, hoc videbat impletum deitate humanitati indissolubiliter unita; Ioseph, Gen. 40, 10, *tres propagines* uni viti videbat inseri, hoc cernebat impletum in unico supposito tria, scilicet deitas, anima et caro, insimul inesse; *manipulus Ioseph stat,* quia deitas carne non inficitur, et humanitas latriae honore veneratur, Gen. 37, 7; Moyses rubum ardere conspexerat et non comburi, cernit impletum, quia deitas in carnem (*a*) non mutatur, Ex. 3, 3 sqq.; *exemplar in monte* ponitur, Ex. 25, 40, Iesus plenus virtutibus in Maria; man caelicum in arca, Num. 11, 9, cum Iesus in medio ventris est locatus Mariae Virginis; nubem cernit surgere de tabernaculo, Num. 9, 18 et 20, quia caro Verbi scinditur de Maria; virga statim floret, Num. 17, 8, quia in instanti corpus Christi conficitur ex Maria; Iosue cernit stare solem in medio caeli, Ios. 10, 12 et 13, quia Iesus stat in Maria; Gedeon vidit rorem in vellus descendere, Iud. 6, 37, id est deitatem carni uniri; Salomon vidit *gloria Domini* templum repletum, III Reg. 8, 11, quia humanitatem deitate; arcam collocat *in sancta sanctorum,* III Reg. 8, 6, quia anima Christi deitati unitur; Elias cernit nubem elevari a mari, III Reg. 18, 45, quia humanitas Christi de Virgine sumitur; Isaias vidit cum Ezechia solem *decem lineis* retrogradum, IV Reg. 20, 9, quia novem ordinibus angelorum praetermissis, decima drachma natura humana a Verbo est inventa et eidem unita; Daniel lapidem de monte sine manibus cernit scindi [2], quia sine corruptione Mariae caro Verbi accipitur; montem Isaias dixerat ponendum *in vertice montium,* Is. 2, 2, hoc intuebatur impletum, humanitate deitati copulata; portam clausam intrat Deus, ut viderat Ezechiel 44, 2, quia Mariam incorruptam intrat deitas incarnando; Esther iungitur Assuero, id est humanitas nostra Dei Filio, Esth. 2, 16; et sic de aliis figuris, quae multa in sacro eloquio, ut attinet ad propositum, reperiuntur, quae, quia impletione erant declaratae, ad gaudendum de Christi ortu patres merito inducebat; quarta causa est, quia se exaltatos summae humanitatis assumtione et unitione ad Dei Verbum perpenderunt, quo videbant Deum factum hominem et hominem Deum, quo nihil maius; quinta, se de propinquo intelligebant redimendos, quia nostrae carnis a Deo susceptio ad hoc una ex causis ordinabatur, quare et a tali captivitate, in qua degebant, liberandos; sexta hostem infernalem suppeditandum, quia eos tanto tempore sub tyrannidis habenis habuerat constrictos; septima, quia redemptione eorum a Christo facta per ipsum ad hereditatem amissam erant introducendi et restituendi. Quibus ex causis Christi ortum agnoscentes tam revelatione Dei intrinseca quam insinuatione angelica, laetati sunt *laetitia magna,* quae *audita est procul,* ut in figura habetur, II Esdr. 12, 42.

Octavo, ortus Iesu fuit laetificus et debet esse iuxta dictum psalmistae 96, 11 *rectis corde,* quia *lux orta est iusto et rectis corde laetitia.* Lux est vere orta iusto, quia pueri Iesu ortu, qui est *sol iustitiae,* Mal. 4, 2, et *lux vera,* Ioan. 1, 9, ac *lux mundi,* Ioan. 8, 12, lux et lumen datum est iustis multipliciter: primo, respectu credendorum, quia puer Iesus natus est Deus, secunda in Trinitate persona, a cuius deitate cum humanitate ortum habet fides catholica; secundo, respectu colendorum, in nativitate Christi, in signum solius Dei adorationis, angeli non creaturae sed Deo gloriam concinunt, Luc. 2, 13; tertio, respectu abhorrendorum, vitia sunt detestanda, quae Deus homo, puer Iesus, in suo ortu non

(*a*) As et edd. *carne.*

[1] Luc. 1, 54. — [2] Dan. 2, 34.

accepit, sed caruit, etsi alios defectus humanos accepit; quarto, respectu contemnendorum, nascendo Christus iustis ostendit mundi contemptum et abdicationem, quia nihil pompae divitiarum et quae sunt mundi habere voluit; quinto, respectu acceptandorum, virtutes ostendit totis praecordiis acceptandas, dum omnes se suscepisse et habuisse oriendo declaravit, ut supra dictum est; sexto, respectu subiugandorum et refrenandorum, scilicet sensualitatis et carnalis contagionis, qualiter sint domanda praefata, in foeno iacere, parvo lacte nutriri, frigore angi et nuditate, et sic de aliis incommodis Iesus nascendo ostendit; septimo, respectu peragendorum, quia Dei mandata (*a*) perficienda puer Iesus declarat, qui, ut Patris iniuncta perficeret, nostra suscipiendo, ad nostram miseriam est egressus; octavo, respectu patiendorum, ut non turbetur iustus illatis aut incommodis, puer Iesus non querimoniam edidit, sed corde tacito tolerando adversa, patientiam conservavit; nono, respectu expiandorum, ut pro te Deo Patri satisfaceret, scilicet pro peccato, carne se induit puer Iesus et ad nos egressus est redimendos; decimo, respectu appetendorum, Deum nos semper appetere debere et ei coniungi, Iesus ostendit, qui natus nobis deitati semper remansit unitus; undecimo, respectu intelligendorum, prophetata tam quoad verba quam etiam figuras Iesus oriens implevit, quare et intelligenda quomodo forent, lumen iustis infudit; duodecimo, respectu beatificandorum, nam Iesus puer nascens, in quo sit totius hominis beatitudo, deprompsit; in humanitate resurrectione beatificanda et in sua deitate corporis et animae nostrae beatitudinem consistere declaravit. — Sic ergo duodecim praefatis patet, lucem iustis ortam esse nativitatem Dei Filii; sed non solum lucem, sed et *cordis laetitiam rectis* dicit psalmus fore progenitam. Sed quomodo? Attende, quod si Dei allocutio seu suae visionis communicatio fuit ad gaudium patribus, quibus sic sunt factae, multo magis ad gaudium exstitit videre Deum incarnatum, natum, factum nostrum fratrem, nostrum concivem, socium nostrum, nostrum servum et ministrum, nostrum liberatorem, nostrum medicum, nostrum panem (*b*), nostrum ducem, nostrum regem et Deum nostrum, nostrum bonum et finem nostrum.

Gavisus est pater Adam Deum videndo in conditis et creatis et donis eidem traditis, Noe allocutione divina cum praeservatione a diluvio, Abraham in promissionibus a Deo sibi factis, Isaac in benedictione a Deo in cunctis accepta, Iacob in Domini visione, Ioseph in occultorum revelatione, Moyses in legis perceptione et Dei ad ipsum, ut amici ad amicum, allocutione, Iosue in sua a Deo protectione, Gedeon in voluntatis a Deo impletione, Samuel in Dei invocatione (*c*), David in sua exaltatione, Salomon in acceptatione, Elias in commonitione, Isaias in sui destinatione, Ieremias in sanctificatione, Ezechiel in mentis sublevatione, Daniel inscriptione, et sic de modis aliis, quibus Deus sanctos patres et prophetas allocutus est; quibus merito laetitia eis est immissa. Quia aenigmatice Deus eis loquebatur et non carnis assumtione, hinc est, quod eis laetitia, etsi magna affuerit, non tamen ut *rectis corde*, quibus Pater in nativitate locutus est in Filio suo, Deo vero carne humanato et nobis liberaliter condonato, quo dono in sanctis et rectis corde *lux nova orta est, gaudium, honor et tripudium,* ut habetur Esth. 8, 16.

Nono et ultimo, omnibus conditis et creatis laete Dominus noster Iesus Christus est progenitus; quod utique, etsi iam dictum sit supra, scilicet quod apparuit, ipsarum creaturarum omnium attestatione generali, attamen hoc ostenditur ex dono eis dato singulari, magnifico et speciali.

Dictum est, quod exsultaverunt; sed de causa est videndum; ubi sciendum, quod omnis entitas creaturarum, etsi varie distinguatur, Christi ortu habet gaudere: primo, considerato oriente (*d*), quia Deus est omnium conditor, gubernator et conservator, quare, sicut omnia dona ab eo habent creationis et assiduae manutenentiae et gubernationis, sic creaturam ad se assumendo, in eis est materia continuae iubilationis, quare eo oriente creaturae copulato

(*a*) Codex *mandata quae.* — (*b*) As et edd. *patrem.* — (*c*) As et edd. *vocatione.* — (*d*) Edd. *omni ente.*

in eis gaudium esse debet; secundo, considerata re a Dei Verbo progrediente, assumto videlicet homine; quia enim homo per esse convenit cum lapidibus, per vivere cum arboribus, per sentire cum animalibus et per intelligere cum spiritibus, hinc est, quod assumtione hominis a deitate exaltatio est omnium creaturarum, et cum talis assumtio hominis sit omnibus reserata Christi ortu et nativitate, quare tunc omnia debuerunt prae solito gaudere; tertio, fructu pensato proveniente et consequente; nam unione hac sacra hominis a Deo, quae ortu Christi est cunctis manifesta, omnis creatura potest dici ex participatione ad hominem primo Deo unita et copulata, secundo deificata, tertio specialiter adamata, quarto summe exaltata, quinto non vilipensa sed honorata, sexto perpetuata, quia perpetuo Deo unita, septimo digne venerata, quia latria colitur, octavo mundificata, quia nihil labis seu peccati in homine assumto reperitur, nono in suo esse conservata, quia etsi sit assumta, non tamen in Dei naturam conversa seu mutata, decimo beatificata, quia prius anima Christi beatificata fuit secundum portionem superiorem et nunc (*a*) totum assumtum, undecimo, quia renovata et reparata, duodecimo est indissolubili foedere Deo pacificata.

Quare praefatis diligenter attentis, omnis creatura Christi ortu et nativitate, etsi prius incarnatione, scilicet Christi ortu in utero, est gavisa et laetificata; ac consequenter patet prima pars huius III fructus et conformitatis, quomodo est intelligenda, videlicet **Iesus laete progenitus**, quae erat declaranda.

Restat declaranda secunda pars, videlicet: *Francisco vir laetatur.*

Secunda pars tertii fructus et conformitatis est:
Francisco vir laetatur.

Expositio.

1. Postquam visum est in praecedentibus, quomodo intelligitur prima pars III fructus et conformitatis, restat consequenter videndum, quomodo secunda pars habet intelligi, videlicet: *Francisco vir laetatur.* Pro cuius evidentia est sciendum, quod, sicut dictum est supra per Amos 3, 7, quod *Deus non facit verbum,* quin loquatur prius *ad servos suos prophetas,* et per hoc ostensum est, beatum Franciscum et fuisse declaratum eloquiis plurium et aenigmatibus figurarum; quare et hi, quibus de adventu beati Francisci est revelatum, ipsum futurum agnoscentes, propter eminentiam suae sanctitatis et fructuositatis, quae fienda erat per ipsum et suos copiose quoad animas, merito laetabantur.

Unde, cum duplex esse reperiatur, naturae et gratiae, sic et duplex est ortus seu nativitas: primus, cum quis ortus in utero egreditur ad publicum nostrum nascendo temporaliter de matre, secundus, cum quis baptismo primo et deinde per perfectam Christi imitationem renascitur Deo; sic et duos ortus oportet nos beati Francisci attendere: primum de matre, secundum in religione, quando omnibus dimissis, Christo totaliter inhaerendo, spiritualiter mundo et ecclesiae est ortus et natus. Modo cum multi sancti beatum Franciscum viderunt affuturum tam in esse naturae, quam gratiae, et hoc divina revelatione, sicut Ioannes evangelista, qui statum totius ecclesiae usque ad finem divina agnovit revelatione, quare et Franciscum destinandum ac stigmatibus decorandum et mundum ad Crucifixum per eum revocandum; sic Cyrillus, sic Polycarpus diaconus, sic abbas Ioachim, et sic de aliis, de quibus dictum est

(*a*) Edd. *non*.

supra fructu I et conformitate, parte secunda [1]; quare praefati sic agnoscentes et diem beati Francisci videntes iuxta dictum Christi, Ioan. 8, 56: *Abraham vidit diem meum, vidit et gavisus est,* laetati sunt et gavisi; in cuius signum dixit abbas Ioachim, ut dictum est supra [2], super 7 c. prophetiae Cyrilli: « O quam gauderem, si tantum patrem cum filiis mererer videre ». Videbat eum utique spiritu, sed corporaliter optabat videre; et sicut est de ipso, sic et de aliis, qui ipsum venturum agnoverunt; quomodo enim homo exsistens in gratia, facta sibi revelatione de aliquo sancto futuro et miris per ipsum facturis, posset gaudio privari et laetitia sic agnoscendo? Quare nec praefati de ortu beati Francisci tam in mundum quam in religionem non potuerunt non laetari.

Sed sciendum pro materia dicendorum, quod, prout patet scriptura divina, aliquando quis gaudet de futuro, Hab. 3, 18: *Gaudebo in Domino et exsultabo in Deo Iesu meo;* et de apostolis dicitur, quod Christus dixit eis: *Iterum videbo vos, et gaudebit cor vestrum.* Aliquando quis gaudet de praeterito et exsultat, sicut Anna mater Samuelis, quae dixit, I Reg. 2, 1: *Exsultavit cor meum in Domino;* et psalmista, Ps. 96, 8 dicit: *Exsultaverunt filiae Iudae propter iudicia tua, Domine;* et Act. 5, 41 dicitur, quod *apostoli ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati;* apostoli gauderunt et laetarunt *viso Domino* [3]; sic et Mariae, Ioan. 20, 16 sqq.; Iacob de Ioseph, Gen. 46, 30 ait: *Laetus moriar, quia vidi faciem tuam;* et Esther 8, 16: *Iudaeis nova lux oriri visa est, gaudium,* etc.. Aliquando laetatur quis et gaudet de praesenti iuxta illud Christi, Ioan. 11, 15 in suscitatione Lazari, quando dixit: *Gaudebo propter vos;* et apostolus, Phil. 2, 17: *Gaudebo et congratulor vobis;* et angelus dixit, Luc. 2, 10, Christo nato, pastoribus: *Annuntio vobis gaudium magnum* etc.

2. Ad propositum nostrum: de ortu et nativitate beati Francisci, tam in esse naturae quam gratiae, quidam laetificati sunt ipsum futurum agnoscentes. Et hi dupliciter distinguuntur; quia quidam sunt supercaelestes et superiores, utpote caelestes spiritus, alii sunt inferiores et terrestres, id est homines. Superiores et caelestes, cum beatum Franciscum in speculo illo divino cernerent cum suis perfectionibus, quia ipsum non puto ab eis absconditum exstitisse, procul dubio de eius adventu (*a*) laetati sunt; et generaliter quia eis primo in zelo animarum, secundo in amore ad Dominum, tertio in observantia divinorum mandatorum, quarto in puritate, quinto in abiectione omnium terrenorum, de quibus ipsi nihil in se habent, et sexto in agnitione abditorum fuit similis et conformis; et specialiter quia ipsum sciebant seraphim, eorum incendio igniendum et consortio copulandum ac in sede luciferi ipsum pro praemio locandum, prout reseratum est fratri Pacifico et fratri Leonardo de Assisio, et diabolus per os unius mulieris, nomine Zantesae (*b*) est confessus [4]; si ergo gaudent de aliquo, qui ad eorum ordinem assumitur, et quo eorum reparatur ruina, multo fortius de beato Francisco, qui etsi futurus erat in re quandoque et aliquando in esse gratiae, quia tamen futura sunt eis praesentia, laetati sunt merito beati Francisci ortu et natali; cherubim eum agnoscendo divinorum arcanorum mysteriis

(*a*) As et edd. *ortu et adventu.* — (*b*) As *Zatesae;* edd. *ut supra dictum est.*

[1] Pag. 42 sqq. — [2] Pag. 52. — [3] Ioan. 20, 20. — [4] Cfr. *Bartholi* pag. 37.

imbuendum; throni in ipso Deo praeparari habitaculum singulare et Deo totaliter uniendum; dominationes per ipsum edoceri carnis supercilium spiritui subiiciendum; virtutes per ipsum miracula fienda; potestates per eum intelligendo daemones et ipsorum virtutem ac dominium prosternendum; principatus ipsum principem singulari Christi insignitione tam in ecclesia militante quam triumphante instituendum; archangeli per eum secreta caelestia hominibus intimanda; angeli eius praedicatione et suorum animas agnoscendo ad Dominum convertendas. Quare beati spiritus conformiter agendum ad se beatum Franciscum perpendentes in arce prima et speculo divinali et consequenter per beatum Franciscum et suos ob praedicationem, vitam et exemplum mundum convertendum, quo ipsorum ruina reparatur, de beati Francisci adventu et ortu laetanter sunt gavisi.

Item, sunt laetitia perfusi homines, inferiores scilicet angelis et terrestres, beati Francisci ortu cum talem scientes futurum, utpote prophetae veteris testamenti, qui tempora futura agnoverunt et consequenter sanctos futuros inspexerunt; multi etiam in novo testamento habentes spiritum propheticum, utpote Ioannes evangelista, apostolus Paulus, Cyrillus, Polycarpus, abbas Ioachim; et sic de aliis, ut dictum est supra conformitate et fructu I [1]. Hi enim divina insinuatione beatum Franciscum et sanctitatem eius scientes de utroque eius ortu et nativitate sunt laetati; David clamat se *laetatum in his, quae dicta sunt* ei, Ps. 121, 1; quare et isti dicentes cum psalmista, 118, 162: *Laetabor super eloquia tua, sicut qui invenit spolia multa.*

Quomodo, inquam, habentes caritatem Dei, scientiam Dei, et divinae voluntati conformes possent de beati Francisci ortu non gaudere? Ex quo videbant eum a Deo Patre directum, ut mundum renovaret, a Deo Filio electum, ut suam vitam perageret et crucem baiularet, a Spiritu sancto, cuius templum debebat esse perfectum per sanctificationem et virtutum ornatum, a caelestibus spiritibus adamatum propter ipsius beati Francisci ad ipsos similitudinem, certe nequibant non laetari. Quare si angeli in paradiso laetati sunt ac homines hic degentes, etsi a Deo inspirati, quid homines in patria cum angelis et Deo conviventes? Inquam, gavisi sunt ortu, destinatione et nativitate beati Francisci utraque. Gavisi sunt patriarchae in filiis electis beatum Franciscum eis coaequandum, prophetae attendentes eum spiritu prophetico radiandum, apostoli eis vita et mundi contemptu conformandum, martyres voluntate et opere eis sociandum, doctores per eum coetum informandum, confessores in eorum numerum et collegium computandum, virgines puritate decorandum, sancti omnes per beatum Franciscum eorum numerum scientes multiplicandum. Et si de ortu iusti recte gaudent et iusti, ut dicit Ambrosius [2], quare et de ortu beati Francisci utroque praefati sunt gavisi et laetati, utpote in speculo divino de beato Francisco magnalia intuentes. Sic ergo futurum aliqui beatum Franciscum attendentes, in eius ortu sunt laetati.

3. Sunt plerique de Francisci ortu in praesenti laetificati, et gaudentes de eius ortu in esse naturae et gratiae laetati sunt sancti angeli; sicut enim in Christi ortu tripudium magnum gessere, sic pie credendum est factum in beati Francisci nativitate. Quod etiam astruitur per locum ab oppositis; angeli et daemones, etsi natura sunt conformes, difformes tamen sunt gratia, merito et voluntate; et quod uni placet,

---

[1] Pag. 42 sqq. — [2] L. II *Exposit. in Luc.*, c. 2 n. 30 (P. L. 15, 1563).

alteri displicet; et de quo unus, scilicet daemon, deflet et plorat, alius, scilicet angelus, cantat, laudat et iubilat; sed cum ortu et beati Francisci nativitate daemones infernales, ut per os unius daemoniaci, qui beati Francisci praesentia in processu fuit liberatus, dictum est [1], maximum habuerint dolorem et terrorem — fuit enim hora nativitatis beati Francisci tantus terror et commotio in inferno, quod lucifer cum aliis crediderunt Christum ad iudicandum descendisse; sed inquisitione facta per eos solerti per orbem universum apud Assisium beatum Franciscum reperiunt natum; de quo pro certo tali inferni commotione tenentes ipsorum hostem natum et destructorem indicibili sunt dolore repleti; et tunc, ut dixit praefatus daemoniacus, de extinctione pueri, beati Francisci videlicet, ordinaverunt, et si non valerent, de eius persecutione per tentationes, et demum si ipsum nequirent superare, contra ordinem ipsius per eum facturum consilium inierunt; et quae tunc statuerunt contra ordinem peragenda, nunc cernimus fore completa — quo concluditur, cum contraria modis fieri habeant oppositis et contrariis, si hostes daemones tristati exstitere beati Francisci ortu, quod sancti angeli in caelo singulari gaudio sunt laetificati.

De praesenti et futuro gaudium habuit et laetitiam mater ipsius beati Francisci, domina Pica vocata, quae morum praeclaritate et virtute praeclara, velut altera Elisabeth, spiritu irradiata divino, cum beatum Franciscum genuisset (*a*), sciens fienda per filium, non solum laetata ut Elisabeth est in eius ortu, sed ipsum Ioannem in sacro baptismo vocavit [2] dans intelligere beatum Franciscum puerum filium suum Ioanni Baptistae similandum in pluribus et conformandum. Si enim beatus Franciscus similis factus est Filio Mariae, Iesu Christo, a fortiori Ioanni Baptistae; beatus enim Franciscus Ioanni similis reperitur Baptistae; nam Ioannes Baptista praecursor Christi, Franciscus praedicator et signifer Christi, quo ipsum Ioannem excedit; Ioannes poenitentiae praedicator, Franciscus et praedicator et ordinis poenitentiae institutor et ordinator, et quoad hoc Franciscus Ioannem praecedit, quia plures convertit et in pluribus locis per se et suos poenitentiam praedicavit, quia Ioannes in Iudaeae gremio, umbilico et populo, Franciscus cum suis in toto mundo, ac tres ordines poenitentiales instituit, Minorum, Sororum et fratrum de poenitentia; Ioannes omnia deseruit et ad desertum perrexit, Franciscus omnia coram episcopo dimisit, nihil mundi habere voluit, et loca solitaria et deserta toto affectu semper quaesivit; convertit multos per duos annos et parum plus Ioannes praedicando ad poenitentiam, convertit plures Franciscus per annos decem et octo continue praedicando; verbum de poenitentia accepit Ioannes a Domino praedicanda, accepit Franciscus de poenitentia praedicanda a Deo mandatum et domino papa; Ioannes, qualis esset futurus, per angelum patri et Spiritu sancto per prophetas fuit declaratus, Franciscus a prophetis fuit declaratus et a Domino Iesu Christo, ut dictum est supra conformitate et fructu I, per angelum fuit matri declaratus et famulae in specie peregrini, ut dicetur fructu et conformitate sequenti; nam dixit beatum Franciscum tunc puerum futurum de melioribus hominibus de mundo; Ioannes matrem intercessive Spiritu sancto prophetico replevit, Francisco Deus matrem suam prophetam fecit, quae admirantibus vicinis de filio suo, scilicet beato Francisco, cum futurum gratiae filium praedixit; Ioannes sic est vocatus

(*a*) As *gessisset;* edd. *concepisset.*

[1] Cfr. supra pag. 58 not. 3. — [2] Cfr. II Cel. 1, 1.

a matre, Franciscus in baptismo Ioannes est a sua matre vocatus; Ioannes in utero et extra prophetavit, Franciscus in utero, id est in carcere apud Perusium captus, cum gaudio se magnum futurum in mundo praedixit [1] et spiritu prophetico claruit; Ioannes amicus sponsi, Franciscus similis Christo; Ioannes obiurgator peccatorum, Franciscus detestator pravorum, patet in nobilibus de Perusio, quorum praedixit expulsionem ob peccata [2], et patet de aliis in *Legenda*, ut dicetur fructu et conformitate IX; Ioannes congregator discipulorum, Franciscus aggregator fratrum hominum sanctorum; Ioannes vita singularissimus, Franciscus in victu parcissimus, utpote, qui vix sumebat sustentationem naturae, et in una quadragesima de duobus panibus medietatem sumsit unius [3]; Ioannes mundo singularissimus sanctitate, Franciscus excellentissimus ad Christum prae aliis stigmatizationis conformitate; Ioannes in ordine seraphico sublimatus, Franciscus in ipso ordine in sede luciferi collocatus. Sic ergo praefatis quia Franciscus Ioanni conformis, mater eius divino spiritu illuminata eum vocavit Ioannem, ac velut Elisabeth in eius nativitate et ortu laetata est.

Sed suntne alii gavisi de ortu beati Francisci? Certe sic; et pro quo haec secunda pars principaliter ponitur, scilicet Henoch et Elias, hi ortum, missionem et nativitatem beati Francisci in mundum in esse gratiae et religionis agnoscentes, maximo gestiere gaudio. Ut enim in *Legenda* habetur fratris Benedicti de Aretio [4], sanctitate praeclari, qui a beato Francisco fuit habitu indutus et minister Antiochiae, ipse frater Benedictus de partibus ultramarinis dum rediret ad Italiam, superveniente maris tempestate pro alleviatione navis sorte, ut alter Ionas, missus est in mari, quem angelus Domini suscipiens, ad paradisum duxit deliciarum, ubi, dum esset interrogatus ab Henoch et Elia, cuius esset ordinis, respondit, quod beati Francisci; dixeruntque: ergo Franciscus venit? Et eo respondente, quod sic, maximum coeperunt gaudium facere et tripudium dicentes, quod tempus antichristi in brevi esset, et ipsorum per martyrium ascensus ad caelum, dictum fratrem cum laetitia ducentes per paradisum, omnia ostenderunt ei, qui post moram susceptus ab angelo in portu ante alios de sua navi est locatus Anconae. Sic ergo Henoch, vir sanctus, et Elias, propheta praeclarus, unusquisque eorum Francisco est laetatus; nec immerito, cum simile simili congaudeat et laetetur; beatus enim pater Franciscus cum fuerit Henoch oratione, voluntatis divinae impletione et Dei benevolentia, ac Elias verbo ignito, zelo iustitiae, austeritate, contemplatione ac in curru igneo sublevatione et transfiguratione, de eius ortu sancti et iusti gavisi sunt.

Sic ergo apparet, quomodo aliqui de praesenti gavisi sunt et laetati de beati Francisci ortu et nativitate, tam in esse gratiae quam naturae.

4. Fuerunt et sunt multi, qui laetantur et gaudent de beati Francisci ortu utroque et nativitate pro praeterito, qui gaudent de ipsius in mundum ortu et destinatione. Gaudet enim primo mater ecclesia, ad cuius directionem et reparationem, ut Christus dixit beato Francisco, erat a Deo destinatus et directus; secundo Ierusalem superna, cuius civitatis habitator factus et civis, eam nobilitat sua gloria cum comitiva suorum; tertio omnes angeli et sancti ceteri, quorum consortio insertus inter ipsos stigmatum impressione praecellit privilegio speciali; quarto gaudet mater Maria, cui devotis-

[1] II Cel. 1, 1. — [2] II Cel. 2, 6. — [3] *Actus* c. 6. — [4] Cfr. *Chron. XXIV gen.*, pag. 224; *Miscell. Franc.*, t. VIII pag. 6.

simus servulus fuit et filius, et per eius obtentum multas gratias a Christo obtinuit; quinto laetatur ipse ordo fratrum Minorum cum ordine Sororum et fratrum de poenitentia, quorum pater et institutor fuit ipse beatus Franciscus, cuius institutionibus optimis dirigitur et protectionibus continue adiuvatur; sexto exsultat Assisii civitas, quae hunc peperit orbi, cuius sanctitate et miraculis divulgatur in mundo et declaratur; septimo tota Italia cum provincia Thusciae, quae ipso celebris habetur ubique et eius factis et gestis prae aliis patriis honoratur et eruditur; octavo gaudent animae in purgatorio degentes, quae eius natalitio, et praesertim si de aliquo trium ordinum fuerint eius, a poenis liberantur; nono gaudent omnes male habentes et variis detenti infirmitatibus, cuius invocatione cum precibus a Deo perfectissime liberantur et curantur; decimo gaudent mortui, cuius meritis resuscitantur a Deo, de quibus conformitate et fructu XXXIX tractatur; undecimo peccatores exsultant, cuius precibus de morte ad vitam resuscitantur, ut poenitentiam peragant, ut patet specialiter de domino Petro Rodonensi episcopo [1]; qui gratiam inveniunt in praesenti et gloriam et misericordiam in futuro, iuxta promissa a Christo beato Francisco; duodecimo laetantur infideles, quorum terra filiorum Francisci martyrio coronatur et sanguine irroratur, ac per filios Francisci ad lumen verae fidei deducuntur; tertiodecimo gaudent ipsius devoti, cuius patrocinio in praesenti proteguntur ab hostibus et demum caelestibus innectuntur; ultimo gratulatur et gloriam recipit ipsa beata Trinitas ex effectibus mirandis in beato Francisco peractis et per ipsum beatum Franciscum quotidie actitatis, sicut artifex in suo artificiato et ex eo commendatur et laudatur ac in ipso complacet et delectatur.

Sic ergo apparet praefatis declarata secunda pars huius III conformitatis et fructus, videlicet: *Francisco vir laetatur.*

QUARTUS FRUCTUS ET CONFORMITAS:

Iesus Magis Exhibitus — Franciscus Amplexatur.

Expositio primae partis, videlicet: **Iesus Magis exhibitus.**

1. Nato Salvatore, sicut eius ortus cunctarum creaturarum attestatione est mundo declaratus ad gaudium esse omnium conditorum, sic ipse a Deo Patre per suam Matrem dulcissimam, scilicet beatam Mariam, multis traditus est ad ipsorum laetitiam, gaudium et consolationem, videlicet sanctis pastoribus, Magis, Simeoni et Annae, prout in parte superiori est tactum, etsi hic fructus et conformitas non de pastoribus, Simeone et Anna faciat mentionem, sed solum de Magis; pro tanto enim de ipsis specialiter ponitur, quia ipsi, ratione regiae dignitatis, ceteris celsiores aestimantur. Quamvis, ut dictum est, fiat de eis specialis mentio, de aliis nihilominus intelligitur; decebat enim, ut puer Iesus, etsi humiliter natus esset, a quolibet genere creaturarum agnosceretur, et per consequens, sicut ab angelis, rebus insensatis, brutis animalibus est cognitus, sic et ab homine, propter quem venerat, agnosceretur ac cognitus honoraretur et veneraretur et ab hominis statu quolibet ac sexu. Cum ergo in statu hominis quidam sint plebei, et tales per pastores denotantur; aliqui nobiles, et hi designantur per Magos reges; aliqui de ordine sacerdotali, et hi per Simeonem; alii vero sexu sunt mulieres, et hi designantur per Annam viduam, a pastoribus, Magis, Simeone et Anna,

[1] Idem fusius fr. XXXIX.

tam a sexu utroque hominis quam statu quolibet agnitus puer Iesus, quis, qualis et quantus esset, non solum talibus ad laetitiam est natus, sed exhibitus est a Matre procul dubio ad gaudium et exsultationem ac consequenter, ut eius maiestatem quilibet panderet, eum digne excoleret, et in humanitate pueri Iesu eius deitatem homines agnoscentes Deum verum et hominem praedicarent. Maria enim non invida sed benevola, non superba sed humilis ancilla, misericordiae mater et regina, laetificata sui Filii ortu, et propter fecunditatem cum virginitate et virginitatem cum fecunditate et sui Filii deitatem ac maiestatem, nec non et alia, de quibus dictum est fructu et conformitate praecedenti, benedictum Filium volens omnibus ostendere et ad laetitiam dare, non eum clausit in loco secreto, sed publico posuit, videlicet in diversorio, ut omnibus adventantibus pateret libere, qui ad ipsum debite accederent et devote.

Sed licet, quantum in ea fuit, omnibus eum ad videndum exposuerit, quia tamen tanti pueri non quilibet dignus erat aspectu, secreto Dei consilio praebuit ad videndum quatuor generibus personarum prae aliis.

2. Et primo pastoribus, id est simplicibus seu humilibus, ad videndum praebuit et adorandum et, ut pie creditur, ad osculandum; et quia, ut dictum est, Dei consilio Maria hoc egit, videndum est, quales hi fuerunt pastores et quid agnoverunt esse puerum Iesum, et consequenter apparebit, quod non fortuito sed Dei prospectu tales prae aliis ad Deum videndum humanatum sunt admissi; et sic patebit, qualiter Christi ortu et facta eis demonstratione (*a*) sunt gavisi.

Pro primi evidentia videndum est, cur beata Maria et Pater caelestis voluit prius Christum exhibere pastoribus quam aliis hominibus, utpote Magis, sacerdotibus et potentibus. Respondetur, quod hoc actum est, ne Deus videretur esse acceptor personarum, ut magis videretur diligere potentes quam humiles et pauperes; secundo, quia pauperes et humiles exaltat, superbos odit et humiliat; tertio, ut effectu ostenderetur, quod postmodum per ipsum Christum est proclamatum, Matth. 11, 25: *Confiteor tibi, Pater, Domine caeli et terrae, quia abscondisti haec a sapientibus et prudentibus et revelasti ea parvulis;* quarto, ut quorum consortium diligeret, scilicet humilium, in pastoribus demonstraret; quinto, quia ipse de pastoribus corpulentam traxit substantiam, ut patet de Abraham, Isaac, Iacob, Iuda et David, qui pastores fuerunt; ad pastores loquendo, scilicet praefatos, se venturum promisit; cum pastoribus fuit prius amicabilis eius conversatio, patet; cum Abraham non solum est multoties locutus, sed et comedit; locutus est Isaac, Iacob, Moysi, David etc.; pastorum prius sacrificia acceptavit, patet de Abel, Gen. 4, 4, Abraham etc.; pastoribus populi sui imperium et regnum dedit, patet in Moyse, David et aliis; quare et prius Christus est pastoribus exhibitus, quam aliis; sed sexto est in causa pastorum conditiones; licet enim quis possit dicere, quod pro tanto prius viderunt, quia propinquiores erant ad locum, ubi puer Iesus erat, ut ostendit evangelium, attamen conditiones eorum Deo placentes in causa fuere; hi enim pastores, ut dicit Lucas in evangelio c. 2, erant a somno peccati elongati, quia erant *vigilantes;* sensus internos et externos sollicite gubernantes, quia erant *custodientes gregem suum;* Dei dona considerantes, quia servabant *vigilias noctis,* in vigilia matutina percussit Dominus castra Aegyptiorum, Ex. 14, 24 sqq., per pastorem Moysen; innocentia decorati, quia pastores et simplices Deo accepti; angelus Domini stetit *iuxta illos,* non ante vel supra, nec post vel subter, quare et gratia repleti; notitiam Dei habentes, quia *claritas Dei circumfulsit illos* [1]; timorati, ideo dicitur, quod *timuerunt;* contra diabolum securati, ideo dicitur eis: *Nolite timere;* ad fidem evocati, ideo dicitur: *Evangelizo vobis gaudium magnum;* laetitia divina

(*a*) Codex *eis de ipso de more.*

[1] Luc. 2, 9; infra l. c. vv. 10, 11, 12 sqq.

confortati, ideo *gaudium magnum* possident; in fide plenius instructi, quia *est vobis Salvator natus, Christus Dominus in civitate David;* ab omni haesitatione et dubitatione separati, *hoc erit vobis signum;* caritate et dilectione Dei ferventes, non solum unus angelus, sed plures eis apparuerunt, ut dicitur Luc. 2, 15: *Factum est, dum discesserunt angeli ab eis,* quare plures viderunt; concentus angelicos audientes, scilicet cantantes angelos: *Gloria in excelsis Deo* [1]; prompti ad Dei mira (*a*) indaganda et veneranda, *loquebantur ad invicem dicentes: Transeamus usque Bethlehem;* supra terrena per cogitationem elevati, quia Verbum intellexerunt carnem factum; sollicitudine non pigri, *venerunt festinantes;* a Deo prae cunctis aliis accepti, quia *invenerunt Mariam et infantem positum in praesepio;* de promissionibus factis patribus certificati, quia *videntes cognoverunt de verbo* etc.; Dei magnalia praedicantes, quia *mirati sunt omnes, qui audierunt* etc.; pro impensis beneficiis Deo grati, quia *laudantes et glorificantes Deum.* Quia ergo sic erant isti sancti pastores, Maria prius eis, quam aliis Filium suum exhibuit videndum et adorandum.

Sed quomodo ad Christum videndum venerunt? Certe divina revelatione, quia angelus apparuit eis; ac non naturalibus freti vident Deum, sed gratia divina, quia *claritas Dei circumfulsit illos.* Sed quid perpenderunt Christum puerum Filium Mariae esse? Certe imperatorem angelorum, quia ad ipsos angelum destinavit; illuminatorem cordium, quia *claritas Dei circumfulsit illos:* protectorem suorum, quia facit angelos stare iuxta ipsos; debilium roboratorem: *Nolite timere;* veri reseratorem, quia evangelizat eis; mentis recreatorem, quia *gaudium magnum* dat ipsis et omni populo; Deum verum et hominem, quia Christus; omnium gubernatorem, quia Dominus; nostrum Redemptorem, quia Salvatorem; hominum devotorum refectorem, quia in civitate David Bethlehem nascitur; promissorum exhibitorem, quia *hoc erit vobis signum;* mundanorum detestatorem, quia *pannis involutum,* etc.; angelorum et aliorum iucundatorem, quia gloriam cantant angeli ipsi Christo nato. Qua in re haec attendentes (*b*) sancti pastores iuxta dictum angeli, Iesu viso et adorato, gavisi et laetati fuere, ut in praecedentibus est dictum, et iuxta dictum angeli *gaudium magnum* habuerunt.

Et sic patet, quod beata Virgo Maria prius Filium suum pastoribus, id est humilibus, exhibet, et quibus de causis.

3. Secundo, beata Virgo Maria, ut dicit hic fructus et conformitas, sanctis Magis exhibuit et dedit ad videndum Filium suum puerum Iesum, adorandum et osculandum. Sed sciendum primo, quod cum Christus puer esset *Rex regum et Dominus dominantium* [2], licet ex humilitate in praesepio pauperrimus decubaret, quare decentissimum fuit, ut in suo ortu monstraretur regibus, agnosceretur a regibus, veneraretur a regibus, timeretur a regibus, inquireretur a regibus, divulgaretur a regibus, profiteretur a regibus, cum gaudio videretur a regibus et ut generalis imperator et dominus honoraretur a regibus. Secundo sciendum, quod, si magnum fuit Christi ortum per creaturas attestari sensibiles et angelos, sed quoad homines magnum fuit testimonium accepisse a Magis, et ratione gentis, quia non Iudaei, sed gentiles fuerunt; ratione officii et dignitatis, quia reges erant, ut dicit ecclesia; ratione intelligentiae et sufficientiae, quia in astrologia erant peritissimi, secundum Chrysostomum [3]; ratione certificationis, quia Christi Iesu stellam viderunt; ratione apparatus et ostensionis, quia non latenter, sed apparenter venerunt, quia Ierosolymam; ratione testificationis, dicentes: *Vidimus stellam eius in oriente;* ratione professionis, dicentes: *Venimus adorare eum;* ratione devotionis, quia *adoraverunt eum;* ratione deductionis, quia, eo adorato, deducti sunt *per aliam viam in regionem suam.* Tertio sciendum, quod Iesum puerum, etsi viderunt eum postea per Mariam matrem eis exhibitum, cum tamen viderunt prius in signo insolito et singulari, quo

(*a*) Codex *de Dei misericordia.* — (*b*) Hic deficit codex (cfr. introductionem).

[1] Luc. 2, 15. — [2] I Tim. 6, 15. — [3] *Homil.* 3 in ep. ad Tit. n. 2 (P. G.-L. 62, 678).

viso ad eum videndum corporaliter et venerandum accesserunt, videlicet stella. Quod signum stellae et ipsa stella quoad causam efficientem fuit signum excellentissimum; ut dicit *glossa* Matthaei secundo [1], fuit a Deo, quia creatum; quoad materiam fuit singularissimum hoc signum, quia non de praeiacente materia, sed de nova; quoad formam fuit stella verissima, ut dicit Gregorius VI *Moralium,* sed pulchrior aliis in forma et figura, ut dicit Leo [2] et Augustinus [3]; quoad refulgentiam fuit radiosissima, nam Magos multipliciter illuminavit, ut dicetur; quoad influentiam fuit efficacissima, nam dedit sanctis Magis intellectum de Iesu Christo et audaciam in profitendo Christum; quoad ea, quae gessit, fuit stupendissima, patet in apparitione eius, occultatione, reapparitione, ductione ad Christum et operatione, quia Magos laetificavit, ad Christum perduxit et ministerio expleto esse desiit; quare hoc signum fuit singulare et alias insolitum et invisum, etsi per Balaam fuerit prophetatum, Num. 24, 17: *Orietur stella ex Iacob* etc. Huius ergo stellae visione admirati sunt Magi, utpote nunquam alias visa, consolatione spirituali repleti, ortum Dei per ipsam intelligentes, iucundati, Deum humanatum ipsa agnoscentes, ac gaudio magno repleti et laetificati ipsius demonstratione et ducatu ad adorandum Deum hominem pertingentes. Huius mysterio stellae sancti Magi et aliud viderunt et aliud mente conspexerunt, ut dicit Leo in sermone [4]; unde hac stella, quae duo significabat, Mariam et Filium, sancti Magi, ut puto, de eis magnalia perpenderunt; prophetia enim Balaam de stella Iacob potest tam ad Mariam, quam ad eius Filium, ut in opere *De Virginis Mariae vita* [5] declaravi, referri. Quare ad utrumque stellae mysteria coaptando et primo ad Matrem, deinde ad Filium, dico, quod sancti Magi per stellam, quam in aere primo viderunt, Virginem Mariam intellexerunt, quam et postea oculis corporalibus cum Filio aspexerunt. Ipsa enim *stella ex Iacob* nata et ex David, splendida et matutina; huius stellae radii sunt mirabiles et per Magos mysterialiter intellecti; intellexerunt enim huius stellae videlicet primum radium, scilicet eam esse quoad genus praeclarissimam, quia eius Filium regem Iudaeorum professi sunt, quare et Matrem origine insignissimam; ex 21 regibus orta est; secundum radium prophetis sanctis notissimam, patet, quia Balaam hanc vidit, Michaeas ortum praedixit Filii, quare propositum; tertium radium ipsam esse mundissimam, quia non *habitat in carne* Deus *subdita* (*a*) *peccatis* [6]; in hoc istud ostenderunt se eius Filium Deum dicentes venisse adorare, quare et Matrem Dei eam asserentes; quartum radium eam esse pauperrimam et cultu abiectissimam, hoc ex loco apprehenderunt, ubi cum Filio residebat, et utrorumque ornatum et apparatum; quintum radium ipsam esse humillimam, cum Filio humiles diligente manere conspicientes; sextum radium in aspectu verecundam, non in publico vagantem, sed intus cum Filio stantem, oculos defixos ad terram habentem aspexerunt; septimum radium esse reverentissimam (*b*) in obsequendo, invenerunt eam cum puero eidem officiosissime obsequentem, nec in puncto, ut humilis ancilla, ab eo recedentem; octavum radium eam esse prudentissimam et in verbis et in gestu, et ad hoc ostendendum evangelium nihil ponit beatam Mariam Magis locutam esse; nonum radium ipsam esse liberalissimam, cuius liberalitatem perpenderunt ex Filii ad videndum, osculandum et adorandum traditione et concessione, tantum donum eis largiendo; decimum radium eam plenam esse gratia et in donis copiosissimam, intelligentes enim eam Dei Matrem, consequenter agnoverunt ei concessa, quae ad Dei maternitatem exigebantur; undecimum radium ipsam esse super omnes sanctos et sanctas sanctissimam, quia ad supremum sanctificationis

(*a*) As *subiecta*. — (*b*) As *reverendissimam*.

[1] *Glossa interlinearis* in Matth. 2, 2 (apud Lyranum). — [2] *Sermo* 31 (alias 30) c. 2 (P. L. 54, 235). — [3] *Sermo* 201 (alias 31 de Tempore) n. 1 sec. sensum (P. L. 38, 1031). — [4] *Sermo* 34 (aliam 33) c. 3 sec. sensum (P. L. 54, 246 sq.); cfr. etiam *Sermo* 31 c. 2 et *Sermo* 33 c. 2. — [5] In fructu VIII libri tertii (pag. 451), qui pluries ad verbum supradictis convenit. — [6] Sap. 1, 4.

gradum Dei maternitate pervenit; duodecimum radium eam esse Deo dilectissimam, et hoc ex eius electione ad Dei maternitatem prae aliis mulieribus intellexerunt; tertiumdecimum radium ipsam esse illuminatissimam, quod ex radiatione stellae materialis apprehenderunt; si illa sic relucebat, quanto magis Maria per eam designata? quartumdecimum radium eam esse super omnes mulieres in benedictione excellentissimam, quia sola ipsa Dei Filium generavit; quintumdecimum radium ipsam esse super omnes creaturas eminentissimam, quia nihil maius potest effari, quam ipsam Matrem Domini dici, quare propositum concluditur; sextumdecimum radium eam esse omni laude dignissimam, quia virtuosissimam, gratiosissimam et Dei Matrem, quare propositum.

Hi sunt radii, quos de stella Maria procedentes sancti Magi viderunt et intellexerunt. Sdesi radios hos de beata Maria iuxta dicta Balaam, quae apud eos manebant, volumus intelligere, possumus dicere. quod sancti Magi beatam Mariam primo viderunt esse patrum imitatricem, quia sicut a Iacob, ut dicit prophetia, corpoream traxit substantiam, sic habuit virtutem per imitationem; secundo parentum et aliorum consolatricem, ad parentum consolationem est, ut ex eis aliquis magnus oriatur; Maria est orta ex Iacob; tertio sanctorum illuminatricem, si Balaam, ut cognosceret Mariam, fuit illuminatus, qui erat pravus et malus, multo fortius prophetae alii, quod ex Iacob ipsa oriri deberet, sunt illuminati, ea pro futuro hoc merendo; quarto divinorum (*a*) inspectatricem, unde per scalam Iacob (*b*) stella ex eo nata ascendebat et exsurgebat, ut dicit prophetia; quinto vitiorum exstirpatricem, quia stella et consequenter purissima; sexto omnium benedictionum contentricem, quia ex Iacob orta, et consequenter ut ipse omni benedictione, Gen. 27, 29, est benedicta; septimo errorum et haeresum dissipatricem, quia stella, quare clarissima et sine errorum macula et ex Iacob orta, in quo *non est idolum,* Num. 23, 21; octavo rectorum operum exemplatricem, quia ut stella fulget, ut Iacob duodecim filios, id est duodecim virtutes, emittens, quae opus bonum ostendunt et efficiunt, quae sunt humilitas, mansuetudo, paupertas, caritas, austeritas, rigiditas, fidelitas, misericordia, pietas, iustitia, temperantia et in omni bono perseverantia; nono petitorum impetratricem, quia stella ex Iacob orta, quare cum non minor Iacob, exaudita in cunctis, ut ipse Iacob, fuit; decimo hostium supplantatricem et subiectricem, quia ex Iacob, qui supplantator interpretatur, sub pede Mariae hostis diabolus stat prostratus; undecimo arcanorum speculatricem, quia orta ex Iacob, qui *Dominum vidit facie ad faciem,* Gen. 32, 30, quare et Dei secreta conspexit (*c*); duodecimo futurorum inspectatricem; quia orta haec stella ex Iacob, qui propheta fuit, Gen. 49, 10, quare et ipsam hoc donum habere dignum est; tertiodecimo christianorum dilectricem, quia orta ex Iacob, qui amore tenerrimo suos dilexit filios, quare et Maria christianos a Christo Filio suo progenitos diligit et amat praecordio singulari; quartodecimo donorum largitricem, quia ex Iacob orta, qui suis donis fratrem placavit, Gen. 32, 13 sqq., Maria omnibus dat affluenter; quintodecimo illius mundi imperatricem, quia, ut Iacob dominus fratrum suorum, sic ipsa a Christo facta est imperatrix cunctorum; sextodecimo servatricem mandatorum, quia Iacob Dei praecepta servavit, sic et Maria eius voluntatem effecit dicens: *Fiat mihi secundum verbum tuum; ecce ancilla Domini*[1].

Sancti Magi, etsi non ponatur expresse in sacra scriptura, quod praedicta viderunt de Maria, attamen in lumine illo superno, quo cognoverunt Deum incarnatum, de ipsa praefata et maiora cognoscere valuerunt, quibus agnitis de ista stella benedicta, videlicet beata Maria, gaudium magnum et laetitiam habuerunt.

Verum etsi stella, quam viderunt, beatam designaret Mariam, principaliter tamen Dominum Iesum Christum, quare ad fulgorem huius micantis sideris, scilicet pueri Iesu Christi,

(*a*) N *futurorum.* — (*b*) As *stellam Iacob.* — (*c*) As et N *occulta conspexerit.*

[1] Luc. 1, 38.

oculos mentales elevantes, viderunt multa velut radios ab ipsa stella procedentes. Ostendit enim se puer Iesus his sanctis Magis multos radios (*a*) erga ipsos emisisse, quibus de ipso notitiam singularissimam habuerunt; nam ab ipsa stella Iesu Christo viderunt Magi egredi ad se illuminandos primum radium, ostendendo se esse consolatorem afflictorum, quia natum se eis ostendit (*b*), cuius ortus ad *gaudium magnum est omni populo,* Luc. 2, 16, ut dixit angelus; secundum radium, ostendendo se veterum terminatorem et promissorum, dum in diebus Herodis regis natus est et a sanctis Magis adoratus, cuius in tempore prophetia Iacob, Gen. 49, 10, impleta, est: *Non auferetur sceptrum de Iuda* etc.; sic et Daniel, Dan. 9, 24 sqq., de septuaginta hebdomadis annorum; tertium radium, ostendendo se excitatorem devotorum, nam ipse sanctos Magos excitavit ad se quaerendum, et ideo hoc ostendit, Matth. 2, 1 dicens: *Ecce Magi ab oriente* etc.; nam eos excitavit et ad se adorandum perduxit; quartum radium, ostendendo se esse cordium corroboratorem, corda enim Magorum adeo roboravit, ut non timerent Herodem seu Romanos, quaerendo regem Iudaeorum (*c*); quintum radium, ostendendo se esse gubernatorem mundanorum, quia eum dicendo regem, patet ipsos illuminatos a Christo fuisse, esse rectorem mundanorum; *Ubi est, qui natus est,* inquiunt, *rex Iudaeorum?* sextum radium, ostendendo se mirorum patratorem et creatorem, quia inquiunt Magi hoc radio illuminati: *Vidimus stellam eius* etc., quam scilicet condidit et creavit; septimum radium, ostendendo se esse obcaecatorem malignorum, quod utique agnoverunt videntes Herodem et Hierosolymitas (*d*) turbatos esse Christi ortu et nativitate, qui si oculos videntes habuissent, de Christo non perturbationem sed gaudium percepissent; octavum radium, se esse ostendendo ductorem et directorem insciorum, quod ostendit, dum eis a Hierosolyma discedentibus stellam, quam prius viderant, emisit, ut iter praeberet usque ad locum, in quo degebat; nonum radium, se ostendendo recreatorem anxiorum, nam qui amissione stellae prius erant desolati, ea recuperata, gavisi sunt et laetati gaudio magno; decimum radium, ostendendo se contemptorem mundanorum, nam ipsum reperiunt non in palatio sed in praesepio, non in loco odorifero sed foetenti, quia in stabulo, non amictum pannis sericis, sed contectum vilibus panniculis, non in culcitra sed in foeno cubitantem, quae videntes de eius paupertate et humilitate tanta mirati sunt; undecimum radium, ostendendo se esse Deum verum et habere cum humanitate deitatem, et per consequens omnium entium primum et supremum, nam eo viso, statim genu flexo adoraverunt eum; duodecimum radium, ostendendo se generalem Dominum mundi et habere imperiositatem, quia in signum subiectionis tria dedere munera, scilicet *aurum, thus et myrrham;* tertiumdecimum radium, ostendendo se esse cognitorem occultorum, nam inspecta mala intentione Herodis Magos monuit, *ne ad ipsum redirent Herodem;* quartumdecimum radium, se esse ostendendo provisorem futurorum, per aliam viam ipsos ad propria reducendo. Quibus radiis sancti Magi de puero Iesu habitis et illuminati, merito de Iesu a Maria eis exhibito ad osculandum, videndum et adorandum sunt gaudio magno laetati.

Sic ergo patet quomodo beata Maria puerum Iesum secundario exhibuit Magis; quo datur intelligi, quod sollicite quaerentibus Iesum Christum et propriam patriam relinquentibus Dominus Iesus se ostendit, dat et exhibet libenter cum summa consolatione, ut effectum est in sanctis Magis.

4. Tertio, a beata Maria puer Iesus exhibitus est Simeoni, sancto seni, qui non solum eum vidit, sed in ulnis suis accepit et habuit, quem tenendo in brachiis, propter multa, quae in ipso fecit puer Iesus Christus et quae de ipso agnovit, gaudio magno repletus et consolatione psalmum: *Nunc dimittis servum tuum, Domine* etc. devotissime peroravit. Sed qualis erat hic senex Simeon, qui Iesum sic accepit, et beata Maria suum puerum libenter

---

(*a*) As *radios gratiae.* — (*b*) Ed. 1 om. *natum.* — (*c*) As *ut non timerent Herodem quaerendo regem Iudaeorum seu Romanorum.* — (*d*) As *Israelitas.*

dedit et exhibuit, certe Lucas exprimit, c. 2, 25 sqq. sui evangelii, hunc senem commendans de multis, videlicet: primo de virtute et perfectione, qui erat homo scilicet virtuosus et non vitiosus, qui iumentis assimilatur: secundo de pacifica conversatione, quia in Hierusalem in loco pacis, correspondens locus locato, et econverso; tertio de instantia in oratione, quia vocatur Simeon, qui exaudibilis interpretatur, Ioan. 9, 31: *Qui Dei cultor fuerit, hunc Deus exaudit;* quarto de operatione, quia erat *iustus;* quinto de devotione ad Deum, quia erat *timoratus;* sexto de vera devotione ad proximum dilectione, quia *exspectans* non suam, sed *consolationem Israel;* septimo de recta intentione, quia *Spiritus sanctus erat in eo;* octavo de eius cum Deo intima mentis coniunctione mente, quia *responsum acceperat se mortem non visurum* etc.; nono de cognitione, quia *venit in Spiritu sancto in templo* et cognovit Iesum natum et portatum; decimo de acceptatione a Deo, quia visio Christi ei concessa est ante mortem; undecimo de innocentia et purgatione, quia *cepit* puerum Iesum Christum *in ulnas suas;* duodecimo de gratitudine et gratiarum actione, quia benedixit Deum. Ecce qualis est homo iste senex, cui exhibet beata Maria Filium.

Sed quid puer Iesus in hunc senem ab eo acceptum fecit? Vere multa et stupenda; nam ipsum primo ab omni macula, si qua inerat vel infuisset, purgavit et forte in gratia confirmavit, quare ipse Deum benedicit; secundo Deo gratum exhibuit et reddidit, beneficio accepto Deum benedixit; tertio quae Christus effecit generi humano, per hunc senem reticere noluit, quia benedixit, id est benedictionem datam per Christum cunctis hic senex expressit; quarto ipsum sanctificavit et gubernavit, quare vocat eum Dominum dicens: *Domine;* quinto eius desiderium quietavit, appetebat enim eum videre, ideo dixit: *Nunc dimittis;* sexto ipsum, ut promiserat, secundum verbum suum visitavit, et sanctis patribus; septimo Deo foederavit, quia inquit: *in pace,* scilicet eum posuit; octavo illuminavit, ut eius intelligeret divinitatem, ideo dicit: *viderunt oculi mei;* nono a morte peccati liberavit praeservando eum, ideo *salutare* eum vocat; decimo se prosequendum et imitandum ab ipso et aliis indicavit et reseravit, ideo dicit eum paratum a Deo Patre *ante faciem omnium populorum;* undecimo ad discernendum Dei magnalia facilitavit, ideo *lumen ad revelationem gentium* dicit; duodecimo glorificavit, quia *gloriam plebis tuae Israel,* scilicet ei daturum, repromisit.

Quare non immerito hic sanctus senex Simeon Christi ortu et donatione pueri Iesu a Maria matre est gavisus et laetatus. Et non solum ob praedicta in ipso effecta laetatus est, sed et cernendo Iesum, quem in ulnis tenebat, talem et qualem, cum declamavit (*a*) dicens: *Nunc dimittis* etc., ubi ostendit, puerum Iesum Mariae Filium esse primo afflictorum consolatorem et solatium, quia est consolatio Israel, quam exspectat; secundo ad Deum laudandum incitatorem, quia eum ad Deum benedicendum incitavit; tertio generalem mundi imperatorem, monarcham, Dominum et gubernatorem, quia eum Dominum dicit; quarto veridicum impletorem, quia secundum verbum suum dicit sibi et aliis fecisse; quinto mirificum foederatorem, Dei scilicet et hominum, quia in pace scilicet nos posuisti; sexto cordium gratificum consolatorem et quietatorem, quia dimittis me scilicet consolatum; septimo illuminatorem deificum, quia oculi mei per te aperti viderunt tua deifica; octavo humani generis Redemptorem et liberatorem, quia salutare est, id est Salvator noster; nono reseratorem almificum, quia in se, velut in exemplari perfectissimo, omnem declarat perfectionem, ideo dicit eum praeparatum *ante faciem omnium populorum;* decimo doctorem clarificum, quia lumen est et doctor perfectus gentium; undecimo malorum punitorem, quia dicit eum *positum in eorum ruinam;* duodecimo glorificatorem perfectissimum, quia, inquit, *ad gloriam plebis Israel,* scilicet datus et ordinatus; tertiodecimo suorum fidelium sublimatorem, quia *in resurrectionem est multorum in Israel;* quartodecimo detestatorem omnis pravitatis, quia *signum cui contradicetur:* quintodecimo vivificatorem nostrae mortalitatis, quando, inquit, *tuam pertransibit gladius animam;* sextodecimo reseratorem cordium et occultorum, et hoc tempore generalis iudicii et aequitatis.

(*a*) As *declaravit.*

Haec sunt testimonia pueri Iesu, quae agnoscendo Simeon de ipso palam et publice profitetur. Sic ergo praefatis apparet, qualis fuit hic senex et quid in ipso puer Iesus effecerit et quid de ipso sit attestatus, cui Maria tertio loco suum filium exhibuit; quo et merito est laetatus et gaudio repletus, per quem patet, quod servantibus divina praecepta Iesus datur et communicatur.

5. Quarto loco et ultimo a Maria puer Iesus est Annae vetulae exhibitus et monstratus, ut patet ex serie evangelii, Luc. 2, 36 sqq., beati Lucae, cuius laudes declarans evangelista beatus Lucas loco praeallegato ostendit, eam fuisse primo Deo acceptam ex nomine, quia Anna interpretatur gratia; secundo Deo gratam pro impensis, quia *de templo non discedebat;* tertio promptam ad Deo parendum, quia dicit evangelium: *Deo serviebat;* quarto eleemosynarum largitricem, nam Anna donans, id est largiens, interpretatur; quinto a Deo pluribus praeventam gratiis, quia Anna donatio interpretatur, scilicet a Deo ei facta de suis donis; sexto Dei contemplatricem, quia filia Phanuel, quae contemplans Deum interpretatur; septimo motus sensuales coercentem, quia Phanuel, cuius fuit vera filia, facies Dei interpretatur, quia imaginem mentis, quae facies Dei est, mundam tenuit, quare propositum; octavo a Deo de futuris illuminatam, quia prophetissa fuit; nono a Deo visitationibus et consolationibus visitatam, quia erat de tribu Asser, qui divitiae vel beatitudo interpretatur, quia divitiae consolationis et beatitudinis per visitationem a Deo sunt ei datae; decimo vero coniugio alligatam, quia septem annos cum viro suo stetit, quare et matrimonio sancte usa fuit; undecimo vita famosam propter antiquitatem et morum religiositatem, *processerat in diebus suis* etc.; duodecimo Deo dicatam, *non discedebat de templo,* quare locus locato congruebat et econverso; tertiodecimo carnem macerasse, quia *ieiuniis;* quartodecimo deprecationibus pro se et aliis continue intentam, quia, inquit, occupata erat obsecrationibus; quintodecimo divinis praeceptis per omnia mancipatam, quia, inquit, Deo serviebat non uno tempore, sed *die ac nocte.* Has laudes de ista Anna dicit evangelista, ut, cui Maria Filium exhibet, perpendatur.

Sed haec sancta domina videndo puerum Iesum quid egit? et quid de ipso omni volenti audire et redemptionem Israelis exspectanti promisit? Certe miranda; haec enim sancta vetula puerum Iesum praedicat primo Deum verum et hominem, confitetur eius deitatem et humanitatem, Redemptorem dum eum nominat; secundo dicit eum omnipotentissimum, quia se faciendo hominem et Deum homini coniungendo, infinita potentia concurrit; hoc dicit, dum eum Redemptorem asserit; tertio sufficientissimum, quia Redemptorem eum nominat; quarto benevolentissimum, quia redemptionem nostram nostris non egit meritis, sed sola sua benevolentia et pietate; quinto veracissimum, quia redemptionem patribus promissam facere debebat; sexto iustissimum, quia non potentia sed iustitia nostram redemptionem voluit exercere; septimo humillimum, in tantum enim inclinatus est, ut carnem assumeret, et ad redimendum nos mori decrevit; octavo sanctissimum, ex quo fecit redemptionem nostram, sanctissimus et Deo acceptissimus fuit; nono providentissimum et sapientissimum, tanta sapientia nostram redemptionem operando; decimo vigorosissimum faciendo nostram redemptionem, consequenter a diabolo nos eripuit; undecimo efficacissimum, quia nos redemit a morte peccati et reduxit ad vitam gratiae; duodecimo pandit eum gloriosissimum, quia ipse solus de nostra redemptione triumphum reportavit. Hoc asserit Anna, dum dicit evangelista, quod *ipsa* de puero Iesu *loquebatur omnibus, qui exspectabant redemptionem Israel,* designans ipsum Redemptorem esse et nostram facturum esse redemptionem. O quam laete haec vetula de puero Iesu loquebatur, nec immerito, quia interius laetificata; os gaudium et lingua exsultationem habebant.

6. Sic ergo patet praefatis quatuor cum antedictis in praesenti fructu et conformitate, quod beata Maria ad gaudium et laetitiam Filium suum parvulum exhibuit; sicut exhibuit

gratiose omni hominum statui, sic et sexui; et Iesu ortu, visione et contrectatione omnia sunt gavisa et laetificata, nec mirum, quia videndo illum, qui est gaudium nostrum et solatium, ac ipsum tangendo; si enim fimbria vestimenti Iesu et herba tangens eius vestimenta mirabilem efficaciam habebat, quanto magis eum tangendo, cum scriptum sit, Luc. 6, 19, quod, quotquot tangebant eum salvabantur (*a*), et corporaliter et spiritualiter; quare consolatione recreati interna divino gaudio et laetitia consolabantur.

Sed adverte, quod, etsi per Mariam sit datus puer Iesus in suo ortu et post omnibus laetifice, tamen quibusdam est datus diversimode; nam datus est Iesus Mariae Filius Ioanni Baptistae in solatium, Elisabeth in radium, pastoribus in gaudium, Magis in praeconium, Simeoni in pacis vinculum, Annae in fastigium (*b*), Aegyptis, ad quos accessit, in lucis speculum, Ioseph ad meritum, apostolis in magisterium, pauperibus in socium, aegrotis in remedium, perfectis in exemplum, iustis in subsidium, peccatoribus in refugium, populis in pabulum, nobis in pretium (*c*), beatis in praemium, matri Mariae ad omne bonum, sublimationem et super omnes consolationem et plenissimum gaudium et contubernium.

Sic ergo praefatis apparet declarata prima pars huius IV fructus et conformitatis, videlicet: **Iesus Magis exhibitus** etc.

Secunda pars huius quarti fructus et conformitatis videlicet:

Franciscus amplexatur.

Expositio.

Restat nunc declaranda secunda pars IV fructus et conformitatis, scilicet: *Franciscus amplexatur.* Quia enim beatus pater noster Franciscus, etsi non in initio sui ortus et nativitatis in mundum, fuerit gratia et virtutibus plenus ac perfectus, sed in secundo ortu et nativitate, videlicet in esse gratiae et religionis, quando mundo apparuit paupertatis professor, poenitentiae forma, veritatis (*d*) praeco, sanctitatis speculum, evangelicae perfectionis exemplar, pudicitiae titulus, carnis macerator et omni virtute conspicuus, attamen, quia scriptura aliquando dicit esse, quod in proximo fiendum est indubie, ac in Dei prospectu beatus Franciscus et praedestinatione, gratia et virtutibus semper fuerit amictus, idcirco in primo ortu et nativitate Deus voluit sibi, videlicet beato Francisco parum ante iam (*e*) nato, fieri, quod fiendum erat temporis in processu, et hoc per angelum suum, qui ortum beati Francisci Deo placitum ostenderet, ipsum puerum ut sancti Magi tangeret, in suis ulnis acciperet ut Simeon, et quid facturus esset Franciscus ut Simeon et Anna clarius reseraret. Et hac ex causa principaliter ponitur haec secunda pars, scilicet Franciscus (*f*) ad instar Christi est traditus ad videndum et amplexandum. Ut enim *Legenda* pandit *antiqua* [1], et frater Nicolaus de Assisio, guardianus post (*g*) Spoleti [2], habuit a domina Margarita

(*a*) As *sanabantur*. — (*b*) As *vestigium*. — (*c*) As *praemium*. — (*d*) As *virtutis*. — (*e*) As *tam*. — (*f*) As *Franciscus amplexatur*. — (*g*) As om. *post*.

[1] Cfr. *Legenda antiqua* (edita a Minocchi) c. 31; idem legitur in prologo *Legendae 3 sociorum*, prout exstat in codice Vaticano 7339, cfr. *La Leggenda di S. Francesco*, edit. a P. Marcellino et P. Theophilo, pag. 6. — [2] In cod. Ottob. 522 (vide Analecta Franciscana t. I pag. 413) fol. 255 v haec habentur: « Narravit tibi frater *Nicolaus de Assisio:* Domus, inquit, patris mei coniuncta est domui beati Francisci. Referebat autem sic mater mea: cum quiesceret in lecto post partum mater beati Francisci, ut solent mulieres in puerperio, et vicinae mulieres aliquae circa eam essent, peregrinus ad ostium quasi eleemosynam petens, cum accepisset partem pulli a matre

sua matre, vicina et nota matri beati Francisci, matre referente et pedissequa beati Francisci, ipso die, quo natus fuit beatus Franciscus, ad ostium domus beati Francisci quidam advenit angelus in specie peregrini, petens instanter a famula, ut puer Franciscus eidem ad videndum et tangendum exhiberetur. Sed cum famula timeret hoc agere, ac ille in rogatu persisteret, tandem mandato matris beati Francisci peregrino Franciscus est oblatus, qui eum in suis ulnis accipiens, stringens et osculans, eius humeris in parte dextra crucem impressit dixitque: « Hodie in isto vico nati sunt duo pueri, hic Franciscus et alius; hic erit de melioribus hominibus de mundo, et alius erit de peioribus ». Demum praedixit infantulum Franciscum magna custodia gubernandum propter insidias daemonum, qui de eius ortu turbati ad necandum eum multas insidias praepararent eidem; atque his dictis, statim disparuit, nullibi in dicta Assisii civitate amplius visus. Quibus apparet Christum beato Francisco in amplexu et visione et datione in manibus alterius, ut factum est de ipso, sibi voluisse similari, ut sicut beata Maria Iesum tradidit Mago quaerenti, sic mater beati Francisci dedit eum peregrino petenti; et sicut Simeon plura de Iesu et circa eum futuris dixit, sic et de Francisco angelus in specie peregrini matri reseravit. Patet ergo, ad quid haec conformitas ad Christum pro secunda parte sit posita.

Sed sciendum ulterius, quod, si beatus Franciscus, etsi non in primo ortu sit datus omnibus, sed modo solum praefato, attamen in secundo ortu, videlicet gratiae et religionis, ipse datus et exhibitus est a Christo diversis generibus personarum, a quibus dulciter, non corporaliter, sed spiritualiter strictus est et amplexatus. Nam est exhibitus: [primo] sanctis prophetis per spiritus luculentiam ad ipsum considerandum futurum, et cum quanta virtuositate, ut dictum est supra fructu I et conformitate.

Secundo, matri ad gaudium et laetitiam, quae spiritu futurum agnoscendo filium et videndo ipsum mira facere in orbe, laetitia est repleta.

Tertio, mundo ad renovationem; nam, ut dicit II fructus et conformitas, beatus Franciscus ad mundum totum renovandum a Domino est directus, quod et fecit vita, doctrina et signis, ut patet omnibus evidenter.

Quarto, ecclesiae militanti ad eius reparationem, ut Christus Francisco dixit, et dominus Innocentius papa in visione vidit ecclesiam Lateranensem per beatum Franciscum sustineri, ne caderet, ac in tribus a beato Francisco institutis ordinibus patuit luculenter.

Quinto, civibus ad conversionem; Assisinatibus beatus Franciscus prae aliis datus est ad eorum conversionem ad Dominum, sicut patuit de fratre Bernardo de Quintavalle, fratre Petro, fratre Aegidio; quorum primus nobilitate, divitiis, scientia et sensu fuit famosior de dicta civitate, qui vitam agnoscendo Francisci, reiectis omnibus et pauperibus datis, primus filius et frater fuit beati patris Francisci.

Sexto, fratribus ad imitationem; nam multi, saeculo relicto, post Francisci vestigia velut per callem tutissimum et sancti hominis semitam incedentes, ad apicem omnis sanctitatis pervenire meruerunt, ut fructu et conformitate VIII dicetur.

---

beati Francisci mittente, instare coepit et dicere, velle se videre puerulum natum; et cum repelleretur a mulieribus, quae ibi erant, coepit asserere, quod nullo modo recederet, nisi puerulum istum parvum videret. Quem complexum... dixit: ‚Hac nocte nati sunt duo pueri una die in vico isto, iste et alius; unus, hic scilicet, erit de melioribus hominibus mundi, alter pessimus erit‘, quod revera processu temporis verum esse rerum exitus docuit ».

Septimo, in sublimi positis regibus et praelatis et aliis praesidentibus in devotionem; nonne domini mundi Christo inhaerere optantes beato Francisco vita et habitu cohaeserunt? sicut rex Ioannes, rex Ierusalem et imperator Constantinopolitanus, Ioannes rex Armeniae, et multi alii, dominus Viceplacentinus in cardinalatu, et sic de aliis, ut dicetur fructu VIII et conformitate, qui facti sunt fratres Minores.

Octavo, daemonibus ad terrorem et deiectionem, quos praedicatione et ad Christum conversione a fidelibus expulit, ipsos de corporibus obsessis eiecit et de civitate Aretii solo imperio effugavit.

Nono, devotis ad perfectionem; qui ipsum Iesum cupit prosequi, Deus exhibuit beato Francisco (*a*), qui evangelii nec iota de observantia dimisit, adeo exstitit vir perfectus, ut in regularum conditoribus ei similis non habeatur, quare, ut perfecta prosequaris in regulis trium ordinum secundum status tui decentiam a beato Francisco instituta.

Decimo, scientibus ad illuminationem; nam viris eruditis non ut homo scientificus, sed Dei spiritu illuminatus abdita pandidit divinorum eloquiorum, ut patuit in responsione data sacrae theologiae magistro et sanctae romanae ecclesiae cardinali [1].

Undecimo, angelis in amicitiam et complacentiam, qui beatum Franciscum et saepius visitare et cum ipso stare ac melodiam peragere, ut ipsorum fido amico, sunt dignati.

Duodecimo, sanctis in specialem servum et reverentiam; habuit enim beatus Franciscus specialem dilectionem ad beatam Virginem, Michaelem archangelum, Ioannem Baptistam, Petrum et Paulum, et sic de aliis, quorum devotioni ut servum fidelem se tradidit, ieiunando et alia faciendo; qui versa vice ipsum beatum Franciscum diligentes multas consolationes apparendo, amplexando et cum ipso manendo peregere.

Tertiodecimo, populo ad informationem; nam ob animarum lucrum ibat circumeundo civitates et castra, non in doctis verbis, sed in Dei virtute praedicationis et populum instruendo; cuius instructione mirabilem fecit fructum, ut fructu X et conformitate dicetur.

Quartodecimo, peccatoribus ad conversionem; patet in multis latronibus [2], quos verbo convertit et apud Christum pro eis veniam misericorditer impetravit; ut de fratre Angelo (*b*) et aliis in processu operis patebit.

Quintodecimo, perfectis ad virtutum consummationem; vis ad apicem venire perfectionis, vitam cum Minoribus attende beati Francisci, quam fratres Bernardus, Aegidius et alii, ut dicetur fructu VIII et conformitate, attendentes, ad omnis sanctitatis propositum pervenerunt.

Sextodecimo, activis in operationem; et quam? certe, ut serviant summa cum diligentia suo exemplo leprosis et horribilibus, et sic fratribus mandabat statim ordinem ingressis, ut in talibus obsequiis Deo studerent placere.

Decimoseptimo, pauperibus in amorem et dilectionem, quos speciali dilexit affectu; quibus omnia, etiam paramenta altaris, ut patebit infra fructu et conformitate XVI, largiebatur et semetipsum; ad nullos sic afficiebatur ut ad pauperes, tam in habitu saeculari quam in religione consistens.

(*a*) Ed. 2 *prosequi imitetur regulam evangelicam, quam Deus exhibuit beato Francisco.* — (*b*) N *Agnello.*

---

[1] Cfr. II Cel. 3, 46 et 47. — [2] Cfr. *Actus* c. 29.

Decimooctavo, altis corde in abnegationem et humiliationem; non laudes quaerebat de se audire sed vituperia, nec in altis sed in minimis de se sentiendo ambulavit, omnia ad humilitatem pertinentia efficiendo, ut fructus XVII ostendit.

Decimonono, pravis ad poenitentiae exhibitionem; multi enim variis irretiti peccatis et pravis moribus deordinati exemplo beati Francisci deserentes vana ad poenitentiam conversi ad caeli alta ascendere meruerunt post decessum, sicut in fratre Pacifico patuit et pluribus aliis; ob hoc enim ipse solus de poenitentia ordinem specialem fecit et instituit.

Vigesimo, bonis ad crucis et passionis Christi meditationem; cum enim beatus Franciscus studium haberet totum circa passionem et crucis meditationem, fratres et alios ad id peragendum inducebat, unde sic allecti ad meditandum Domini passionem die cum nocte insistebant.

Vigesimoprimo, piis ad misericordiae continuationem (*a*); non semel beatus Franciscus indigentibus impartiebatur, sed assidue; statim enim videndo miseros, spoliando se habitum porrigebat vel mantellum.

Vigesimosecundo, avaris ad mundi contemptum; nihil enim voluit habere proprium cum mundo, sed omnia penitus contempsit et despexit; nullus tam avidus thesauri, quam iste contemptor.

Vigesimotertio, malis ad punitionem; non parcebat peccantibus, quin et verbo et quandoque facto feriret, quia non adulator, sed iustus erat reprehensor; patet in hominibus de Grecio et nobilibus de Perusio, Gedeone praebendario ac muliere in castro Cisternae, quae monitioni patris non acquiescens a diabolo fuit asportata, ut fructu X et conformitate habetur.

Vigesimoquarto, animabus omnibus ad indulgentiae obtentionem; procuravit indulgentiam a Christo et Matre eius ac a domino papa Honorio pro omnium peccatorum remissione obtinenda in introitu sanctae Mariae de Portiuncula secunda die augusti, quolibet anno, omnibus christianis poenitentibus et confessis.

Vigesimoquinto, lubricis et carnalibus ad carnis macerationem; beatus Franciscus ieiuniis, disciplinis et aliis rigiditatibus carnem coegit servire spiritui, ut fructus XIX et conformitas ostendit; unde in fine habuit dicere, quod de nullo habebat culpam recognoscere, nisi quia fratrem corpus, qui se sponte spiritui subdiderat, male tractasset [1].

Vigesimosexto, praelatis ad sui deiectionem et humilitatis inclinationem; beatus Franciscus noluit fratres suos in praesidentia esse, sed ut Minores vocantur, in imis persistere; ac ipse generalis cedens officio sub unius sociorum suorum usque ad finem voluit obedientia victitare.

Vigesimoseptimo, religiosis in considerationem; nam tanta fuit sanctitas beati Francisci, ut beatus Dominicus diceret de eo, quod omnes religiosi ad eum attendere deberent, prosequi et revereri [2].

Vigesimooctavo, fidelibus in mirorum executionem; nam beatus Franciscus non solum operibus sanctitatis, sed signis et miraculis exstitit celeber et orbi gloriosus, de quibus habes fructu et conformitate XIII, et praecipue trium mortuorum suscitatione; vide ibi.

(*a*) As *intimationem*.

[1] Cfr. II Cel. 3, 137. — [2] II Cel. 3, 87.

Vigesimonono, Dei amicis in orationem, id est in normam orationis et orandi; nam « ambulans et sedens, laborans et vacans, intus et foris, vi mentis semper erat orationi intentus, ut quidquid erat in eo operis et temporis, orationi dedicasse videretur [1] »

Trigesimo, Deum gustantibus in contemplationem; non solum, qualiter ad contemplationem homo venit, beatus Franciscus ostendit, sed qualiter miris excessibus et visionibus de ipso habitis in contemplatione vir Dei se debet habere, clare expressit, de quibus habes fructu et conformitate XV.

Trigesimoprimo, ad Christi adhaesionem; nam qualiter et quomodo homo Christo debeat inhaerere, beatus Franciscus ostendit dimissione omnium, toto affectu ad ipsum et intra ubera suae devotionis Christum habendo et tenendo ac pro ipsius amore mortem optando.

Trigesimosecundo, animalibus in dulcedinem et compassionem; ipsi beato Francisco tanquam vero Trinitatis cultori, sicut omnis creatura, ut dicetur, parebat ad nutum, sic animalia multa libenter inhaerebant; quibus et veram ostendit pietatem et magnam pro tempore exhibuit compassionem; patet de lupo ferocissimo apud Eugubium sicut agnus effecto et de aliis animalibus, ut fructus XIII et conformitas ostendit.

Trigesimotertio, cordi in perscrutationem; cordium enim vidit arcana, sicut patuit de fratre Massaeo, Riccerio, fratre Leonardo de Assisio, et sic de aliis.

Trigesimoquarto, tempori in agnitionem; vidit enim, quae ventura erant pro tempore futuro; sicut ordinis dilatationem, persecutionem et deviationem praedixit.

Trigesimoquinto, afflictis in fiduciam et consolationem; patuit de fratre Leone tentato, fratre Riccerio, fratre Rufino et sic de aliis, quos a tentatione et afflictione liberando gaudium eis dedit et consolationem.

Trigesimosexto, deficientibus in sublevationem; patet, quando fratri de nocte deficienti subvenit, triginta fratres et amplius de tribus panibus cibavit et in mari Sclavoniae de paucis eleemosynis multos diebus pluribus multiplicatis sublevavit.

Trigesimoseptimo, aegrotantibus in liberationem; omnes enim morbos expulit et infirmitates, et quod maius est, leprosos suis manibus contrectando liberavit.

Trigesimooctavo, infidelibus in salvationem; nam soldanum Babyloniae convertit et alios infideles, tam per se quam per suos filios fratres, ad viam salutis deduxit.

Trigesimonono, conditis in dominium et praesidentiam; omnia enim condita sibi obediebant, aer sibi lucendo, ignis calorem mitigando, terra in domo medici se glutinando, aqua se in vinum mutando, et sic de aliis.

Quadragesimo, papae et cardinalibus in praecipuam regulam; nam papa et cardinales praecipua ad ipsum reverentia et devotione ferebantur, eum honorantes in omnibus et libentissime sciscitantes, sicut in operis huius pluribus locis patebit.

Quadragesimoprimo, sanctis in stuporem et admirationem, dum stigmatibus est a Christo consignatus suae sacratissimae passionis.

Quadragesimosecundo, caelestibus in honorem, gloriam et iubilationem, dum est inter eos collocatus, gloria et honore prae aliis sublimatus.

Quadragesimotertio, mortuis in vivificationem, cum eius invocatione et meritis ipse Dominus Iesus suscitavit ultra triginta mortuos, ut patet fructu XXXIX et conformitate, et suscitat continue et spiritualiter et corporaliter, si debite beatus Franciscus invocetur.

---

[1] Bonav. *Leg. mai.*, c. 10 n. 1.

Quadragesimoquarto et ultimo, christicolis omnibus in exsultationem, sublimationem et honorem; quod tantus sit et talis beatus Franciscus effectus a Deo, ad gloriam est cunctorum fidelium exsistentium tam in ecclesia triumphante quam militante, cum inter sanctos sit singularissimus meritis et dignitate stigmatizationis.

Sic ergo beatus pater Franciscus a Christo exhibitus iam praefatis ab eis amplexatur et strictus est brachiis totius amoris. Quibus diligenter inspectis, patet expositio secundae partis huius IV fructus et conformitatis, videlicet: *Franciscus amplexatur,* tam ratione primi, quam consequenter dictorum, quomodo Franciscus est a Christo multis varie exhibitus et monstratus.

QUINTUS FRUCTUS ET CONFORMITAS:
Iesus Parvus Insequitur — Franciscus Agitatur.

Expositio primae partis, videlicet: Iesus parvus insequitur.

1. Virtutum omnium Dominus Iesus Christus, cum sit Rex et Dominus, ut ait psalmus 5, 3, ac fons et origo, ut ait Bernardus [1], virtutum, ac inter virtutes virtus patientiae homini necessaria pro statu isto multipliciter comprobetur, utpote, quia assidue impugnatur a diabolo, carne et mundo, ut se praefatis valeat praeservare, defendere et custodire, hanc debet habere pro thorace, galea, scuto, spata et lancea, scilicet patientiae virtutem; quae, teste Cassiodoro super psalmo [2], « omnia vincit adversa, non colluctando, sed sufferendo, non murmurando, sed gratias agendo; ipsa est, quae faecem totius voluptatis abstergit; ipsa est, quae limpidas animas Deo reddit ». Hinc est, quod hanc virtutem, cum in vitae suae processu pluries ostenderit facto verboque docuerit, in suae vitae principio eam opere placuit demonstrare. Ipsam enim ostendit nascendo, si considerentur incommoda, quae sustinuit quoad locum, quia in praesepio foetido; quoad lectum, quia in foeno et palea amota culcitra cubitavit; quoad vestitum, cum frigus esset intensum et igne caruit et pannos ad se cooperiendum non habuit; quoad alia necessaria, quia natus est pauperrime; multaque alia incommoda percepit et tamen non murmur, non querimoniam edidit, sed patientissime omnia portavit, ipsamque veraciter ostendit, quando, dum mensium vix esset duorum, ab Herode ad mortem quaesitus, monitu divino Ioseph ipsum cum beata Maria matre eius in Aegyptum fugiendo deduxit.

Sed qualis quantaque eius fuerit patientia, hac persecutione Herodis et ad Aegyptum accessu et ibi per septennium mansione patere potest, si consideretur ipsius Iesu altitudo, quia Deus, et sic mirum (*a*) fuit, quomodo a creatura Deus persequi se permisit; si consideretur sanctitudo eius, quia *sanctus sanctorum,* quare non persequi, sed venerari a quolibet decebat; si consideretur teneritudo, quia infans, nullus deberet ei obesse, sed prodesse; si consideretur eius pulchritudo, quia *speciosus forma prae filiis hominum* [3], omnes deberent in eo complacere et nullus displicere; si consideretur gratiae plenitudo, quia plenus gratia et virtute, quare adhaerere et non repellere quis deberet a se; si consideretur magnitudo, super omnes deos est magnus, quare omnes eum debent adorare (*b*), et sub eius manibus corpus et animam committere; si consideretur eius dignitas, qui Rex regum et Dominus dominantium, a subiectis non debet abiici, sed suscipi; si consideretur gratitudo, quia suavis et dulcis, quare debet a quolibet diligi et non odiri; si consideretur rectitudo, quia iustus

(*a*) As *patiens.* — (*b*) N et edd. *exorare.*

[1] *Sermo* in nativ. Ss. Innocent. n. 1, secundum rem (P. L. 183, 129). — [2] *Exposit.* in Ps. 32, 20 (P. L. 70, 231). — [3] Ps. 44, 2.

et nullum offendit, offendere ergo eum pravum et iniquum est; si consideretur fortitudo, quia potest persequentes annihilare, unde non est insectandus; si consideretur limpitudo, omnia enim videt, quare et consilia, quae per malos fiebant contra eum; si consideretur eius beatitudo, cum enim sit omnium beatitudo, et beatitudo naturaliter a quolibet appetatur, puer Iesus insequi non deberet, sed omni affectione suscipi et acceptari. Sic ergo conditionibus pueri Iesu pensatis, ei nullam persecutionem decebat inferri. Quare cum oppositum sit factum, ut dicit prima pars huius fructus et conformitatis, scilicet: *Iesus parvus insequitur,* hanc persecutionem suscipiendo mitissime, patientiae virtutem opere omnibus declaravit.

Quam patientiam declarat ulterius aetas ipsius, quia parvus et vix duorum mensium; prolixitas itineris, quia ultra viginti diaetarum est iter per viam, quam accessit, unde Mater et Ioseph fatigabantur, et ipse puer Iesus, etsi in gremio seu brachiis portaretur et foveretur suae Matris; viae incommoditas, quia non homines, sed bestiae, non arbores, sed terra sterilis, nec aqua ad potandum, nisi bis in tanto itinere, invenitur, quare ibi aderat indigentia et necessitas rei familiaris; dolor Mariae videndo Filium persequi, a finibus propriis expelli et ad terram incognitam se cum Filio deduci; magnitudo timoris tam Mariae quam Ioseph, in cuius signum de nocte surrexit et ad Aegyptum perrexit; in Aegypto permansio per tantum tempus cum summa paupertate, incogniti, linguam nescientes, nec habentes hospitium, nec ad conducendum pecuniam possidentes. Haec et alia, quae debent circa hoc cogitari, si pensentur, persecutionem habuisse diram Iesum, Matrem et sponsum apparet, ac patientiam magnam eius pandunt, clamant et ostendunt.

2. Sed quare hanc patientiam et virtutem voluit opere sic ostendere in sua infantili aetate, nisi quia iustis voluit esse conformis et electis? Quis enim fuit iustorum, qui persecutionem non habuerit in hoc mundo? Abel a fratre Cain mactatur; Noe subsannatur et deluditur, dum diluvium praedicaret futurum; Abraham in igne ponitur; Isaac ab Amalech expellitur; Loth omnia perdit; Iacob ab Esau et Laban fatigatur; Ioseph a fratribus venditur; Moyses ad mortem quaeritur; Iephte, Samson et Gedeon persecutionibus agitantur; David insidiis undique circumvenitur; Tobias excaecatur; Iob flagellatur; Ezechias a Sennacherib concluditur; Iosias occiditur; Isaias secatur; Ieremias obruitur; Daniel in lacum mittitur, et sic de aliis prophetis et iustis, qui variis sunt lacessiti iniuriis et patientiae virtute probati. Ut enim praefatis Iesus fuit conformis quoad corporalem substantiam, quia homo, sic et similis eis esse voluit quoad patientiae virtutis susceptionem. Voluit etiam hac virtute probari, ut ipsam nobis facto et demum in vitae progressu facto et verbo declararet a nobis suscipiendam.

Haec enim est virtus, qua primo homo vincit se ipsum; multi sunt, qui urbes magnas in sua redegerunt potestate, sed pauci, qui se (*a*), ut dicit Seneca in *Quaestionibus naturalibus* [1]; secundo reddit hominem invictum, glossa [2] super illud Iob 4, 6: *Ubi est fortitudo tua?* dicit: «Qui se vincit, contra omnia fortis est»; vere patiens unus homo a toto mundo vinci non potest, et Seneca [3]: Facilius est gentem unam quam unum hominem vincere; tertio de hoste gloriose triumphat, diabolus patientia superatur; in *Vitis patrum* [4] daemoniacus cum percussisset senem in maxillam, et ille cum patientia praeberet alteram, diabolus statim aufugit; quarto facit hominem sui possessorem, Luc. 21, 19: *In patientia vestra possidebitis animas vestra;* quinto iram Dei mitigat, Prov. 25, 15: *Patientia lenietur princeps;* David patientia Deum placat, II Reg. 15, 25 sqq.; sexto homo reddit vices Deo hac virtute, I Petr. 2, 21: *Christus passus est* etc., et sequitur: *Ut sequamini vestigia eius;* Christus piscem assum comedendo dedit reliquias apostolis; et apostolus, Col. 1, 24: *Adimpleantur, quae desunt pas-*

(*a*) As *se ipsos vincant.*

[1] In praefatione ad librum III. — [2] *Ordinaria* apud Lyranum in hunc locum. — [3] Cfr. l. c. — [4] L. V, libell. 15 de humilitate n. 14 (P. L. 73, 957).

sionum Christi in carne mea; septimo hominem martyrem facit, Gregorius[1]: « Sine ferro vel flammis martyres esse possumus, si patientiam in animo conservamus »; octavo mira agit, Gregorius *I Dial.*[2]: « Virtutem patientiae signis et miraculis maiorem puto »; rubus ardet et non comburitur, sic et vir patiens, etsi malis pulsetur, tamen non deiicitur; nono sapientiam inducit, Prov. 14, 29: *Qui patiens est, multa gubernatur sapientia;* et c. 19, 11: *Doctrina viri per patientiam agnoscitur;* decimo animam perficit, Iacobus in canonica c. 1, 4: *Patientia opus perfectum habet;* habent et aliae virtutes opus suum, quantum ad sufficientiam, sed haec quantum ad sufficientiam et efficaciam, quia omnia consummat; undecimo animi magnitudinem ostendit, Seneca[3]: « Magni animi est, iniurias in sua patientia pati »; duodecimo et ultimo caelum acquirit, Matth. 5, 10: *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam; quoniam ipsorum est regnum caelorum.* Quia (*a*) ergo tot bona facit patientia, ut nobis suscipiendam ostenderet puer Iesus, hanc accepit insecutus iniuste ab Herode et a Iudacis.

Ulterius pro evidentia patientiae Salvatoris in pueritia inspice causam. Iesus parvus insequitur, scilicet ab Herode, cuius regnum non accepit nec accipere venerat, quia *regnum eius non est de hoc mundo;* cum non irritaverat verbo, facto non lacessiverat, ad cuius salutem et aliorum natus erat, et ei se daturum gloriam et gratiam, si vellet, advenerat; sic non Iudaeos, qui de eius ortu turbati sunt, qui una cum Herode ad insequendum ipsum erant armati; non offenderat unquam, immo suis beneficiis semper iuverat et se eis benevolum ostenderat; quare, cum nulla suppeteret causa persequendi puerum Iesum, et Christus patienter omnia tolerando, suam ostendit patientiam magnam et persecutionem atrocissimam fuisse et crudelem.

3. Sic ergo apparet, quomodo intelligitur prima pars huius V fructus et conformitatis: *Iesus parvus insequitur.* Nam eum Herodes et Iudaei extinguere voluerunt; et hoc in infantili aetate, quamvis id perficere, divino praeventi consilio, non potuerunt; sed hunc Iesum, quem necare puerum voluerunt, et ut ipsum extingueret, Herodes crudelis pueros innocentes necavit, temporis in processu iam defuncto Herode, ab eius persecutione abstinuerunt? Certe non, immo iniuriis innumeris sunt insecuti; ipsum enim reddere contemptibilem et despectibilem populo sunt conati, diversas vias et modos invenientes, ac famam eius denigrare: primo, eius vitae detrahendo dicentes de eo[4]: *Hic homo vorax est et potator vini, publicanorum et peccatorum amicus;* secundo, eius miracula contemnendo, Luc. 11, 15: *In beelzebub principe daemoniorum eiicit daemonia;* tertio, eius famae et favori invidendo, dicentes, Ioan. 11, 47 et 48: *Ecce, totus mundus vadit post eum; quid facimus? si dimittimus eum sic, omnes credent in eum;* quarto, eum despiciendo: *quomodo hic scit litteras, cum non didicerit? Nonne hic est fabri filius?*[5] etc.; quinto, suae doctrinae insidiando, Matth. 22, 15: *Consilium inierunt, ut eum caperent in sermone;* sexto, ipsum personaliter persequendo, voluerunt enim eum lapidare et capere, Ps. 7, 6 et 10, 3; septimo, ei non credendo, dicentes, Ioan. 8, 13: *Tu de te ipso testimonium dicis, testimonium tuum non est verum;* octavo, eum blasphemando, Ioan. 8, 48: *Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es et daemonium habes?* nono, in passione illudendo, dicentes, Luc. 22, 64: *Prophetiza nobis, quis est, qui te percussit;* decimo, ipsum deridendo, Matth. 27, 40: *Vah! qui destruis templum Dei* etc.; undecimo, accusando Pilato[6]: *Si non esset hic malefactor* etc.; duodecimo, mortem turpissimam inferendo et condemnando, quia, ut crucifigeretur, petierunt.

Hae iniuriae, et si aliquae fuerunt reales, ut plurimum tamen verbales fuerunt. Verum ipsi non contenti verbis ad opera accedentes, ipsi Christo Iesu, nostro Salvatori, magnas

(*a*) R *Quare.*

[1] *Homil.* 35 in evang., n. 7 (P. L. 76, 1263). — [2] C. 2 (P. L. 77, 161). — [3] II *De ira*, c. 32 De remediis irae. — [4] Luc. 7, 34. — [5] Matth. 13, 54 et 55. — [6] Ioan. 18, 30.

iniurias irrogarunt; et hoc primo in ordinatione suae captionis, cum capere cum discipulo pro parvo pretio ordinaverunt; secundo in captione, quia, ut ad latronem capiendum accesserunt; tertio in deductione, quia eum ligaverunt; quarto in domo Annae velatione dicentes: *Prophetiza,* etc.; quinto in maxillae percussione, in loco tam solemni et tali corporis parte et sine causa et a tam vili persona; sexto in facie in sputis deturpatione; septimo in traditione ipsius in manibus Pilati, ut esset maléfactor; octavo in missione ad Herodem et despectione ipsius ab Herode et suis; nono in Barabbae (*a*) petitione et dimissione; decimo in flagellatione, quia Pilatus voluit eum corripere; undecimo in condemnatione ad mortem, ut esset latro; duodecimo in crucifixione; tertiodecimo in latronum cum ipso crucifixione et associatione; quartodecimo in aceti cum felle potatione; quintodecimo in tituli appositione; sextodecimo in spoliatione et denudatione; decimoseptimo in exprobratione et derisione latronum et aliorum; decimooctavo post mortem lanceatione. Tot ergo iniurias inferentibus Iudaeis, quid egit Christus? Inquit Petrus in sua canonica I, 2, 23: *Cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur, non comminabatur.* Sic ergo patet, quae et quanta Dominus Iesus sustinuit, ut nobis capiendam virtutem patientiae indiceret, exemplo suo instrueret et doceret ac pro inferentibus exorare, ut fecit, Luc. 23, 34, dicens: *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.*

Patet ergo praefatis succincte expositio primae partis huius V fructus et conformitatis, videlicet: **Iesus parvus insequitur.**

Secunda pars quinti fructus et conformitatis videlicet:

Franciscus agitatur.

Expositio.

1. Expedita primae partis huius V fructus et conformitatis expositione, videndum est de intelligentia secundae partis, videlicet: *Franciscus agitatur.* Pro cuius evidentia est sciendum, quod ut patet ex scriptura divina et sanctorum exemplis, vir per patientiam pluribus modis probatur et patiens esse cognoscitur, et primo, carnis infirmitate et percussione, hoc a beato Gregorio in IV *Dialogorum* [1] commendatur vir Dei Sanctulus, qui omni tempore vitae suae iacuit in lectulo membris omnibus destitutus; secundo, in displicentiae omnis illatione, de hac Christus in cruce commendatur, qui se consolantem non invenit; tertio, verbis iniuriosis impertitione, de hac commendatur Sara (*b*), quae ab ancilla maximas iniurias audivit et patienter portavit, Gen. 16, 5 sq.; quarto, nulla habita compassione, sub hac probati sunt filii Israel, Ex. 1, 10 sqq., quibus praefecti pharaonis nullam habebant compassionem in laboribus; quinto, mala sui tractatione, de hac commendatur Ioseph, qui venditus a fratribus, infamatus a femina, coniectus est in vincula, Gen. 39, 1 sqq.; sexto, sui a patria expulsione, sub hac fuit Moyses expulsus de Aegypto a pharaone, Ex. 2, 5.; septimo, flagellorum percussione et verberatione, in hac praecipue fuit Iob percussus et flagellatus a diabolo, Iob. 1, 12 sqq.; octavo, assidua persecutione, hanc perpessus est David, I Reg. capitulis pluribus, a Saul, qui usque ad mortem non destitit David per-

(*a*) R *Barnabam.* — (*b*) As *Sara Tobia.*

[1] Legendum videtur *Servulus;* vide l. IV c. 14 (P. L. 77, 341 sq.), ubi eius mira patientia in infirmitate commendatur; de Sanctulo vide l. III c. 37, in quo huius s. viri mira simplicitas et caritas describitur.

sequi, ut patet ibidem.; nono, bonorum temporalium amissione (*a*), de hac laudatur sanctus Eustachius et Iob, a quibus bona fortunae et naturae, scilicet filii, fuerunt ablata; decimo, consolationis subtractione, in hac fuit Abraham, Gen. 11, 31, *in Ur Chaldaeorum,* id est in igne; tres pueri, Dan. 3, 15, in medio ignis per tempus; Susanna, Dan. 13, 22 sqq., qui omnes in principio privati videbantur hominibus consolatione, tandem patientia sunt recreati dulcedine ipsa divina; undecimo, diaboli infestatione assidua, uti fuit in Paulo apostolo, cui erat datus carnis stimulus; duodecimo, illius, quod homo appetit, subtractione, hac fuit probatus Tobias senior, lumine oculorum orbatus pro tempore, sed patienter ferendo reiterato a Deo lumen visus recepit. Praefatis ergo modis, ut patet ex scripturis, virtus patientiae declaratur; et si doctores alios assignent, ad praedictos vel aliquem praemissorum possunt reduci. Verum, cum sancti iam dictis modis probati a Deo fuere, nec praedicta contra inferentes turbati aut malum pro malo corde, voluntate, nec opere reperti sunt reddere, immo eis compati, pro inferentibus deprecari, eisque misericorditer et benigne indulgere, ob patientiam perfectum opus habentes, patientiae vicissitudine praemiantur a Christo.

2. Quorum exemplo vir gloriosus beatus Franciscus inductus quoad praefata ostendit virtutem patientiae, non solum postquam Christum perfecte induit religione incepta, sed in habitu saeculari exsistens sub praefatis patientiae modis agitatus, quia toleravit cuncta patienter, Christo Iesu in hoc reperitur conformis, prout hic fructus V et conformitas pro secunda parte nititur demonstrare. Fuit enim beatus Franciscus sub praedictis modis: sub primo modo, scilicet infirmitate et corporis passione, saecularis exsistens; quia enim ignorabat caelestis allocutionis arcanum, facta est manus Domini super eum et castigatus fuit exterius prolixi languoris gravedine et clarificatus fuit interius sancti Spiritus unctione. Factus frater, quia naturae erat debilis, semper erat infirmus, et praecipue infirmitate hepatis, splenis et stomachi, et haec ei acciderant ex corporis dira pertractatione. Circa finem vero variis coepit infirmitatibus laborare et doloribus continuis comprobari, non tamen aliquando est conquestus, sed poenas ipsas sorores suas vocabat. Adeo enim in hoc divinae voluntati concors erat, ut semel dicenti sibi fratri, quod rogaret Christum, ut secum mitius ageret, respondit cum maximo eiulatu: « Nisi noscerem in te simplicem puritatem, tuum ex nunc abhorrerem consortium, qui ausus fueris circa me divina iudicia reprehensibilia iudicare »; et prostratus in terram ossibus collisis, ad Dominum inquit: « Gratias tibi ago, Domine Deus meus, de omnibus his doloribus meis, teque, mi Domine, rogo, ut centuplum addas, si tibi placuerit, quia hoc erit mihi acceptissimum, ut affligens me dolore non parcas, cum tuae sanctae voluntatis adimpletio sit mihi consolatio superplena [1] ». In suis infirmitatibus non didicit pater conqueri, sed semper laetitiam ostendere singularem, non conquestus aliquando, sed semper Deo gratias agens.

Sub modo fuit secundo beatus Franciscus, videlicet displicentiae omnis illatione; pluries enim et multoties displicentias accepit et sustinuit. Nam saecularis dum esset et guerra esset inter Perusium et Assisium, captus cum pluribus ex suis civibus, in

(*a*) As *amotione.*

[1] Bonav. l. c. c. 14 n. 2.

carcerem missus, ibidem per annum stetit, donec pax inter Assisinates et Perusinos firmata esset. In quo carcere dum esset, cum displicentiam habere deberet ex his, quae in carceribus habentur, et libertate, qua carent, vir Dei Franciscus aliis condolentibus captivis et tristantibus, ipse iucundus stabat et alacer adeo, ut ad stultitiam sibi imputaretur; super quo ab uno reprehensus ex sociis, cur tanto gaudio laetaretur, respondit viva voce: « Quid putatis de me? adhuc adorabor per totum mundum [1] ». Concaptivus ergo manens Perusii, velut alter Tobias, suis concaptivis serviebat, ut poterat; ac uni militi, qui alteri iniuriam irrogarat, propter quod emissus erat ab aliis, beatus Franciscus nec societate deseruit, nec a ministratione cessavit [2]. Postquam vero mundo renuntiaverat et fratres habere inceperat, omnis consolatio aberat, et quantum ad tegumentum, quia vilissime indutus; quantum ad locum, quia in quodam stabulo prope Assisium, quod eos capere non poterat; quantum ad lectum, quia terra; quantum ad cibum, prae fame et quia non dabantur eis eleemosynae, utpote incognitis adhuc, rapas eos comedere oportebat per loca, ad quae ibant; quidam dicebant eos insanos, et luto et lapidibus impetebantur et quandoque per caputia trahebantur et retro reportabantur; quidam dicebant eos fures et latrones, nec eos volebant sub tecto aut porticibus recipere ad hospitandum [3], et tamen omnia Dei amore libenter et patienter ferebant. Quapropter beatus Franciscus hunc patientiae modum volens ostendere et de hoc declarare socium suum fratrem Leonem, dum iret cum eo tempore magni algoris de Perusio Assisium (*a*), dixit fratri Leoni: « Quamvis fratres Minores in omni terra dent exemplum magnae sanctitatis, honestatis et aedificationis, ibi tamen non est perfecta laetitia. Et quamvis frater Minor illuminet caecos, contractos extendat et daemones pellat, surdis auditum, claudis gressum et mutis restituat verbum, et quod plus est, quatriduanum resuscitet mortuum, ibi non est perfecta laetitia. Et si frater Minor sciret omnes linguas et omnes scientias et scripturas, ita (*b*) sciret prophetare et revelare non solum futura, sed etiam conscientias aliorum, ibi non est perfecta laetitia. Et si frater Minor loquatur lingua angelica et sciat stellarum cursus et virtutes herbarum, et sint ei revelati omnes thesauri terrarum, et si cognosceret et proprietates avium, piscium, animalium, hominum et radicum, lapidum, arborum et aquarum, ibi non est perfecta laetitia. Et si sciret tam solemniter praedicare, quod converteret omnes infideles ad fidem, ibi non est perfecta laetitia ». Et cum frater Leo peteret ab ipso, in quo esset perfecta laetitia, respondit dicens: « Quando veniemus ad sanctam Mariam de Angelis sic balneati, pluviaque et frigore congelati et luto etiam deturpati ac fame afflicti, et ad portam loci pulsabimus, et portarius veniet iratus dicens: ‚Qui estis vos'? Et nos dicemus: ‚Sumus duo de fratribus vestris'; et econtrario diceret: ‚Immo estis duo ribaldi, qui itis circumquaque per mundum pauperum eleemosynas rapiendo'; et non aperiret nobis, sed faceret nos stare ad nivem et aquam in frigore et fame usque ad noctem; tunc si nos tot impulsus et iniurias sine turbatione et murmuratione tolerabimus patienter et cogitaverimus humiliter et caritative, quod ille portarius veraciter nos cognoscit, et quod Deus linguam suam exerceret contra nos, o frater Leo, scribe, quod ibi est perfecta laetitia. Et si nos perseveraverimus in pulsando, et ille portarius tan-

(*a*) R om. *dum — Assisium.* — (*b*) As *ita ut.*

[1] II Cel. I, I. — [2] II Cel. ib. — [3] *Legenda 3 sociorum*, n. 39.

quam contra importunos exeat contra nos, et durissime nos afficiat alapis, dicens: ,Recedite hinc, pultrones vilissimi, et ite ad hospitale; qui estis vos? penitus hic non manducabitis', et si nos haec patienter portabimus, et iniuriati cum amore pepercerimus toto corde, scribe, frater Leo, quod ibi est perfecta laetitia. Et si nos undique afflictos, fame urgente, frigore affligente, nocte insuper appropinquante, pulsabimus, clamabimus, fletu instabimus, ut aperiatur nobis, et ille deinde stimulatus dixerit: ,Isti sunt homines procacissimi et protervi, et ego pacabo (*a*) eos', et exiens cum uno fuste nodoso capiens nos per caputium, et ad terram super lutum et nives proiiciet et taliter nos verberabit cum fuste nodoso, quod undique nos plagis implebit, si tot mala, tot iniurias et verbera cum gaudio toleremus, cogitantes, quod poenas Christi benedicti nos tolerare et portare debemus, scribe, frater Leo, quod ibi est perfecta laetitia». Et addidit: «Inter omnia charismata Spiritus sancti, quae cunctis suis amicis concesserit Christus et concedat, est vincere se ipsum et libenter propter Iesum Christum et caritatem Dei opprobria sustinere. Nam in omnibus mirabilibus supradictis, non possumus gloriari, quia non sunt nostra, sed Dei; sed in cruce tribulationis et afflictionis possumus gloriari; quia illud est nostrum; ideo dixit apostolus [1]: *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini* etc.». Haec beatus Franciscus [2].

Sub tertio modo, fuit beatus Franciscus, videlicet verbis impetitus iniuriosis; dum enim persecutionem patris voluisset ad tempus vitare et in quadam occulta fovea stetisset, tandem spirituali quadam completus laetitia et virtute indutus ex alto, relicta fovea, civitatem intravit Assisii. Quem cum iuvenes cernerent et «cives facie squalidum et mente mutatum ac per hoc alienatum putarent a sensu, luto platearum et lapidibus impeterent, et tanquam insano et dementi clamorosis vocibus insultarent, famulus Dei nullus fractus aut mutatus iniuria, ut surdus in omnibus pertransibat [3]». Factus religiosus et frater, ut docet dominus Bonaventura in VI parte *Legendae maioris* [4], «stultum iudicabat mundanis extolli favoribus, gaudebat de opprobriis et de laudibus tristabatur; malebat quidem de se vituperium audire, quam laudes, sciens, quod haec ad se emendandum inducerent, illa autem ad cadendum. Et cum laudaretur a populis, fratri mandabat socio, ut verba ipsum vilificantia suis auribus inculcaret (*b*); et licet invite hoc socius expleret, rusticum, mercenarium, imperitum et inutilem dicendo, exhilaratus tam mente quam facie, respondebat: ,Benedicat te Deus, fili carissime, quia verissime loqueris, et talia filium Petri Bernardonis decet audire'». Immo ad sibi dicendas iniurias et opprobria inferenda populos inducebat, occultos defectus palam reserando. Unde in *Legenda antiqua* [5], capitulo de perfectione humilitatis, ipse beatus Franciscus aliquando dixit socio: «Non mihi videtur, quod sim frater Minor, nisi essem in statu, in quo tibi dicam. Ecce, fratres cum magna reverentia et devotione invitant me ad capitulum, et motus ex devotione vado ad capitulum cum eis; ipsi autem congregati rogant me, ut annuntiem verbum Dei et praedicem inter eos; et surgens praedico illis, sicut me docuerit Spiritus sanctus; finita praedicatione, ponatur, quod omnes fratres clament

(*a*) N et As *pagabo.* — (*b*) As *insultaret; rusticum.*

[1] Gal. 6, 14. — [2] *Actus* c. 7. — [3] Bonav. l. c. c. 2 n. 2. — [4] N. 1. — [5] *Speculum perfectionis* (ed. Sab.) c. 64; cfr. II Cel. 3, 83 et Bonav. l. c. c. 6 n. 5.

adversum me, dicentes: ‚Nolumus, te regnare super nos, non enim es eloquens, sicut decet, et es nimis simplex et idiota, et verecundamur nimis, talem habere praelatum, ita simplicem et despectum super nos; unde de cetero non praesumas te nostrum vocare praelatum‘; et sic eiiciunt me cum vituperio et opprobrio; non ergo mihi videtur, quod sim frater Minor. si eodem modo non gaudeo, quando me vilipendunt et cum verecundia me eiiciunt, nolentes, quod sim praelatus ipsorum, sicut quando venerantur et honorant me, eorum profectu et utilitate (*a*). Nam si gavisus sum, cum exaltant (*b*) et honorant me, propter profectum et devotionem ipsorum, ubi tamen animae meae periculum esse potest, multo magis debeo gaudere, delectari et iucundari de profectu et salute animae meae, cum vituperant me, ubi est certum meae animae lucrum ». Hoc idem in VI parte *Legendae maioris* habetur. Et ideo beatus Franciscus in suis *Admonitionibus* [1] de hoc tertio modo patientiae loquens dicit: « Beatus servus, qui, cum reprehenditur et accusatur, illam reprehensionem et accusationem ita patienter sustinet ab aliis, sicut a semetipso. Beatus servus, qui reprehensus benigne acquiescit, verecunde obtemperat, humiliter confitetur et libenter satisfacit. Beatus servus, qui non est velox ad se excusandum et humiliter sustinet verecundiam et reprehensionem de peccato, ubi non commisit culpam ». Haec beatus Franciscus.

Sub quarto patientiae modo fuit beatus Franciscus, videlicet si nulla ei habebatur compassio. Francisco saeculari exsistente, vidente eum patre a civibus impeti luto et lapidibus, habuitne sibi compassionem? Certe non. Audito siquidem patre rumore, quem cives contra filium faciebant, « accurrens omni miseratione naturali et compassione subtracta, non ad liberandum eum sed perdendum, pertractum domi primo verberibus, deinde vinculis angit [2] ». Prius enim pater eius insecutus est eum ob pannos et equum venditos pro reparatione ecclesiae sancti Damiani, de cuius reparatione a Christo mandatum acceperat, cuius persecutionem beatus Franciscus declinans in quadam occulta fovea uni soli de sua domo nota pluribus stetit diebus. Insuper cum iam abrenuntiasset omnibus et patri etiam vestimenta tradidisset, nudo ipso remanente, pater non fuit pietate commotus, ut aliquid ei de vestimentis daret; et quod iniquius est, ipsum videndo, iam Christum induisse et algore deficientem, ad tradendum ei pannum pro tunica aliqua nullatenus fuit pietate commotus (*c*). Sicque Franciscus a suis derelictus, a Patre patrum, qui in caelis est, in quem affectum totum posuerat, benignissime susceptus, abundanter ob patientiam cuncta peroptata accepit. Et ideo ipse pater beatus Franciscus dixit in suis *Admonitionibus* [3], loquens de hoc quarto patientiae modo: « Non potest cognosci servus Dei, quantam habeat patientiam et humilitatem, dum satisfactum est ei secundum voluntatem et necessitatem suam; cum autem venerit tempus, quo illi, qui debent satisfacere ei, faciunt sibi contrarium: quantam habet ibi patientiam et humilitatem, tantam habet et non plus (*d*) ».

Fuit etiam beatus pater Franciscus sub quinto modo patientiae approbatus, videlicet sui mala tractatione (*e*). Saecularis a patre, iniuste videlicet, ut viam Dei

(*a*) Ed. Speculi add. *utrobique aequaliter se habente.* — (*b*) N, As et edd. 1 et 2 *exsultant.* — (*c*) As om. *daret — commotus.* — (*d*) As *quantam habet et non plus.* — (*e*) As *contractatione.*

[1] *Opuscula S. P. Francisci* (ed. Ad Claras Aquas), pag. 16 (n. XXIII). — [2] Bonav. l. c. c. 2 n. 2. — [3] L. c. pag. 12 (n. XIII).

desereret et mundum prosequeretur, fuit nequiter tractatus, utpote verberibus attritus et vinculis alligatus ac verbis indecentibus lacessitus. Frater iam exsistens, ab episcopo Imolensi fuit expulsus indebite; et quia patienter tulit, iterato reversus, ab episcopo laudabiliter est susceptus [1]. Sic ipsius ad soldanum accessu captus a saracenis, « qui tanquam lupi accurrentes in oves feraliter comprehensos crudeliter et contemptibiliter pertractarunt, afficientes conviciis, affligentes verberibus et vinculis alligantes », ut dicitur in IX parte *Legendae maioris* [2]. Sed quia sciebat *beatos* dictos a Christo, *qui patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum caelorum,* Matth. 5, 10, praefata omnia et Christi amore gaudenter suscepit. Et ideo dicit in *Admonitionibus* suis [3], exponens illud Matth. 5, 9: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur:* « Illi sunt vere pacifici, qui de omnibus, quae in hoc saeculo patiuntur propter amorem Domini nostri Iesu Christi, in animo pacem servant ».

Fuit beatus Franciscus sub sexto modo patientiae, videlicet a patria expulsione, probatus. Fuit enim persecutione paterna ab Assisio effugatus per dies nonnullos; quia eum vidit, quod revocare nequiret, de provincia saltem conatus est effugare, ut dicit II pars *Legendae maioris* [4]; verum vir Dei Franciscus, cum bonis abrenuntiasset paternis, et a patre et omnibus liber effectus civitate relicta Assisii, Eugubium perrexit et ibidem per dies aliquos mansit. Et quia forti viro omne solum patria est, nec iuxta apostoli dictum *habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus,* Hebr. 13, 14, hinc est, quod, sicut ipse beatus Franciscus plus de una patria non curavit quam de alia; ita et specialiter de hoc fratres in regula admonet, c. 6 dicens: « Fratres nihil sibi approprient, nec domum, nec locum etc. ». Non de expulsione curat a patria, qui locum nullum habet. Bias, ut dicit Valerius [5], amissa patria cum rebus, nihil se amisisse causabatur, quia non sua iudicabat illa, quae fortuna aliquando possit auferre. Sic beatus Franciscus, caeli iam civis, de patria mundi penitus nihil curavit.

Fuit etiam beatus Franciscus sub septimo modo patientiae (*a*), videlicet flagellorum percussione. Beatus Franciscus a patre prius diris flagellis est attrectactus, a saracenis, ac demum in hospitio domini cardinalis Leonis a daemonibus est crudeliter flagellatus et verberatus [6]; verum quia carnem suam continue disciplinis flagellabat et abstinentia edomabat, non conquerebatur de flagellis corporis, ubi (*b*) causa non esset in ipso facinoris; immo, ut iam dicta demonstrant, Dominum deprecabatur, ut sibi flagella et poenas renovaret; unde cum psalmista 37, 18 dicebat: *Ego in flagella paratus sum.* Et ipse ideo beatus Franciscus in suis *Admonitionibus* [7] dicebat: « Beatus servus, qui semper manet sub virga correctionis »; nam Deus *flagellat omnem filium, quem recipit,* ait apostolus ad Hebraeos 12, 6.

Fuit etiam sub octavo patientiae modo probatus, videlicet assidua persecutione. Dum saecularis esset, persecutus fuit a patre et sociis, quos deseruerat, a quibus luto et lapidibus est impetitus. Sed ipso ad Deum converso, paterna persecutio non cessavit; nam « ubicumque eum reperiebat, sibi maledicebat. Quod beatus Franciscus

(*a*) As *probativo et.* — (*b*) N et As *nisi.*

[1] II Cel. 3, 85. — [2] N. 8. — [3] L. c. pag. 13 (n. XV). — [4] N. 3. — [5] L. VII *De sapienter dictis aut factis, De Bia Priennensi.* — [6] II Cel. 3, 61; Bonav. l. c. c. 6 n. 10. — [7] L. c. pag. 17 (n. XXIV).

attendens, quendam hominem pauperculum et despectum in patrem assumsit; cui et de eleemosynis dabat, cui et dixit: ,Cum videris patrem meum maledicentem mihi et ego dixero tibi, benedic mihi, pater, signabis me et benedices vice illius'. Sic ergo isto paupere benedicente sibi, beatus Franciscus dixit ad patrem: ,Non credis, quod Dominus possit mihi dare patrem benedicentem mihi contra tuas maledictiones'? Sic et multi deridentes eum omnia patienter sufferre, mirabantur [1]. Frater quoque ipsius carnalis nec a persecutione cessavit, immo eum cum aliis deridebat; unde tempore intensi algoris, cum vidisset beatum Franciscum pauperculis contectum indumentis, dixit uni ex suis concivibus ironice: « Dicas Francisco, quod tibi unam nummatam (*a*) vendat de sudore »; cui beatus Franciscus respondit gaudio perfusus gallice: « Ego care vendam Domino meo istum sudorem [2] ». Et quia servos Dei noverat persecutionibus assiduis comprobari, velut aurum in fornace, hinc est, quod de talibus persecutionibus nihil curabat, sed potius appetebat; talesque, qui huiusmodi vexabantur persecutionibus, singularibus verbis demulcebat. Unde cuidam fratri tentatione gravissima laboranti, cum Deum exoraret pro amotione eius nec obtinendo, quod petebat, se a Domino relictum putaret, talia depromsit beatus Franciscus: « Crede mihi, fili, quoniam magis propter ea servum Dei te credo, et quo magis tentatum, magis a me dilectum te noveris. Nullus enim se servum Dei reputare debet, quousque per tentationes et tribulationes transierit. Annulus est quodammodo victa tentatio, quo Deus sibi desponsat animam servi sui. Plures sibi de annosis meritis blandiuntur et nulla sustinuisse tentamenta (*b*) laetantur; sed quoniam ante congressum solus eos terror eliderct, sciant spiritus sui debilitatem consideratam a Deo; vix enim obiiciuntur certamina fortia, nisi ubi fuerit virtus perfecta. Signum amplioris est gratiae, nihil in servo suo impune relinquere, dum vivit in hoc mundo ». Haec beatus Franciscus, ut dicit frater Thomas in sua *Legenda* [3].

Sub nono modo probativo patientiae fuit beatus Franciscus, videlicet omnium bonorum temporalium amotione. Nam, etsi sponte omnia temporalia reliquerit, sub sanctae paupertatis et indigentiae ac incommoditatis camino et patientia fuit. Licet enim paupertatem prae aliis dilexerit et tenuerit, eam tamen servando multis indiguit, quorum indigentia ei ad meritum fuit patientiae, et praecipue in ordinis exordio habendo rerum penuriam; quia non agnoscebatur ipse nec socii, nec aliquis pauper erat voluntarius dimittendo et ostiatim mendicando; quia habentes defectum panis et aliorum, comedere rapas cum sociis suis est compulsus ob famem. Insuper, ubi non agnoscebatur, quia beatus Franciscus erat parvus et despectus, panis frusta non dabantur sibi tam bona nec pulchra, sicut sociis; ut patuit, quando ipse ivit proxime cum fratre Massaeo, socio suo, quia frater Massaeus erat pulcher homo, et beatus Franciscus non, meliora et pulchriora frusta eleemosynae habuit quam ipse; et tamen in quomodocumque collatis beatus Franciscus gratias agens immensas reddebat Altissimo, prout dicit *Legenda antiqua* [4], indignum se tanto eleemosynae dono profitendo; propter quod temporis in processu semper de eleemosyna abiectiora et deteriora accipiebat frusta pro se, meliora et albiora aliis fratribus dimittendo. Et quia

(*a*) As *guttam*. — (*b*) N et As *tormenta*.

[1] *Leg. 3 soc.*, n. 23. — [2] *Leg. 3 soc.*, l. c.; cfr. II Cel. 1, 7. — [3] II Cel. 3, 60 et 61. — [4] *Actus* c. 13.

rebus temporalibus inops fuit et patienter eorum penuriam supportavit, Deus sibi ad nutum in cunctis paruit, ut fructu XVI et conformitate dicetur. Quapropter ei Dominus poterat dicere illud Isaiae 48, 10: *Elegi te in camino paupertatis;* nam relictis omnibus, *secutus est eum,* Matth. 9, 9.

Sub decimo modo patientiae probatus fuit beatus Franciscus, videlicet consolationis subtractione. Ubi sciendum, quod, cum beatus Franciscus in habitu adhuc esset saeculari et Deum ferventer oraret, dictum est illi a Domino: « Francisce, omnia, quae carnaliter dilexisti et habere desiderasti, oportet te odire et contemnere, si meam vis agnoscere voluntatem; quod postquam inceperis facere, quae tibi prius suavia et dulcia videbantur, erunt tibi importabilia et amara; atque in his, quae prius horrebas, hauries magnam dulcedinem et suavitatem immensam [1] ». Quo factum est, ut in his, in quibus ponunt homines suas consolationes et gaudia, beatus Franciscus per oppositum ad desolationem putavit et afflictionem; nempe mundani in divitiis, deliciis, voluptatibus corporis, pulchro amictu, carnis delectationibus et huiusmodi suas ponunt delectationes; sed beatus Franciscus oppositum, nam divitias abhorruit, delicias evitavit, frenum sensibus posuit, vestimentis pauperrimis et vilissimis usus fuit, carnem novis continuae abstinentiae modis coercuit, et quae pertinebant ad carnis delectationem, omnino non scivit. Et quia talibus carere poenale est et durum, sic beatus Franciscus talium delectationes fugiendo, sub consolationis omnis saecularis subtractione fuit, sciens dictum ab apostolo, Gal. ultimo, 24: *Qui autem sunt Christi,* uti beatus Franciscus fuit, *carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis.* Quomodo vero id effecerit, multis in locis patebit huius operis, et specialiter XIX fructu et conformitate. Et non solum praefatis carere omnino curavit, verum etiam in consolationis divinae subtractione, aliquando a Deo probatus fuit; nam semel per plures menses in maxima non carnis sed spiritus tentatione probatus fuit, pro cuius amotione prae solito se affligebat ieiuniis, disciplinis macerabat et orationi ferventius insistebat; et adeo haec tentatio erat valida, ut ab ipso omnem dulcedinem spiritus propulsaret in tantum, quod se a Deo derelictum beatus Franciscus omnino putaret; et cum magno tempore sub hac tribulationis vexatione a Deo fuisset probatus, die quadam, cum Christum oraret cum lacrymis, Dominus apparuit dicens: « Nescis tu illud evangelii [2]: *Si fidem ut granum sinapis habueris et diceres huic monti: Mitte te in mari, et fiet?* (*a*) Mons est tentatio tua »; et cum beatus Franciscus diceret summa fide et devotione Christo: « Fiat voluntas tua », statim tentatione fugata, consolatione fuit repletus divina [3].

Sub undecimo modo patientiae (*b*) declarativo beatus Franciscus fuit positus, videlicet diaboli infestatione assidua. Et quia de hoc dicetur fructu VII et conformitate, sufficiat pro nunc istum modum tangere et leviter declarare. Diabolus enim, ut dicetur, diversis viis et modis conatus est beatum Franciscum vexare et a proposito revocare. Nam adhuc saecularis exsistens, dum die quadam ad quandam cryptam ad orandum perrexisset, diabolus sibi apparens ei timorem incutere voluit et horrorem; « nam quaedam mulier erat Assisii gibbosa deformiter, quam daemon viro Dei Francisco apparens sibi ad memoriam reducebat, comminans eidem, quod gibbositatem illius mulieris iactaret in eum, nisi a concepto proposito resiliret; sed Christi miles fortis-

(*a*) As *faciet mons.* — (*b*) As *patientiae declarativo.*

[1] *Leg. 3 soc.*, n. 11. — [2] Luc. 17, 6. — [3] II Cel. 3, 58; *Spec. perf.* (ed. Sab.) c. 99.

simus minas diaboli vilipendens intrans cryptam, ut Deus eius dirigeret viam, devote oravit [1] ». Persecutionem (*a*), quam beatus Franciscus passus est a patre et civibus, quis suscitavit, nisi hostis antiquus? quem enim agnoscebat sui futurum percussorem et destructorem, ut ipsum a Dei via retraheret et ad suam prosequendam voluntatem, omni via est conatus et modo. Et quia statim dicetur in VII fructu et conformitate, ad praesens dimittatur.

Sub duodecimo et ultimo probationis patientiae modo fuit beatus Franciscus, scilicet illius, quod appetit, subtractione. Et pro istius evidentia est sciendum, quod homo naturaliter tam inclinatione naturae institutae quam peccato prostratae appetit multa, quae Franciscus, etsi aliquando aliqua appetierit, nonnulla tamen abhorruit. Quidam, ut habeant divitias, ab eleemosynis manus retrahunt; Franciscus naturaliter fuit liberalis et virtute indutus ex alto; petenti pro amore Dei, si possibilitas afforet, dabat libenter. Lascivia mundi appetitur a multis; hanc horruit beatus Franciscus corpus suum a tali praeservans appetitu. Aliqui appetunt status magnitudinem; Franciscus etsi militiam appetierit, facta eidem revelatione, nullatenus amplius appetivit. Iocis quidam intendunt et ludis; Franciscus, etsi quandoque, omnia reliquit. Orationem fugiunt quidam; Franciscus saecularis adhuc orationi instabat. Crucifixum attendere inter christicolas pauci optant; Franciscus adhuc saecularis passionem alte deplorat et oculos ex passionis illacrymatione sanguinolentos habet. Quidam Dei non obsecundant mandatis; Franciscus voci divinae votive obedit, dum reparare sancti Damiani ecclesiam nititur. Multi naturaliter horrent infirmitates leprosorum et ulcera; beatus Franciscus ipsos visitat, tangit, eleemosynam dat et osculatur. Paternam haereditatem habere conantur omnes; hanc coram episcopo patri beatus Franciscus resignat. Quidam totis stringunt mundum affectibus; Franciscus nudus prosilit e mundo. Incommoda declinant multi et labores; Franciscus laboribus corpus suum exponit et oneribus lapidum. Aliqui inter suos mendicare erubescunt; Franciscus verecundia deposita eleemosynam de minimis petere non horret. Cibo et potu et aliis suum cum affectu reficiunt corpus; Franciscus tenui cibo et potu, adeo, ut vix necessaria sumat sustentationi naturae, carnem suam sub abstinentia cohibet. Flagella et disciplinas sibi apponi plurimi negant; Franciscus hoc corpori suo « fratri asino » ingeminat. Mollia ferunt ad carnem plures; Franciscus cilicium latenter gerit ad carnem, vestem delicatam nunquam admittens. Poenas fugiunt omnes; Franciscus in poenis delectatur et infirmitatibus. Lumen oculorum ab omnibus desideratur; hoc Franciscus non curans lacrymis est orbatus. Velle famam quisque inhiat; Franciscus vituperari a cunctis peroptat et mandat. Mortem omnia condita formidant et horrent; beatus Franciscus ter eam habere pro Christi nomine anhelat. Scientiam mundi quidam carius amplectuntur; beatus Franciscus hac dimissa docet orationi instandum; quia tota beati Francisci vita appetitui mundanorum et naturali contraria fuit, quare sub hoc patientiae modo declarativo, scilicet omnia, quae alii appetunt, refugiendo et a se removendo.

Quare diligenter duodecim praefatis cogitatis apparet, quod beatus Franciscus ad similitudinem Christi sub patientia agitatus, probatus in patientiae virtute, perfectus inventus est, prout dicit secunda pars istius V fructus et conformitatis, videlicet: *Franciscus agitatur.*

(*a*) Ed. I *persecutio.*

[1] *Leg. 3 soc.*, n. 12.

SEXTUS FRUCTUS ET CONFORMITAS:

Iesus Abiectus Cernitur — Franciscus Separatur.

Expositio primae partis, videlicet: **Iesus abiectus cernitur.**

1. Licet Salvatoris vita et conversatio tam in sui exordio quam in processu fuerit omnis humilitatis, abiectionis et contemptus mundi expressiva, sui tamen abiectionem, etsi ostendit in incarnatione et nativitate semetipsum exinaniendo, formam servi accipiens ac in fine inter latrones volendo crucifigi, hanc praecipue voluit demonstrare, quando maiorem honorem, aetate considerata, a sapientibus Iudaeae recepit, annorum duodecim dum esset, quam post ipsorum doctorum informationem suis interrogationibus et responsionibus, in medio eorum sessionem et ipsorum de eo stupendam (*a*) admirationem reseravit, videlicet sui contemptum et mundi despectum et abiectionem. Pro cuius evidentia est sciendum, quod Salvator et Deus noster Dominus Iesus, *cuius sapientiae non est numerus* [1], in aetate duodecim dum esset annorum, quoad corpoream substantiam multa peragere complacuit, quae solerter intuentibus exprimunt in primis abiectionem sui et contemptum, et consequenter mundanorum cunctorum; exercuit enim plures actus et singulares.

2. Et primo templum adeundo ostendit, se legi esse subditum et subiectum; cum enim lege non astringeretur, sed supra legem, quia Dei Filius, voluit se legi subdere; sed qua de causa, nisi, ut ipsam bonam hactenus ostenderet fuisse? circumcisus fuit hac de causa, ad templum ductus a Matre, sic et templi ascensu idem ostendere voluit; secunda de causa, ut se legi submittendo, quia lex iusto non est posita, sed peccatori, se tanquam peccatorem tali observantia declarando, semetipsum abnegasse cunctis declararet fidelibus; tertia de causa, ut exemplum praeberet, nos divinis omni affectu mandatis obtemperare debere, quia in custodia eorundem *retributio multa* [2]; et quantocumque magnus, etiam ad quae non tenetur, pro sui humiliatione aliquando operari condecere suo exemplo monstravit. Ac post dimissam infantiam, dum homo incipit ratione vigere, servire Deo incipiat, ut egit ipse, duodecim dum esset annorum.

Sui abiectionem et despectum Christus ostendit in alio actu, videlicet secundo suos parentes deserendo; nam, ignorantibus Matre et Ioseph, in Ierusalem solus mansit. Sed hic sunt aliqua dubia removenda (*b*).

Primum: quod cum Virgo summa diligentia Christum custodiret, quomodo potuit Christus eam sic dimittere, ut de hoc ipsa nullo modo perpenderet? Respondet Beda [3], quod cum per aliam viam incederent viri et per aliam mulieres, beata Maria credidit, puerum esse cum Ioseph in comitatu, et econverso Ioseph, ipsum esse cum Matre; sic potuisse remansisse, ignorante Matre. Aliter respondet Origenes [4], quod « sicut insidiantibus Iudaeis elapsus est de medio eorum et non apparuit; sic et dicit factum, cum remansit in Ierusalem, ignorantibus parentibus ».

Secundum dubium: cum nihil magis Iesus diligeret, excepta humanitate assumta, quam beatam Virginem, cur eius consortium sic dimisit? Respondetur, quod hoc fecit primo, ne in disputatione fienda parentes eius essent ad impedimentum; secundo, ne si parentes scirent

(*a*) N *stupidam.* — (*b*) As *movenda.*

[1] Ps. 146, 5. — [2] Ps. 18, 12. — [3] *Comment.* in Luc. 2, 46 (P. L. 92, 349). — [4] *Homil.* 19 in Luc. (P. G.-L. 13, 1850).

et aliud vellent, et ipse illud non faceret, de inobedientia possit quoquomodo reprehendi; tertio, ut ostenderet, quod Deo potius est obediendum quam parentibus; quarto, ut quae Deus inspirat, non debet parentibus propalari.

Tertium dubium: an debuit Christus, inscia Matre, sic latere et tantum dolorem in eam permittere? Respondetur, quod Christus decentissime se habuit sic faciendo: primo respectu sui, et hoc, considerato primo tempore, quia homo statim, quod incipit uti ratione, debet incipere inquirere et tenere, quae Dei sunt, exemplo Tobiae, qui *ab infantia docuit filium Deum timere* et mandata eius servare, Tob. 1, 10; secundo, loco pensato, aptior locus ad honorandum Deum nullus reperitur, quam ecclesia vel templum, quare ad ipsum est accedendum, ut Deus a nobis honoretur; tertio, societate cogitata, quia bene facit puer consortium spernendo puerorum, conversetur cum probis, scilicet doctoribus et rectoribus cultus divini; quarto, modo habito respectu, caute enim debet impedimenta evitare, quae ad benefaciendum communiter dantur a parentibus; quare Christus, cum tempore congruo fecerit, scilicet duodecim annorum, locum aptum adierit, quia Dei templum, societatem proborum, scilicet doctorum, elegerit et modum cautum tenuerit in vitando parentes; quare quoad se optime in hoc facto se habuit. Secundo se habuit decenter, incipiendo quaerere, quae sunt ad Dei honorem; quod utique fecit inquirendo primo a personis scientibus, quia doctoribus, quos interrogabat; secundo, tales audiendo, libenter enim audiebat illos; tertio, interrogando, nam eos interrogabat; quarto, in perseverando, quia sedebat in medio doctorum, scilicet cum illis. Tertio se habuit decenter, quia Deum praetulit omnibus amicis et parentibus; et quia hoc est consonum rationi, quare decentissime Christus se habuit, et hoc respectu sui, sic faciendo. — Secundo se habuit decentissime respectu Matris, quia hoc actu fuit primo amor maternus ex dolore suscepto a Matre declaratus; secundo declaravit, quantam (*a*) confidentiam haberet in Matre, quam sciebat sibi condescendere in omnibus, sicut illa, quae Deo erat semper conformis; tertio reseravit eam plus Christus diligere amore spirituali quam carnali, dum sic egit; quarto, ut in tali actu se Deum esse demonstrando, quanta esset Maria, quae ipsum genuit, declararet. — Tertio habuit se decentissime quoad nos; nam ostendit paternitatem divinam praeponendam paternitati carnali, nec parentum querimoniis ab his, quae Dei sunt, cessandum, ac in his, quae sunt contra Deum, non obediendum. Et si insciis parentibus ab eis absentamur, non faciamus gratia male agendi sed bene; quia ipse templum adiit et Dei Patris honorem quaesivit. Quare praefatis patet dubium: quare (*b*) Iesus decenter se habuit.

Quartum dubium: quare sic agere voluit? Respondetur: primo, ad Virginis patientiam comprobandam et demonstrandam, quia ad tempus Deus consolationes suas retrahit et afflictiones immittit, ut probet, ut factum est in Tobia; secundo, ut sollicitudo ipsius ad Iesum inquirendum Filium suum, quanta esset, ostenderetur; tertio, ad commendandam eorum, scilicet Mariae et Ioseph, devotionem, quia Christum cum eis non esse videntes, semper inquieti fuerunt; quarto, ut declararet, quanta custodia est Christus a nobis retinendus, dum apud nos est, cuius absentia ingerit tantam moestitiam et dolorem; quinto, ad ostendendum, quod Deus non ex affectu carnali se revelat, sed potius spirituali, a Matre pro tempore se abscondit; sexto, ut declararet, quod Deus non omnia uni et simul revelat, sed unum post aliud pro loco et tempore. Quare praefatis sic agere voluit; ex quibus declaratis apparet, quod Christus volens ostendere abiectionem sui et abnegationem, non parentes amplexus est, sed deserit, quorum (*c*) comitatu nec despectus videretur nec derelictus.

Tertio ostendit despectum et sui contemptum, nullis adminiculis corporalibus se muniendo, sed omnibus spoliando; nam sicut in Ierusalem remansit solus, sic privatus pecunia, domo, lecto et victu, quia nec panem nec vinum secum habuit; quare sic omnia dimittendo et se soli divinae providentiae comittendo sui contemptum cum abnegatione ostendit.

(*a*) As *ut quandam.* — (*b*) N et As *responsio ad dubium quod.* — (*c*) N et As *cuius.*

Quarto idipsum, videlicet abnegationem et abiectionem, ostendit quarto actu, de se nihil praesumere declarando et ostendendo; si enim se ad docendum iniecisset, fastum et elationem appetere fuisset visus; quia vero non docuit, cum esset Deus et homo et doctor maximus, sic agendo, videlicet interrogando et respondendo et non principaliter docendo, non laudem sui appetere, sed contemptum velut inscius velle addiscere declarando ostendit.

Quinto, in actu alio ostendit se abnegasse veraciter, videlicet se reverenter habendo; quod patuit, quia non rectus stetit, ne imperare seu docere velle ostenderet, sed sedit; nec supra eos sedit nec in capite, sed in medio eorum; quare locus ostendit Christi innatam humilitatem et eius a se abnegationem, cum supra eos, ut Deus et Imperator, debuisset residere.

Sexto, in alio actu hoc idem ostendit humiliter respondendo; sicut maximus fastus apparet multoties ex loquela, sicut patuit in Nabal Carmeli David despiciente, I Reg. 25, 10 sq.; et in Seba filio Bothri, II Reg. 20, 1; et in Roboam, filio Salomonis, III Reg. 12, 4 sqq., sic et sui profunda humilitas et contemptus in humili responsione; quod utique egit puer Iesus non docendo, sed humiliter ad interrogata respondendo; quo declaravit et suam abiectionem et nobis exemplum praebuit, quem modum in respondendo tenere deberemus.

Septimo, ostendit sui contemptum in alio actu, videlicet morigerate in cunctis se habendo, in ipsorum doctorum non despectione, sed veneratione, in responsione et interrogatione. Et quia prudenter, humiliter et benigne se in cunctis gerebat, merito super doctrinam tam morum, quam ex interrogationibus mirabantur; mores enim exterius compositae mentis et humilis sunt signa evidentia. Cuius oppositum plures faciunt, despiciendo omnes et quoad mores, statum et doctrinam; sicut Iudaei egerunt circa caecum a nativitate a Christo illuminatum, cuius verba despexerunt, Ioan. 9, 28.

Octavo, Deo omnia tribuendo; hoc expressit non de se alta sapere, sed contemptum. Nabuchodonosor civitatis Babyloniae structuram non Deo, sed sibi tribuebat, Dan. 4, 27; Herodes idipsum fecit de sua eloquentia, Act. 12, 21; quare a Deo puniti fuere. Sed puer Iesus omnia tribuit Patri; patet ex loco, in quo stabat, quia in templo; quare non contraria peragebat fiendis in templo (*a*), quae sunt regratiari Deo et omnia tribuere eidem, sicut egit David, quando dixit, I Par. ultimo, 14: *Quae dedimus tibi, haec tua sunt, et de manu tua accepimus;* patet etiam ex responsione data Matri. Et ideo dicere poterat tunc, quod postea dixit Iudaeis, Ioan. 8, 16 et 50: *Ego gloriam meam non quaero, sed eius, qui misit me;* quare Deo omnia tribuendo seipsum abnegasse hoc actu ostendit.

Nono, Dei Patris quae sunt ad honorem, exsequendo. Non sua debet quis quaerere, quia nec suam voluntatem facere, qui semetipsum abnegat cum Christo, sed voluntatem eius, qui misit eum, scilicet Dei Patris; quod Christus ostendit temporis in processu, dicens Ioan. 8, 29: *Quae placita sunt ei, facio semper;* et: *Non veni, ut faciam voluntatem meam,* Ioan. 6, 38; *sed eius, qui misit me, Patris;* quare et puer Iesus idipsum Matri deprompsit dicens [1]: *Nesciebatis, quod in his, quae Patris mei sunt, oportet me esse?* id est, quia me ipsum propter *formam servi,* quam suscepi, abieci, *oportet me esse* et quaerere, quae sunt, scilicet pro honore Patris mei?

Decimo, ostendit sui abiectionem in triduo, stipem secundum Bernardum [2] ostiatim quaerendo. Cum enim remanserit in Ierusalem sine pecunia, et tanta de sua sapientia (*b*) ostensa virtute, non fuit invitatus ab aliquo, nec hospitio receptus, sed inter pauperes commorando, quos amabat, amore eorum mendicando victum quaesivit. O quanta abnegatio sui et contemptus, ut Deus homo, puer delicatus et verecundus, panem ostiatim expetendo (*c*) accepit! Confunditur humana superbia tanta et ad talia inclinatione summi Dei. Hic est actus, per (*d*)

(*a*) As *assistendo in templo.* — (*b*) As *patientia.* — (*c*) As *exspectando.* — (*d*) As *propter.*

[1] Luc. 2, 49. — [2] Potius Aelredus, *Tract. de Iesu puero duodenni* (inter op. Bernardi), n. 6 (P. L. 184, 853).

quem praesens fructus et conformitas principaliter ponitur, quoad primam sui partem dicens: *Iesus abiectus cernitur.* Nonne tibi abiectus videtur Iesus derelictus ab omnibus, a nullo receptus et invitatus, stipem quaeritando per domos, et forte sic quaerendo expulsus a pluribus, nec ei victus datus, ut petebat, nec hora, qua indigebat, nec forte in tanta quantitate, ut ei opus erat? Quare hunc actum prae aliis meditando, Iesum se contempsisse omnibus apparet evidenter, qui omnes pascit et alit, sibi parvi cibi et potus denegat subventionem, nisi acquirat mendicando. Filios Israel *pavit in deserto quadraginta annis* [1] cibo misso de caelo; Eliam pavit per corvum primo et demum per angelum [2]; nonne poterat sibi per angelos deferre facere cibos, sicut fecit suo peracto ieiunio? Certe sic; sed id fecit, ut in nullo esse et statu de nostra abiectione confunderemur ac Dei amore omnia libenter sufferremus, et nosse se ad perfectionem nullatenus pervenire posse, si homo sibi ipsi non sit per omnia abnegatus.

Undecimo, ostendit sui contemptum Christus consortium magnorum deserendo et humilium appetendo. Cum enim simile iungatur simili, Iesus noscens humilitatem et abiectionem suae piissimae Matris et superbiam doctorum, ipsos deseruit et ad Matrem pergens sibi similem, cum ipsa permansit.

Duodecimum, quod Christi acclamavit abiectionem et ostendit, se Matri et Ioseph per omnia supponendo et subiiciendo; quod Deus se subiiciat et specialiter uni mulieri, hoc est signum evidentissimum suae abnegationis et abiectionis, contemptus sui et despectus. Quo pacto Iesus non solum perfectae suae abnegationis dedit exemplum, sed multorum ostendit disciplinam, primo, ut homo non attendat, cui subiicitur, sed propter quem, Iesus mulieri et Ioseph personis abiectis subiectus, sed propter Deum; secundo ostendit, quorum (*a*) consortium abnegans se debet habere, quia non superborum — non enim stant duo contraria simul — sed humilium; Iesus Christus deserit consortium doctorum et vadit ad standum cum Matre et Ioseph; tertio ostendit cuncta obedire suae Matri Mariae, ex quo ipse, qui omnium Creator, obedit reverenter. Multa alia possunt deduci, sed sufficiant praefata.

Praefatis duodecim non solum nostri Salvatoris ostenditur abnegatio et abiectio, sed et consequenter mundi contemptus, abdicatio perfecta et despectio. Et quod sic sit, apparere poterit discurrendo per modos praefatos, primo (*b*), quia, si quae sunt mundi dilexisset, nec templum adiisset, ut faciunt mundani, nec subiectum se legi ostendisset, immo supra legem, cum superbia vigeat in mundanis, I Ioan. 2, 15 sqq.; secundo, non parentes declinasset, immo secum habere voluisset, quia cum desertione parentum stat mundi contemptus, ut dicit ipse Salvator; tertio, non se exuisset adminiculis corporalibus, cum mundani non in Deo, sed in mundo spem suam figant; quarto, non reverenter se ad alios habuisset, sed praesumptuose se ad docendum iniecisset, proprium et non aliorum honorem quaerendo, nam mundani, teste Psalmista, Ps. 11, 5, dicunt: *Linguam nostram magnificabimus, labia nostra a nobis sunt; quis noster Dominus est?* quinto, nec locum in medio eorum, sed supra eos vel primum quaesiisset; sicut quaerebant mundani pharisaei, Luc. 14, 7, *primos accubitus, et primam cathedram in synagogis, et salutationes in foro, et vocari rabbi ab hominibus;* sexto, non humiliter respondisset, immo oppositum, uti pharao fecit Moysi dicens, Ex. 5, 2: *Nescio Dominum, et Israel non dimittam;* sic fecit Sedecias, qui percutiendo Michaeam prophetam in maxillam voluit, quod suum servaretur verbum, et non Michaeae, III Reg. 22, 23 sqq.; Achitophel, quia superbus non videns factum consilium suum se suspendit, II Reg. 17, 23; septimo, in suis verbis se morigerate non habuisset nec in gestis, quia mundanis est *patens guttur eorum,* ut dicit psalmus 5, 11, ac mores mali consequenter (*c*), quia mores bonos corrumpunt colloquia mala; patet hoc in Iasone Iudaeo, qui moribus sanctis dimissis, mores induit Graecorum et mundanorum, II Mach. 4, 13 sqq. et 5, 7 sqq., et quales fuerint, habentur in

(*a*) N *quomodo.* — (*b*) As et edd. om. *primo.* — (*c*) R *ostendunt.*

[1] II Esdr. 9, 21. — [2] III Reg. 17, 6.

libro eodem; octavo, Deo omnia non attribuisset, immo mundani dicunt semper illud [1]: *Gloriam meam alteri non dabo;* patet hoc generaliter in hypocritis, qui, quae agunt, non Deo, sed sibi volunt attribui; nono, quae sunt ad Dei honorem, non quaesiisset, quia mundani omnes, *quae sua sunt, quaerunt,* ut dicit apostolus, Phil. 2, 21, *non quae Iesu Christi;* decimo, non abiecisset divitias nec mendicasset, quia mundanis est inimica paupertas neque voluntaria, immo ad habendum divitias assidue inardescunt, quia tales *omnes student avaritiae,* ut dicit scriptura [2]; undecimo, non humilium appetiisset conversationem et societatem, sed magnorum; nam mundanus dives consortium pauperis Lazari despiciebat, Luc. 16, 20; sic et Iudaei dicentes, Ioan. 9, 28, se nolle societatem Christi: *Tu discipulus,* inquiunt ad caecum illuminatum, *illius sis* (*a*), *nos autem Moysi,* etc.; duodecimo, non fuisset sponte subiectus humilibus, nam mundani potius ad praesidentiam habendam student, quam subiectionem, sicut patuit in Nabuchodonosor, qui omnem terram suo imperio optabat subiici, Iudith 2, 3; sic Alexander Macedo, I Mach. 1, 2 sqq., et sic de aliis.

Quare, diligenter attentis omnibus supradictis, apparet evidenter Salvatorem nostrum et se abiecisse et mundum penitus (*b*) despexisse abiectione sui; mundi contemptus ab eo apparet, et non econtrario, cum multi abnegent mundum, qui non se ipsos, sicut hypocritae faciunt et multi alii religiosi voluntatem propriam nunquam deponentes. A Christo exemplum accipiendum est mundi contemptus, qui, cum omnibus licite posset uti, omnia tamen abiecit cum se, et fecisse sic, prima nostri huius fructus pars dicit, quod *Iesus abiectus cernitur.*

3. Sed cur Iesus Christus voluit se abnegare et mundum sic despicere? Certe, ut ageret prius, quod postmodum praedicaret; abnegationem docet sui exemplo, ut dictum est, et verbo, Matth. 16, 24: *Qui vult post me venire, abneget semetipsum* etc.; mundi abnegationem ostendit, quando discipulos, omnibus spretis, habere voluit, nec ipsos, quae sunt mundi, habere vel possidere, ut patet Matthaei 10, 9 et 10. Exemplo ergo Christi et verbo inducti, primo abnegemus nos, et demum mundum funditus contemnamus; ad cuius contemptum non solum Christus inducit, sed multa alia ipsum contemnendum docent:

Primo scripturae sacrae monitio et auctoritas; clamat enim Ioannes, I Ioan. 2, 15 et 16, dicens: *Nolite diligere mundum neque ea quae in mundo sunt;* et sequitur qua de causa: *quia omne, quod est in mundo, aut est concupiscentia carnis, oculorum et superbia vitae;* et cum haec tria radices sint omnium vitiorum, qui vitia a se vult separare mundum debet abdicare; clamat dicens Ioan. 1, 10: *Mundus eum non cognovit,* qui Dei ergo cupit notitiam habere, mundi caliginem a se debet abiicere; clamat dicens Ioan. 14, 30, diabolum *mundi principem,* qui ergo non vult sub diabolo stare, mundum debet abnegare; clamat Ioan. 16, 33, mundum pressuram inferre, qui, optat pacem habere, mundum debet a se removere; clamat Ioan. 16, 20, mundum sanctos odire, qui ergo cupit consortium sanctorum, contemptor debet esse mundanorum; clamat Paulus I ad Cor. 3, 19, mundum stultitia plenum, quare qui vult sapientiam possidere, ab hac mundi stultitia debet cavere; clamat, I Cor. 7, 31, mundum esse fugacem, quia *praeterit eius figura,* quare, qui semper esse desiderat, mundum certe non diligat; clamat, Eph. 6, 12, mundum guerris et pugnis versari, igitur qui securitatem considerat, mundum iam abiiciat; clamat Ioannes, I Ioan. 5, 19, mundum laqueis hostium plenum, qui libere cupit incedere, debet mundum abiicere; clamat, I Ioan. 4, 1 sqq., mundum plenum falsitate et vacuum veritate, qui ergo scire optat veritatem, mundi fugiat falsitatem; clamat Ioan. 14, 17, mundum ineptum ad Spiritus sancti susceptionem, quare qui Spiritum sanctum cupit accipere, mundum debet repellere; clamat Paulus, I ad Cor. 11, 32, mundum damnandum, quare, si cupis salvari, ad mundi contemptum debes animari; clamat, in oblivione Dei

(*a*) Edd. *scis.* — (*b*) N et As *funditus.*

[1] Is. 42, 8. — [2] Ier. 6, 13.

et hominum esse mundi amatorem, quare homines non debent esse mundi amatores. Multa alia scriptura ponit, quibus inducit, ut mundus a nobis non diligatur.

Secundo, ipsum mundum despiciendum ostendunt ipsius mundi praelia et mala conditio; mundus enim est primo vallis lacrymarum et fletuum, Iud. 2, 5 sqq., ad quam flentes intramus; secundo, mundus est positus in potestate tenebrarum et daemonum, I Ioan. 5, 19; tertio, omni genere periculorum plenus, utpote mare, Ps. 103, 25; quarto, *omni dolo et fallacia* refertus, Ier. 6, 13; quinto, se amantes non permittit caelestia cogitare, sed solum terrena, Gen. 14, 22 sqq.; sexto, homines pessimos in se permittit habitare, in ipso enim *habitant ululae, pilosi* etc., Is. 13, 21 et 22; septimo, est tenebrosus et veritate privatus, Sap. 6, 5; octavo, instabilis lubricitate, Eccle. 2, 17; nono, plenus laboribus et doloribus, Sap. 5, 7 sqq. et Eccli. 2, 3 sqq.; decimo, immundus, contagiosus et plenus immunditiarum stercoribus, Sap. 14, 25 sqq.; undecimo, est *rota volubilis* et impermanens, Ezech. 10, 13; duodecimo, est fornax homines diversis flammis vitiorum incendens. Quibus inspectis, a mundo per eius contemptum est egrediendum.

Tertio, ad mundi contemptum inducit nos quae in mundo reperiuntur consideratio, Os. 4, 1 et 2: *Non est veritas, non est misericordia, non est scientia in terra;* nam *maledictum, mendacium et homicidium, furtum et adulterium inundaverunt super terram;* Eccle. 1, 2 et 14: *Omnia vanitas, et afflictio spiritus.* In mundo siquidem reperitur nihil boni, sed mali, nihil perfectionis, sed imperfectionis, nihil vitae, sed mortis, nihil veritatis, sed vitiorum. In ipso siquidem est superbia, iactantia, ambitio, arrogantia, irreverentia, inobedientia, contemptus, convitium, contentio, dissensio, praesumtio, invidia, dolus, fraus, odium, detractio, malitia, nequitia, ira, inimicitiae, rancor, dolor, tepor, accidia, clamor, blasphemia, contumelia, tristitia, planctus, luctus, inquietudo, immunditia, avaritia, fallacia, inconsideratio, praecipitatio, derisio Dei et suorum mandatorum, mutabilitas, imperseverantia, inconstantia, tentatio diaboli et afflictio mundi; merito quia haec, ut patet intuentibus, in mundo reperiuntur, quare consequenter *qui amicus est huius mundi,* concluditur, quod sit *Dei inimicus,* ut dicit Iacobus in canonica sua, c. 4, 4.

Quarto, ad mundum contemnendum inducit hominum diligentium mundum pertractatio. Quid fuerunt, quid sunt et ubi sunt? Si quaeras, quid fuerunt imperatores et monarchae, reges, duces, comites, satrapae, magistratus, tyranni, consules, praesides, praefecti, principes, barones et nobiles et alias dignitates et gradus habuerunt, ita quod magni fuerunt, non exemplificando de praefatis brevitatis causa; omnes tamen homines mortales, ut nos sumus, fuerunt (*a*). Sed praefati quid sunt? certe mortui sunt, nihil secum de mundo portaverunt praeter peccata.

Sed libet intueri mente et attendere, ubi sunt horum mundi amatorum, scilicet Cain crudelitas, qui fratrem suum Abel occidit? gigantum proceritas, qui fuerunt in diebus Noe? Nemrod oppressio, fuit enim robustissimus venator hominum, id est oppressor? Nini imperium, qui fuit primus rex Assyriorum? Semiramidis intemperantia, quae etiam proprium filium cognovit? Zoroastes Bactrianorum regis, qui primo incantatorias artes magicas invenit? Regum Pentapolim carnis spurcitia, quia sunt caelitus conflagrati cum suis? Pharaonis regis Aegypti rebellio populum mandato Dei nolentis dimittere? Cadmi Thebae conditoris felicia exordia, qui a Tyro venit Boetiam et Thebas aedificans, ibidem regnavit, uxore dotatus et filiabus, sed non sic feliciter decessit interfectis filiabus, videlicet a viris et nepotibus, ipse factione Agenoris a regno pulsus usque in exitum infelicem duxit vitam? Ubi est Aetae Colchorum regis magnificentia, quam ostendit Iasonem Thessalum recipiendo cum suis? Ubi est Iasonis proditio, qui proditione Medeam filiam dicti Aetae capiens, ipsam etiam prodidit et decepit? Pelei sagacitas, qui Iasonem direxit pro aureo vellere, ut moreretur? Ubi leges Minois regis Cretensis? Adonibezec iniquitas, sub cuius mensa ut canes comedebant septua-

(*a*) As om. *fuerunt — fuerunt.*

ginta reges *amputatis manuum et pedum summitatibus*[1]? Ubi Eglon regis Moab ad filios Israel hostilitas? Ubi Sisarae regis Madian in finibus Israel dissipatio? Ubi Lai, ne filius eum interficeret, praevisio? Ubi est Oedipi valor, qui nesciens matrem suam probitate sua accepit uxorem, patre ab eo interfecto, sed tandem dolore caecus vita infelici decessit? Ubi est Thyestis et Atrei discordia, ob quam Atreus, occisis tribus filiis Thyestis, carnes ad comedendum et sanguinem in vino mixtum, ad bibendum patri dedit? Ubi Thesei vigor, qui tot probitates gessit cum Iasone pro aureo vellere, cum Hercule contra Amazonum reginam, in inferno mira fecit, liberavit Athenas a Cretensibus, et multa proba gessit et facinora, sed expulsus a suis infelicem duxit vitam? Ubi Herculis furor? Ubi Laomedontis strenuitas, regis Troianorum? Ubi Priami maiestas, quae digna imperio censebatur? Agamemnonis regis et ducis Graecorum prudentia? Ulyssis dolus? Diomedis loquacitas? Hectoris fortitudo? Paridis concupiscentia? Achillis impetus? Pyrrhi in Polyxenam et Troianos vindicatio? Ubi Saulis Hebraeorum primi regis proceritas? Ubi Goliath exprobratio (*a*)? Ieroboam contra Deum ingratitudo? Zara (*b*) Aethiopum gentis multitudo? Sardanapali incontinentia et muliebritas? Sennacherib contra Deum contemptus? Astyagis providentia, ne a Cyro nepote suum regnum tolleretur? Ubi est Cyri Persae dominandi aviditas? Ubi Darii carnalitas? Ubi Xerxis exercitus? Ubi Nabuchodonosor superbia? Baltassar insania? Candauli Lydorum regis opulentia? Ubi Croesi divitiae? Amulii (*c*) ambitio? Fuffetii versutia? Hostilii severitas? Prisci deceptio? Tarquinii invasio? Holofernis ferocitas? Ariopastis fraus? Miltiadis Atheniensis victoria? Alcibiadis pulchritudo? Hannonis Carthaginensis appetitus? Dionysii tyrannides? Polycratis fortuna? Agathoclis cautela? Philippi Macedonis saevitia? Alexandri Magni audacia? Demetrii arrogantia? Ptolomeorum regum Aegypti vita infamis? Vezoris (*d*) dominium? Seleuci improbitas? Antiochi philosophi mendacia (*e*)? Iugurthae exercitatio? Ubi Marii aspectus? Mithridatis custodia? Caesaris sagacitas? Pompeii expeditio? Octaviani prosperitas? Marci Antonii temeritas? Herodis impietas? Caii ad malum aviditas? Neronis voluptas (*f*)? Ubi Vitellii gulositas? Domitiani praecipitatio? Diocletiani adversus Christum contemptus? Maximiani inconstantia? Iuliani apostasia? Ubi improborum Romanorum imperatorum quoad plures dira dominatio? Ubi Theodorici malignitas? Ubi Totilae flagellum? et sic de similibus. Isti fuerunt in saeculo et mundo ob dignitates et dominia viri famosi, mundi gloriae intendentes, eam optantes et habentes.

Sed quis eorum exstitit finis et terminus? Certe cuiuslibet eorum fuit malus et pravus. Nam Cain fuit a suis descendentibus, videlicet Lamech, sagitta petitus, Gen. 4, 23. Gigantes submersi sunt in diluvio, Gen. 7, 21 sqq. Ninus, rex Assyriorum primus, ab adversariis (*g*) sagitta illisus obiit. Nemrod linguae divisione suo desiderio imperandi omnibus fuit frustatus. Semiramis a filio stuprata (*h*) est occisa. Zoroastes (*i*) Nini gladio infeliciter est mactatus. Reges Pentapoleos (*l*) igne caelesti sunt cremati. Pharao in mari rubro cum suis est necatus. Cadmus (ut dictum est) post felicia infelix factus, latebras apud Illyrios petens (*m*), post regni amissionem, morte periit ignota. Aetes (*n*), Colchorum rex, filio Aegialeo interfecto a filia Medea ac Medea furtive a Iasone rapta, eius senium infelicissimum reddiderunt. Iason decepta Medea, ipsius factione Medeae, filios proprios, ipsa tradente comedit. Peleus regnum dare invite suo nepoti Iasoni est coactus. Minos, filius Pasiphaes, solis filiae, et Cretensium rex, filii mortem dum cupit vindicare, a Theseo expulsus adulterio uxoris et filiarum cum Theseo, fugacem dum Daedalum sequitur, apud Siculos a filiabus Cretali ipse

(*a*) As *fortitudo.* — (*b*) As *Sarath.* — (*c*) As *Annibalis.* — (*d*) As *Nesores.* — (*e*) As *Antiochi mendacia.* — (*f*) As *Ciceronis voluptas.* — (*g*) As *primus adversarius.* — (*h*) As *a stupratore.* — (*i*) As *Cordastes Nani.* — (*l*) As *Pentapolim.* — (*m*) Ed. 1 om. *latebram petens.* — (*n*) As et edd. 1 et 2 *Oetes.*

[1] Iud. 1, 7.

mortem invenit. Adonibezec ab Israelitis captus, summitate manuum et pedum amputatis, quae aliis gesserat, ipse excepit. Eglon ab Aioth sicca in adipem immersa obiit. Sisara a Iabel clavo in tempore (*a*) infixo occiditur. Laius iuxta accepta a diis (*b*) a filio Oedipo incognite est occisus. Oedipus desponsata matre et occiso patre, dum haec scivisset, regiis insigniis depositis, dolore oculis sibi erutis, et tandem post mutuam caedem filiorum, Creontis imperio catenis onustus, in exilium est actus. Tyestes ob stuprum commissum in cognatam et Atreus crudelitate ambo infeliciter obierunt. Theseus post multa facta, Hippolyto filio suggestione falsa Phaedrae uxoris occiso, ab ingratis civibus repulsus, apud Tyros (*c*) minorem insulam infelicis vitae diem clausit extremum. Laomedon in praelio a Iasone et Hercule prosternitur. Priamus post tam magna facta in Troia et regnorum subiectione a Graecis decennio obsessus, fraude Troiae capta civitate, a Pyrrho crudeliter post amissionem filiorum et omnium est mactatus. Agamemnon Clythemnestrae uxoris ab Aegistho cognitae factione occiditur. Hercules effeminatus a Iole tandem Nessi Centauri veste et sagitta furore est prostratus. Ulysses a filio incognito sauciatur crudeliter. Diomedes expulsus a regno infeliciter consummatus est. Hector proditorie ab Achille perimitur (*d*). Paris filius Priami a rege in praelio morti sociatur. Achilles in templo in Troia sagittis Paridis mortem gustavit acerbam. Pyrrhus eius filius post reversionem a Troia fraude Macharei sacerdotis in templo Apollinis ab Oreste est interfectus. Saul inobediens Deo, regno privatus, diabolo ad vexationem traditus, in monte Gelboe cum tribus filiis est prostratus. Goliath a David puero funda et lapide est deiectus. Ieroboam cum suis omnibus ad internicionem est a Deo datus. Zara ab Asa et suis conturbatus et fugatus est, II Par. 14, 10 sqq. Sardanapalus inter mulieres scortans ab Arbato Medorum praefecto aggressus, cum se nequiret defendere, regia incensa, cum omnibus voluptatibus concrematus est. Sennacherib post damnum suorum, interfectis de suis per angelum centum octoginta quinque millibus, fugiens a filiis duobus, dum oraret Nesdach deum suum, est mactatus, IV Reg. 19, 37. Astyages, rex Medorum, a Cyro nepote ex filia privatus regno Medorum, in Hyrcania sibi tradita ab eodem moritur. Cyrus, bellum dum Amazonibus intulisset, circumventus cum ducentum millibus Persarum occisus et decapitatus, in utrem sanguine repletum eius caput est, ut biberet, proiectum. Darius rex Persarum, cum reginam Scytharum vi habere vellet, amissis ultra centum millibus de suis, et deinde apud Marathonem debellatus a Graecis, ad infelicem mortem devenit. Xerxes mille millibus amissis de suis in Graecia per Leonidam Spartanorum ducem cum quatuor millibus, naves eius omnes submersae vel captae per Themistoclem et Cimonem, duces Athenienses, in Persiam reversus, odiosus omnibus, ab Artabano praefecto est obtruncatus. Nabuchodonosor, rex Babylonis, primo divino volito a regno per septem tempora pulso et deinde post in regno reposito, mortuum cadaver eius in trecenta frusta divisum, datum est trecentis vulturibus a filio. Baltassar, dum vasa Domini male tractat, regno et vita a Dario et Cyro est privatus, Dan. 5, 30. Candaulus rex Lydorum felix aliquando coniuge et regno, ab amico Gyge tandem vita, uxore et regno privatur. Croesus etiam Lydorum rex ditissimus fuit omnium regum; hic captus a Cyro cum Baltassar Babyloniae rege rogo superimpositus, etsi imbris superventione liberatus sit, regno tamen privatus remansit. Amulius, Numitore fratre a regno expulso, solus in Albano (*e*) regnat; sed Remi et Romuli auxilio Numitor regno potitur, Amulio interfecto. Fuffetius Mettius rex fuit Albanorum, cum contra venientes cum Tullio Hostilio et Romanis ivisset, se cum suis in partem subtraxit, ut victori in auxilium esset, cuius fraudem Tullius cum attendisset, eo capto et virgis caeso, demum per manus ligatus et pedes ad quadrigas, impulsis equis, eius corpus spectantibus Albanis et Romanis in partes divisas est concisum. Tullius Hostilius praefatus Romanorum rex post mira pro Romanis ab eo facta cum regina a fulgure est crematus. Priscus Tarquinius rex Roma-

(*a*) As et edd. 1 et 2 *timpore*. — (*b*) As *vaticinia*. — (*c*) As et edd. 1 et 2 *Cyros*. — (*d*) As *punitur*. — (*e*) As *Auo*.

norum, deceptis filiis Anci Martii, regis Romanorum, ex mercatore factus rex, ab eisdem cum securi percussus regnum amisit cum vita. Tarquinius Superbus, septimus et ultimus rex Romanorum, expulsus ab urbe ob scelus Lucretiae commissum a filio, nec repetere urbem unquam valuit, Cumas pergens cum Aristomene tyranno senectutem suam tabefactus consumsit. Holofernes, Nabuchodonosor regis Assyriorum princeps militiae, ferocitatem sui pectoris Iudith Hebraea amputando caput extinxit. Miltiades, rex Atheniensium, apud Marathonem Darium cum suis expugnavit et liberavit Athenas; captus deinde ab Atheniensibus et onustus catenis in carcere est trucidatus. Alcibiades, dux Atheniensium, forma, genere, divitiis, bello et facundia admirandus, post multa felicia et infelicia, tandem domo incensa, in qua manebat, ab insequentibus crematus et privatus iacuit sepultura. Hanno, Hamilcaris ducis Carthaginensium in Sicilia (*a*) filius, ditissimus fuit; hic Carthaginis dominium dum appeteret, primo senatum veneno occidere operam dedit, secundo manu servorum fretus, dum imperare optat, captus, in conspectu populi nudatus, virgis caesus, oculis extractis, amputatis manibus et pedibus, confractis cruribus, ferro vita eiecta, corpus vulneribus confossum, in cruce altissima est suspensum, filiis, nepotibus, parentibus et amicis cum ipso pariter enecatis. Dionysius Syracusanorum rex fuit; post multa infanda commissa in fratres, cognatos et cives, deos et exteros, expulsus a regno, Corinthum missus est in exilium; ubi primo lenonibus iunctus, deinde pueros docens in triviis et ludos agere (*b*), vitam, ut creditur, miserabiliter terminavit. Polycrates Sami insulae tyrannus fuit; omnia sibi fortuna ad votum pro tempore impendit, sed in fine captus ab Oroete, Darii praefecto, inculpatus, quod adversus Darium hostibus praeberet auxilium, in summo Midalensis montis vertice in cruce est suspensus. Agathocles, Siculorum rex, ab Afris in Syracusis obsessus, civitate munita fratri relicta, cum exercitu transivit in Africam, ibique victoriosus contra Carthaginenses, Syracusas reversus ad obsidendum Brutios contendit; ubi dum esset, regno capto a filio filii privatus est, ac timore Aegyptum petens ibidem morbo et peste consumtus est. Philippus Macedo, versutiis suis Graecis subiectis et pluribus aliis iuxta vaticinia, a gladio habente in manubrio quadrigam sculptam per Pausaniam interfectus est. Alexander Magnus Macedo post subiectum vi orbem et timore apud Babyloniam venenatus a Cassandro triumphum morti dedit. Demetrius rex Syriae post impie multa commissa, relictus ab uxore, filiis et aliis, cum iret in Tyrum ac in portum descenderet, iussu praefecti loci obtruncatur. Reges Aegypti plures fuerunt dicti Ptolomei, qui proditionibus mutuis, rapinis, luxuriis, crudelitatibus et regimine pravo notati, vitam nequam ducentes, diversis cladibus interierunt. Vecores rex fuit Aegypti, qui ambiens Scytharum dominium, ab ipsis de regno Aegypti, quod habebat, expulsus, vitam infelicem duxit, alieno et proprio privatus regno. Seleucus (*c*) rex post multas victorias et insignem militiam sub Alexandro peractam Ptolomei Ceranni insidiis captus et necatus est. Ultimus ex Alexandri principibus Antiochus rex Syriae post multa infanda in Deum et Iudaeos illata, ultione divina doloribus et corrosione vermium miserabiliter e vita recessit. Hannibal Poenus duodeviginti annis attritis Romanis in Hispania et Italia et multis crudeliter gestis, superatus a Scipione Africano, ad Prusiam regem, hostem tunc Romanorum, fugit; sed pace facta inter Prusiam et Romanos, cum sciret se tradendum Romanis, veneno hausto, quod secum semper ferebat, infelicem animam emisit. Prusias Bithyniae rex, dum filios novercae filio legitimo vellet praeponere, a filio expellitur de regno, qui cum paucis servis recedens, ab eis solus senex dimissus, dum timore filii pergens per incognita loca et se alium esse dicens quaerens stipem de die residendo in tenebris et noctu ambulans, ultimo ad manus filii deveniens occiditur. Perseus spurius rex fuit Macedoniae; qui suae conditionis oblitus, post multa nefanda ab eo patrata victus a Paulo Aemilio, senatus iussu ad perpetuum carcerem cum filiis est damnatus; verum cum horrore carceris ac dolore diem clausisset ultimum, filius eius ob inopiam Romae artem aerariam didicit et exercuit.

(*a*) As *inscia*. — (*b*) As *traphis et ludos agere*. — (*c*) As *Solendus*.

Pseudo-Philippus mendacio se fingens Persei fratrem, Macedoniam a Romanis accepit; qui tandem captus a Metello ante eius currum ductus Romam, ibidem ignominiose est necatus. Iugurtha, rex Numidiae, etsi naturalis fuit; hic tribus fratribus occisis legitimis regnum Numidiae obtinuit; sed fratrum mortem non ferentes Romani per Cneum Marium multis praeliis ad deductionem redactus, captus ante currum eius pro triumpho et catenatus est, et non multo post mole ad collum suspensa ex lapide Tarpeio in Tiberim proiectus est et necatus. Marius Arpinas, primus consul ex plebe, septem consulatus habuit; hic multa peragens iniqua Praeneste cervicem feriendam servo praebuit. Mithridates rex Ponti, hic plures linguas scivit; inimicos per viginti annos non permanendo in loco evitavit; crudeliter se habuit ad Romanos, omnes enim in regno suo et mercatores et alios occidi iussit; bellum per quadraginta (*a*) annos et ultra habuit cum Romanis; victus a Pompeio, obsessus a filio Pharnace, sumto prius veneno, sed nihil ei nocente, tandem a Gallo milite est occisus. Caesar Iulius habita victoria de Pompeio et suis, Roma potitus, non multo post coniuratione quorundam civium pluribus vulneribus confossus occubuit. Pompeius Magnus in sua iuventute et post per tempus in bellis felicissimus fuit; nam cum viginti duobus regibus bella gessit, sed discordante a Caesare apud Epirum multis suffultus regibus pugna habita succubuit; qui dum peteret Aegyptum, Ptolomeo mandante a suis satellitibus decapitatur; corpus eius quisquiliis semiustum a Codro, quaestore ipsius Pompeii, cum lacrymis positum est sub arenis. Octavianus post triumphos multos habitos, etsi in pace regnaverit magno tempore et decesserit, infelix fuit in filiis, qui omnes ante ipsum mortui sunt, sed infelicissimus in filiabus, quas omnes ob stupra mandavit occidi; et demum filium non habendo Tiberio privigno in filium adoptato dimisit regnum. Caius Caligula imperator luxuriosissimus, adeo ut non se a sororibus abstineret, insolentissimus pro deo se coli faceret, crudelissimus fuit; nam parentes, senatores et alios multos occidit; et post eius mortem, quae scelestissima fuit, diversa venena sunt reperta, quae in mare proiecta pisces innumeros occiderunt. Nero factione matris Romano adepto imperio, nefandissimus homo fuit; hic stupratis sororibus, matre occisa, omnibus parentibus necatis, incensa maxima parte urbis, depraedatis omnibus, hostis (*b*) adiudicatus a senatu, proprio pugioni incubuit. Marcus Antonius, Iulii Caesaris nepos ex sorore, cum multa improba ageret et Octaviano insidias moliretur, adversus quem Octavianus profectus apud Actium eum debellando in Alexandriam fugere coegit, quam obsidendo angustiis (*c*) et fame omnes periclitaverunt, ad regalia monumenta accedens Antonius cultro se ipsum transfodit. Herodes Ascalonita, ob ortum Christi pueris in Bethlehem necatis et filiis propriis quampluribus occisis, doloribus insectatus et vermibus, ultro animam a se abscidit. Vitellius ab exercitu imperator creatus, gulositati et voracitati prae aliis deditus fuit; cum multa impia ageret, relictus a militibus, catenatus et incarceratus, primo ligatis manibus post tergum ac collo laqueo imposito, coeno et luto ac stercoribus deturpatus, minutim a carnificibus spectante populo usque ad necem discerptus est; et iniecto unco in naribus tractus et in fluvium Tiberim est proiectus. Domitianus Caesar post multa mala commissa a cubiculariis mandato senatus interemptus est. Diocletianus abiecto imperio timens a Constantio, quem Caesarem fecerat, sibi inferri mortem, veneno se occidit. Maximianus, cum genero suo Constantino insidias pararet, ope Constantini trucidatus est. Iulianus apostata, homagio facto diabolo, abnegata fide, ex clerico factus est imperator, quod per annum cum tenuisset, a sancto Mercurio mandato beatae Virginis est occisus. Theodoricus subita morte decedens per Ioannem papam et Symmachum patritium, quos occiderat, in ollam Vulcani est proiectus. Totila flagellatus tandem a Deo vitam cum dominio amisit. Imperatores Romani, videlicet Galba, Otho, Commodus, Pertinax Aelius, Iulianus, Caesar Pescennius et Albinus, Aurelius, Caracalla, Marcus, Heliogabalus, Aureus, Alexander, Maximus et Gordianus, Decius, Gallus, Hostilianus, Aemilianus, Valerianus, Galienus, Quintilius, Aurelianus, Tacitus, Florianus,

(*a*) As *octo*. — (*b*) Edd. 3 *hostibus*. — (*c*) Edd. *augustus*.

Probus, Carus, Numerianus, Galerius, Maxentius, Valens et sic de aliis, omnes vel a se vel ab aliis sunt trucidati. Multos omisi de magnis mundi principibus, de regibus Chaldaeorum, Persarum, Medorum, Assyriorum, Aethiopum, Aegyptiorum, Graecorum, Francorum, Hispanorum et aliorum regnorum, qui toto conatu constrinxere mundum, quem ad votum habere putantes et regno et vita caruerunt; ut de quibusdam ostendit Orosius in suis libris *De ormesta mundi* [1].

Sed, ecce dum discurrimus per homines mundi amatores, dignitatibus variis fulgentes, nunquid idipsum patet in mulieribus, quod evenit eisdem? Certe sic. Nonne Semiramis, de qua est dictum, regina Assyriorum, uxor Nini, vanitatibus mundi dedita a filio ob stuprum exanimata est? Dido, Carthaginensium regina, amore Aeneae, ut docet Virgilius [2], eius abscessu cultro se peremit. Phaedra, uxor Thesei, regis Atheniensium, incusato Hippolyto a Theseo, quod eam violare tentasset, et occiso Hippolyto a Theseo, audita ipsius Hippolyti morte et dolo reserato, Hippolyti gladio se occidit. Iocasta, uxor regis Lai Thebanorum, demum coniux (*a*) Oedipi filii sui; quo cognito, gladio Oedipi, quo Laium patrem occiderat, se peremit. Athalia Iudaeorum regina, post caedem omnis stirpis regalis, ut facilius dominaretur, dum regnasset pro tempore, demum excerebrata est. Tullia, Prisci Tarquinii regis Romanorum filia et uxor Tarquinii Superbi, regis Romanorum, crudelissima, cum viro ab urbe abiecta, infelicem finem habuit. Olympias, Alexandri mater, cum post mortem filii in nobiles debaccharetur, a Cassandro, qui Alexandrum occiderat, mortem impavida suscepit. Barsames, uxor Darii, et Rosanes, filia Darii regis Persarum et uxor Alexandri Magni, incarceratae ab Antipatro a Cassandro demum interfectae sunt. Thessalonice, Aridei regis filia et Cassandri (*b*) uxor, ab Antipatro filio, nihil valentibus lacrymis, est occisa. Cleopatrae quatuor fuerunt: prima filia Ptolomei Epiphanes et nupta Philematori, Philematore occiso, Evergeti se tradidit; cuius filium ipso die nuptiarum vir in eius gremio confodit; filiam susceptam ex ea stupravit et eam in uxorem (*c*), repudiata uxore, accepit. Cleopatra Alexandri Zebennae, regis Syriae, primo uxor, inde Demetrii, tertio Antiochi Syriae regis; haec occiso filio, causa dominandi, dum Crispo alteri filio parat venenum, id sumere ipsa est compulsa. Cleopatra, altera uxor Evergetis, a filio in exilium acta et necata est. Quarta Cleopatra non tradita viro, quem volebat, sed alteri a viro sororis, decisis manibus, propter vulnera multo sanguine fuso exspiravit. Cleopatra alia fuit regina Aegypti, per Pompeium Ptolomeo eius fratri nupta, a quo postea ipse Pompeius fuit occisus; haec primo Ptolomeo, secundo Caesari stupro iuncta, ac filio ex ea suscepto, quem Octavianus postea occidit, tertio Marco Antonio iuncta, cum post mortem eius Octaviano sua pulchritudine studeret (*d*) placere, et frustra, videns se pro triumpho servari, sepulchrum ingressa Antonii, apertis venis et appositis serpentibus infelicem vitam terminavit. Messalla uxor fuit Claudii Imperatoris, etsi formosa, incredibilis fuit libidinis; nam ut multos haberet, mutata veste lupanaria adibat, sed tandem a viro confodi iussa est. Agrippina mater fuit Neronis et uxor Claudii imperatoris; cuius factione Nero adoptatus est in filium Claudii et ad imperium sublimatus est; quam nudam ex palatio Nero eiecit, praecepto dato, ut nullus eam reciperet; deinde Puteolum, ut absorberetur, in navi solubili posita et vix liberata, apud Baiolos misso decurione eam iussit occidi. Rosimunda, filia Turisundi regis Gepidorum, et uxor Albuini regis Longobardorum, quae virum fecit occidi, ab Emelchi, quem in virum post mortem datam Albuino suscepit, sed post, Emelchi displicente eidem, cum eum veneno occidere vellet et nubere Longino patricio, venenum bibere coacta, ambo pariter sunt extincti. Brunchildis, Francorum regina, filia Levicaldonis, regis Hispaniae, et uxor Sigisberti, regis Francorum, quae accusata filio iam

(*a*) As *uxor.* — (*b*) As *Alexandri.* — (*c*) N *coniugem.* — (*d*) N *conaretur.*

[1] Sub hoc nomine saepius exhibentur Orosii libri Historiarum; cfr. Du Cange ad vocem *Ormesta.* — [2] *Aeneid.*, l. IV in fine.

regnante est iniuste, ligata ad pedes indomitorum equorum, equis dimissis, membratim est discissa. Romulda uxor fuit Sisulphi, nepotis Albuini Forlivii ducis, qui interfectus a Catano, rege Avarorum; Romulda cum filiis in quodam castro se claudit, quam Catanus dum obsideret, visus a Romulda in pulchritudine armorum, immemor viri recenter occisi, philocapta de eo, promisit castrum reddere, si eam vellet in suam accipere uxorem; quo annuente, castro dato, omnibus filiis et filiabus Romuldae occisis, eam Catanus in uxorem accepit, et se fruendum ei tota nocte concessit; sed mane Catanus acceptis duodecim fortioribus de suis, eis successive abutendam tradidit nequam Romuldam; quam diu cum illusissent, in locis genitalibus coram omnibus Romuldae palum iussit infigi; et sic cum palo duci per totum exercitum ad illudendum, quae misera illusione et dolore exanimata est. Irenes imperatrix post ambitionem dominii, qua (*a*) multa improba commisit, a Nicephoro fratre deiecta, in Lesbos insula misera senectute contabuit. Martesia cum sorore Lampedia, regina Amazonum, post multas victorias circumventae a barbaris occisae sunt. Panthesilea, Amazonum regina, ob amorem Hectoris in bello Troiano multa fecit mira, sed tandem a Graecis est occisa. Hecuba Troianorum fuit regina, undeviginti inter filios et filias genuit; viso excidio Troiae, interfectione filiorum, filiarum et viri in rabiem versa, apud Thracios agros vitam finivit. Polyxena, filia Priami incredibilis pulchritudinis, tandem post excidium Troiae a Pyrrho, filio Achillis, supra eius sepulchrum intrepida est interfecta. Cassandra filia regis Priami captiva data Agamemnoni (*b*), eo interfecto a Clythemnestra, et ipsa necata est. Helena, per cuius raptum a Paride Troia est destructa, infeliciter decessit. Clythemnestra carnaliter iuncta Aegistho, sua factione ab eodem Agamemnon, Mycenarum rex, vir suus, occisus est; sed post annos septem cum Aegistho amasio a filio Agamennonis Oreste est truncata. Camilla Volscorum regina limites transcendens femineos se dedit armis, et Turno regi Rutilorum dum fert opem contra Aeneam, sagitta in mammilla percussa interiit. Sophonista (*c*), Hisdrubalis Gisgonis filia, Siphacis Numidiae regis uxor, et demum post eius mortem uxor Massinissae, ne in manus Scipionis veniret, veneno se necavit. Mariannes, Hebraea, filia Aristoboli, regis Iudaeorum, Herodi regi iuncta in matrimonium; cuius imago non videbatur mortalis, sed caelestis; haec incusata viro in eius mortem ordinasse iussa est mori. Semiamira mater Heliogabali imperatoris fuit, cuius industria filius ad imperium est sublimatus, cum filio et ipsa interfecta est. Niobes, Tantali Phrygiorum regis filia et uxor Amphionis Thebanorum regis, septem filios et totidem filias habuit ex marito; haec letali morbo filios omnes amisit; vir eius orbus effectus se gladio occidit proprio, ipsa vero dolore quasi lapis est effecta. Sabina Poppaeia invisae formositatis fuit; haec tamen a Nerone imperatore suscepta coniugio, cuius factione Nero occidit matrem, filiam Claudii Octaviani in exilium destinavit; demum ipsa secundo praegnans, calce a Nerone percussa, diem clausit extremum.

De multis aliis probis mulieribus exempla ad propositum possunt adduci; sed sufficiant praemissa, quia idem iudicium est et de aliis. Quia ergo mundus suis amatoribus fallacissimus reperitur et deceptorius, debet a prudente derelinqui, ut patet in praedictis, quos decepit. Sic ergo apparet, quid fuerunt; sed quid sunt, patet, quia morte violenta omnes exterminati sunt. Et quia veram non habuerunt sapientiam, *perierunt propter suam insipientiam*, Bar. 3, 28. Sed ubi, quaeso, sunt, quos ambiebat civium multitudo, custodiebant satellitum turmae, quos timebat orbis? quibus fiebant applausus et festa praeclara? quibus superi, inferi et omnia videbantur ad nutum parere? nonne in paucis versibus vitae eorum memoria est? Vide sepulchra; et discerne, si potes, quis servus, quis dominus, quis pauper, quis dives. Discerne vinctum a rege, debilem a forti et pulchrum a deformi. Amatores huius mundi biberunt, comederunt, riserunt, duxerunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descenderunt et vadunt. Hic caro eorum vermibus datur, et illic animae eorum sempiternis deputantur incendiis; nec immerito, quia caelestia non inquisierunt, sed terrena, digne terrenis perpetuo submerguntur.

(*a*) N *quo.* — (*b*) N *Agamemnone et ipsa necata est.* — (*c*) As *Soldnista.*

Quinto, ad mundi contemptum inducunt despicientium ipsum exaltatio et divulgatio. Considera diligenter, quam divulgantur per orbem qui mundum contempserunt; patet primo in apostolis, quorum *sonus in omnem terram exivit* [1]; in sanctis aliis tam martyribus, videlicet Laurentio (*a*), etiam de aliis, qui omnia pauperibus dederunt; quam confessoribus, videlicet Antonio, Hilarione, Macario et aliis patribus, Benedicto, Francisco, Dominico et aliis, quorum nomina vivent in aeternum, in saecula saeculorum. Vide quam solemniter talium memoria a fidelibus colitur, non in uno loco solum, sed per orbem. Fitne sic pro imperatoribus, regibus et aliis principibus mundum diligentibus? certe non; quia *periit memoria eorum cum sonitu* [2], ac si nunquam fuissent in mundo. Hodie non nominantur, immo quod maius est, de multis imperatoribus, ubi iacent eorum cineres, minime invenitur. Sancti vero mundum relinquentes nominantur, praedicantur eorum facta, cum summa devotione visitantur eorum sepulchra; et quare? quia *corpora eorum in pace sepulta sunt* [3], et *in memoria aeterna erit iustus* [4]. Ad habendam laudem et famam philosophi omnes sunt conati, sic (*b*) et antiqui Romani hoc fine illi studuerunt, et alii pugnaverunt. Comparetur Petrus ad principes quoscumque mundi, Petrus piscator pauper et vilis mundum contemnens, tanta est gratia repletus, ut eius umbra infirmos curaret; quis principum huius mundi hanc habuit virtutem? certe nullus? Petrus suscitabat mortuos, sed mundi principes mortificaverunt viventes. Ecce, Petrus gaudet innumeris ecclesiis, et magnus Alexander, Octavianus, Iulius et alii in incognitis et vix in uno (*c*) reconditi manent locis; et sicut dictum est de apostolo Petro, sic dicendum de aliis sanctis, quare hoc inspecto ad mundum abdicandum debet prudens animari.

Sexto, ad mundi contemptum inducit praemiorum quantitas, excellentia et remuneratio ac exspectatio. Quid exspectant mundi amatores nisi mortem utriusque hominis? horum finis mors est et gloria in confusione, qui terrena sapiunt. Sed mundi contemptores, quid exspectant? Certe *vitam aeternam possidebunt* [5]. Quantum est praemium? Certe maximum. Si quaelibet stella visu notabilis est maior omni terra, et quantum est praemium repositum super stellas et super caelum stellatum? Certe dicit Iesus, Matth. 19, 29: *Centuplum accipiet.* Tantum est praemium beatorum et contemnentium mundum amore Dei, quantum est ipse Deus, qui est infinitus. Sed quale est hoc praemium? Certe ut dicit Isaias [6] et Apostolus [7]: *Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus diligentibus se.* Nolimus ergo fratres pro modica terra amittere stellam, quae maior est terra et consequenter summum bonum, quod est maius omnibus stellis, et omnibus insimul creatis. Cogitemus ergo, quanto gaudio et gloria animae in caelis perfruantur, quorum corpora hic miraculis sic coruscant et venerantur; talium enim reliquiae cum reverentia tenentur et pro magno munere habentur; cuius oppositum evenit mundi dilectoribus, quorum corpora vermibus et canibus saepe traduntur. O cogita, quid fit per daemones eorum animabus in inferno, quorum reliquiae sic tractantur in terra?

Propter praedicta et alia plurima ad propositum adduci possibilia et nostri Salvatoris exemplum, mundum, etsi non corpore, saltem mente totaliter abiiciamus, nos ipsos abnegemus, quae retro sunt dimittentes, ad caelestia appetenda tota mente simul anhelantes, ut tandem iuxta Salvatoris dictum [8], *ubi est thesaurus tuus, ibi* sit et *cor tuum.*

Sic ergo apparet ex iam dictis, Christi abiectio et per ipsum mundi contemptus, et consequenter est declarata prima pars istius VI fructus et conformitatis, videlicet: **Iesus abiectus cernitur**, et quomodo habeat intelligi et declarari.

(*a*) As *Laurentio*, *Stephano.* — (*b*) As *sic et etiam.* — (*c*) As *uno loco.*

---

[1] Rom. 10, 28. — [2] Ps. 9, 7. — [3] Eccli. 44, 14. — [4] Ps. 111, 6. — [5] Luc. 10, 25. — [6] Is. 64, 4. — [7] I Cor. 2, 9. — [8] Matth. 6, 21.

Secunda pars sexti fructus et conformitatis, scilicet:

Franciscus separatur.

Expositio.

Secunda pars huius sexti fructus et conformitatis est: *Franciscus separatur;* quae pars dupliciter potest intelligi, videlicet primo, ut intelligatur: Franciscus separatur, scilicet a se ipso per sui perfectam abnegationem; alio modo: Franciscus separatur, scilicet a mundo per abdicationem; et iuxta duplicem intelligentiam praefatam haec pars dupliciter exponetur, primo de beati Francisci abnegatione et abiectione, et secundo de abdicatione mundi ab eodem.

1. Iuxta primum intellectum exponendo istam partem *Franciscus separatur* est sciendum: quod beatus Franciscus se abiecerit et abnegaverit perfecte, duodecim declarant.

Primum est mendicatio; ut enim habetur in *Legenda trium sociorum* [1], beatus Franciscus in habitu saeculari exsistens, ad visitandum limina apostolorum Romam adiit, et intrans ecclesiam beati Petri, considerans aliorum oblationes, quod modicae essent et indecentes tanto principi apostolorum, in fervore spiritus manum ponens ad bursam plenam denariis traxit, eosque per fenestram altaris proiiciens tantum sonum fecit, quod de tam magnifica oblatione omnes astantes sunt plurimum admirati; exiens portas ecclesiae animatus ad sui contemptum et Christi pauperis amore, qui eleemosynam petiit, cum vidisset multitudinem pauperum, non despexit consortium eorum, sed dilexit. Nam acceptis secreto cuiusdam pauperis panniculis et suis depositis, in gradibus stans ecclesiae cum aliis pauperibus, gallice, etsi non bene sciret linguam, eleemosynam postulavit; et cum sic fecisset et stetisset per spatium, depositis dictis panniculis et propriis reassumtis, devenit Assisium; quo perveniens, cum iam mundo coram episcopo abrenuntiasset, id, quod Romae fecerat, postea habitu religionis assumto servavit semper, videlicet libentissime pro sui abiectione et pauperis Christi imitatione pro eleemosyna eundo. In principio, cum fratres habere coepisset, parcens illorum verecundiae et honorans eos, solus quotidie ibat pro eleemosyna; cumque hoc multum fatigaretur, quia debilis erat complexione et abstinentia nec posset tantum laborem sustinere, et sciens fratres ad sui abiectionem vocatos, etsi ipsi nondum plene intelligerent, dixit beatus Franciscus ad eos: « Carissimi fratres et filioli mei, nolite verecundari ire pro eleemosyna; quia Dominus pro nobis fecit se pauperem in hoc mundo; haec enim est hereditas nostra, quam acquisivit et reliquit nobis Dominus Iesus Christus et omnibus, qui suo exemplo voluerunt vivere in sancta paupertate, cuius exemplo elegimus viam verissimae paupertatis. In veritate dico vobis, quod multi ex nobilioribus et sapientioribus huius saeculi venient ad istam congregationem, et pro magno honore et gratia habebunt ire pro eleemosyna. Ite ergo confidenter et animo gaudenti pro eleemosyna cum benedictione Dei; et magis libere et gaudenter debetis ire pro eleemosyna, quam ille, qui de una nummata afferret centum denarios, quoniam offeretis eis amorem Dei, a quibus petetis eleemosynam dicentes: Amore Dei faciatis nobis eleemosynam, cuius

[1] N. 10.

comparatione nihil est caelum et terra ». Quibus verbis accensi fratres, cum magna alacritate iverunt per loca adiacentia pro eleemosyna, et eleemosynas, quas invenerant, cum gaudio magno ostendebant beato Francisco et dicebant unus alteri: Ego plus de eleemosyna quaesivi, quam tu. Unde beatus Franciscus gavisus nimis, cernens eos ita hilares et iucundos, et ex tunc quilibet libenter petebat licentiam eundi pro eleemosyna [1]. Beatus Franciscus, licet vellet fratres ire pro eleemosyna, tantum pro die uno et non pro altero volebat ipsam eleemosynam haberi a fratribus, ne fieret contra evangelium dicens [2]: *Nolite solliciti esse de crastino* [3]. Et quod fratres deberent ire pro eleemosyna, in regula antiqua [4] sic posuit beatus Franciscus dicens: « Omnes fratres studeant sequi humilitatem et paupertatem Domini nostri Iesu Christi, et recordentur, quod aliud non oportet nos habere de toto mundo, nisi sicut apostolus dicit: *Habentes alimenta et quibus tegamur, his contenti sumus* [5]. Et debent gaudere, quando conversantur inter viles et despectas personas, inter pauperes et debiles, infirmos et leprosos et iuxta viam mendicantes, et cum necesse fuerit vadant pro eleemosynis, et non verecundentur, quia Christus ivit pro eleemosyna et beata Maria; et magis recordentur, quod Dominus noster Iesus Christus Filius Dei vivi omnipotentis *posuit faciem suam, ut petram durissimam* [6], nec verecundatus fuit, et erat pauper et hospes, et vixit de eleemosynis ipse et beata Virgo et discipuli eius; et quando facerent eis homines verecundiam et nollent eis dare eleemosynam, referant inde gratias Deo; quia de verecundiis recipient magnum honorem ante tribunal Domini Iesu Christi. Et sciant, quod verecundia non patientibus, sed inferentibus imputatur. Et eleemosyna est hereditas et iustitia, quae debetur pauperibus, quam nobis (*a*) acquisivit Dominus noster Iesus Christus; et fratres, qui eam acquirendo laborant, magnam mercedem habebunt et facient lucrari et acquirere tribuentes; omnia enim, quae homines relinquent (*b*) in mundo, peribunt, sed de caritate et de eleemosynis, quas fecerunt, habebunt praemium ». Et in regula nova [7] dicitur, « quod fratres vadant pro eleemosyna confidenter; nec oportet eos verecundari, quia Dominus se fecit pauperem in hoc mundo ». Cuius praeceptis fratres, antequam essent multiplicati, per omnia intendentes et etiam iam multiplicati, cum irent per mundum praedicando et essent invitati ab aliquo quantumcunque nobili et divite, ut comederent et hospitarentur apud ipsum, semper hora comestionis, antequam irent ad eum, ibant pro eleemosyna prius propter bonum exemplum et dignitatem dominae paupertatis. Beatus etiam Franciscus dicebat his, qui invitabant eum: « Ego nolo dimittere dignitatem meam regalem et hereditatem ac professionem meam et fratrum meorum, videlicet ire pro eleemosyna ostiatim ». Et aliquando ibat cum eo iste, qui eum invitaverat, et eleemosynas, quas beatus acquisierat, accipiebat et pro reliquiis conservabat [8]. Invitatus semel a domino Ostiensi, ivit prius pro eleemosyna ostiatim, et cum esset reversus, iam dominus Ostiensis intraverat ad mensam cum multis militibus et nobilibus. Accedens beatus Franciscus, illas eleemosynas super mensam posuit coram domino Ostiensi, quas invenerat, et intravit ad mensam iuxta ipsum, et verecundatus fuit inde aliquantulum dominus

(*a*) As *vobis*. — (*b*) As *quae homines in mundo faciunt*.

[1] Cfr. *Speculum perfectionis* (ed. Sabatier) c. 18. — [2] Matth. 6, 34. — [3] Cfr. *Speculum* cit. c. 19. — [4] C. 9 (cfr. *Opuscula S. P. Francisci,* pag. 36). — [5] I Tim. 6, 8. — [6] Is. 50, 7. — [7] C. 6. — [8] Cfr. *Speculum* cit., c. 22.

cardinalis, eo quod iverat pro eleemosynis et posuerat eas super mensam, sed nihil ei dixit tunc propter recumbentes. Cumque beatus Franciscus comedisset aliquantulum, accepit de suis eleemosynis et cuilibet militi et capellanis domini cardinalis misit parum ex parte Domini Dei, qui omnes cum magna reverentia et devotione accipiebant, extrahentes caputia et infulas; et alii comedebant et alii reponebant propter eius devotionem; ex hoc gavisus est dominus cardinalis videns eorum devotionem, et maxime, quia istae eleemosynae non erant de frumento. Sumto prandio, dominus Cardinalis vocat beatum Franciscum et dixit ei: «Quare fecisti mihi verecundiam? veniendo ad mensam meam ivisti pro eleemosyna». Respondit beatus Franciscus: «Immo, domine, vobis magnum honorem exhibui, dum maiorem dominum honoravi. Me oportet esse formam et exemplum fratrum meorum, maxime quia scio, quod multi in hac religione fratrum sunt et erunt fratres Minores nomine et opere, qui propter amorem Domini Dei et Spiritus sancti unctionem, quae docebit eos, de omnibus humiliabuntur ad humilitatem omnem et subiectionem et servitium fratrum suorum; sunt etiam et erunt de illis, qui aut verecundia detenti aut propter malum usum verecundabuntur et dedignabuntur se humiliare et declinare ad eundum pro eleemosynis et faciendum alia opera servilia; propter quod oportet me opere docere eos, qui sunt et erunt in religione, ut in hoc saeculo et in futuro sint inexcusabiles coram Deo. Exsistens ergo apud vos et alios nolo verecundari ire pro eleemosynis; immo volo hoc habere et tenere secundum Deum pro magna nobilitate et dignitate regali atque honore ipsius, qui cum esset Dominus omnium, pro nobis fieri voluit servus omnium, et cum esset dives et gloriosus in maiestate sua, venit pauper et despectus in humilitate nostra; unde volo, quod fratres sciant, qui sunt et qui erunt, quod pro maiori consolatione animae et corporis habeo, quando sedeo ad mensam pauperculam fratrum et video ante me pauperculas eleemosynas, quae acquiruntur ostiatim amore Domini Dei, quam cum sedeo ad mensam vestram et aliorum dominorum diversis ferculis praeparatam; panis enim eleemosynae est panis sanctus, quem sanctificat laus et amor Dei; quoniam, cum frater vadit pro eleemosyna, prius debet dicere: ‚Laudatus et benedictus sit Dominus Deus'; postea debet dicere: ‚Facite nobis eleemosynam amore Domini Dei'». De quibus verbis dominus Cardinalis fuit valde aedificatus et dixit illi: «Fili mi, quod bonum est in oculis tuis facias; quoniam Dominus tecum est et tu cum ipso». Voluntas fuit beati Francisci, sicut ipse multoties dixit, quod frater non deberet diu stare, quod non iret pro eleemosyna, propter meritum magnum, et ne verecundaretur postea ire [1]. Nam semel cuidam fratri venienti ab eleemosyna de Assisio et alta voce Deum laudanti obviam ivit et tascam de collo accepit, prius eius collo osculato [2]. Sic ergo beatus Franciscus et similis esse Christus voluit in eleemosynae acquisitione, et sui hoc primo modo abiectionem nobis ostendit.

Secundo, sui abiectionem ostendit beatus Franciscus cum scutella cibaria quaerendo et procurando. Cum enim ipse beatus Franciscus, relicto mundo, staret cum sacerdote ecclesiae sancti Damiani, ac sacerdos sibi faceret coquinam, quia fatigabatur multum in opere dictae ecclesiae, beatus Franciscus hoc advertens, «ad se ipsum conversus, ait: ‚Invenies tu quocumque ieris hunc sacerdotem, qui tibi tantam praestet humanitatem? Non est haec vita pauperis hominis, quam elegisti; sed sicut pauper

[1] L. c. c. 23. — [2] L. c. c. 24.

vadens ostiatim portat (*a*) in manu paropsidem, et necessitate coactus diversa in ea cibaria coadunat, ita voluntarie oportet vivere amore istius, qui pauper natus pauperrime in saeculo vixit ac remansit nudus et pauper in patibulo, sepultusque in alieno sepulchro[1]. Surgens igitur quadam die accepit paropsidem et ingressus civitatem ivit petendo eleemosynam ostiatim; cumque diversa cibaria poneret in scutella, mirabantur multi; quia sciebant, eum tam delicate vixisse, videntes ipsum ad tantum sui contemptum sic mirabiliter transmutatum. Quando autem voluit comedere illa cibaria simul posita, horruit primo; quia non solum comedere, sed nec videre talia consueverat; tandem vincens se ipsum coepit comedere, et visum est illi, quod in comedendo aliquod electuarium nunquam fuit sic delectatus (*b*). Proinde tantum cor eius exsultavit in Domino, quod caro ipsius, licet debilis et afflicta, corroborata est ad quaecumque aspera et amara laetanter pro Domino toleranda. Gratias insuper egit Domino, quod amarum sibi in dulce converterat et eum multipliciter confortarat. Dixit ergo illi sacerdoti, quod de cetero pro se aliqua cibaria non faceret nec fieri procuraret [1] ». Ecce vilipensio beati Francisci et eius abiectio.

Tertio, beatus Franciscus ostendit sui abnegationem leprosis serviendo. Nam postquam Christus eidem dixit oranti: « Francisce, omnia, quae carnaliter dilexisti et habere desiderasti, oportet te contemnere et odire, si meam vis agnoscere voluntatem; quod postquam inceperis facere, quae tibi prius suavia et dulcia videbantur, erunt importabilia tibi et amara, atque in his, quae prius horrebas, hauries magnam dulcedinem et suavitatem immensam [2] ». Et cum ipsi beato Francisco videre leprosos esset horribile, die quadam, dum equitaret, « leprosum quendam habuit obvium, et vim sibi ipsi faciens de equo descendit et obtulit sibi denarium, osculans ei manum, et accepto osculo pacis ab ipso, reascendit equum. Et exinde coepit magis ac magis se ipsum contemnere, donec ad sui victoriam perfecte Dei gratia perveniret. Post paucos dies assumens magnam pecuniam ad hospitale leprosorum accessit; et congregans omnes simul, dedit singulis eleemosynam, osculans eis manus [3] ». Et sic quae erant sibi prius amara, scilicet de visione et cohabitatione leprosorum, facta sunt ei dulcissima. Et hoc dum esset in habitu saeculari. Mundo vero abrenuntiato, ut dicit dominus Bonaventura in II parte *Legendae maioris* [4], coram episcopo « ad leprosos totius humilitatis amator se transtulit, eratque cum eis diligentissime serviens eis », propter quod « lavabat eorum pedes, ligabat ulcera, educebat plagarum putredinem et saniem abstergebat »; « inauditi quoque fervoris excessu ulcerosarum plagarum ruebat in oscula, os suum ponens in pulvere, ut *saturatus opprobriis* [5] carnis supercilium legi spiritus potestative subiiceret, suique dominium, hoste subacto domestico, pacifice possideret ». Quantum vero fuerit leprosorum amicus et medicus et fratres voluerit esse, quia infra fructu XVII et conformitate plenius dicetur, haec sufficiant pro probatione tertia abnegationis sui.

Quarto, beatus Franciscus ostendit sui abnegationem et abiectionem pro reparatione ecclesiae sancti Damiani devotissime mendicationi insistendo. Cum enim a crucifixo exsistente in ecclesia praefata, dum oraret, mandatum accepisset, ut tunc beatus

(*a*) As *portans*. — (*b*) As *delicatum*.

[1] *Legenda trium sociorum*, n. 22. — [2] *Leg. 3 soc.* n. 11. — [3] *Leg. 3 soc.* l. c. — [4] N. 6. — [5] Thren. 3, 30.

Franciscus intellexit, quod ipsam ecclesiam repararet, quae minabatur ruinam; et idem beatus Franciscus, protinus multis venditis, pro eius reparatione sacerdoti ecclesiae pecuniam obtulisset, quam sacerdos ob timorem parentum accipere dum nollet, eam beatus Franciscus in quandam ecclesiae fenestram, velut pulverem, abiectam vilipendit, quam pater postea inveniens asportavit; abdicatis omnibus, quae sunt mundi, operi dictae ecclesiae totum se dedit; unde civitatem ingrediens, omni verecundia postposita, tanquam ebrius spiritu, per vicos et plateas coepit Dominum collaudare; qua laudatione completa, ad acquirendos (*a*) lapides coepit intendere dicens: « Qui mihi dederit unum lapidem, habebit unam mercedem, qui duos, duas, qui tres, tres »; et sic dicebat de aliis. Quidam cum audientes ipsum insanum putabant et deridebant, alii vero commoti movebantur ad lacrymas, videntes eum de tanta lascivia et saeculi vanitate ad tantam ebrietatem spiritus et divini amoris tam cito venisse; at ipse abiector sui derisiones contemnens in spiritus fervore gratias Deo referebat [1]. In opere dictae ecclesiae multum laboravit, corpus suum confectum ieiuniis supponendo oneribus lapidum; et non solum cum sui derisione et abnegatione sancti Damiani mendicando reparavit ecclesiam, sed et beati Petri et Virginis gloriosae; quibus consideratis, beatum Franciscum se abnegasse apparet evidenter.

Quinto, ostendit beatus Franciscus se abnegasse, habitu abiectissimo et vilissimo se induendo. Beatus enim Franciscus, mundo abnegato, cum nudasset se coram episcopo, patre et aliis, et nihil sibi reservasset, sed patri omnia tradidisset, oblatus est ei quidam mantellus pauper et vilis cuiusdam rustici episcopo servientis, de quo ipse sibi tunicam formavit cum caemento in modum crucis et pauperis crucifixi [2]; quam tunicam sive habitum per duos annos in modum hominis eremitae portavit; tandem, audito evangelio, cum corrigiam, baculum, peram et cetera omnia ad modum apostolorum abiecisset, tunc fecit sibi tunicam valde contemptibilem et incultam; nam in vilitate tunicae et contemptibilitate, ut fructus XVI dicit et conformitas, nullus eum quantumcunque pauper, modicus et despectus, excessit. Homo apparebat in parvitate et vilitate habitus alterius saeculi, et sic voluit idipsum fratres peragere, unde mandavit in regula [3], quod « fratres omnes vestimentis vilibus induantur »; ad quid? certe ad sui contemptum et observantiam sanctae paupertatis.

Sexto, beatus Franciscus ostendit se abiecisse, divina consilia suo in omnibus praeponendo. Quando frater Bernardus, tunc vocatus dominus Bernardus de Quintavalle, beatum Franciscum voluit sequi et mundum relinquere et id dixisset beato Francisco, beatus Franciscus dixit, quod super hoc Dei consilium erat quaerendum. Et tunc ecclesiam sancti Nicolai iuxta plateam civitatis Assisii intrantes, orationi prius insistentes, finita oratione, beatus Franciscus missale clausum accipiens aperuit, et in prima apertione occurrit illud Domini consilium: *Si vis perfectus esse, vade et vende omnia* etc. [4]. Sed quia cultor ipse Trinitatis trino testimonio voluit confirmari, secundo et tertio librum aperiens, in secunda apertione occurrit illud: *Nihil tuleritis in via* etc. [5], in tertia apertione occurrit illud: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum* etc. [6]. Quo comperto, beatus Franciscus consilio Domini per omnia acquiescens,

(*a*) As *accipiendos*.

[1] *Leg.* cit. n. 21. — [2] Bonav., *Leg. maior* c. 2 n. 4. — [3] C. 2. — [4] Matth. 19, 21. — [5] Luc. 9, 3. — [6] Matth. 16, 24.

ait praefato domino: « Haec est vita et regula nostra et omnium, qui voluerint nostrae societati coniungi [1] ». Sic etiam saecularis dum esset, solum a Deo eius voluntatem supplicabat ostendi, quid ipsum vellet peragere. Voluntatem divinam suae praeposuit, quando voluit scire, an inter homines conversari deberet vel ad loca solitaria pergere; sic etiam quando ad praedicandum accessit, divinam suae praeposuit voluntatem. Et quia divinae voluntati se in omnibus subdidit, beati Francisci voluntati Deus per omnia acquievit, nihil ab eo aliquando petiit, quod non obtinuerit, ut patet eius legendam intuentibus.

Septimo, beatus Franciscus ostendit se abnegasse, omnem laudem a se declinando; nam cum beatificaretur ab hominibus, dicebat: « Filios et filias adhuc habere possem, nolite me laudare ut sanctum. Nemo laudandus, cuius incertus est exitus »; et sibi dicebat: « Latroni si tanta contulisset Altissimus, gratior te foret, Francisce »; et fratribus saepe dicebat: « De omni eo, quod peccator potest, nemo debet sibi iniquo applausu blandiri; peccator autem ieiunare potest, orare, plangere, carnem propriam macerare; hoc solum non potest, Domino scilicet suo esse fidelis; in hoc itaque gloriandum, si suam Domino gloriam reddimus; si fideliter servientes, ipsi quidquid donat ascribimus [2] ». In civitate Interamni, dum praedicasset populo in platea (*a*), et episcopus affuisset, post praedicationem cum episcopus dixisset populo, quod Dominum laudare debebant, quia per ora simplicium eos sic informabat, exhilaratus beatus Franciscus proiectus ad pedes episcopi, regratiatur eidem dicens, quod ipse solus scivit separare nobilissimum a vilissimo, quia non sibi, sed Deo attribuit praedicationis gloriam et honorem [3].

Octavo, ostendit beati Francisci abiectionem iniuriarum et quoad verba et verbera susceptio; de quibus dictum est fructu praecedenti et conformitate. In iniuriis delectabatur dicens, quod talia audire decebat filium Petri Bernardonis [4], immo dicebat de se (*b*) fratribus. Quando persuaserant domino Ostiensi, ut diceret beato Francisco, quod ipse consilia sapientium fratrum sequeretur, quia sic docent regulae Augustini, Benedicti et Bernardi, et Cardinalis dixisset hoc beato Francisco, beatus Franciscus nihil respondendo duxit eum per manus ad fratres dicens: « Fratres mei, fratres mei, Deus vocavit me per viam simplicitatis, et humilitatis; et hanc viam ostendit mihi in veritate pro me et pro illis, qui volunt mihi credere et me imitari; et ideo nolo, quod nominetis mihi aliam regulam praeter illam, quae mihi a Domino misericorditer est ostensa et donata; et dixit mihi Dominus, quod volebat esse me unum fatuellum in hoc mundo, et noluit nos ducere per aliam viam, quam per istam scientiam; sed per vestram sapientiam et vestram scientiam Deus confundet vos [5] ». Fatuum ergo se ipsum dixit, ut vere se ipsum abnegasse et abiecisse declararet.

Nono, ostendit beatus Franciscus se abnegasse, non de se alta sentiendo, sed per oppositum alta declinando omnino (*c*). Cum enim vas esset virtutis et gratiae, se maximum profitebatur peccatorum. Sed quid de se ipso sentiret, frater Pacificus, eius tunc socius, fuit expertus. Cum enim beatum Franciscum dimisisset eius iussu de sero et ipse beatus Franciscus in ecclesia remansisset sancti Petri de Bovario

(*a*) As om. *in platea*. — (*b*) As *dicebat quod de se*. — (*c*) As *altitudinis declinatio*.

[1] Bonav. l. c. c. 3. n. 3. — [2] Bonav. l. c. c. 6 n. 3. — [3] II Cel. 3, 80. — [4] Bonav. l. c. c. 6 n. 1. — [5] *Speculum perfectionis* (ed. Sab.), c. 68.

iuxta castrum Trevii per totam noctem, ubi pugnas horribiles daemonum sentit, mane autem ad eum frater Pacificus reversus invenit beatum Franciscum ante altare orantem. Cumque et ipse se orationi dedisset et ferventissime oraret, elevatus est et raptus in caelum, sive in corpore sive extra corpus solus Deus novit. Et vidit in caelo multas sedes, inter quas vidit unam eminentiorem aliis atque prae omnibus gloriosius fulgentem et ornatam omni lapide pretioso et admirans eius pulchritudinem, coepit cogitare, cuius esset, et statim vocem audivit dicentem sibi: « Haec sedes fuit luciferi et loco eius sedebit humilis Franciscus ». Et in se reversus statim ad eum beatus Franciscus exivit. Cumque per viam de Deo loquerentur, frater Pacificus visionis memor incepit inquirere a Francisco, quid de se ipso sentiret; cui beatus Franciscus: « Videor, ait, mihi esse maximus peccatorum »; et cum socius diceret, quod salva conscientia non poterat dicere nec sentire, subiunxit beatus Franciscus: « Si quantumcunque sceleratum hominem tanta fuisset Christus misericordia prosecutus, arbitror sane, quod multo plus quam ego Deo gratior esset ». Sicque frater praedictus de beato Francisco reputatione et abnegatione informatus exstitit [1]; et quia de se alta noluit sentire, in conspectu suo et omnium ipsum Deus magnificavit; quia beatum se reputabat, qui posset eum tangere, ut patuit, quando per Burgum sancti Sepulchri transivit; qui posset eum tenere, ut patuit de domino Cardinali Leone; qui posset eum alloqui, sicut patuit de domino Orlando, qui dedit ei sacrum montem Alvernae, de quibus omnibus inferius dicetur in suis locis extense.

Decimo, beati Francisci abnegationem ostendit aliorum obedientiae subiectio. Ipse officio cessit generalatus, et frater Petrus Catanii est factus; unum de sociis petivit sibi guardianum dari, cui usque ad mortem obediret in omnibus; solitus etiam erat socio itineris quantumcunque modico obedientiam promittere et servare, et dicebat, ut suam veram abnegationem fratribus ostenderet: « Hanc gratiam mihi Dominus contulit, quod ita diligenter novitio unius diei obedirem, si mihi guardianus daretur, sicut antiquissimo et discretissimo fratri. Subditus, inquit, praelatum suum non hominem considerare debet, sed eum, pro cuius amore est subiectus; quanto autem contemptibilior praesidet, tanto magis humilitas obedientis Deo placet [2] ». Hanc obedientiam beatus Franciscus voluit in se experiri; ut nullum tempus sine merito et lucro transiret, et sui abiectionem cunctis ostenderet.

Undecimo, beatus Franciscus se ipsum contempsisse ostendit defectuum suorum publicatio. Ipse enim beatus Franciscus virtutes et gratias in sui pectoris abscondebat arcano, nisi quantum divinus instinctus (*a*) ad revelandum induceret aut zelus fraternae salutis; defectus suos etiam (*b*) publice omnibus dicebat. Abnegato mundo, dum semel iret per Assisium quaerendo oleum pro lampade ecclesiae sancti Damiani, quam renovaverat, et ad locum venisset, ubi erat hominum multitudo, verecundatus fuit eleemosynam petere; ad se tandem reversus, ad dictum locum accessit, dicens coram astantibus culpam suam, quomodo propter eos verecundatus fuerat eleemosynam petere [3]; petiit ergo et ad ipsum locum prae aliis saepius ivit. Dederat semel mantellum uni vetulae, dum per civitatem iret Assisii, et vanam gloriam habuit; statim

(*a*) As *instructus*. — (*b*) As *tamen*.

[1] *Speculum* cit. c. 59 et 60; cfr. II Cel. 3, 63. — [2] II Cel. 3, 88; Bonav. l. c. c. 6 n. 4. — [3] II Cel. 1, 8; *Legenda trium sociorum* n. 24.

sequentibus se prodidit, quomodo (*a*) vanam gloriam habuerat dando [1]. In hoc fuit totum suum studium, ut nec coram Deo nec coram hominibus hypocrita inveniretur. Incusavit se semel chorda posita ad collum et nudus populo Assisinati, quomodo sanctus non erat, quia in infirmitate sua comederat carnes et brodum conditum; sic etiam in publica praedicatione in quodam eremitorio se populo incusavit, quod in quadragesima sancti Martini comederat cibaria condita cum lardo [2]. — Haec et his similia reserando latentes defectus beatus Franciscus manifestabat (*b*), ut se veraciter contemneret et abnegaret.

Duodecimo omnis virtutis et boni Deo attributio. Hoc beato Francisco displicebat, si aliquid perfectionis sibi attribueretur, et tunc gaudebat, quando Deo (*c*); et ideo dicebat ipse beatus Franciscus: « Sicut enim in picturis Domini et beatae Virginis in ligno depictis honoratur Dominus et beata Virgo, et tamen lignum vel pictura sibi nihil attribuunt, sic servus Dei quaedam est Dei pictura, in qua Deus honoratur propter beneficium suum; sed ipse sibi nihil debet attribuere, quia respectu Dei minus est, quam lignum vel pictura, immo est purum nihil. Et ideo soli Deo honor et gloria est reddenda, sibi autem solum verecundia et tribulatio, dum vivit inter miserias huius mundi [3] ». Quod enim omnia referret in Christum, patuit in cantilena, quam ordinavit de laudibus Creatoris per creaturas, quam vocabat *canticum fratris solis*, ubi ostendit, quod omnia sunt Deo attribuenda; patuit etiam quodam facto ab ipso. Ipse enim beatus Franciscus, cum propter suam sanctitatem honoraretur multum a populo, et non solum oscularentur eius manus, immo etiam pedes, nec talem reverentiam renueret, socius de hoc scandalizatus dixit ad eum: « Frater, non vides et non attendis quid facis? nam homines te tantum honorant, et tu talia non renuis, immo in eis videris complacere ». Respondit beatus Franciscus dicens: « Isti homines nihil faciunt de reverentia respectu eius, quod deberent facere »; quod socius audiens fuit magis turbatus. Cui beatus Franciscus dixit: « Frater, vide, totam istam reverentiam, quae mihi fit, non mihi approprio, sed ipsam totam ad Deum remitto, et me ipsum conservo in faece meae humilitatis, et totum honorem (*d*) reddo Deo. Homines autem ex hoc lucrantur, quia Deum recognoscunt et honorant in sua creatura et in membris »; quo audito, frater aedificatus remansit. Et quia beatus Franciscus omnia a Deo esse tenebat et recognoscebat, ideo omnia ad ipsum referebat, ut dicit dominus frater Bonaventura in IX parte *Legendae* [4]: « De omnibus sibi scalam faciebat, donec ad ipsum perveniret, qui est *totus desiderabilis* [5] »; et quia Deum in omnibus cognoscebat, ipsum in omnibus possidebat, laudabat et glorificandum censebat, et ipsi soli sit honor et gloria omnis, prout in prima regula habetur c. 23, — et ponitur infra fructu XII et conformitate in c. *de diligendo Deum*, vide ibi — ipse beatus Franciscus fiendum fratribus mandabat.

Sic ergo duodecim praefatis modis patet, beatum Franciscum se ad instar Christi abiecisse funditus et abnegasse, prout prima pars expositionis exigebat, dicens: *Franciscus separatur*, videlicet a se ipso per sui contemptum et despectionem. De hac materia multa et plura habes infra fructu XVII et conformitate, ubi de humilitate tractatur beati Francisci, et specialiter in responsione ipsius beati Francisci facta

(*a*) As *quam*. — (*b*) As et R *faciebat*. — (*c*) As *quando de Deo*. — (*d*) R *hominem*.

[1] II Cel. 3, 72; *Speculum* cit. c. 63. — [2] *Speculum* cit. c. 61 et 62; cfr. II Cel. 3, 71. — [3] *Speculum* cit. c. 45. — [4] N. 1. — [5] Cant. 5, 16.

fratri Masseo eius socio dicenti beato Francisco, unde sibi, quod totus mundus iret post ipsum etc.; vide ibi. Sic ergo beatus Franciscus implevit consilium, quod in tertia libri apertione reperit, videlicet: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum* etc.[1].

2. Declarato ergo, quomodo intelligitur uno modo, *Franciscus separatur*, declarandum est, quomodo intelligitur secundo modo de separatione ipsius beati Francisci a mundo, et licet infra fructu et conformitate XVI plene dicatur de hoc, ostendendo beatum Franciscum paupertatem prae omnibus dilexisse, attamen succincte est hic ostendendum. Et licet pars haec pateat ex dictis in prima expositione praemissa, sicut dictum est de Christo, quia non constat (*a*) aliquem perfecte se abnegare et mundum diligere, licet non e converso, tamen beatum Franciscum mundum totaliter abdicasse plura ostendunt. Primum est divitiarum despectio; factus enim frater, et post mundi abrenuntiationem coram episcopo, licet omnem pecuniam ut diabolum horruerit, tamen saecularis exsistens et mercator, *non speravit in pecunia et thesauris*, Eccli. 31, 8; immo naturaliter liberalis fuit et « dispensator erat vanissimus », unde sociis et aliis curialissimus fuit, coenas et prandia et talia huiusmodi faciendo, prout dicit *Legenda trium sociorum*[2], et adeo fuit liberalis, quod faciebat et expendebat ultra suam facultatem, ac de sua liberalitate per totam vallem Spoletanam rumor exiverat. Verum, cum haec fecisset aliquando pro mundi fama, a Domino respectus, ad semetipsum conversus ait: « Ex quo largus et curialis es apud homines, a quibus nihil recipis, nisi favorem transitorium et inanem, iustum est, ut propter Deum, qui largissimus est in retribuendo, sis largus et curialis pauperibus[3] ». Ex tunc proposuit omni petenti, si possibilitas afforet, pro amore Domini tribuere, « maxime si divinum allegaret amorem[4] », quod usque ad mortem servare non destitit. Et quia *omnes* mundani *diligunt munera*, Is. 1, 23, hoc fuit signum in beato Francisco, quod mundum contempsit, quia ipsum non dilexit. Nonne beatus Franciscus, cum pro reparatione ecclesiae sancti Damiani sacerdoti pecuniam obtulisset et ille non accepisset, in quandam fenestram proiecit, ut pulverem vilipendendo?

Secundum, quod ostendit mundi contemptum, est humilium personarum amor et dilectio. Abiectas enim personas, scilicet pauperes, dilexit eis benefaciendo, dando eleemosynas; unde prae solito panem semper ponebat in mensa adhuc saecularis mensam panibus replendo; et cum a matre interrogaretur, quare hoc faceret, respondebat, quod « pro eleemosynis dandis pauperibus, quia proposuerat omni petenti pro Deo eleemosynas largiri[5] ». Extra domum vero semper pauperibus de denariis providebat, et si quando pecunia non adesset, ad locum secretum pergebat, exuebat camisiam et pauperi dabat vel mittebat[6]. Nonne militi egeno vestimenta, quae sibi ipsi de novo paraverat, se exuendo tribuit? Unde die quadam mercantiarum abstractus (*b*) tumultibus, cum pauperem eleemosynam petentem repulisset, gratia divina prospectus (*c*) se ipsum arguit, actum se egisse magnae rusticitatis dicens: « Si pro magno comite vel barone pauper ille a te aliquid postulasset, certe postulatum sibi dedisses;

(*a*) R *stat.* — (*b*) As *abstractis.* — (*c*) As *profectus.*

[1] Matth. 16, 24. — [2] N. 2 et 3. — [3] *Leg. 3 soc.* l. c. — [4] Bonav. *Leg. maior.* c. 1. n. 1 — [5] *Leg. 3 soc.* n. 9. — [6] *Leg. 3 soc.* n. 8.

quanto ergo magis pro Rege regum et omnium Domino id facere debuisti »? Et tunc proposuit pro tanto Domino postulata de cetero non negare [1]. Non solum pauperibus benefecit, immo eorum consortium saecularis exsistens libenter habebat. Patet, ut dictum est supra, quando Romae stetit cum pauperibus et cum leprosis conversabatur, eis serviendo et benefaciendo; ipsorum etiam pauperum statum prae aliis sanctis amavit et tenuit; quibus ipsius amor ad pauperes est expressus.

Tertium, quod ostendit beatum Franciscum mundum despexisse, est parentum despectio, derelictio et declinatio, iuxta consilium Christi, Luc. 14, 26: *Si quis venit ad me, et non odit patrem suum et matrem et fratres,* etc. Et beatus Franciscus hoc egit; nam patrem deseruit sibi contrarium in Dei servitio, volentem ipsum inflectere ad ea, quae sunt mundi; ipsi publice coram omnibus cum sua facultate renuntiavit, et coram praelato, scilicet episcopo, dixit ad patrem: « Usque modo te vocavi patrem in terris; amodo possum secure dicere: *Pater noster, qui es in caelis* [2] ». Et vide (*a*), quod parentum abrenuntiatio per beatum Franciscum facta est in loco patenti, cum deliberatione, coram persona publica et authentica, scilicet episcopo. Et quoad voluntatem, ut ageret quae sunt mundi, nec minis nec vinculis nec verberibus beatus Franciscus potuit per patrem inclinari. Et non solum patrem, sed etiam matrem, quae ipsum tenerrime diligebat, Christi amore reliquit; sic et fratres et parentes aliosque quocumque gradu sibi attinentes.

Quartum, quod declarat mundum contemptum a beato Francisco, est omnium reiectio. Apostoli, etsi navem et alia reliquerunt, non tamen vestimentum, quod in dorso habebant; beatus vero Franciscus non solum terrenorum omnium facultati abrenuntiavit, sed et pannos et femoralia reiecit, nudum corpore et mente se offerens brachiis Crucifixi; quod de nullo alio sancto mundum abrenuntiante alicubi legitur. Unde poterat dicere Christo veraciter: *Reliqui omnia et secutus sum te* [3]. Et sic in hoc beatus Franciscus singularis ab omnibus reperitur.

Quintum ostendens, beatum Franciscum mundo (*b*) abrenuntiasse, est vitae apostolorum electio; licet enim, ut dicetur fructu XVI et conformitate, multi divitias et mundum contempserint, nullus (*c*) tamen, ut apostoli, qui omnia dimittentes, quae habebant et habere poterant, Christum sunt secuti; quorum vita fuit, quae sunt mundi abdicare et Christi vestigia prosequi. Beatus Franciscus evangelium servavit ad integrum, ut de eo cantatur [4]: « Franciscus evangelicum nec apicem vel unicum transgreditur nec iota (*d*) ». Christum ergo sequendo, nec in communi nec in proprio aliquid voluit possidere, nec pro se, nec pro suis fratribus; et tamen (*e*) papa Ioannes determinavit (*f*), quod in communi habuit Salvator et apostoli [5]; et licet beatus Franciscus nec in communi habere voluerit nec in proprio, non est dicendum, dicit dominus papa Ioannes, quod vita beati Francisci fuerit perfectior vita Christi et apostolorum, quia nulla perfectior ea invenitur. Sic ergo eligendo servare evangelium et vitam Christi et apostolorum prae aliis, qui ante eum fuerunt, beatum Franciscum mundum abdicasse ex hoc declaratur.

(*a*) As *inde*. — (*b*) As *mundum*. — (*c*) As *nulli*. — (*d*) As et R om. *versum*. — (*e*) As et R *ut*. — (*f*) As et R *determinat in communi*.

[1] *Leg. 3 soc.* n. 3. — [2] Matth. 6, 9; cfr. Bonav. l. c. c. 2 n. 4. — [3] Matth. 19, 27. — [4] *Officium S. Francisci*, ant. 4 in I Vesp. — [5] In constitutione *Cum inter nonnullos* de 12 nov. 1223 et *Quia quorumdam* de 10 nov. 1624; cfr. Eubel, *Bullarium* t. V p. 256 et 271.

Sextum ostendens mundi contemptum a beato Francisco est paupertatis arreptio, desponsatio et acceptio, de qua, quia fructus est XVI et conformitas, nihil dicitur ad praesens.

Septimum est in aedificiis nulla ostensio. Mundani optant domos altas, pulchras, sumptuosas et latas. Beatus Franciscus nihil talium optavit, nec habere voluit, immo volebat, quod domus et loca fratrum quoad materiam non essent de lapidibus, videlicet de saxis aut lateribus, sed de viminibus et luto paleis conserto (*a*), quoad coperturam de paleis, quoad latitudinem essent parva tuguriuncula, et sic de altitudine et longitudine. Unde, ut dicetur fructu XVI et conformitate, omnia talia aedificia, quae summam non praetenderent paupertatem, displicebant sibi, et offendebatur; nam domum factam per communitatem Assisii in loco sanctae Mariae voluit destruere, sed impeditus fuit ab hominibus civitatis. Vicarium suum fratrem Petrum Catanii reprehendit, qui domum parvam aedificari fecerat et vilem ad officium dicendum et recipiendum fratres, quia multiplicationes domorum sibi displicebant. Et post mortem quendam fratrem, qui locum mutaverat et domos latiores aedificaverat, reprehendit acriter, et quod eum pacaret post mortem, praedixit [1].

Octavum, quod beatum Franciscum ostendit mundum contempsisse, est vestium et tunicarum devitatio, et quoad sumptuositatem, quia de panno vilissimo et rudi indutus est semper, et quoad multitudinem; nam tunica sola habituali, chorda fuit contentus et femoralibus; nam vestitos dupliciter oderat et signum exstincti spiritus hoc esse dicebat; quia tunc caro ad petendum sua inclinatur. De hac materia habes fructu et conformitate XVI. Nec tunica sua erat sua, immo dabat libenter petenti, sicut patuit, quando eam fratri Rufino post impressionem sacrorum stigmatum ab ipso requisitus dedit; sic et in loco de Grecio cuidam fratri de Francia eam petenti; sic et pauperibus, si aliquid (*b*) non haberet; unde nec cellam nec tunicam nec aliquid habere voluit, quod suum censeretur. Quaerendo semel beatus Franciscus ab uno fratre, unde venerat, et ille diceret: « de cella tua », quia audivit « tua », in cella illa noluit amplius habitare. Bononiae ad locum accedere pro fratribus (*c*) praeparatum noluit, quia locus fratrum dicebatur; sed legato apostolico locum accipiente nomine ecclesiae et fratribus eum concedente, in eo stetit [2].

Nonum mundum ostendens a beato Francisco contemptum est regulae ipsius compositio; regula enim fratrum Minorum, qua utuntur nunc fratres, facta est a Christo et dictata, ut fructu IX et conformitate dicetur. Ipsa enim prae aliis, ut patet intuenti, totum mundum cum suis abdicat et suadet ipsius contemptum. Et quia eam ad litteram servavit, argumentum est eius observantia ad mundi contemptum.

Decimum ostendens mundi contemptum est beati Francisci fratrum ad ordinem receptio; nullum fratrem voluit ad ordinem recipere, nisi expropriatum, et terrenis datis omnibus pauperibus. In Marchia quemdam, qui dederat sua parentibus et non pauperibus, noluit ad ordinem recipere, dicens eum indignum iungi pauperibus Christi, qui pauperes defraudavit [3]. Contemptum omnium terrenorum dicebat sui ordinis esse fundamentum, unde ad ordinem venientibus dicebat verbum evangelii [4]: *Si vis perfectus esse, vade et vende omnia, quae habes, et da pauperibus,* ne aliter faciendo ad scandalum animae essent fratribus loculi reservati.

(*a*) As *confectis.* — (*b*) As *aliud.* — (*c*) As om. *pro fratribus.*

[1] Fusius infra fr. XVI. — [2] Fusius fr. XVI. — [3] Cfr. II Cel. 3, 26. — [4] Matth. 19, 21.

Undecimum ostendens propositum beati Francisci de mundi contemptu est fratrum in statu vocationis eorum permansio; nam, ut fratres ad nihil mundi afficerentur, ipsos noluit ad ecclesiasticas dignitates promoveri. Unde domino Ostiensi, qui fuit postea papa Gregorius IX, sciscitanti ab eo, si sibi placeret, quod fratres promoverentur ad dignitates ecclesiasticas, respondit: « Domine, Minores ideo vocati sunt fratres mei, ut maiores fieri non praesumant; si vultis autem, ut fructum faciant in ecclesia Dei, tenete illos et conservate in statu vocationis eorum; et ad praelationes ecclesiasticas ascendere nullatenus permittatis [3] ». Unde nec ambivit (*a*) gradum ecclesiasticum nec fratres voluit ad talia anhelare.

Duodecimum et ultimum ostendens beatum Franciscum mundum despexisse, est ad nihil mundi affectio, sed tota mente et desiderio ad patriam suspiratio et intentio; unde non praelationem, quia hanc deposuit, non pecuniam, quia hanc despexit, non honores, quos declinavit, non aliquid terrenum appetiit, sed tota affectione suspirabat ad patriam, ut Christo uniretur per gloriam, cui incorporatus manebat per imitationem et dilectionem; et sicut mente erat ad aeterna suspensus, sic et corpore et praesertim facie ad caelestia stabat totus affectus; ut enim dicit dominus frater Bonaventura in IV parte *Legendae maioris* [4], « videbatur intuentibus homo alterius saeculi, quippe qui mente ac facie in caelum semper intentus omnes sursum attrahere conaretur ». Nec immerito sic videbatur; quia cum eo pergente Christus crucifixus ibat, cum stante Christus, beata Maria, sancti Ioannes baptista et evangelista, Petrus, Paulus et alii sancti morabantur. Hunc sancti angeli saepe visitabant ac gratiarum divinarum influentia pertangebant (*b*), quare caelibatus superni magis quam incolatus mundani effigiem praetendebat.

Iam dictis ergo potest clarescere, servum Altissimi beatum Franciscum mundum funditus despexisse, quod erat declarandum pro expositione secunda huius fructus et conformitatis, videlicet quoad eius secundam partem, quae dicit: *Franciscus separatur;* fuit enim ad instar Christi separatus a mundo per ipsius totalem abdicationem et despectum.

Et sic patet, quomodo beatus Franciscus primo se, deinde mundum abiecit, abnegavit et contempsit; et consequenter apparet declarata huius sexti fructus et conformitatis secunda pars, quae erat videlicet: *Franciscus separatur*, a se per abnegationem et a mundo per abdicationem.

SEPTIMUS FRUCTUS ET CONFORMITAS:

Iesus Hosti Exponitur — Franciscus Molestatur.

Expositio primae partis, videlicet: **Iesus hosti exponitur.**

Quia in huius fructus VII et conformitatis prima parte agitur de tentatione Domini nostri Iesu Christi facta per hostem diabolum, ipso exsistente in deserto, hinc est, quod pro eius expositione tria sunt videnda: primum, quibus modis genus humanum a diabolo impetitur

(*a*) As *ambire*. — (*b*) As et R *pertangebat*.

[3] II Cel. 3, 86; cfr. *Speculum* cit. c. 43. — [4] N. 5.

et tentatur; secundum, quare Dominus noster voluit a diabolo tentari, et quali modo tentationis ab hoste propulsatus est; tertium, quibus modis ab homine diaboli tentatio superatur et abiicitur (*a*). Sed ante omnia sciendum est, quod hic agetur de tentatione diaboli, prout tota tentatio est a diabolo (*b*), et superatio a tentato ipsum abiicit et repellit; fructu vero et conformitate XXI agetur, quomodo diabolus ab homine expellitur per ipsius superationem ab eo, quem diabolus impetiit, et tandem divina gratia est et fuit liberatus (*c*).

1. Pro primi evidentia est sciendum, quod hostis antiquus diabolus leo et draco est et vocatur; draco propter malitiam et nequitiam, de quo dicit psalmista, Ps. 103, 26: *Draco iste, quem formasti ad illudendum ei* etc.; et Apoc. 20, 2, diabolus *draco* et *serpens* appellatur; dicitur etiam *leo rugiens*, I Petr. 5, 8, et hoc ratione violentiae et potentiae, quia quem non potest vincere malitia, multoties superat potentia. Quia ergo leo et draco est ipse hostis diabolus, hinc est, quod duobus modis nos tentat: primo, ut draco malitia et versutia, secundo, ut leo potentia et violentia.

Tentandi (*d*) modos diaboli declarando praefata duplici via, et primo, quomodo tentat malitia ut draco, est sciendum, quod sic multis modis tentat et tentavit genus humanum. Astutia ergo tentando et malitia ipse tentat: primo modo, videlicet suasione, suadendo et quasi rationabiliter quod suggerit fieri debere ostendendo, et hoc modo, Gen. 3, 13, tentavit Evam et decepit; secundo modo, blanda allocutione (*e*), et sic tentavit genus humanum, videlicet filios Seth, qui dicebantur *filii Dei*, Gen. 6, 2; hos tentavit esca, scilicet pulchritudine filiarum Cain; et sic earum ad invicem commixtione iratus Deus perdidit omnem carnem, Noe cum uxore, filiis et uxoribus eorum praeservando; tertio modo, in errorem deductione; hoc modo tentavit filios Israel in deserto, Ex. 32, 4 sqq. et Num. 25, 2, ad idololatriam perducendo; quarto modo, promissione; promisit enim primis parentibus deitatem et Christo, ut dicetur infra, *omnia regna mundi*, si perageret quod suadebat; quinto modo, difficultatis ad bonum peragendum ostensione, dicens, quod *arcta via est, quae ducit ad vitam*, Matth. 7, 14; et sic tentavit filios Israel, qui ob difficultatem nolebant ire ad terram promissionis, Num. 14, 3 sqq.; sexto, taedii post bonum inceptum, ne perficiatur, immissione; et sic etiam tentavit alios filios Israel, qui libenter exierunt de Aegypto et desertum intraverunt, Ex. 16, 3, sed labore itineris fatigati ulterius ire nolebant, Num. 20, 5; et sic quosdam tentavit (*f*) de sequentibus Christum, qui audientes Christum dixerunt, Ioan. 6, 61: *Durus est hic sermo*, et ab eo recesserunt; septimo modo, ad dubietatem mentis perductione; sic tentavit Balaam, Num. 23, 7 sqq., qui ab angelo retardabatur, ne iret ad maledicendum filiis Israel, et diabolus ad oppositum eum inducebat etc.; sic et filios Israel tempore Eliae, quibus ipse Elias dixit, III Reg. 18, 21: *Usquequo in duas partes claudicatis* etc.; octavo modo, importunitate et assidua inquietatione; hoc modo tentare voluit Ioseph, Gen. 39, 7 et 10 per mulierem Aegyptiam, quae sibi erat importuna et ceperat eum; nono, subito et improvise (*g*) animae aggressione, et praesertim, quando otiosam invenit et malo dispositam; sic tentavit Iudam Iscarioth, qui videns unguentum effundi super Iesu caput et murmuravit statim, Marc. 14, 3 sqq., et eius mortem ordinavit; decimo modo, occulta insidiatione; hoc modo tentavit Ananiam et uxorem eius Saphiram, Act. 5, 3 sqq., ut occultarent de pretio possessionum suarum et mentirentur apostolis; undecimo modo, fraude et deceptione; sic tentavit illum iudicem (*h*) nequam, qui deceptione diaboli credebat diu vivere, Luc. 12, 16 sqq., et subito fuit mortuus; sic decepit Achab promissione victoriae, III Reg. 22, 20 sqq.; duodecimo, se in angelum lucis iuxta dictum Apostoli transformatione[1]; sic multos in *Vitis patrum* decepit, apparendo in

(*a*) R *vincitur*. — (*b*) R *Deo*. — (*c*) As et edd. om. *liberatus*. — (*d*) As *tentando*. — (*e*) As *allectione*. — (*f*) Hic pergit Codex. — (*g*) R *impetuose*. — (*h*) Edd. *divitem*.

[1] II ad Cor. 11, 14.

forma angelorum pro parte Dei sanctorum patrum et mulierum; sic volendo Christum decipere in forma humana apparuit.

Quamvis sint multi modi alii, quibus diabolus tentat, ut draco, cum sint ei mille ad nocendum artes, sufficiant pro praesenti duodecim praefati modi.

Et quia non solum draco est, sed et *leo* ipse hostis antiquus, quos superare non potest aliquando ut draco per astutiam et malitiam, aliis modis superat per violentiam et potentiam ut leo.

Ut leo tentat diabolus aliis modis: primo modo, afflictiones temporales procurando; sic tentavit filios Israel, Ex. 3, 7 sqq. et 5, 2 sqq., faciendo eos affligi, ut Deum non audirent; sic Petrum afflixit, Act. 12, 3 sq., faciendo eum poni in carcerem etc.; et ideo dicit Iob, 30, 11: *Pharetram suam aperuit,* id est tribulationes et afflictiones, *et afflixit me;* secundo modo, carnem flagellando, sicut fecit Iob, Iob 2, 7 et 9, quem percussit ulcere pessimo, ut malediceret Domino Deo suo; tertio modo, bona fortunae auferendo; sic tentavit Iob, omnia temporalia accipiendo ab eo, Iob 1, 15 seqq.; sic et Tobiam, Tob. 1, 22; quarto modo, quae amamus subtrahendo, scilicet filios et filias; hoc patuit in Iob et sancto Eustachio; quinto modo, quae naturaliter odimus ingerendo, sicut infirmitates; Iob infirmatus est, et Tobias excaecatus est (*a*), ut de Domino murmurarent; sexto modo, pravos homines contra bonos provocando et inducendo, qui sui sunt satellites; sic fecit filiis Israel, patet de Sennacherib, Nabuchodonosor, Holoferne, Antiocho, et sic de aliis; hodie facit per tyrannos et sociardos (*b*) etc. Christum fecit occidi per Pilatum et Iudaeos et Romanos, qui omnes membra erant ipsius diaboli; septimo, se visibilem, ut timeatur, ostendendo et demonstrando; sic fecit beato Antonio, beato Benedicto et pluribus sanctis; octavo modo, bona, quae agimus, impediendo, sic beatam Claram ab oratione retrahere est conatus; sic et multos in *Vitis patrum* tentavit; nono modo, sanctos persequendo: quosdam carnis tentatione, sicut beatum Chrysanthum, Iosaphat (*c*), Benedictum, quosdam accidia et quosdam aliis vitiis, ut vidit abbas Macarius, quando in specie medici diabolum cum diversis ampullis ad fratres pergentem (*d*) conspexit [1]; decimo, delectatione resolvendo, sicut David, quem non potuit persecutione superare, vicit delectatione cum Bethsabee, II Reg. 11, 2; undecimo modo, non consentientes opprimendo; sicut de sancto Antonio abbate et de beato Antonio nostro, ad cuius guttur diabolus posuit manus, ut eum suffocaret [2]; duodecimo, ad desperationem conducendo, sicut facit continue, quia multi ita impetuntur ab ipso acriter, quod desperantes eius tentationibus consentiunt; sic et tentavit Achitophel, II Reg. 17, 23, qui se ipsum suspendit, et sic de multis aliis, qui se ipsos diversis modis interemerunt.

Praefatis modis diabolus tentat ut leo; etsi alii modi sunt, quia possent ad praefatos reduci, dicti iam sufficiant.

Et sic patet primum, quod erat videndum.

2. Secundo videndum erat, quare Dominus noster Iesus Christus voluit tentationibus diaboli subiici et quomodo. Et breviter hanc partem exponendo, videndum est primo: Quare voluit tentari a diabolo? Ad quod respondetur, ut nos pariter informaret verbo et exemplo. Cum enim tota vita nostra sit plena tentationibus, quia tentamur a mundo, carne et diabolo, Christus igitur tentari voluit: primo, ut exemplum patientiae praeberet nobis; quia tentationem si ipse, qui sine peccato erat, patienter portavit, multo fortius nos peccatores; secundo, ut modum ostenderet diaboli tentationem superandi, de quo in tertio videndo dicetur; tertio, ut fructum ostenderet, si tentatio superetur; quia angeli accedunt ad talem, et ministrant

(*a*) As om. *et Tobias excaecatus est.* — (*b*) As *soldatos.* — (*c*) Codex *Iosaph.* — (*d*) Codex *pergentes.*

[1] *Vitae Patrum* lib. III n. 61 et lib. V n. 9 (P. L. 73, 769 et 981). — [2] Legenda *Assidua* n. 12 (ed. Kerval pag. 46).

ei, ut factum est ipsi Christo. Sed hic sunt aliqua dubia: et primum est, quis fuerit iste hostis et diabolus? Respondetur, quod creditur, quod fuerit lucifer, qui primos tentavit parentes; quia hic hostis Christo promittebat omnia regna mundi, etsi fallaciter; lucifer *est rex super omnes filios superbiae* [1]; ad ipsum tentandum sagacior venit et astutior, quare, et ipse princeps mundi lucifer, quem superando et fugavit a mundo et ligavit, Apoc. 19, 19 sq. Secundum dubium, an in propria forma tentaverit. Respondetur, quod non, ne, quis esset, agnosceretur; sed nec homo in proprio esse substantias separatas cernere valet; quare creditur, quod in forma humana eidem se ostenderit. Tertium dubium, in quo loco Christum tentaverit. Respondet evangelium, quod in deserto, Matth. 4, 1, ut videlicet ostenderet: primo, quod diabolus maxime bene volentes operari aggreditur; secundo, ut sancti post eum futuri, qui ad deserta pergerent, scirent se perlaturos hostis tentationes; tertio, ut ostenderet, quod solitarios diabolus aggredi conatur; quarto, ut ostendat, quod omnia et se relinquentes, quia tales sunt in deserto, etsi a diabolo invadantur, non tamen superantur; quinto, ut quanta sit difficultas in bene agendo, ostenderet; Christus non ivit ad desertum, ut tentaretur, sed ut ieiunaret; sed ad hanc operationem consecuta est diaboli tentatio; sexto, ut quando fit rectum aliquid a nobis, et diabolus impedire conetur suis modis, non debet dimitti, sed prosequi, quia perseverans in campo certaminis triumphum obtinet peroptatum.

Viso ergo, quare Christus voluit hosti quoad tentationem subiici, videndum est, quare diabolus ad tentandum ipsum accessit. Et dicunt doctores, quod volebat experiri, an esset Deus vel purus homo, quia argumenta habebat pro utraque parte: quod esset homo, quia ieiunio expleto, esurivit ut homo; quod esset plus quam homo, quia, nullo alio cum eo exsistente, ieiunavit 40 diebus et 40 (*a*) noctibus; quando Moyses ieiunavit, ipse erat cum Deo; Elias ex cibo prius sumto sic ieiunavit; sed Christus cibum non sumpsit, et solus esse a diabolo est inventus; et ideo hoc videndo, ut agnosceret, an esset Deus, ipsum tentare voluit, et ideo dicit in prima et secunda tentatione: *Si filius Dei es* [2] etc. Sed quomodo potuit diabolus Christum Deum (*b*) esse ignorare, cum tot signa in nativitate eius sint facta? Respondetur, quod divina virtute ipsos latuit.

Restat ergo videre, quomodo diabolus Christum tentavit. Ubi sciendum est, quod tentatio diaboli fit tripliciter, videlicet suggestione, delectatione (*c*) et consensu; item tentatio alia interior, quae fit a carne, et aliquando a diabolo, alia exterior, quae fit a diabolo. Dictum est etiam, quod diabolus tentat ut draco et ut leo. Ad propositum: diabolus ut leo Christum tentare non potuit, quia vim ei inferre non potuit; sed ut draco tentavit, scilicet malitia et astutia, ut sicut primos homines (*d*) tentavit de gula, de superbia et de avaritia, scilicet de cupiditate habendi *scientiam boni et mali* [3], sic Christum praefatis modis tentavit, de gula, de praesumptione, quae est filia superbiae et de avaritia, *omnia regna mundi* promittendo. Sed Christum interiori tentatione tentare non potuit; quia nihil impellens ad malum in ipso fuit; sola tentatione exteriori ipsum pulsavit (*e*), nec delectatione aut consensu potuit Christum tentare, quia Christus peccare non potuit; quare solo primo modo, scilicet suggestione, ipsum tentavit. Quibus apparet, quomodo hostis antiquus Christum tentavit.

Sed quia dictum est, quod Christus voluit tentari, ut nobis praeberet exemplum, posset quaeri: An nos tentari appetere debeamus? Respondetur, quod a carne non; ratio, quia talis non est sine peccato, saltem veniali, ut dicit Magister II (sent.) d. 21 [4]; a diabolo non a viris imperfectis, sed perfectis. Christus non dedit exemplum tentationem appetendi, sed exemplum praebuit, ut si tentatio afforet, eam vincendi et superandi.

(*a*) As et edd. *totidem*. — (*b*) Codex *Deum non esse*. — (*c*) As *tentatione*. — (*d*) As et edd. *parentes*. — (*e*) As et edd. *tentavit*.

---

[1] Iob 41, 25. — [2] Matth. 4, 3 et 6. — [3] Gen. 3, 5. — [4] C. 6.

Et sic patet secundum, quod erat videndum, videlicet, cur Christus hosti fuit expositus; et de modo.

3. Restat videre de modo tentationes diaboli superandi, quod est tertium videndum. Circa quam partem, etsi doctores diversimode loquantur; nam quidam dicunt, quod suggestioni diaboli si non attendatur, utpote ad aliud se convertendo per cogitamen, tentatio superatur; alii (*a*) cogitando statim, quando diabolus tentat, poenas infernales; alii dicunt, quod cogitandum est praemium, quod promittitur tentationi non consentientibus. Attamen Salvator noster in sancto evangelio ostendit modos aliquos: primo per ieiunium carnis extenuatione; nam, ut ipse apostolis dicit, Marc. 9, 28: *Hoc genus daemoniorum eiicitur ieiunio et oratione;* et hanc viam ostendit ipse Salvator, quia ieiunavit 40 diebus et 40 noctibus, ostendens ieiunium appetendum propter multa, videlicet quae facit, ut dicunt doctores de ieiunio tractantes (*b*); et quia (*c*) instrumentum diaboli sit caro nostra, ieiunio atteritur et domatur.

Secundo fide et tota in Deo spei et fiduciae impositione; nam anima debet esse in deserto, id est ab omni spe alia desecata, et tunc, si habebit fidem et dicet monti, id est tentationi, ut transferat se, id est abscedat, fiet, ut Iesus beatum Franciscum docuit, ut dicetur.

Tertio sacrae scripturae memoria et attentione; ipse Salvator in tentatione sua ad ipsam superandam et diabolum convincendum sola scriptura est usus divina ad ostendendum, quod ipsa docet diaboli tentationem evitare. Et pro huius evidentia investigandum est, quomodo scriptura docet hoc. Ubi sciendum, quod diabolus de bono non tentat, nec inducit hominem ad bonum peragendum, sed malum, etsi malum sub specie boni, saltem delectabilis. Modo de nullo malo speciem boni praeferente potest diabolus tentare, de quo sacram scripturam inspicientem diligenter non informet et verbo et exemplo. Si enim diabolus tentat te de aliquo vitio, utpote de superbia, debes videre, quid scriptura verbo promat et exemplo; nam, quod non assentias huic tentationi, te docet ostendendo, quam mala sit superbia, dicens illud Eccle. 10, 7: *Odibilis Deo et hominibus superbia,* et Iac. 4, 6: *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam;* et beata Maria dicit, Luc. 1, 51: *Dispersit superbos mente cordis sui.* Et non solum verbo docet, sed etiam exemplo, quomodo superbia non est appetenda, ostendendo mala, quae de ipsa proveniunt. Superbia angelus supremus diabolus efficitur, Is. 14, 12 sqq.; Adam e paradiso in hanc miseriae vallem deiicitur; Arphaxad regno privatur, Iudith 1, 4 sq.; Sennacherib gente ab angelo spoliatur, IV Reg. 19, 35, et sic de aliis. Tentatus ergo a diabolo de pertinentibus ad superbiam, ut de appetitu dominii et status et similibus, et quia videt, quod scriptura verbo et exemplo oppositum ostendit, debet nolle ipsam in se locum habere; quare non assentiet diabolo sibi hoc persuadenti, immo accipiet oppositum, videlicet humilitatem, quam assumere scriptura inducit verbo, dicens illud Iudith 9, 16: *Humilium et mansuetorum Deo semper placuit supplicatio,* et Psalmus 101, 18: *Respexit in orationem humilium* etc.; exemplo: David humilis fit rex, et Maria humilitate fit Mater Dei, et sic de aliis. Modo tentatus debet dicere: quod bonum est et facit bonum habenti, est prosequendum, et quod malum est in se et facit malum habenti, est fugiendum; ergo nolo sequi superbiam, sed humilitatem; quare, daemon, tuae non assentio tentationi. Et sic patet de modo vincendi tentationem diaboli per scripturam. Et sicut dictum est de vitio superbiae, sic etiam est de aliis.

De luxuria cum tentat, vide quid scriptura dicit verbis. Certe illud Eph. 5, 5: *Omnis fornicator, aut immundus non habet partem in regno Christi et Dei.* Quid ostendit exemplo? Certe, quod ipsa est fugienda; quia ea genus humanum in diluvio submergitur, Gen. 7, 23; Sodomitae caelesti igne comburuntur, Gen. 19, 24; Amnon ab Absalon occiditur, II Reg. 13, 29, et sic de aliis. Quid de opposito dicit scriptura, scilicet continentia et castitate? Certe illud I ad Thess. 4, 4: *Unusquisque vestrum sciat vas suum possidere* etc. Quid ostendit de hoc exemplo? Certe,

(*a*) As et edd. addunt *dicunt.* — (*b*) As et edd. *propter multa, quae facit ieiunium, ut dicunt doctores de ipso loquentes et tractantes.* — (*c*) As et edd. *quia cum.*

quod castitate homo a Deo diligitur et ad gloriam sublimatur; patet in Ioseph, Gen. 39, 12, et sic de aliis. Hoc perpendens tentatus non assentit libidini, sed diligit castitatem et munditiam.

De ira si tentat diabolus, vadat tentatus ad scripturam et videat, si suadet ipsam vel eius oppositum, et videbit, quod dissuadet iram verbo, dicens illud Eccli. 30, 26: *Zelus et iracundia minuunt dies;* exemplo: Cain a Deo despicitur et damnatur, Gen. 4, 11 sqq.; Saul a diabolo captivatur, I Reg. 16, 23, et sic de aliis. Suadet autem irae oppositum, scilicet pacem et tranquillitatem, dicens illud Ps. 33, 15: *Si vis videre dies bonos, inquire pacem, et persequere eam;* exemplo Moysi, qui fuit mitissimus et pacificus et a Deo dilectus, Num. 12, 3. Debet ergo tentatus dicere tentatori: ego volo vivere, quare nolo iram sequi et pacem habere, quia ero Dei amicus; et sic a tentatione irae liberabitur.

De avaritia si tentatur, respiciat, quid de ipsa dicit scriptura verbo. Certe illud Eccli. 10, 9: *Avaro nihil est scelestius,* et Apostolus, Col. 3, 5: *Avaritia est idolorum servitus.* Quid ostendit exemplo? Certe Balaam avaritia necatum, Num. 31, 8; Achor a populo lapidatum, Ios. 7, 25, et sic de aliis. Et de opposito dicit (*a*) illud Prov. 28, 16: *Qui odit avaritiam, longi fient dies eius*; exemplo quid ostendit? Tobias fuit liberalis ad pauperes, et domus eius bonis repletur, Tob. 11, 14 sqq. Quia ergo avaritia est tam mala, et eius oppositum est sic bonum, dicet tentatus tentatori: ego nolo primum sequi, sed secundum.

De invidia si quis tentatur, ei occurrit scriptura ostendens malum invidiae, dicens verbo, Sap. 2, 24: *Invidia diaboli mors intravit in orbem terrarum,* et sequuntur eum, qui sunt ex parte illius; exemplo, Achitophel invidia se suspendit, II Reg. 17, 23; Chore cum aliis asserit a terra vivos absorptos (*b*), Num. 16, 31, et sic de aliis. Oppositum ostendit dicens, Matth. 19, 19: *Dilige proximum tuum sicut te ipsum,* et Matth. 5, 44: *Diligite inimicos vestros;* exemplo, David et Ionathas intimi fuerunt, II Reg. 1, 26 etc.

De accidia si tentatur, vide scripturam dicentem, Eccli. 33, 29: *Multa mala docuit otiositas,* et qui sequitur otium non videbit bonum, exemplo Sodomitarum, ad quod peccatum, ut dicit Ezechiel, 16, 49, induxit accidia. Oppositum suadet dicens illud Eccle. 9, 10: *Quidquid potest manus tua, operare* etc.; exemplo, quia operantibus in vinea datur vitae aeternae praemium, Matth. 20, 8, sq. Quare non est acquiescendum tentationi de accidia, dicat tentatus, sed opposito.

De gula si tentatur, quid scriptura dicat verbo, videat, Eccli. 31, 39: *Amaritudo animae vinum multum potatum* etc.; exemplo, Holofernes a Iudith truncatur, et Simon Machabaeus occiditur, I Mach. ultimo, 16. De sobrietate dicit, I Petr. 5, 8: *Sobrii estote* etc.; exemplo Salomon, qui se abstraxit a vino etc., et Danieli Deus dedit sapientiam, Dan. 1, 17. Quia ergo gula insipientem et sobrietas facit sapientem, dicat tentatus tentatori: ego nolo esse imprudens, quare nec gulam sectari, sed volo esse sapiens, quia oppositum volo prosequi; et sic eius tentationem superat et vincit.

De multis aliis exempla patent in scriptura et verba, quae si diligenter intueantur, homo a tentatione non superatur; verum, quia hic modus est hominum intelligentium solum et non ignorantium, et sic non omnium generaliter, datur a Christo modus alius diaboli tentationem superandi in evangelio.

Quarto modo, scilicet oratione; nam in deserto ipse nihil aliud faciebat, nisi orabat. Oratione diabolus expellitur, ut ait Salvator, Marc. 9, 28; Moyse orante ignis, scilicet tentatio, absorptus est, Num. 16, 46; Tobia orante, daemonium ab angelo expulsum est, Tob. 8, 3.

Quinto humiliatione; Christus in deserto ostendit humilitatem, de se non praesumendo, Deum solum adorando et cum bestiis conversando ac permittendo se a diabolo sic duci et tangi. Quod humilitas diabolum pellat, patet visione beati Antonii, qui in aere sublevatus, vidit totum mundum laqueis diaboli plenum, et cum Antonius diceret: quis evadet? dictum est: humilitas [1]. Contraria contrariis curantur, diabolus superbus ab humili superatur. Frater

(*a*) As et edd. *dicit verbo.* — (*b*) As et edd. *Chore cum aliis a terra vivus absorptus.*

[1] *Vitae Patrum,* lib. V libell. 15 *de humilitate* n. 3 (P. L. 73, 953).

Rufinus visus a daemone in homine habitante, quod ibat pro pane, statim quem possidebat dimisit dicens, quod eius tantam humilitatem ferre non poterat [1].

Sexto Dei timoratione; cum dixit [2]: *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies,* scilicet non servili timore, sed filiali. Sed quod timor filialis omnem superet tentationem, patet scriptura dicente, Eccli. 1, 27: *Timor Domini expellit peccatum;* nam si homo de quacumque re servire Deo tentetur a diabolo, si est timor Dei in eo, statim dicit: ego debeo servire Deo timore filiali, et filius debet sibi cavere ab omni eo, quod est patris offensivum; sed cum Deus sit meus pater, et hoc, de quo tentor, non est in Dei complacentia, immo oppositum, quare ego ut bonus filius patrem ipsum nolo turbare, et consequenter, quod mihi suggeritur, nolo exercere. Et ideo bene dicit scriptura [3]: Beatus, cui datum est habere timorem Domini; quia timore Domini filiali exsistente in anima, cum praeservet eam ab omni, quod est offensivum Dei, et per consequens a peccato, homo a nulla potest superari tentatione. Istos sex modos Salvator, dum superat hostem, ad ipsum vincendum nobis clementer ostendit.

Sed nunquid alii modi reperiuntur a praefatis? Certe sic, et multi: et primus modus est: Iesu benedicti nominis invocatione tentatio superatur, Marc. 16, 17: *In nomine meo daemonia eiicient;* et dixerunt apostoli Iesu, Luc. 10, 17: *In nomine tuo daemonia subiiciuntur nobis.* Secundus modus est Virginis gloriosae Mariae nominatione dicendo: Ave Maria gratia plena, etc. vel illam orationem [4]: « Maria, mater gratiae, mater misericordiae, tu me ab hoste protege, et hora mortis suscipe », qua expertum est diabolum abscedere statim. Tertius modus est alicuius sancti devotione, Iob 5, 1: *Ad aliquem sanctorum convertere;* beatus Andreas apostolus sibi episcopum devotum a diabolo et tentatione liberavit. Quartus modus est huius versiculi personatione mente et attentione, videlicet: *Deus, in adiutorium meum intende: Domine, ad adiuvandum me festina,* statim homo tentatus liberatur, ut dicit Ioannes Cassianus in II *Collatione abbatis Isaac* [5]. Quintus modus, crucis Christi facta in fronte et membris (*a*) devota figuratione et signatione statim tentatio vel mitigatur vel abscedit; quia diabolus cum statim crucem fugiat, abscedit et eius tentatio; hoc modo beatus Basilius a diabolo et sua tentatione quendam signando eum liberavit [6]. Sextus modus, oculorum ad caelum elevatione, dicendo: *Iesu, fili David, miserere mei* [7]; haec dicendo Chananaea a Christo meruit obtinere filiae suae a daemonio liberationem; huius autem effatione in purgatorio sancti Patritii stantes ab insidiis diaboli statim liberantur, ut dicit *Legenda* sancti praedicti [8]. Septimus modus, passionis Christi memoria et recordatione; David citharam percutiendo diabolum a Saul abigebat; cithara passionem et crucem Christi, ut dicunt doctores, significabat. Christus multis apparuit diversimode tentatis, sed crucifixus de plagis sanguinem eiiciens, et praefatis dixit, quod, quando tentarentur, dictas plagas inspicerent et sanarentur, ut fructu IX et conformitate habetur. Octavus modus, continua carnis maceratione et iugi sensuum gubernatione; contra carni deditos diabolus praevalet, ut dixit Raphael ad Tobiam, Tob. 6, 17; et Christus dicit [9]: *Cum fortis armatus custodit atrium suum,* id est mentem et sensus suos, *in pace sunt omnia, quae possidet;* sanctus Benedictus carnis maceratione diaboli tentationem superavit. Nonus modus, exercitio et operatione; Hieronymus [10]: « Semper aliquid boni facito, ut diabolus te inveniat occupatum »; Evam otiosam tentatione vicit, et Paulum apostolum intentum operi nunquam superavit. Decimus modus, tentationis per confessionem revelatione; statim enim, ut homo tentationem patri spirituali confitetur, et diabolus videt se detectum, fugit et re-

---

(*a*) As *mente.*

[1] *Actus* c. 33. — [2] Matth. 4, 10. — [3] Ps. 111, 1 et Ps. 127, 1. — [4] In hymno Officii parvi B. M. Virginis, ubi loco « Mater misericordiae » habetur « Dulcis Parens clementiae ». — [5] C. 10 (P. L. 49, 832). — [6] *Vitae Patrum,* Vita S. Basil. c. 8 (P. L. 173, 304). — [7] Matth. 15, 22. — [8] De « purgatorio s. Patritii » cfr. *AA. SS.* mart. t. II pag. 587. — [9] Luc. 11, 21. — [10] Epist. 125 (al. 4) n. 11.

cedit, ut patuit in pluribus in *Vitis patrum;* tali enim extricatione egreditur, ut dicit Iob[1], *coluber tortuosus.* Undecimus modus, afflictione; prosperitate diabolus multos superat, sed paucos adversitate; tempore persecutionis David a diabolo non fuit superatus, sed bene tempore prosperitatis; quare homo, si Deus sibi immittit tribulationes, libenter sufferre debet, ut diaboli tentationes valeat superare. Duodecimus modus, totius spei nostrae in Deum proiectione, ut sicut *ipse fecit nos, et non ipsi nos*[2], et *cura est ei de omnibus*[3], sic in ipso tota spes nostra ponatur, dicendo: Domine, sicut vis et sicut scis, miserere nostri. Chrysanthus hoc modo tentationem superavit, dicens cum Psalmista, Ps. 34, 3: *Domine, dic animae meae: salus tua ego sum*[1].

Multi alii procul dubio sunt modi, sed hi sufficiant pro generali modo superandi tentationes diaboli, quia de his et scriptura et doctores, ut patet, eloquitur.

Et sic patet tertium, quod erat declarandum pro huius fructus VII et conformitatis prima parte, videlicet: *Iesus hosti,* scilicet diabolo, *exponitur,* scilicet eius tentationi, et qua de causa patet ex dictis; et consequenter praedicta prima pars est breviter declarata, scilicet: **Iesus hosti exponitur.**

Secunda pars septimi fructus et conformitatis, videlicet:

Franciscus molestatur.

Expositio.

Primae partis visa expositione, consequenter videndum est de secunda parte, videlicet: *Franciscus molestatur,* qualiter videlicet a diabolo beatus Franciscus fuit tentatus, ut similis in hoc ipsi Christo beatus Franciscus inveniatur. Ubi sciendum, quod, sicut nullus sanctorum est, Virgine excepta, qui a diabolo non sit agitatus persecutionibus, sic nullus est, quin sit tentationibus expetitus; et praecipue beatus Franciscus fuit, cuius ortu in inferno facta est commotio magna, ut dictum est fructu III et conformitate, per quam perpenderunt, per beatum Franciscum et suos infernum destruendum, ne tot ad ipsum pergerent, ob eius merita, vitam, exempla et verba et suorum, quot ante ad ipsum infeliciter descendebant; quare sic agnoscentes ad persequendum ipsum principaliter, et postmodum suos, sunt conati (*a*). Et quemadmodum dictum est, diabolum tentare dupliciter ut draco et ut leo, sic beatum Franciscum tam in saeculari habitu exsistentem quam post inceptum ordinem praefatis duobus est modis persecutus.

1. Insecutus est hostis beatum Franciscum primo ut draco malitia et astutia multipliciter: primo persuasionibus ipsum, ut mundanis daretur, inducendo. Nam saecularis exsistens beatus Franciscus et mercator pannorum, cum esset natura hilaris et iucundus et liberalis, diaboli persuasione deditus fuit plurimum mundanis, vacans iocis et cantibus, et in comestionibus profusior aliis ultra decentiam sui status; sic et curiositate vestimentorum fuit valde mundanus, carioribus induens et aliquando pannis multum caris vilissime consui faciendo; sicque mundo deditus diaboli fuit

(*a*) As *donati.*

[1] Iob 26, 13. — [2] Ps. 99, 3. — [3] Sap. 6, 8. — In *Historia SS. Chrysanthi et Dariae*, scripta a Varino et Armenio, n. 6 (apud *AA. SS.* oct. t. XI pag. 472).

persuasione in cibo et vestimentis (*a*), etsi non quoad lasciviam, Domino eius corpore mundo servante, quod (*b*) sacris stigmatibus figurare volebat.

Secundo, blanditiis et allectionibus. Esca paratur captionibus piscium et animalium; et beatum Franciscum quibusdam honoribus impensis diabolus ad se inflectere per imitationem mundanorum studuit. Quia enim multum erat curialis, quia de hoc a vanis commendabatur, ad expendendum ex hoc incitatus, tales et tam magnas faciebat expensas, quod a parentibus multoties fuit argutus sibi dicentibus, quod tam magnas et quoad se et alios faceret expensas, quod non ut eorum filius sed cuiusdam magni baronis videretur; quibus largis expensis factum est, ut de eo quoad hoc per totam provinciam fama divulgaretur, et ipse a sociis princeps fieret, baculus sibi daretur ut domino eorum, ac ipse secundum voluntatem suam expensas faceret in comestionibus et aliis, et sic, ut eorum princeps et dominus, baculum portando in manibus, per civitatem cantando incederet, et talibus applausibus, diabolo operante, alliceretur ad quae sunt mundi prosequenda cum corde [1]. Nonne hoc inductione hostis fiebat, ut pro favore transitorio Franciscus expenderet sua, non dando Christi pauperibus, sed mundanis et lecatoribus, et ut vacaret comestionibus die ac nocte et cantibus?

Diabolus ut draco beatum Franciscum tentavit tertio promissionibus. Cum enim plebeius esset mercator et popularis, cordi eius diabolus tentationem immisit, ut fieret miles, et adeo hoc eius cordi est impressum, ut arma, pannos et necessaria praepararet pro militia consequenda, volens ad quendam nobilem de regno accedere, nomine Gentilem, per quem sperabat, eidem obsequendo, decus obtinere militiae. Sic ergo diaboli tentatione sic mundo tenetur mente, ut non de Deo, sed de mundi pompa et gloria totaliter cogitaret, et, quod maius est, post induitionem militis pauperis, quem, se exspoliato, vestierat Christi amore, Domino sibi apparente de nocte et palatium speciosum et magnum cum militaribus armis ostendente eidem ac ipsum suum esse et suorum militum asserente, dum surgeret a somno, non ad spiritualem, sed ad temporalem sui exaltationem visionem inflexit, credens ex hoc, in mundo magnifice sublimandum gloria temporali.

Diabolus tentavit beatum Franciscum quarto erroribus. Nonne beatus Franciscus errabat intelligendo temporaliter circa ipsum fieri, quod Deus spiritualiter intelligebat? Beatus Franciscus militiae spiritualis caput esse debebat, non carnalis, et spirituales milites habere debebat, non carnales, *cum arma nostrae militiae non sint carnalia* [2], sed spiritualia. Verum, quia Spiritus sancti unctionem, quae *docet omnia* [3], nondum receperat, non mirum, si instinctu maligni errore sic laberetur, ut videlicet militiam temporalem percipere se crederet et ad obtinendum prosequeretur ad posse. Ut enim obtineret militiam, in Apuliam ire deliberavit, tantaque laetitia repletus est visione divina, ad bonum prosperitatis temporalis ipsam credens dirigi, ut multis mirantibus et quaerentibus, unde sibi tanta inesset laetitia, responderet dicens: « Scio me magnum principem affuturum »; unde iter arripiens, necessariis habitis pro militia consequenda, Spoletum devenit, ubi post cogitationem tam de itinere incepto perficiendo quam de optato fine adipiscendo, sopori deditus, a summa luce visitatur

(*a*) As et edd. addunt *valde vanus*. — (*b*) As *quo*.

[1] *Leg. 3 soc.* n. 2 et 7. — [2] II Cor. 10, 4 — [3] Ioan. 14, 26.

Christo; et de mente errorem abiiciens Franciscum impetit, quo pergat. Sed Franciscus totum reserans, quod suo vertebatur in pectore, inquit Christus ad eum: « Quis potest tibi melius facere, dominus an servus »? Et cum aisset Franciscus, quod dominus, intulit ipse Christus: « Cur ergo relinquis pro servo dominum et principem pro cliente »? Et errorem abiiciens a Francisco, cum ipse diceret: « Domine, quid me vis facere »? Iesus, lux vera, respondit: « Revertere in terram tuam; quia visio, quam vidisti, spiritualem praefigurat effectum, non humana, sed divina in te dispositione complendum [1] »; quo audito, Franciscus, errore abiecto, Assisium securus reversus et gaudens praestolatur Domini voluntatem.

A diabolo beatus Franciscus persequitur quinto variis ostensionibus, quam arduum foret Domini viam velle ingredi et per eam ambulare. Dum enim Franciscus deditus esset pronitate naturae ad prosequendum mundana, patrem ad hoc impellentem haberet et a bono totaliter retrahentem, socios solatiis et iocis et aliis viis provocantes ad vana sequenda, nullumque haberet, qui eum ad bonum propelleret, nisi Christum, qui nondum plene se eidem expresserat, hinc est, quod summa cum difficultate Franciscus bonum peragere poterat; et potius ad dimittendum aggressam viam Domini, ubi coepisset, quam ad prosequendum praefatis viis suggestione diabolica impellebatur; quibus per tempus commotus Franciscus, viam non prosecutus spiritus sed mundi, stetit, quoadusque visitatus ex alto, vetera abiiciens et quae retro sunt, ad nova et anteriora spiritus se extendit. Ipso denique a Spoleto reverso, post dies paucos sero quodam in dominum electus a sociis, et coena, sua dispositione, affluentissime praeparata, ac ipso refecto cum sociis, non dat pro impensis Christo gloriam, sed per civitatem eum sociis praecedentibus, decantando cum baculo, ut dominus eos subsequitur vanus vir Franciscus. Verum cum talia perageret ignoranter, a Domino visitatur, et quod mundana gaudia nihil sunt, superinfusa dulcedine eius cordi, Dominus ei expressit; qua dulcedine non solum in virum mutatur alterum, sed sensu, motu privatur et lingua, ut nihil aliud sentire vel audire nisi dulcedinem illam valeret, et, sicut postea ipse retulit, si totus fuisset incisus, se de loco illo movere non potuisset [2].

Aggressus est diabolus beatum Franciscum sexto terroribus, eumque iuxta posse, postquam Christi coepit scandere viam et mundana dimittere, revocare conatur; nam cum ad quandam cryptam ad orandum pergeret, ut eum Dominus dirigeret in agendis, hostis antiquus, ut eum a bono proposito revocaret, timorem incussit pariter et horrorem; apparens enim visibiliter cuiusdam mulieris gibbosae deformiter in civitate exsistentis Assisii memoriam ei impressit, comminans gibbositatem illius mulieris in ipsum iactare, nisi a concepto proposito resiliret; sed ipse miles Christi iam factus, minas diaboli parvipendens intra dictam cryptam devote orando, ut eum Dominus dirigeret, permansit [3].

Diabolus beatum Franciscum alio modo aggressus est, videlicet septimo dubietatibus et distractionibus. Non est possibile pedem tenentibus in mundanis, quae sunt Dei, tota mente in eis perfici nec ab eis; multa enim et varia occurrunt, et se in portu positos in medio maris tumultuum et distractionum se inveniunt pro-

---

[1] Bonav. *Leg. maior*, c. 1 n. 3; cfr. *Leg. 3 soc.* n. 6. — [2] *Leg. 3 soc.* n. 7. — [3] *Leg. 3 soc.* n. 12; cfr. II Cel. 1, 5.

iectos. Beatus enim Franciscus, etsi gustato spiritu plura perageret perfectionis, quia [nondum] (*a*) mundum totaliter dimiserat, hinc est, quod distractionibus multis distrahebatur. Si bonum agere volebat, impellentem aut consulentem ad hoc non habebat, sed ad oppositum; quare non tota mente complexabatur Altissimum, et multoties timori terreno cor eius subiiciebatur. Nonne haesitare visus est beatus Franciscus, dum post allocutionem divinam sibi factam in Spoleto de via Domini assumenda, cum (*b*) se scenis daret et iocis, praeferebat pravum bono, et, quae erant spiritus, submittebat appetitui sensuali? Nonne ipse post venditionem pannorum, ut ecclesiam sancti Damiani repararet, dum patris et parentum eum persequentium minas audivit, terrore concussus, nec suffisus de divino auxilio, latebram fovet? Quare minis, terroribus et distractionibus, ut nesciret quid ageret, ab hoste fuit impetitus. Verum quia Dominus suae consolationis et illuminationis radiis iam eius scintillaverat mentem, etsi pro tunc non perpenderet, distractionibus sepositis, et melius decernens servire Altissimo quam mundo, timore et dubietate abiectis, de fovea exit et civitatem constanter intravit. Temporis in processu in tanta tentatione eum posuit diabolus, subtrahente Domino solitas consolationes, ut se derelictum haesitaret a Christo.

Octavo diabolus beatum Franciscum aggressus est importunitatibus. Nonne diabolus erat importunus beato Francisco, cum patrem eius et parentes assidue induceret, ut beatum Franciscum revocarent ad vomitum, non (*c*) semel, bis vel ter, sed continue, non verbis solum, sed minis, vinculis et verberibus? Haec pugna, quia assidua, ceteris praecedentibus validior fuit, etsi a beato Francisco gratia freto divina sit superata, abnegatis parentibus et mundo coram episcopo, et Christo prorsus innixus.

Nono aggressus est beatum Franciscum subitis agitationibus. Multoties enim creditur diabolum ab homine abscessisse, qui semper est praesens, ut, dum non sic creditur, cum mens torpescat, eam subito et improvise ipse hostis aggrediatur. Quod in parte beato Francisco semel evenit inter alia, cum nocte quadam propter infirmitatem capitis et oculorum praeter solitum morem cervical de pluma positum haberet ad caput, statim diabolus ipsum intrans usque ad matutinum inquietatum multimode, a sanctae orationis studio perturbavit, sed socio vocato pulvinar cum daemonio extra cellam fecit exportari, quo deferente, statim membrorum omnium vires amisit, quousque ad vocem beati Francisci hoc cognoscentis in spiritu vigor pristinus cordis et corporis fuit eidem plenarie restitutus [1].

Aggressus est aliquando beatum Franciscum hostis decimo occultis perturbationibus. Diabolus aliquando non per se inquietat sanctos, sed per alios fieri hoc procurat. Beato Francisco exsistenti saeculari persecutiones paravit per socios, qui videntes, eum suum consortium dimisisse, et fatuum eum putantes luto et lapidibus impetierunt. Facto iam denique perfecto, occultius insidiatur per mulieres; dum ad soldanum ivisset, ad peccandum a muliere saracena invitatur; sic et imperatoris, satellitis diaboli, iussu femina inclusa cum beato Francisco in camera, beatus Franciscus inquietationibus diaboli conturbatus declaratur; de quibus suis in locis dicetur inferius.

(*a*) Codex om. *nondum* — (*b*) As *ut*. — (*c*) As *ut*.

[1] II Cel. 3, 10; *Speculum* cit. c. 98.

Beatus Franciscus aggressus est undecimo fraude et deceptionibus; et hoc sibi exhibuit, dum in eremo de Sartiano beatus Franciscus habitaret. Ibi enim, dum vacaret orationi, ter a diabolo « Francisce, Francisce, Francisce » inclamatur, cui cum, quid quaereret, respondisset, fraudulenter et fallaciter subiunxit ille: « Nullus est in mundo peccator, cui, si conversus fuerit, non indulgeat [Deus]; sed, qui se poenitentia dura necaverit, misericordiam non inveniet in aeternum »; cuius fallaciam vir Dei per revelationem cognovit; et quid eum vellet peragere, eventus sequens ostendit; nam vehemens eum carnis apprehendit tentatio; quam ut praesensit ipse sanctus castitatis amator, deposita veste et chorda (*a*) coepit se verberare fortissime, et in nivem magnam demergens corpusculum iam nudatum per poenas corporis incendium exstinxit libidinis [1]; quo et tentator statim abscessit; et tale quid nunquam persensit in posterum.

Duodecimo transfigurationibus beatum Franciscum diabolus conatus est tentare; et quia, quod membris fit, capiti inferri dignoscitur, praesertim capite quod fit membris agnoscente. Licet enim beatus Franciscus diabolum nunquam viderit in angeli lucis speciem transfiguratum, ut de eo legatur, nisi velimus dicere eidem in forma alia quam sit sua frequenter apparuisse, attamen, quia fratri Rufino, quem beatus Franciscus ut filium et se diligebat, diabolus in forma Christi apparere multoties praesumsit, ut eum ab inceptis inflecteret, de quo dicetur fructu et conformitate XXI, et beato Francisco non latuit, immo omnia vidit, et ipsum a deceptionibus diaboli liberavit, sibi id factum potest dici.

Sic ergo modis et viis praefatis ut draco diabolus beatum Franciscum aggrediens ab eo est victus tandem et superatus.

2. Et non solum ut draco beatum Franciscum diabolus impetiit, sed etiam ut leo, tam ipsum quam eidem fratres adhaerentes, sicut in fructu et conformitate sequenti patebit de pluribus fratribus a diabolo impetitis, qui ipsum viriliter superarunt. Volens igitur hostis antiquus beatum Franciscum aggredi ut leo, vexare eum coepit primo temporalibus afflictionibus. Si loquimur de statu eius in saeculo, hostis antiqui factum est operatione, ut ipse beatus Franciscus saecularis exsistens a Perusinis caperetur et per annum in custodia affligeretur. Suggestione diaboli factum est, ut a patre verberaretur, stringeretur loris et vincularetur. Instigatione inimici actum est, ut Franciscus a sociis luto et lapidibus impeteretur. Agitatione eiusdem daemonis peractum est, ut beatus Franciscus et sibi fratres in principio adhaerentes tam a saecularibus affligerentur quam a praelatis vilificarentur, fame cruciarentur et aliis incommodis vexarentur. Et cum « mali omnes sint, stante eorum malitia, diaboli membra », prout dicit beatus Gregorius [2], et si mali christiani, multo fortius infideles saraceni, beatus Franciscus ab ipsis tormentatus et multipliciter afflictus est in accessu ad soldanum; sub isto modo hostis diaboli tentatione est probatus (*b*).

Vexatus est a diabolo beatus Franciscus secundo modo carnis flagellationibus. A domino cardinali Leone sanctae Crucis sibi devotissimo invitatus beatus Franciscus, ut in urbe secum aliquantulum moraretur, et acquievisset; et cum post orationem quiescere vellet, superveniunt daemones in ipsum atrociter insurgentes; quem, diu

(*a*) As om. *et chorda.* — (*b*) As *est tentatione liberatus probatus.*

[1] II Cel. 3, 59. — [2] III Moral. c. 16 n. 29 (P. L. 75, 614).

cum verberassent ac dure, ad ultimum quasi seminecem reliquerunt; qui talibus subactus flagellis, valefaciens cardinali abscessit [1]; sic beatus Franciscus a daemonibus exstitit flagellatus (*a*).

Tertio bonorum fortunae subtractionibus. Licet enim beatus Franciscus immobiliter paupertatis votum servaverit, attamen socios pie credendum est de divitiis et aliis fuisse a diabolo tentatos sub diversis coloribus; quandoque in communi habere volebant aliquid, quandoque propter supervenientes fratres hospites volebant de rebus intrantium, quod quaedam servarentur, aliquando pauperum intuitu, ut eis posset provideri, diabolus statum paupertatis infringere est conatus; sed semper a beato Francisco est superatus, quia nec in communi nec in proprio, voluit fratres aliquid habere, nec de fratribus intrantibus quidquam reservari, nec pecuniam inventam quocumque colore tangi. Nam per Apuliam transiens (*b*) iuxta Barum dum iret, per viam bursam magnam ipse et socius in itinere positam invenerunt; verum ipse sciens, hoc esse diabolicum figmentum, socio instante, ut bursa ad dandum pauperibus tolleretur, praemonitus, ut caute eam tolleret, dum eam tangit, statim diabolus in specie colubri ab ea egressus et simul cum bursa disparuit [2]. Alius frater, contradicente socio, dum denarium in via repertum ad dandum pauperibus suscipit in ore, per diabolum lingua et membris statim privatus fuit; sed denarium dum ab ore proiicit et poenitentiam peragit, liberatur [3]. Sicque non dubium, quod talium bonorum subtractione, cum esset poenalis, diabolus aliquando filios beati Francisci et fratres tentavit, quae, quia minime ipsum beatum Franciscum latebant, in filiis beatum Franciscum (*c*) hoc modo tentasse potest dici.

Vexatus est beatus Franciscus quarto modo aliorum, quos beatus Franciscus amabat, inquietationibus. Diabolus enim videns beatum Franciscum non posse tentare aut superare, ad fratres tentandos et filios se convertit. Frater Bernardus, ut beatus Franciscus cognovit, a « subtilissimis daemonibus » fuit tentatus (*d*), a quibus, ut liberaretur, beatus Franciscus Christum devotissime exoravit [4]. Frater Rufinus a diabolo tentatus et deceptus per ipsum beatum Franciscum ad lumen veritatis est perductus [5]. Frater Aegidius, ut patebit fructu et conformitate sequenti, a diabolo fuit multipliciter afflictus. Frater Angelus socius beati Francisci, cum a diabolo inquietaretur et ipsum valde timeret, nec vellet propter hoc stare solus, beato Francisco hoc revelante, eidem sanctus mandavit, ut montem altum ascenderet et daemones vocaret dicens: « Superbi daemones, omnes ad me venite, et facite in me quidquid potestis », sed nullo adveniente impavidus deinceps remansit [6]. Tentavit ergo alios patris socios, ut dicetur, et tamen ab eis est victus. Nonne ipse beatus Franciscus vidit totum locum sanctae Mariae de Angelis a daemonibus obsessum, ut fratres tentarent? Qui ad solum unum meditantem (*e*) contra fratrem vindictam unus de praefatis daemonibus est ingressus, quem beatus Franciscus, ut dicetur fructu et conformitate XXI, liberavit [7]. Nonne beato Francisco capitulum generale apud sanctam Mariam de Angelis

(*a*) As om. *Sic-flagellatus* — (*b*) As et edd. *pergens*. — (*c*) As *beati Francisci*. — (*d*) As et edd. *impetitus*. — (*e*) As *unam medietatem*.

[1] II Cel. 3, 61; Bonav. l. c. c. 6 n. 10. — [2] II Cel. 3, 14; Bonav. l. c. c. 7 n. 5. — [3] Cfr. II Cel. 3, 12, ubi non expresse legitur, quod suscepit « in ore ». — [4] Cfr. II Cel. 2, 17 et *Speculum* cit. c. 107. — [5] *Actus* c. 31. — [6] Cfr. infra fr. VIII *De fr. Angelo*. — [7] *Actus* c. 26.

celebrante, in quo ad sex millia fratrum fuerunt, decem et octo millia daemonum congregati sunt in hospitali Parietis, quod est inter sanctam Mariam de Angelis et Assisium, qui contra beatum Franciscum et fratres capitulum et consilium inierunt, quomodo ipsum et ipsos aggrederentur tentationibus? Et cum multi plura dixissent, tandem unus de subtilioribus daemonibus dixit: « Consulo, quod, cum Franciscus et sui sint abstracti a mundi amore et Deum ita ferventer diligentes et corpus affligentes, ideo nihil posset fieri contra eos, quod dimittamus eos modo, et exspectate, donec inter eos intrent iuvenes et senes infirmi cum fervore modico, et tunc impugnabimus eos et paulative reducemus eos ad mundi amorem et sui et divitiarum, et sic habebimus de eis victoriam »; et sic omnes huic consilio adhaeserunt [1]. Utinam non esset hoc consilium in nobis et praedecessoribus adimpletum! Daemones ergo fratres varie tentando, cum tanquam filii diligerentur a beato Francisco, inquietando eos, et beatum Franciscum inquietaverunt.

Quinto modo persecutionibus et specialiter, quae naturaliter quis odit, ingerendo. Duo prae aliis homo amat, videlicet lumen oculorum et quietem; utroque diabolus beatum Franciscum eum insequendo privare est conatus, et hoc specialiter quodam semel. Qui, cum esset in sancto Damiano cum beata Clara, adeo fuit in oculis, divina permittente sapientia, gravi infirmitate percussus, quae, etsi ex fletu eveniat, subito tamen et cum summa molestia factum est diaboli operatione; qui a loco non valens discedere, beato Francisco (*a*) fecit de storiis quandam cellam, ubi cum dicta gravissima infirmitate per dies quadraginta in summo dolore permansit; nec destitit diabolus ex hoc ab eius persecutione, sed in specie murium et rattorum se fingens, eum non permisit in dicta infirmitate quietem aliquam obtinere; quod dum pater Franciscus advertit, et diaboli esse vexationem cognoscens, Deo gratias, quantum valuit, reddidit rogans, ut superadderet, si suae esset placitum voluntati [2].

Sexto continuis agitationibus eum tentavit. Adeo enim diabolus beato Francisco fuit molestus, ut eum sine sui vexatione esse non sineret; et hoc per magnum tempus duravit; et ideo ipse beatus Franciscus dixit: « Si scirent fratres, quot tribulationes faciunt mihi daemones, nullus esset illorum, quin pietatem magnam et compassionem de me (*b*) haberent ». Et ideo hac de causa multoties dicebat sociis, quod non poterat de se satisfacere fratribus et ostendere illis aliquando familiaritatem, sicut fratres desiderabant [3].

Beatum Franciscum diabolus tentavit septimo apparentibus visionibus; non enim aliquando simulata specie apparebat diabolus beato Francisco, sed clara et aperta visione se in proprio esse ad eum terrendum ostendebat. Et quam terribilis sit eius effigies, ipse beatus Franciscus expressit sancto fratri Aegidio, qui, cum a diabolo valde molestaretur, interrogavit beatum Franciscum, si aliquid est ita terribile in mundo, quod homo per [unum] *Pater noster* non posset sustinere. Respondit beatus Franciscus, diabolum esse, quem nullus respiciendo posset sustinere per medium *Pater*

(*a*) As et edd. *beatus Franciscus;* Codex paulo post *sestoriis.* — (*b*) As et edd. add. *non.*

[1] Invenitur in nonnullis codicibus miscellaneis (ex. gr. Cod. 1/184 Coll. S. Isidori de Urbe, cfr. Lemmens, *Documenta antiqua franciscana,* III pag. 71) caput: « Qualiter diaboli fecerunt apud hospitale, quod est inter sanctam Mariam et Assisium, consilium ». Similis relatio habetur apud Eccleston, *De adventu minorum in Angliam,* coll. 13 (Anal. Franc., t. I pag. 245). Cfr. *Chron. XXIV gen.* pag. 27 et 268 ac *Leggenda antica* c. 22. — [2] *Actus* c. 21; cfr. *Speculum* cit. c. 100. — [3] *Speculum* cit. c. 99.

noster, donec diceretur, quin statim moreretur, nisi Domini subsidio adiuvaretur [1]; videbat eum, ut dictum est, multoties, quare et quam terribilis esset, explicabat.

Octavo modo diabolus beatum Franciscum ut leo aggressus est multis impetitionibus; nam, ut dicit dominus frater Bonaventura in X parte *Legendae maioris* [2], multoties orando « horribiles pugnas daemonum frequenter sustinuit, qui secum sensibiliter confligentes manu ad manum, nitebantur ipsum ab orationis studio perturbare. Ipse vero armis munitus caelestibus, quanto vehementius impetebatur ab hostibus, tanto fortior in virtute et ferventior reddebatur in prece, fidenter dicens ad Christum [3]: *Sub umbra alarum tuarum protege me, a facie impiorum, qui me afflixerunt;* ad daemones autem: ‚Facite in me, quidquid valetis, maligni spiritus et fallaces; non enim potestis nisi quantum vos manus superna relaxat, et ego ad perferendum omnia, quae illa decreverit infligenda, cum omni iucunditate paratus assisto'. Quam mentis constantiam superbi daemones non ferentes, abscedebant confusi ». In ecclesia sancti Petri de Bovario prope Trevium emisso socio, cum, dicto completorio et aliis orationibus peractis, vellet quiescere, non potuit; spiritus autem eius incepit timere et corpus tremere ac sentire diabolicas suggestiones, et signans se statim exivit de ecclesia dicens: « Ex parte Domini Dei omnipotentis dico vobis, daemones, ut exerceatis circa corpus meum, quod datum vobis fuerit a Domino Iesu Christo, quoniam paratus sum ad omnia sustinenda; cum enim maior inimicus, quem habeam, sit corpus meum, vindicabitis me de adversario meo et pessimo inimico »; et statim suggestiones illae cessaverunt, et ipse ad locum reversus, ubi iacebat, dormivit in pace [4].

Diabolus beatum Franciscum aggressus est nono modo, scilicet malis informationibus. Nam, ut dictum est, tentationem carnis in eremo de Sartiano eidem immisit, quam divina gratia superavit. Alia vice in loco sanctae Mariae de Portiuncula, ut non ageret poenitentiam, dissuasit; videlicet, cum beatus Franciscus oraret in cella et Domini passionem ploraret, diabolus apparens eum increpavit de nimia poenitentia, quam faciebat, dicens ei: « Nescis, quod dormire est corporis potissimum alimentum? tu iuvenis es, et, ut alias tibi dixi in quadam ecclesia, quae vocatur Quatuor capellae de comitatu Tuderti, quod aliter facere poteris poenitentiam de peccatis tuis; ad quid ergo te affligis in vigiliis et orationibus »? Statim beatus Franciscus tunica exuta et femoralibus, de cella exiens ad silvam prope ecclesiam exsistentem sic nudus, cum frigus esset et nives et glacies, accessit, quam per clausam sepem intrans et spinosam se in dicta sepe et silva spinis plena volvendo (*a*), in corpore spinarum puncturis cruentatus fuit, dicens: « Melius est mihi, quod sic agnoscam Domini passionem, quam ut obtemperem blanditiis deceptoris ». Ad quod est secutum, quod silva statim, cum esset nox, divina claritate est perfusa; beatus Franciscus veste ab angelis praeparata nova fuit indutus, et ad Christum et ad Virginem exsistentes in ecclesia sanctae Mariae praefata accedens, indulgentiam, quae nunc est in dicta ecclesia, impetravit [5]. Et non solum talibus informationibus malis, sed multis aliis beatum Franciscum superare est conatus, ut in sequentibus apparebit.

Decimo conatus est diabolus superare beatum Franciscum delectationibus quoad gustum, videlicet, quando ibat per mundum et recipiebatur sumptuose quoad

(*a*) As et edd. *volutando*.

[1] Cfr. *Vita B. Aegidii* in *Doc. ant. franc.* t. I pag. 45 et *Chron. 24 gen.* pag. 96. — [2] N. 3. — [3] Ps. 16, 8 sq. — [4] *Speculum* cit. c. 59; cfr. II Cel. 3, 63. — [5] Bartholi c. 8.

cibaria; sic praeparabat laqueum quoad gustus delectationem. Sed beatus Franciscus, etsi parcissimus in cibo fuerit et potu, ut dicetur infra, tamen « propter verbum evangelii se conformabat suscipientibus in qualitate ciborum », sed sic manducabat, ut « non solum abstinendo, sed etiam manducando, praebebat aedificationis exemplum », ut dicit V pars *Legendae maioris*[1]. Et quoad honorem et famam, quia ubique honorabatur, per totum orbem fama ibat suae sanctitatis; attamen nec honore fuit aliquando elatus, nec fama delectatus, immo de opposito, ut superius in aliis fructibus est dictum. Etiam diabolus delectatione carnali conatus est eum titillare, ut dictum est[2], in duabus mulieribus ipsum ad turpia invitantibus, quas castitatis amator ad vitam sanctam convertit. Divitiarum (*a*) delectationibus etiam propulsare eum diabolus voluit, quando ei per soldanum munera offerri fecit, quae beatus Franciscus ut stercora vilipendit[3]. De statu et praelatione, in quibus nonnulli delectantur, eum voluit hostis inquietare, ut ipso delectaretur; quod humilitatis ipse amator ut perpendit, quia in praelatione casus esse poterat, officio praelationis renuntiavit, subditus malens vivere quam praelatus. Et sic de aliis viis et modis, quibus homines delectantur et talium delectatione a diabolo illaqueantur.

Undecimo beatum Franciscum conatus est diabolus superare oppressionibus. Diabolus, videns, quod beatum Franciscum superare non valebat modis iam dictis, eum opprimere et occidere est conatus; nam in monte Alvernae dum oraret, in quadam praerupta montis, sub qua erat praecipitium magnum, diabolus arripuit eum, ut per devexitatem illam eum iactaret, de quo certe fuisset mortuus, nisi divina gratia esset adiutus; beatus Franciscus manus ad saxum extendit, et lapis, ut apparet hodie cernentibus, ut cera digitis beati Francisci cessit et manibus, et sic Domini auxilio invocato, et ad lapidem fortiter se tenendo, casum evasit inimici[4].

Duodecimo et ultimo beatus Franciscus aggressus desperationibus est. Quando, divina sapientia permittente, per plures menses stetit, ut dictum est supra[5], tanta hostis vexatione tentatus, ut, si oraret et alia ageret, quia non visitabatur a Domino, quod se a Domino derelictum reputaret; sed tandem edoctus a Domino, ut haberet fidem grani sinapis, montem, id est tentationem, Domino faciente, a se propulsavit. Diabolus etiam eum ad summum dolorem conatus est deducere, et hoc malis exemplis fratrum, quibus beati Francisci viscera transforabat (*b*); et haec omnia hostis agebat, ut quem in se superare nequibat, turbatione de aliis obtineret.

Sic ergo patet, quot modis et quomodo Franciscus ad instar Domini Iesu Christi molestatus fuit ab hoste, nec victus ab eo, sed Christi gratia ab eius tentationibus liberatus et praeservatus fuit. Et quia viriliter se habuit contra hostem diabolum, Christus beatum Franciscum, ut Antonium abbatem, nunquam deseruit, et per orbem eius nomen celebre effecit. Sed propter quae exsistentia in beato Francisco ipse pater beatus a diabolo non est victus, immo hostis ab ipso superatus est, dicetur infra fructu XXI et conformitate.

Et sic patet breviter secunda pars istius VII fructus et conformitatis declarata, videlicet: *Franciscus molestatur*.

(*a*) As *Deliciarum*. — (*b*) As et edd. *transfodiebat*.

---

[1] N. 1. — [2] Pag. 159. — [3] Bonav. l. c. c. 9 n. 8. — [4] De quo fusius loquuntur *Fioretti di Santo Francesco* in *secunda consideratione de sacris stigmatibus* (ed. Cesari pag. 191, ed. Manzoni pag. 184). — [5] Pag. 123.

OCTAVUS FRUCTUS ET CONFORMITAS:
Iesum Coetus Prosequitur — Franciscus Fecundatur.

Expositio primae partis, videlicet: **Iesum coetus prosequitur.**

1. Dominus noster Iesus Christus, cum sit Deus et homo, ac consequenter omnia continens et donans, quibus homines alium seu alios prosequuntur et imitantur tam temporaliter et corporaliter quam spiritualiter, utpote ipse salus et medicina, quare infirmi; lux et candor (*a*), quare ignorantes [1]; *in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae Dei absconditi,* quare sapientes; dives innumera (*b*) omnibus dans affluenter, quare pauperes et indigentes; ipse *Dominus virtutum,* quare sancti et iusti; via post eum errantes, iudicantes, quia veritas, vita, quare deficientes; misericordia, quare peccatores, et sic de aliis eius conditionibus, ab omnibus rationabiliter debet prosequi et imitari. Et si fuerit factum, iuxta modum loquendi Iudaeorum Ioan. 12, 19 dicentium: *Totus mundus vadit post ipsum,* tamen erat decentissimum, quod sic fieret, videlicet, quod ut virtuosissimus et sanctissimus ab hominibus sequeretur, non solum a pluribus, sed ab omnibus. Verum, quia facilius doctrina alicuius et actus a paucioribus imitantur et melius capiuntur, quam a pluribus, hinc est, quod Salvator noster non omnes homines mundi voluit habere discipulos, etsi pro omnium venisset salute, sed aliquos specialiter, quibus perfecte informatis de sua doctrina et vita et suis mirabilibus, per ipsos ad alios, velut per imitatores perfectos eiusdem, alii informarentur ac ad prosequendum Domini vestigia inducerentur. Et quod sic sit factum, ostendit Matthaeus in 4 c. sui evangelii et 10, ubi ostendit, Dominum apostolos ad se vocasse sequendum, et specialiter c. 10, ubi ostendit, quod duodecim vocavit ad se sequendum prae aliis, videlicet Petrum et Andream, Iacobum Zebedaei et Ioannem fratrem eius, Philippum et Bartholomaeum, Thomam et Matthaeum, Iacobum Alphaei et Thaddaeum, Simonem et Iudam Iscariotis, cuius loco, Act. 1, 26, electus est Mathias. Hos duodecim principaliter voluit habere discipulos, quos de doctrina et vita ac suis informavit virtutibus; sed post istos, ut dicetur, *designavit alios septuaginta duos,* qui eius fuerunt discipuli, ut habetur Luc. 10, 1, de quibus ad praesens, propter prolixitatem vitandam, nihil dicetur, sed de primis intendo succincte loqui. De quibus loqui volendo est videndum primo, quales fuerunt generaliter, et secundo de quolibet specialiter.

2. Sed ante quoddam dubium est solvendum, etsi pro parte iam patuit eius solutio. Dubium est istud: an Dominus noster Iesus Christus decenter fecit apostolos eligendo et discipulos habere speciales volendo? quia videretur melius fore habere multos quam paucos, et omnes quam speciales aliquos. Respondetur, quod Dominus decentissime fecit, primo volendo habere discipulos; prima ratio, quia, cum esset virtuosissimus, aliquos ipsum, ad instar aliorum, imitatores habere debebat; Pythagoras, Plato, Socrates, Aristoteles, et sic de aliis, et Ioannes Baptista habuerunt discipulos; quare et ipse a fortiori. Secunda ratio est, ad maiorem authenticationem suae vitae et doctrinae ac signorum suorum; quia, si *in ore duorum vel trium stat omne testimonium* [2], multo fortius in ore plurium; quare discipulos habere volebat (*c*).

Secundo plures, id est multos, habere debebat, et non omnes; plures habere debebat in testimonium, ut dictum est; sed quod non omnes, patet ex hoc, quia verba mysterii non omnibus erant propalanda, quia non intelligentibus (*d*) fuissent potius ad errorem quam ad

(*a*) As *lux candens.* — (*b*) As *in misericordia,* edd. *immensus.* — (*c*) As et edd. *debebat.* — (*d*) As *in talibus.*

[1] Col. 2, 3. — [2] Matth. 18, 16.

utilitatem, sicut accidit de quibusdam Christum sequentibus, qui in verbo eius scandalizati sunt et *abierunt retro,* Ioan. 6, 7. Item, vita Christi erat perfectissima; quare non erat facilis ab omnibus prosequenda; Christus ergo elegit aliquos, quos de vita et aliis informavit, per quos de his alii sunt fideliter et veraciter informati; quare non omnes, sed aliquos elegit in discipulos.

Tertio duodecim primo eligendo et postmodum septuaginta duos discipulos. Duodecim discipulos habere voluit Dominus, ut figurae veteris testamenti implerentur, et novum testamentum concordaret cum veteri; decebat enim, ut, quia Christus est pater et Deus, sicut Iacob duodecim filios habuit, Gen. paenultimo, sic et Christus duodecim apostolos; et sicut ipsi duodecim Iacob filii duodecim fuerunt patriarchae populum Dei generantes, sic et ipsi apostoli populum christianum per fidem Christo producentes.

Qui apostoli sunt duodecim fontes aquarum in Elim, Ex. 15, 27, ratione gratiae et Spiritus sancti; duodecim principes multitudinis filiorum Israel, Num. 17, 2, quia principes ipsi sunt populi christiani; duodecim exploratores, Num. 13, 4 sqq., pro terra promissionis, quia totum mundum quaesierunt ad populum ducendum ad terram nobis a Christo promissam, vitam aeternam; duodecim viri lapides tollentes de medio Iordanis, Ios. 4, 2, scilicet ecclesiam catholicam fundantes; duodecim leones ratione fortitudinis, super quos stetit mare, III Reg. 7, 25, id est Christus; duodecim leunculi throni Salomonis, id est Iesu Christi, quia fides catholica tota fuit in eis, II Par. 9, 19; duodecim acetabula argentea, Num. 7, 84, per quae incensum placationis offertur Domino; duodecim horae diei, Ioan. 11, 9, quia ipsi duodecim articulos veri solis, id est de Christo, ordinaverunt; duodecim fundamenta muri civitatis Ierusalem, Apoc. 21, 14, quia ipsam civitatem fide et praedicatione construxerunt; duodecim portae, ibidem 21, 12 et 21, quia ipsis mediantibus introitus ad caelum obtinetur; duodecim lapides pretiosi, quos Christus habet ut summus sacerdos per imitationem in vestimento suo, Ex. 39, 14; duodecim panes, qui Deo offeruntur, Lev. 24, 5, quia ipsis Dei misericordia obtinetur. Multae sunt aliae figurae sanctos ipsos apostolos figurantes, quae clarae sunt intuentibus, apostolorum inspectis conditionibus. Sic ergo Dominus noster Iesus Christus praefatis de causis duodecim habuit apostolos et discipulos prae aliis singulares.

Verum tertio anno suae praedicationis *designavit alios* praeter duodecim apostolos, *septuaginta duos* discipulos, et *misit illos* [1] ad praedicandum, ut, sicut 72 viri a Deo impleti sunt spiritu Moysi ad informandum synagogam [2], sic 72 essent discipuli Domini spiritu pleni ad fundandum et edocendum fideles in catholica ecclesia. Sic ergo apparet praefatis praemissi dubii solutio et succincta.

3. Restat ergo videre quales discipulos Christus voluit habere; et primo loquendo generaliter de omnibus simul, secundo specialiter de quolibet videndo singillatim. Et ad videndum in generali, quales fuerunt sancti apostoli in generali, hoc potest videri, primo, quomodo sunt a Christo et sancto evangelio nuncupati; secundo, quomodo fuerunt in se ordinati; tertio, ad quid sunt per Christum deputati.

Circa primum videndum est, quomodo sunt apostoli a Christo declamati (*a*) et vocati; quibus apparebit, quod ipsi fuerunt homines insignissimi; Christus enim vocavit eos et dixit primo lucem mundi, Matth. 5, 14: *Vos,* inquit Christus apostolis, *estis lux mundi,* quo dixit eos vita exemplarissimos; secundo *sal terrae,* ibidem 5, 13, propter quod dixit eos prudentissimos; tertio civitatem, ibidem 5, 14: *Non potest civitas abscondi supra montem posita,* quo dixit eos tutissimos; quarto lucernam, ibidem 5, 15, quare et luminatissimos (*b*); quinto oves, Matth. 10, 16: *Ego mitto vos sicut oves inter lupos,* et sic mitissimos; sexto

(*a*) As et edd. *declarati.* — (*b*) As et edd. *illuminatissimos.*

[1] Luc. 10, 1. — [2] Num. 11, 16.

Deo acceptos, ibidem, 10, 40: *Qui vos recipit, me recipit,* et sic Deo singularissimos; septimo matrem et fratres, Matth. 12, 49: *Ecce mater mea, et fratres mei,* et sic Deo dilectissimos; octavo *filios nuptiarum,* Marc. 2, 19, et sic electissimos; nono amicos, Ioan. 15, 15: *Vos dixi amicos* etc., et sic de secretis Dei informatissimos; decimo filiolos, Ioan. 13, 33: *Filioli mei* etc., et sic pro regni haereditate deputatos; undecimo discipulos, Ioan. 13, 5: *Coepit lavare pedes discipulorum suorum* etc., et sic sanctissimos; duodecimo mundos, Ioan. 13, 10: *Vos mundi estis* etc., et sic mente purissimos; tertiodecimo orphanos, Ioan. 14, 18: *Non relinquam vos orphanos,* et sic de morte Iesu contristatissimos; quartodecimo palmites, Ioan. 15, 5: *Ego sum vitis, et vos palmites,* et sic opere fructuosissimos; quintodecimo pueros, Ioan. 21, 5: *Pueri, habetis aliquid pulmentarii,* et sic innocentissimos; sextodecimo testes suos, Luc. ultimo, 48, et sic eos prodidit veracissimos. Praefatis nominibus in sacro evangelio apostolos a Christo nominatos invenitur fuisse, quibus, quales essent, ex praefatis nominibus declaratur et ostenditur, et sic patet breviter primum.

Videndum est nunc de secundo, videlicet, quomodo fuerunt ordinati; et hoc potest videri, si consideretur, primo, quales ipsi in se fuerunt, et sic consideranti apparebit, quod ipsi fuerunt, primo mundanorum contemptores, nam relictis omnibus secuti sunt Christum, Matth. 19, 27 [1]; secundo Christi amatores, Rom. 8, 35: *Quis nos separabit a charitate Christi;* et Act. 5, 41: *Ibant apostoli gaudentes a conspectu concilii* etc.; tertio operatores strenui, Act. 5, 12: *Per manus autem apostolorum fiebant signa* etc.; quarto praedicatores fervidi, Act. 4, 20: *Non possumus, quae vidimus et audivimus non loqui* etc., Psalmus 18, 5: *In omnem terram exivit sonus eorum* etc.; quinto diaboli et haeresum expugnatores, nam sub cultura (*a*) Dei totum mundum posuerunt; sexto Domini collectores, Ioan. 4, 3: *Alii seminaverunt, et vos in labores eorum introistis;* septimo populi illustratores, quia *lux mundi* [2], scilicet virtutibus et signis; octavo Christi imitatores praecipui, dicentes Christo, Matth. 19, 27: *Secuti sumus te;* nono contemplatores lucidi, quia viderunt Christi gloriam et ante resurrectionem et post; decimo confirmatores placidi, nam *per impositionem manuum apostolorum Spiritus sanctus dabatur fidelibus,* Act. 8, 18; undecimo fundatores solidi, scilicet fidei, Eph. 2, 20: *Superaedificati supra fundamentum apostolorum et prophetarum* etc.; duodecimo gubernatores saeculi et condemnatores, Luc. 22, 29: *Ego dispono vobis regnum* etc., Matth. 19, 28: *Sedebitis super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israel;* tertiodecimo impetratores omnium, Ioan. 16, 23: *Quidquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis;* quartodecimo conregnatores supernorum, quia *ubi ego sum, et vos sitis,* Ioan. 14, 3. Quibus apparet breviter, quales fuerunt sancti apostoli in se ipsis.

Sed apparet etiam, quales fuerunt apostoli secundo, si considerentur quoad ea, quae ipsi servaverunt; fuerunt enim, ut habetur Matth. 5, 3 sqq., primo *pauperes spiritu,* omnia relinquentes voluntarie; secundo *mites* conversatione; tertio *lugentes,* scilicet miseriam vitae praesentis; quarto *esurientes iustitiam,* eam servantes; quinto *misericordes* aliis compatientes; sexto *mundi corde,* ab omni peccato se custodientes; septimo *pacifici,* pacem habentes et procurantes; octavo persecutionem sustinentes summa patientia, omnia consilia Domini Iesu et mandata custodientes; ipsi enim secuti sunt Christum et corporis gressu et virtutum Christi observantia speciali, ut patet cuilibet vitam et mores eorum in evangelio expressos intuenti. Ex quibus, quales sancti apostoli fuerunt, evidenter declaratur, et sic patet secundum.

Tertium, quod ostendit, quales sancti apostoli fuerunt, est, si consideretur, quid Christus eis fecit. Ipse enim Salvator sanctos apostolos suos primo vocavit ad statum perfectionis et summae dignitatis, scilicet apostolatus, non in servos, sed socios et amicos, qui status est summae perfectionis; secundo liberavit eos ab omni macula mundanae pravitatis; omnia enim

(*a*) As et ed. 1 *cultum.*

[1] Ad litteram Luc. 5, 11. — [2] Matth. 5, 14.

dimiserunt, quae sunt mundi, Matth. 19, 27; tertio illustravit doctrina salutari, Matth. 21, 23 [1]: *Docebat eos quotidie de regno Dei*, et Ioan. 15, 15: *Omnia, quae audivi a Patre meo, nota feci vobis;* quarto auctorizavit potestate singulari; nam *dedit eis potestatem* calcandi *super omnia daemonia, et ut languores curarent,* ad dimittendum peccata potestatem tradidit, Ioan. 20, 23; quinto mirificavit signis, virtute speciali, cum *in nomine Iesu daemonia* eis subiiciebantur, et infirmitates curabant, Marc. 16, 17; sexto adornavit sanctitate divinali Spiritu sancto eos replendo, Ioan. 20, 22 et Act. 2, 4; septimo divulgavit eloquio virtuali: *In omnem terram sonus* praedicationis *eorum exivit* [2]; octavo ordinavit in sacerdotes, et dispensandum eis tribuit sui Corporis et Sanguinis sacramentum, Luc. 22, 19: *Hoc facite in meam commemorationem;* nono meritis sublimavit, ipsos ponendo ecclesiae fundamentum; plantaverunt enim ecclesiam sanguine suo; decimo gloriam suam eis reseravit et in morte et in resurrectione, ut patet Ioan. 20, 19 sqq.; undecimo in caelis collocavit spe et promissione, Matth. 19, 29: *Vitam aeternam possidebitis;* duodecimo iudices omnium delegavit, Matth. 19, 28: *Cum sederit Filius hominis in sede maiestatis suae, sedebitis et vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel.* Multa alia Dominus Iesus suis fecit discipulis, sed praedicta sufficiant pro praesenti. Sic ergo iam dictis apparet, quales fuerunt discipuli et apostoli Domini Iesu tribus viis praefatis, et in generali.

4. Restat ergo dicendum de eis in speciali et succincte propter operis prolixitatem vitandam, et tractandum est de eis secundum ordinem, quo nominantur Matth. 10, 2 sqq., ut dictum est supra.

Primus in ordine est beatus Petrus, qui, qualis fuerit, patet ex scriptura divina, scilicet evangelio et apostolorum Actibus; fuit enim primo promptus mundanorum abdicator, Matth. 4, 18 sqq.: *Vidit Iesus Petrum et Andream et vocavit eos,* et statim, *relictis retibus, secuti sunt eum.* Secundo sui verus abnegator, Iesu volente eius pedes lavare, Ioan. 13, 6 et 9: *Domine, tu mihi lavas pedes* etc.; ecce sui abiectio et humilitas; sed non suam, sed Domini voluntatem velle peragere ostendit, dicens: *Domine, non tantum pedes, sed et manus et caput.* Tertio mandatorum Christi executor; patet primo in sui vocatione, statim vocatus a Christo, omnibus dimissis, post eum ivit; in missione (*a*) ipsius ad mare pro statere exsistente in ore piscis, Matth. 17, 26; quando dixit Domino, Matth. 14, 28: *Si tu es Domine, iube me venire ad te super aquas;* insuper ad Christi praeceptum, Luc. 5, 5, cum laborasset per totam noctem, laxavit rete. Quarto fervidus Christi amator, quem amorem ad Christum ostendit: primo omnia relinquendo; secundo Christum mori nolendo, Matth. 16, 22; tertio a Christo nullo modo recedendo, cum alii aliquando recessissent, Ioan. 6, 69, dixit: *Domine, ad quem ibimus* etc.; quarto, quando paratus erat, ut animam pro Christo poneret, Matth. 16, 35; quinto, quando eius nimio amore Christum secutus usque in atrium pontificis Iudaeorum, non recordabatur de eo, quod sibi Christus praedixerat, futurum, scilicet de sui negatione; sexto, quando audita eius resurrectione ivit ad monumentum currendo, Ioan. 20, 3 sq., Luc. 24, 12; septimo, quando Christo apparente in littore se nudavit, ut ad ipsum veniret, Ioan. 21, 7; octavo, quando ter a Christo interrogatus, si eum diligeret, quod sic, respondit, Ioan. 21, 15. Verum, quia se diligentes Christus diligit, et ipsum Petrum amasse Christus ostendit: primo ad sui discipulatum admittendo; secundo suum nomen ei communicando et concedendo, quia petra est Christus, a petra Petrus, id est a Christo, est dictus; tertio ceteris apostolis praeficiendo; quarto de interrogatis a Petro respondendo et aperiendo veritatem, ut infra patebit; quinto ad sua secreta admittendo et adducendo, ut patuit in suscitatione puellae, transfiguratione in monte, et oratione in horto; sexto suam gloriam in monte osten-

(*a*) As et edd. *imitatione.*

[1] Potius c. 26, 55. — [2] Ps. 18, 5.

dendo; septimo operandi mira potestatem ei tribuendo; octavo tempore negationis eum respiciendo; nono tempore resurrectionis ei specialiter apparendo; decimo suum populum et oves ad custodiam committendo, Ioan. ultimo, 15 sqq. Et sic patet Petrum a Christo dilectum. Quinto verus testificator, Matth. 16, 13 sqq.; cum Iesus quaereret, quem eum homines dicerent, et quem (a) ipsi, respondit Petrus: *Tu es Christus, filius Dei vivi* etc. Sexto divinorum aspectator, quando, Matth. 17, 1 sq., *duxit* eum cum Ioanne et Iacobo Iesus *in montem, et transfiguratus est ante illos* etc. Septimo Christi perfectus imitator; ideo dixit Christo, Matth. 19, 27: *Secuti sumus te* etc., et Ioan. 21, 19 dixit Iesus Petro: *Sequere me,* et surgens secutus est eum etc. Octavo arcanorum indagator beatus Petrus prae aliis Christum audacter (b) interrogabat, ut fructu XII dicetur et conformitate. Nono donorum receptator, Spiritu sancto fuit repletus, Act. 2, 4. Decimo magnus praedicator; nam praedicatione sua tria millia convertit, et multos alios per orbem et Romae, patet Act. 2, 41. Undecimo gratus informator, patet in suis epistolis, quae profunditate et discretissima informatione sunt plenae. Duodecimo acceptus exorator; nam libenter orabat, *ascendit in templum ad orandum,* Act. 3, 1, et facta oratione fuit in ecstasi, Act. 10, 10. Tertiodecimo efficax operator, patet, quia eius umbra sanabat infirmos, et mortuos plures ipse suscitavit. Quartodecimo ecclesiae gubernator, quia *super hanc petram* Christus ecclesiam suam aedificavit, Matth. 16, 18; quia ipse pastor est ovium et summus pontifex; quo declaratus est, quod ipse fuit homo summae fidelitatis, mirae stabilitatis, apertae (c) affabilitatis, magnae sanctitatis, rectae aequitatis, sanctae exemplaritatis, dignae auctoritatis, clarae veritatis, verae honestatis, poenitentiae et austeritatis, prudentiae et sagacitatis, clementiae et charitatis; quae omnia vero pastori debent inesse, quae perfecte fuere in beato Petro. Quintodecimo patientiae demonstrator; quando capite verso ad terram voluit crucifigi et mori. Quibus apparet beati Petri vitae excellentia et sanctitatis.

Secundus in ordine ponitur beatus apostolus Andreas, qui qualis fuerit, et evangelista et eius legenda [1] declarant. Hic apostolus Andreas fuit primo boni indagator; nam fuit ipse primo Ioannis Baptistae discipulus, et post Domini Salvatoris. Secundo, quae sunt sanctitatis executor; nam audito a Ioanne de Iesu, quod esset *Agnus Dei* etc., ad Iesum ivit et per totam diem secum stetit. Tertio Domini receptator; nam in navi eius et Petri Iesus stetit, Luc. 5, 3, et ceperunt *piscium multitudinem.* Quarto mundi execrator; vocatus a Christo, omnibus relictis, secutus est eum, Matth. 4, 20. Quinto aliorum ad bonum evocator; nam fratrem suum Petrum ad Christum adduxit, Ioan. 1, 42. Sexto mirorum contemplator in deserto, quando Dominus *de quinque panibus satiavit quinque millia hominum* [2], Andreas dixit, puerum dictos panes habere etc. Septimo verorum demonstrator; Aegeae rationibus pulcherrimis ostendit Christum voluntarie passum et crucis subire debuisse patibulum. Octavo gratus perorator; sua eloquentia totam Achaiam convertit ad Dominum. Nono signorum operator; in vita, ut dicit eius legenda, miracula multa et signa operatus est. Decimo habuit animi constantiam; nam Aegeae dicenti sibi, quod crucis ferre supplicium eum cogeret, respondit: « Si crucis patibulum expavescerem, crucis gloriam non praedicarem [3] ». Undecimo in eo fuit passionis tolerantia; fuit enim primo a viginti hominibus caesus, et demum crucifixus. Duodecimo de crucifixione habuit complacentiam; patet, quia crucem salutavit, crucis se amatorem semper fuisse declaravit, a cruce noluit removeri, in cruce mori voluit et de cruce ad Deum ire. Quibus succincte patet, qualis fuerit beatus Andreas Christi discipulus.

(a) As et edd. *quid.* — (b) As om. *audacter.* — (c) As et edd. *aptae.*

---

[1] Quae hic et locis sequentibus citantur ex *legenda,* inveniuntur praeprimis in libro apocrypho *De historia certaminis apostolici libri X,* quem attribuerunt « Abdiae Babyloniae primo episcopo ». — [2] Matth. 14, 19 sq.; Marc. 6, 41 sq.; Luc. 9, 16 sq.; Ioan. 6, 9. — [3] Cfr. vitam S. Andreae, quae habetur apud Surium ad 30 nov., n. 4.

Tertius apostolus et discipulus Domini in ordine ponitur Iacobus Zebedaei, qui Iacobus maior vocatur, qui, qualis fuerit, patere potest ex his; quia ipse fuit primo Deo obedientissimus; vocatus a Christo, statim patrem et omnia reliquit, Matth. 4, 22. Secundo voluntarie pauperrimus; nam bona omnia tam naturae, scilicet patrem et matrem, quam fortunae dimisit, et pauperrimus est effectus, Matth. 4, 22 et 19, 27. Tertio Christi amantissimus; pro cuius amore patrem reliquit et matrem et omnia, et ipsi soli adhaesit. Quarto Dei honoris zelantissimus; quia Samaritani Iesum non recipiebant, volebat, quod comburerentur igne divino. Quinto Christo fidelissimus; cui, ut sibi fidelissimo, Christus ostendit suam gloriam in monte, Matth. 17, 2; hunc admisit in puellae suscitatione et in oratione in horto. Sexto ad passionem pro Christo suscipiendam paratissimus; Matth. 20, 22, dicto ei a Christo: *Potestis bibere calicem* etc., respondit: *Possumus* etc. Septimo in morte suscipienda (*a*) constantissimus, quia decapitatus. Octavo in multis invenitur singularissimus: primo, quia fuit primus martyr de apostolis; secundo primus regnum caelorum de apostolis intravit; tertio statum et praemium apostolorum in caelo ipse primus accepit; quarto primus reddens vices Christo, fuit pro ipso moriendo; quinto primus, qui dictum Christi verificavit dicentis, Matth. 23, 34: *Mittam ad vos prophetas* etc., sequitur: *et ex illis occidetis* etc.; sexto primus, qui in Ierusalem pro fide est mortuus de apostolis; septimo, cuius martyrium est celebrius, loco considerato; octavo primus, qui triplicem in caelo coronam habuit, scilicet martyrii, castitatis et doctrinae; nono a Christo in caelo primus susceptus; decimo primus beatificatus; undecimo in caelo [primus] canonizatus; duodecimo prae aliis apostolis exaltatus, iuxta dictum Christi, Matth. 11, 11: *Qui minor est in regno caelorum, maior est ipso.* Nono est cunctis gratiosus, quia omnibus subvenit ad eum recurrentibus; ipse primo enim ab infidelitate liberat et ducit ad fidelitatem, patet de regina Lupa et eius viro; secundo discipulos eius corpus deferentes incolumes reservavit; tertio deditos diaboli servitio eripuit, patet de Phileto et Hermogene; quarto suspensis opem impendit, patuit de filio peregrini etc.; quinto vinculatos absolvit, patet de illo, qui erat in fundo turris etc.; sexto mortuos suscitavit, patet de illo, qui se diabolo decipiente occidit; septimo a sententia aeterna custodivit quendam militem; octavo famelicis subvenit, cuidam deficienti fame panem subcinericium dando; nono aliquos, ne possent capi, custodivit; decimo traditos incendio liberando, ut patuit de illo, qui missus fuit in ignem, quia in segetem posuerat etc., et sic de aliis, quibus assidue beneficia porrigit, et praestat; undecimo est toti mundo radiosus, patet, quia iter ad sancti Iacobi sepulchrum notum est omnibus christianis. Quibus iam dictis apparet, qualis fuerit hic apostolus Iacobus, omnibus evidenter.

Quartus apostolus et discipulus est Ioannes evangelista; cuius sanctitatis fuerit et excellentiae, apparere poterit, si eius esse consideretur, et quomodo fuerit dilectus a Christo. Cum enim ipse beatus Ioannes se pluribus in locis asserat a Christo dilectum, videndo, quomodo fuerit, apparebit, quam excellentissimus fuerit sanctitate. Dominus Iesus ad beatum Ioannem plura signa ostendit dilectionis, et modis pluribus: et primo vocando eum ad statum summae perfectionis, Matth. 4, 21; vocavit enim eum ad statum apostolicum, qui est status perfectus, et haec vocatio fuit in iuventute; et tunc beatus Ioannes bona naturae, scilicet patrem, reliquit et bona fortunae, ut patet Matth. 4, 22. Secundo praeservando eum ab actu dirae infectionis, scilicet incontinentiae; quia volentem nubere secundum Hieronymum ad se vocavit [1]. Tertio admittendo ad secreta suae cognitionis, in suscitatione puellae, in transfiguratione, in oratione in horto, et ad eius nuptias personaliter assistendo. Quarto ipsius

(*a*) As et edd. *sustinenda*.

[1] Potius Beda, *Expos. evang. Ioan.* in initio (P. L. 92, 633; cfr. S. Bonav., *Opera omnia* (edit. Quaracchi) t. VI pag. 245 not. 2).

petitionem acceptando; patet, quando interrogavit Christum de suo proditore in coena et Christus respondit etc. Quinto super ipsius pectus in coena recumbendo et reclinando, unde fluenta evangelii, ut cantat ecclesia, traxit et hausit. Sexto suam Matrem in cruce commendando; unde sciendum est, secundum Hieronymum in sermone de assumtione: *Cogitis me*, factus est Ioannes filius Virginis, commendatione tali facta de Ioanne Virgini Mariae [1]. Sed quomodo? Dicit « cura adoptionis » ; fuit ergo non filius naturalis, sed adoptivus ipsius Mariae. — Sed tunc est dubium: cum per baptismum et gratiam simus nos omnes filii Dei adoptivi, quomodo adoptio nostra differt ab adoptione Ioannis Mariae? Respondetur, quod est valde distincta, et hoc: primo per respectum ad Christum, cum extra se nihil carius et diligibilius (*a*) haberet Virgine Maria, quare hanc sibi recommendando, quia eum fecit prae aliis thesaurarium suum, magis amorem ostendit. Secundo per respectum ad beatam Mariam; ipsa enim obediens Filio ipsum prae aliis apostolis dilexit, et ad ipsum in omnibus ut mater se habuit; et vide, quod relinquenti mundum, non solum Christus est mater et frater, sed Maria in matrem datur a Christo, et specialiter cruci eius assidue meditatione assistenti. Tertio per respectum ad Ioannem; ipse enim ex hoc plura habuit: primo, quia cum Virgo esset gratia plena, de sua gratia eidem dedit saltem intercessive et meritorie; secundo, quia factus est frater Christi modo speciali prae aliis; tertio, quia ex hoc est Ioannes declaratus, quod erat humillimus, purissimus, et sic de aliis virtutibus, ex quo beatae Mariae sic est iunctus, quia simile simili iungitur; quarto, exhibitus est Ioanni fiducialior accessus ad Christum et ad Virginem prae aliis in suis optatis; quia filius ad matrem fiducialiter accedit et frater ad fratrem; quo sequitur, quod quidquid petit obtinet; et sic patet, qualis est Ioannis adoptio. — Septimo prae cunctis de abditis divinis illuminando; Paulus ad tertium caelum, Ioannes super omnia, ut dicit Augustinus, elevatus intonuit: *In principio erat Verbum* [2]. Octavo omnia futura circa statum ecclesiae revelando; patet in Apocalypsi, quod nulli fecit apostolorum, quod nobis pateat. Nono Spiritu sancto replendo, et per eius manus impositionem Spiritum sanctum fidelibus dando, Act. 8, 17, et forte habuit prae aliis singularem. Decimo omnium sanctorum conditionibus adornando; fuit enim apostolus in sequendo Christum, evangelista in evangelio, martyr in olio (*b*), confessor Christum constanter confitendo, et patet in Actibus apostolorum et sua legenda in principio, virgo purissimus, quia *sic electus* et sic *permansit*, propheta fuit etc. Undecimo de ipso specialem curam habendo et ostendendo; patet in tradendo Matrem eidem. Duodecimo, sua doctrina ecclesiam illuminando et radiando; patet de [eius] evangelio et epistolis. Tertiodecimo caritate eum mirabiliter replendo; patet, quia in suis epistolis de ea est specialiter locutus. Quartodecimo miraculis maximis declarando; patet de pluribus mortuis in sua legenda. Quintodecimo ipsum in suo decessu visitando et vocando. Sextodecimo a mortis dolore, ut dicit beatus Hieronymus, praeservando. Praefatis ergo apparet, beatum Ioannem dilectum fuisse a Christo. Sed cum dicit evangelium, Ioan. 13, 1, quod Christus omnes apostolos dilexit, cur beatus Ioannes de dilectione Christi plus se aliis commendat? Respondetur, quod, amore interiori Christus, etsi omnes aequaliter forte dilexerit, non tamen amore exteriori, qui in duobus est principaliter, vel in familiaritatis ostensione, et sic beatum Ioannem plus aliis dilexit, vel in donorum exhibitione, et sic beatum Petrum plus dilexit, quia principem eum ecclesiae fecit, et sic sub eius cura Virginem et alios apostolos et suas oves dedit. Quibus iam dictis, sanctitas apparet beati Ioannis, et qualis fuerit.

Quintus discipulus et apostolus est beatus Philippus, qui in sua legenda specialiter commendatur de pluribus, videlicet, primo a praedicationis instantia, per 20 annos per Scythiam

(*a*) As et edd. *diligentius* — (*b*) As et edd. *dolio.*

[1] Sive *Epist.* 9 *ad Paul. et Eustoch.*, c. 3 (int. op. Hieron.; P. L. 30, 125). — [2] Ioan. 1, 1.

gentibus praedicavit Christum, et patriam (*a*) ad fidem convertit. Secundo a virtutis gratia; nam draconem abscedere compulit, mortuis vitam praebuit, draconis flatu morbidos factos curavit et sanavit. Tertio a suae mortis praescientia; nam per dies septem ante mors sua est ei a Domino revelata. Quarto a passionis tolerantia; nam per Spiritus sancti revelationem, cum ad praedicandum Indis perrexisset, in civitate Hieropoli a paganis captus, octuagesimo septimo suae vitae anno crucifixus pro Christi amore, ad Dominum migravit. Quibus quatuor testimoniis eum ostendunt fuisse sanctitate praeclarum et insignem (*b*).

Sextus discipulus et apostolus est beatus Bartholomaeus, qui beatus Bartholomaeus in sua legenda a quatuor principaliter commendatur: primo a sanctitatis eminentia, quae patet ex multis: primo ex daemonis testificatione, qui interrogatus, quis esset beatus Bartholomaeus, respondit, quod amicus Dei omnipotentis etc.; secundo ex oratione, centies in die et centies in nocte flexis genibus Deum orabat; tertio ex angelorum obsecutione, angeli Dei cum eo ambulabant etc.; quarto ex secretorum cognitione, daemon, inquit, omnia praevidit, omnia novit etc.; quinto ex terrenorum despectione, unde regi Polemio munera sibi offerenti respondit: « Ego nihil terrenum, nihil carnale desidero » etc. Secundo a virtutis (*c*) efficacia et evidentia, quae quidem patet: primo daemonis constrictione et ligatione, ligavit daemonem, ut non posset loqui etc.; secundo daemonis expulsione a filia regis Polemii; tertio daemonis obtemperatione, nam eius iussu daemon omnia idola confregit; quarto daemonis ostensione, diabolum ostendit regi Polemio et aliis, qualis esset; quinto fructuosa praedicatione, regem Polemium cum suo regno sua praedicatione convertit. Tertio commendatur a summa patientia: primo enim fuit fustibus caesus; secundo vivus decoriatus, quod nulli sanctorum est factum. Quarto a divina circa (*d*) eius corpus providentia; fuit enim corpus eius in multis a divina providentia prospectum et conservatum, ut in eius legenda habetur. Quibus succincte beati Bartholomaei sanctitas apparet.

Septimus apostolus et discipulus est beatus Thomas, quem ostendit eius legenda fuisse et evangelium: primo fidentissimum, Ioan. 11, 16: *Eamus,* ait ad apostolos, *et moriamur cum illo;* secundo fidelissimum, post resurrectionem omnia credendo, Christum Deum suum est professus, Ioan. 20, 28; tertio signis notissimum; patet de multis miraculis per ipsum factis, tam in morbis sanatis quam mortuis suscitatis; quarto eloquio acceptissimum, multos convertit sua praedicatione et grata informatione, ut patet in legenda; quinto passione clarissimum, bis in carcerem est missus, super ardentes laminas incessit, in ardentem fornacem est iniectus, et tandem gladio est transverberatus; sexto a populis post mortem eius honoratissimum, ut dicit alia legenda, mira corpus eius faciebat in mari et in aliis. Quibus gloriosa conversatio beati Thomae patet et vita.

Octavus discipulus et apostolus est Matthaeus evangelista; hic primo mundum abdicavit perfectionaliter, Matth. 9, 9 de hoc habetur: *Vocatus a Domino secutus est eum;* secundo evangelium ordinavit; hic fuit primus sancti Evangelii scriptor et ordinator; tertio haereses exstirpavit, scilicet magos, qui se pro Deo coli faciebant; quarto dracones effugavit; quinto mortuum regis filium suscitavit; sexto honorem sibi impendendum refutavit; septimo multos ad fidem convertit et baptizavit; octavo gloriosa constantia occisus ad caelos migravit. Quibus sanctitas beati evangelistae Matthaei clare patet.

Nonus apostolus et discipulus (*e*) est beatus Iacobus minor, dictus Iacobus Alphaei; hic commendatur primo de praerogativa divinae assimilationis, fuit enim Christo simillimus;

(*a*) Edd. *patrem.* — (*b*) As et edd. *ipse ostenditur* etc. — (*c*) As et edd. *austeritatis.* — (*d*) Codex *certa.* — (*e*) Codex erronee *evangelista.*

secundo de excellentia perfectionis, quia vocatus est iustus; tertio de primitate missae cele brationis, primus, qui celebravit missam fuit ipse; quarto de festivitate dominicae apparitionis, quia primo sibi Dominus Iesus apparuit post suam resurrectionem; quinto de sanctitate conversationis, vita sua tota fuit sanctissima, ut patet in legenda; sexto de tolerantia passionis, de pulpito fuit proiectus, lapidibus obrutus, et pertica fullonis pro Christi fide excerebratus. Quibus sex patet eius vitae excellentia et sanctitas.

Decimus apostolorum est Thaddaeus apostolus, qui praeclarus fuit, primo verbo et doctrina, nam multis praedicavit et ad fidem convertit, item utilem epistolam edidit et fecit; secundo signo et potestate divina; nam Abagarum curavit et plura signa fecit; et quia legendam habet communem cum sancto Simone, ideo legenda utrumque posuit.

Undecimus apostolus est Simon Chananaeus, qui cum beato Thaddaeo in legenda commendatur: primo, quod ipsi fuerunt sanctitate excellentes, eorum enim praesentia daemones in idolis responsa dare non potuerunt; secundo eloquentia pollentes, patet in eorum allocutione ad principem regis Babyloniae; tertio futura praescientes, praedixerunt enim eventum belli etc.; quarto clementes et misericordes, patet contra magos, quos liberaverunt; quinto mira exercentes, nam draconem per puerum eo die natum loqui facientes liberaverunt, sic et tigrides etc.; sexto per martyrium ad Deum ascendentes. Quibus et aliis, quales fuerunt, intelligi cunctis datur.

Duodecimus apostolus et discipulus est beatus Mathias; hunc commendat primo a Christo disciplinatio et eruditio, fuit enim de 72 discipulis; secundo inter duodecim apostolos pro duodecimo annumeratio, ut habetur Act. 1, 26; tertio ipsius conditio, fuit enim in lege doctissimus, corpore mundus, animo prudens, in solvendis quaestionibus scripturae acutus, in consilio providus, in sermocinatione expeditus; quarto eius martyrizatio, falso enim incusatur, lapidatur, securi percutitur, et manibus ad caelum extensis, ad Deum perrexit. Quae quatuor ipsum commendabilem faciunt et toti mundo sanctitate illustrem.

Haec pauca in speciali posui de quolibet apostolorum; quibus si dicta in generali cuilibet applicentur, ad loquendum de quolibet materia est lata et sufficiens, quae pro praesenti declaratione primae partis sufficiant. Quibus claret, quibus discipulis et qualibus fretus est et vallatus Dominus noster Iesus Christus.

Verum, etsi beatus Paulus apostolus nec de 72 nec de 12 fuerit unus, quia tamen *meruit thronum duodecimum possidere* et antonomastice apostolus nuncupatur, et a Domino, non ab homine institutus est apostolus et electus, qualis fuerit, succincte nunc est videndum. Unde beatus Paulus, ut patet consideranti eius acta, commendatur: primo a progenie et generatione nobili; quia de tribu Beniamin, de Tharso Ciliciae, et civis fuit romanus; secundo a legali informatione; in lege fuit doctor excellentissimus, quam ad pedes didicit Gamalielis; tertio a singulari vocatione; nam dum iret ad persequendum christicolas, inclamatus a Christo de caelo, et ferocitatem deposuit et se divinae voluntati per omnia submisit; quarto a Spiritus sancti repletione; nam Spiritu sancto fuit repletus; quinto a speciali sui in apostolum electione, dicente Christo de eo, Act. 9, 15: *Vas electionis est mihi iste* etc.; sexto a cordiali Christi dilectione; statim baptizatus, ingressus in synagogas, convincendo (*a*) Iudaeos, probavit, Iesum esse Christum; septimo a fideli professione; nullus apostolorum sic fidem nec tot (*b*) ut Paulus praedicavit; toti enim mundo quasi ipse praedicavit; octavo a divinali informatione; non enim evangelium habuit ab homine, *sed per revelationem Iesu Christi,* Gal. 1, 12; nono a prudentia et discretione; licet per revelationem habuisset evan-

(*a*) As *convertendo.* — (*b*) Edd. *tamdiu.*

gelium, tamen Hierosolymam ascendit ad conferendum cum apostolis de his, quae praedicaverat, *ne in vacuum curreret aut cucurrisset* [1]; decimo a carnis edomatione, I Cor. 9, 27: *Castigo corpus meum et in servitutem redigo* etc.; undecimo ab ipsius a Deo ad praedicandum emissione, Act. 13, 2, Spiritus sanctus dixit: *Separate mihi Barnabam et Saulum* etc.; duodecimo ab eloquentia et praedicatione; fuit enim eloquentissimus et lingua disertissimus, unde Mercurius vocabatur, Act. 14, 11; tertiodecimo de sollicitudine et gubernatione; nunquam stabat in loco, hodie hic et cras alibi, et ideo dicit de se ipso [2]: *Instantia mea et sollicitudo omnium ecclesiarum;* quartodecimo a cordis humiliatione; cum maior esset aliis, dixit I Cor. 15, 9 se minimum apostolorum, *qui non erat dignus vocari apostolus* etc.; quintodecimo ab assidua operatione; non stabat Paulus otiosus, aut enim orabat aut praedicabat aut manibus operabatur, ut patet Act. 18, 4 sqq.; sextodecimo ab aedificatione; nihil erat ausus dicere, nisi quae per ipsum Christus operabatur, ut cum aliis praedicaret, ne reprobus inveniretur [3]; decimoseptimo a puritate et munditiae nitore, fuit enim virgo purissimus, etsi stimulus carnis ei esset datus, II Cor. 12, 7; decimooctavo a caritatis fervore: *Quis infirmatur, et ego non infirmor?* II Cor. 11, 29, et de caritate nullus melius eo dixit; decimonono a patientiae longanimitate; — decem et novem tangit genera tribulationum, quibus fuit afflictus, II Cor. 11, 23 sqq.: primum cum dicit *in laboribus pluribus,* scilicet per mundum discurrendo, per 30 annos maximam partem mundi quaesivit, de eius laboribus patet in Actibus apostolorum. Secundum genus tangit, cum dicit *in carceribus;* in carcere fuit in Philippis, Act. 16, 23, in Ierusalem, Act. 21, 37, in Caesarea, Act. 24, 24 et 27, ubi stetit duobus annis, et Romae etiam in carcere fuit. Tertium genus tangit, cum dicit *in plagis;* plagatus fuit et missus in carcere, Act. 16, 23, et in Ierusalem templo clauso, Act. 21, 37. Quartum genus tangit, cum dicit *in mortibus frequenter,* ut patet Act. 23, 26, et nisi fuisset liberatus per milites, esset mortuus; unde nota, quod Iudaei decies ei insidias paraverunt, ut eum occiderent: primo in Damasco, Act. 9, 23 sq., secundo in Ierusalem, ibidem, tertio Antiochiae, Act. 13 in fine, quarto in Iconio, Act. 14 in principio, quinto Lycaoniae sive Lystris, ibidem, ictibus lapidum, sexto Thessalonicae, Act. 17, 5 sqq., septimo in Corintho, Act. 18, 12 sqq., octavo ipso volente ire in Syriam, Act. 21 in principio, nono in Ierusalem, quando templum clauserunt, Act. 21, 27 sqq., decimo, quando quadraginta viri iuraverunt non comesturos, nisi eum occiderent, Act. 23, 12, unde bene fuit in mortibus frequenter, in Philippis, ut patet Act. 16, 22 sqq., in Epheso, ut patet Act. 19, 29 sqq., fuit etiam in morte. Quintum genus tangit, cum dicit: *A Iudaeis quinquies quadragenas una minus accepi,* II Cor. 11, 24, et hoc in templo clauso etc. Sextum genus tangit, cum dicit *ter virgis* etc., primo in Philippis, ut patet Act. 16, 22, secundo et tertio in Ierusalem, ut habetur Act. 21, 27, vel in Iconio, Act. 14, 5. Septimum genus tangit, cum dicit *semel lapidatus sum* etc., et hoc in Lystris, Act. 14, 18 [4]. Octavum genus tangit, cum dicit *ter naufragium feci,* hoc creditur, quod fuerit, quando Romam ivit, Act. 27, 18 sqq. Nonum genus tangit, cum dicit *nocte et die in profundo maris fui;* Remigius super epistolam ad Romanos [5] dicit, quod sic fuit ad litteram; sed quando, non patet ex scriptura. Alia vero genera partim tangit propter *itinera,* partim ex alio, unde in itinere passus est decimum genus, scilicet *pericula fluminum.* Undecimum *periculum latronum,* qui ipsum depraedari etc. Duodecimum *periculum ex genere,* scilicet famis et sitis, et aliorum incommodorum, quae itinerantibus eveniunt. Decimumtertium periculum *ex gentibus;* nam peregrini, quia sunt extranei (*a*), patiuntur a gentibus etc.; de Paulo Athenienses trufabantur, Act. 17, 32. Decimumquartum periculum in *civitate,* quia itinerando

(*a*) As *peregrini, qui sunt extranei;* edd. *peregrini et extranei.*

[1] Gal. 2, 2. — [2] II Cor. 11, 28. — [3] I Cor. 9, 27. — [4] Ad litteram II Cor. 11, 25. — [5] Auctor hoc loco citat *Explanationes epistolarum beati Pauli apostoli,* quae inter Opera *Haymonis Halberstadiensis* impressae sunt (cfr. P. L. 117, 655).

homo devenit ad civitates; Paulus passus est periculum in civitate, scilicet Damasci, Ierusalem, Antiochiae, Lystris, Iconii, Philippis, Corinthi, Ephesi, Caesareae et Romae. Decimumquintum periculum *in solitudine;* patet in insula Mithilinensi, quando vipera manum eius apprehendit, Act. 28, 3, similiter quando voluit ire in Syriam, ut patet Act. 21, 3. Sextumdecimum periculum *in mari,* patet Act. 27, 20. Decimumseptimum periculum *in falsis fratribus,* id est comitibus; Iudaei, ut dictum est, voluerunt eum decem vicibus occidere. Decimumoctavum genus tangit *in fame et siti,* habes Act. 27, 33, et de *frigore.* Decimumnonum genus tangit in *labore,* de quo Act. 18, 3 et 20, 2; de *ieiuniis* habes Act. 14, 22. Sub tot ergo generibus afflictionum Paulus positus semper patientissimus est inventus. — Vigesimo commendatur Paulus de sapientiae luciditate; scripsit 14 epistolas divina sapientia plenas, per quas fides catholica sufficienter alia scriptura seposita teneretur et nutriretur; vigesimoprimo de mundi despectione; omnia reliquit et nihil voluit habere nisi Christum, ut stercora omnia reputavit; vigesimosecundo de crucis meditatione, Gal. 2, 19: *Christo confixus sum cruci* etc., et: *Mihi absit gloriari nisi in cruce* etc., Gal. 6, 14, et nihil sciebat nisi Christum, et hunc crucifixum; vigesimotertio de signorum exhibitione; multa fecit miracula mortuos suscitando, caecos illuminando etc., vide in Actibus apostolorum; vigesimoquarto de confortatione (*a*); fuit homo mirabiliter sciens confortare homines contra omnes causas ingruentes, ut patet in suis epistolis dulcissimis; vigesimoquinto de contemplatione, quia raptus bis ad tertium caelum, id est visionem solum intellectualem, qui, ut dicit Augustinus [1], vidit Deum, ut vident beati, qua visione fuit super omnia levatus, quia ad tertium caelum; in Deum transformatus, quia similis Deo, I Ioan. 3, 2, et sic deificatus; certificatus scilicet de sancta Trinitate, de angelis et de futuris etc.; informatus, quia *audivit arcana verba* etc.; beatificatus beatitudine non permanente sed transeunte; satiatus iuxta dictum Psalmistae 16, 15: *Satiabor, cum apparuerit gloria tua;* quietatus, iuxta dictum Augustini *Confessionum* [2], in Deo quiescendo; securatus de permanentia in gratia, ideo dixit, Rom. 8, 35: *Quis nos separabit a caritate Christi* etc.; laetificatus de gloria sua futura et aliorum. Vigesimosexto de veri attestatione; quia ubique Christum confessus, sed specialiter Romae, disputando cum Iudaeis et gentilibus et coram Nerone et plures de familia Neronis convertendo. Vigesimoseptimo de martyrizatione, pro Christi nomine decapitatus fuit. Vigesimooctavo de glorificatione, quia gloriosus apparuit Neroni post mortem et aliis. *Bonum* enim *certamen certavit,* et sibi ut triumphatori *reposita corona* data est in gloria a Domino.

Ex his paucis, quia innumera sunt, quae de ipso possent dici et essent dicenda, patet, quam virtuosus fuit apostolus Paulus, discipulus Domini Iesu.

Et sic succincte visum est de coetu Dominum Iesum Christum prosequente, prout et de quo dicit prima pars istius VIII fructus et conformitatis etc., videlicet: **Iesum coetus**, scilicet apostolorum, **prosequitur**. et haec sufficiant (*b*) pro eius declaratione.

Secunda pars octavi fructus et conformitatis, videlicet:

Franciscus fecundatur.

Expositio.

Franciscus fecundatur: haec est secunda pars huius fructus VIII et conformitatis, in qua est agendum de fecundatione et multiplicatione ipsius quoad proles et filios, quos exemplo, vita, conversatione et verbo Christo Domino generavit, tam quoad Fratres

(*a*) As *conformatione.* — (*b*) As et edd. addunt *ad praesens.*

[1] *Dialog. quaest. 65* (int. op. August.), q. 63 (P. L. 40, 752), cfr. August., XII *De gen. ad litt.* c. 28 n. 56 (P. L. 34, 478). — [2] Cap. 1 n. 1 (P. L. 32, 661).

Minores, quam sorores, quam etiam fratres de poenitentia; quos ordines ipse, Christo operante, instituit, et ab ecclesia Romana manent approbati.

Pro cuius materiae evidentia ante notandum est, quod in isto (*a*) fructu, cum de Fratribus Minoribus, sororibus et de poenitentiae fratribus habeat pertractari, quia iuxta optata de praefatis quoad sanctitatem vitae et miracula non inveni, huic secundae partis expositioni cum intenderem; quare si temporis in processu mihi aliqua de praedictis occurrerint, in fine huius operis tractatum faciam de aliis specialem, ut inspectione istius et illius patere queat, quanta sit filiorum beati Francisci sanctitas, efficacia et virtutum praeclaritas.

Hoc praemisso, sciendum est, quod Dominus noster Iesus Christus, sicut beatum Franciscum similem voluit habere in praecedentibus, sic et in hoc, videlicet, ut, sicut ipse habuit 12 apostolos, sic Franciscus 12 haberet socios; et sicut unus de apostolis fuit pravus et laqueo se suspendit, sic et beatus Franciscus unum de duodecim habuit, qui laqueo se appendit (*b*); et sicut apostoli Domini sanctitate et signis fuerunt mirabiles, sic et socii beati Francisci vita gloriosi fuerunt et signis, et in vita et in morte [1]; et sicut sancti apostoli vitam et doctrinam Christi toto nixu servaverunt, sic et beati Francisci socii una cum ipso sanctum evangelium observaverunt; et sicut ultra duodecim apostolos Dominus Iesus habuit alios discipulos, sic et beatus Franciscus ultra duodecim socios praedictos et discipulos plures alios habuit singularissimos vita, sanctitate et perfectione; et sicut per ipsum Christum et apostolos totus mundus renovatus est, sic per beatum Franciscum et fratres ad Christi vitam prosequendam et poenitentiam exercendam est innovatus; quorum esse, qualitatem, dispositionem et sanctitatem hic praesens fructus et conformitas quoad istam secundam partem declarat.

Sed videndum est prius, qualiter Dominus Iesus Christus beatum Franciscum filiis (*c*), discipulis et fratribus fecundaverit. Pro quo est sciendum, quod beato Francisco abrenuntiante mundo non statim ordinem Fratrum Minorum incepit, nec statim fratres sibi adhaerentes habuit. Ratio est, quia, etsi more apostolorum omnia reliquerit patris et renuntiaverit, non tamen vitam evangelicam arripuit statim servandam, et quia Christus ad hunc finem eum dirigebat, ut oblitteratam vitam evangelicam ipse cum suis renovaret, non statim fecundatus est filiis et fratribus; et ideo, ut dicit *Legenda trium sociorum* [2], vilem habitum eremiticum per duos annos portavit, baculum portans in manibus, cinctus corrigia, et calciatus incedens, ac accipiens eleemosynas, et specialiter pro reparatione trium ecclesiarum, quas istis duobus annis reparavit, videlicet sancti Damiani, sancti Petri apostoli et sanctae Mariae de Angelis. Verum cum ad renovandum mundum per vitam evangelicam esset a Deo directus, post praedicta, dum una dierum inter missarum solemnia perlegi audiret evangelium illud, in quo discipulis ad praedicandum missis evangelica norma in vivendo praescribitur, ut videlicet non possiderent aurum vel argentum, nec in zonis pecuniam, nec peram deferrent in via, nec duas tunicas haberent, nec calceamenta, nec virgam, statim praedictorum verborum auditu, spiritus Domini superinfusione repletus, illico calceamenta deposuit, reiecit baculum, peram, et pecuniam abdicavit, una rudi et

(*a*) As *toto*. — (*b*) As et edd. *suspendit*. — (*c*) As *suis*.

[1] *Actus* c. 1. — [2] N. 25.

deformi contentus tunica (*a*) in crucis modum expressa; dimissa corrigia, pro cingulo funem sumpsit; omnem sollicitudinem cordis apponens, qualiter audita perficeret et apostolicae rectitudinis regulae se per omnia coaptaret. Sic igitur a beato Francisco vita et norma assumpta apostolica, statim coepit discipulis et fratribus fecundari. Cum enim divino instinctu aliquos ad iustitiam induceret (*b*), ceteros vero ad poenitentiam animare coepisset, tam vita quam verbo, cuius « verba non erant inania, nec risu digna, sed Spiritu sancto plena erant medullas cordis penetrantia, ut in stuporem audientes converterent [1] » et obstinatorum mentes efficacia virtuosa mollirentur, cuius eloquia et vitam attendentes nonnulli viri, quidam coeperunt ad poenitentiam animari et eidem relictis omnibus habitu vitaque coniungi, quos et Fratres Minores, iuxta dictum Evangelii: *Quod uni ex minoribus fecistis* etc., vir humilis censuit appellari [2]. Inter quos duodecim fuerunt primi, videlicet frater Bernardus de Quintavalle, frater Petrus Cathanii (*c*), frater Aegidius, frater Sabatinus, frater Moricus, frater Ioannes de Cappella (*d*), frater Philippus Longus, frater Ioannes de sancto Constantio (*e*), frater Barbarus, frater Bernardus de Viridante (*f*), frater Angelus Tancredi et frater Silvester. Hi sunt primi, qui beato Francisco adhaeserunt vita et habitu; et post istos multi alii vita, verbo et signis insignes, ut patebit. Et sic a beato Francisco et istis ordo Fratrum Minorum evangelicus et primo a beato Francisco fuit institutus, anno videlicet millesimo ducentesimo septimo die 16 aprilis. Alii vero ordines, scilicet Pauperum Dominarum ordo, a beato Francisco institutus est sexto anno a sua conversione; et tertius ordo, scilicet Fratrum de poenitentia, quarto decimo anno ab eius coepit ad Christum conversione (*g*). Sed quia primus ordo institutus a beato Francisco est ordo Fratrum Minorum, de ipso est primo dicendum, et demum de aliis.

De primo ordine loqui volendo et de fratribus, qualis sit, sub (*h*) quadruplici conclusione est declarandum, videlicet, quod hic ordo est singularissimus prae aliis institutis ordinibus: primo vitae suae sanctitate, secundo scientiae luciditate, tertio nobilitate, quarto fratrum numerositate. Quae quatuor pandunt, qualis ordo sit Fratrum Minorum et fuerit, intelligendo, quod praeterita respondeant praesentibus et futuris.

Dico, quod primum, quod ostendit, quales fuerint filii, discipuli et fratres beati Francisci, est, si attendatur fratrum quoad vitam primo et secundo quoad signa et miracula sanctitas. Ad quod videndum iste ordo est servandus, quia primo in generali quaedam dicentur, secundo in speciali quaedam de nonnullis tangentur. Verum nescio, si negligentia sit factum seu fratrum inadvertentia aut divina ordinatione, multorum sanctorum fratrum, tam de primis sociis beati Francisci, quam de aliis, nec quoad vitam, nec quoad miracula aliqua reperiuntur; et de quibusdam solum in generali dicitur de eis, quod miraculis claruerunt; quare qui praesentem fructum et conformitatem perlegerint, non mirentur, si de infrascriptis fratribus et praemissis non repererint clare eorum facta.

Generaliter ergo loquendo de praefatis et succincte, socii et fratres beati Francisci tales fuerunt, quod « quidam volabat ad divinae sapientiae lumina, ut aquila,

(*a*) As et edd. *tunicula*. — (*b*) As et edd. *inducere*. — (*c*) As *Cathani*. — (*d*) As et edd. *Capella*. — (*e*) As *Constantino*. — (*f*) Edd. *Cleviridante*. — (*g*) As *Christi conversationem*. — (*h*) As *super*.

[1] *Leg. 3 soc.* n. 25. — [2] Ita Fr. Leo, *Intentio regulae* n. 3 (Doc. ant. franc. t. I pag. 85).

videlicet frater Bernardus, primus frater post beatum Franciscum, qui scripturas profundissime declarabat; quidam raptus ad tertium caelum, ut Paulus apostolus, videlicet frater Aegidius; quidam tactus ab angelo calculo ignito, sicut Isaias, videlicet frater Philippus Longus; quidam loquebatur cum Deo, sicut amicus cum amico, velut alter Moyses, videlicet frater Silvester; quidam sanctificatus et canonizatus in caelo fuit, dum hic viveret, videlicet frater Rufinus nobilis de Assisio [1] »; quidam fuit vita spectabilis et ut sol praeclarus, scilicet frater Petrus Cathanii, qui vicarius fuit beati Francisci et generalis minister, beato Francisco dimittente officium generalatus; quidam spiritu prophetico illustratus, ut frater Leo; quidam pervenit summae ad humilitatis apicem, scilicet frater Massaeus; quidam crudis herbis et leguminibus more sanctorum patrum victitatus, scilicet frater Moricus; et sic de aliis, quorum quilibet aliqua singulari fulsit virtute, ut patebit statim.

Verum sicut a collegio apostolorum Iudas Iscarioth, qui se suspendit, amotus, beatus Mathias eidem est iniectus, sic a consortio sociorum duodecim beati Francisci frater Ioannes de Cappella remotus, qui primo biretum sive almucium inter fratres invenit et portavit [2], unde ab ordine egressus, effectus leprosus, ob impatientiam se suspendit, cuius in loco vir perfectissimus frater Gulielmus Anglicus dicitur insertus, vita singularis et signis. Quomodo vero in hoc ordine fuerunt de quolibet ordine sanctorum, dicetur iuxta finem huius fructus et conformitatis. Et haec sufficiant pro ostendenda generaliter sociorum beati Francisci sanctitate.

Restat ergo nunc secundo videre de ipsis in speciali. Et volendo de ipsis tractare, videtur mihi, quod hic ordo sit tenendus; quia cum fratres ordinis, etsi de una essent civitate et patria, in alia sunt patria et provincia tumulati, ibique signa fecerunt, quare iuxta numerum et distinctionem provinciarum erit et dictorum sanctorum distinctio, (*a*) ostendendo iuxta inventa, in quibus iaceant locis et miraculis claruerunt [3].

DE PROVINCIA BEATI FRANCISCI.

Et incipiendo a prima provincia ordinis, videlicet beati Francisci, in locis infrascriptis habentur hi sancti fratres sepulti et reconditi.

In loco de ASSISIO iacent hi fratres sanctissimi.

Primus est pater sanctissimus noster, videlicet beatus Franciscus, qui singularissimus fuit inter sanctos vita et stigmatizatione ad Christum; hic requiescit. De cuius corpore ad ostendendum populis nihil (*b*) invenitur nec habetur; ac in quo ecclesiae loco iaceat, etsi quibusdam sit agnitum, quibus vero, nulli est notum.

De fratre Bernardo.

Secundus frater sanctus, qui iacet ibidem, est frater Bernardus de Quintavalle, primus filius beati Francisci et primus frater Minor post beatum Franciscum. Et quia hic fuit sanctitate insignissimus, ut veritas de hoc videatur, videnda sunt de ipso tria: primum, quomodo ad Deum est conversus; secundum, quomodo est conversatus; tertium, quomodo in Domino obdormiendo est a Christo praemiatus.

(*a*) As et edd. *demonstratio.* — (*b*) As *nullis.*

[1] Cfr. *Actus* c. 1. — [2] Idem referunt *Chron. 24 gen.* pag. 4 et plures codices, e. g. canon. 525 bibl. Bodlei. et 12 Liegnit. (cfr. *Opuscules de Critique historique,* t. I pag. 49 et 277). — [3] Pisanus sequitur ordinem et saepius verba *Catalogi sanctorum fratrum Minorum.*

1. Circa primum, de conversione beati Bernardi ad Christum, sciendum, quod facta est hoc modo [1]. Ipse enim frater Bernardus, vocatus primo dominus Bernardus, cum esset de nobilioribus, ditioribus et sapientioribus de Assisio, cuius consilio omnes acquiescebant, cum sapienter considerare coepisset in beato Francisco mundi contemptum, tantam constantiam in iniuriis ac longanimitatem in tolerando, quod quasi per duos annos sit (*a*) abominatus et despectus ab omnibus, semper constantior videbatur, dixit in corde suo: « Nullo modo posset esse, quod hic Franciscus non haberet magnam gratiam Dei »; et inspiratus a Deo invitavit eum, ut manducaret cum eo de sero; cui beatus Franciscus assentiens humiliter manducavit cum eo. Dominus autem Bernardus posuit in corde suo velle scire et explorare sanctitatem beati Francisci; unde invitavit etiam eum, ut illa nocte etiam in domo sua quiesceret; et, sancto Francisco annuente, dominus Bernardus fecit parari lectum pro beato Francisco in sua camera, in qua iugiter lampas ardebat. Sanctus autem Franciscus statim ut intravit cameram, ut absconderet divinam gratiam, quam habebat, proiecit se in lectum, velle dormire se ostendens. Dominus autem Bernardus posuit in corde suo latenter observare eum de nocte, unde tali est usus cautela; cum enim aliquantulum in suo lecto quievisset, finxit se alte dormire, et profundissime stertebat. Sanctus autem Franciscus secretorum Dei fidelis absconditor, cum crederet, dominum Bernardum dormire profunde, in profundo noctis silentio surgit de lecto, et levata facie in caelum, manibus et oculis ad Deum totus intentus et ferventer ignitus, devotissime orans dicebat: « Deus meus et omnia ». Et haec verba cum tantis lacrymis geminabat ad Deum et cum tanta morositate devota eadem frequentabat, quod usque ad mane aliud non dixit nisi: « Deus meus et omnia ». Haec autem dicebat beatus Franciscus admirans divinae maiestatis excellentiam, quae periclitanti mundo condescendere videbatur et per ipsum Franciscum pauperculum disponebat de salutis remedio providere; spiritu enim prophetico illustratus praevidendo magnalia, quae per ipsum et ordinem suum erat Deus facturus, et eodem docente spiritu suam insufficientiam videbat et parvitatem virtutis, invocabat Deum, ut quod ipse non poterat, Deus ipse perficeret, sine quo nihil potest humana fragilitas; propterea dicebat: « Deus meus et omnia ». Dominus autem Bernardus, lampade ibidem ardente, cuncta haec videns et verba intelligens diligenter et sancti devotionem perpendens, tactus a Spiritu sancto in medullis cordis intrinsecus, mane facto dixit ad beatum Franciscum: « Si quis a domino suo haberet multa vel pauca, quae tenuisset per plures annos, et nollet ea amplius retinere, quid de ipsis agere posset, quod

(*a*) As et edd. *sic*.

[1] Quae hic « de conversione » sequuntur, ad litteram fere habentur in *Actus* c. 1 (et *Fioretti* c. 2) et *Vita B. Bernardi*, quae exstat in *Chron. 24 gen.*, pag. 35. Notamus, quod Pisanus nonnulla addit (a *dixit ad beatum Franciscum: Si quis a Domino* [lin. 32] — *Et ego, frater Francisce*), quae eodem modo leguntur in *Leg. 3 soc.* n. 28, et fere eodem II Cel. 1, 10; **alia aliter refert**; ex. gr. secundum *Actus* et *Chron. 24 gen.* iverunt « ad episcopatum »; secundum Pisanum « ad ecclesiam sancti Nicolai prope plateam civitatis », cui conveniunt Bonav., *Leg. mai.* c. 3 n. 3 et *Leg. 3 soc.* n. 28; verba *Nihil tuleritis* sec. II Cel. 1, 10, Bonav. l. c. c. 3 n. 3, *Leg. 3 soc.* n. 29 ac Pisanum occurrerunt in *secunda* evangelii apertione, secundum *Actus* et *Chron. 24 gen.* vero in *tertia*. *Leg. 3 soc.* l. c et Pisanus illi apertioni Petrum interfuisse dicunt, quod alii omittunt. Sec. *Actus* et *Chron. 24 gen.* sacerdos librum aperuit, secundum alios sanctus Franciscus ipse.

melius esset »? Respondit beatus Franciscus, quod ea domino suo reddere debet, a quo eadem recepisset. Et dominus Bernardus ait: « Et ego, frater Francisce, omnia bona mea temporalia volo erogare amore Domini nostri, qui ea mihi contulit, prout tibi melius videbitur expedire, et te sequi et facere quaecumque mandaveris ». Sanctus autem Franciscus hoc audiens, repletus gaudio dixit: « Domine Bernarde, istud est opus tam arduum, quod de hoc est Domini nostri Iesu Christi consilium requirendum, ut ipse dignetur beneplacitum suum ostendere, qualiter istud perficere valeamus ». Tunc ad ecclesiam sancti Nicolai prope plateam civitatis Assisii ierunt, una cum alio, nomine Petrus, qui etiam cupiebat frater fieri; et ibi audita missa et oratione usque ad tertiam prolongata, tandem « beatus Franciscus librum clausum flexis genibus accipiens de altari — ut dicit *Legenda trium sociorum* [1] — et sibi crucis signo facto, codicem evangeliorum sive missale aperuit, et in prima apertione occurrit illud consilium Domini [2]: *Si vis perfectus esse, vade, et vende omnia, quae habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in caelo.* Quo comperto, beatus Franciscus gavisus est valde et gratias egit Deo. Sed quia verus cultor Trinitatis trino voluit testimonio confirmari, secundo et tertio librum aperuit; et in secunda apertione occurrit illud [3]: *Nihil tuleritis in via* etc.; in tertia vero illud occurrit [4]: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me.* Tunc beatus Franciscus dixit praefatis viris, domino Bernardo et Petro: ‚Fratres, haec est regula et vita nostra et omnium, qui voluerint nostrae societati coniungi. Ite et, sicut audistis, implete'. Abiit itaque dominus Bernardus, qui erat dives valde, et venditis omnibus, quae habebat, multaque pecunia congregata, pauperibus civitatis universa distribuit, nihil penitus sibi reservans; Petrus autem pro posse divinum consilium adimplevit. Distractis autem omnibus, habitum, quem paulo ante assumpserat sanctus Franciscus, postquam reliquerat habitum eremiticum, ambo pariter assumpserunt; et ab illa hora simul cum ipso vixerunt secundum formam sancti evangelii a Domino eis ostensam ». Sic ergo dominus Bernardus ad Deum modo praedicto conversus filius primogenitus esse promeruit beati Francisci, tam primitate ordinis quam gratiae et perfectionis, ut dicetur. Et sic patet primum, quod erat videndum.

2. Circa secundum est sciendum, quod hic sanctus frater Bernardus fuit primo paupertati affectus et eius specialis amator; nam omnia relinquendo voluntarie pauper factus, nihil unquam in hoc mundo habere voluit.

Fuit secundo patientia multipliciter comprobatus, et primo Florentiae [5]. Nam, cum septem essent fratres, beatus Franciscus duos Florentiam misit, videlicet fratrem Bernardum et alium quendam (*a*); quo pervenientes, hospitium non potuerunt invenire, et venientes ad quandam domum habentem porticum, etsi dominam rogassent, ut infra domum reciperet eos, et illa nollet, in porticu per totam noctem steterunt, nihil tegumenti habentes, cum esset magnum (*b*) frigus; vir enim dictae mulieris, quia credebat, eos ribaldos esse et fures, nihil voluit eis accommodare. Et summo mane recedentes a dicta porticu ad ecclesiam perrexerunt. Quos mulier videns orantes intra se dixit: « Isti non sunt ribaldi, ut dixit vir meus ». Et cum quidam civis, nomine Guido,

(*a*) As et cdd. *unum alium.* — (*b*) As *maximum;* cdd. *intensissimum.*

[1] N. 29. — [2] Matth. 19, 21. — [3] Luc. 9 3. — [4] Matth. 16, 24 et Luc. 9, 23. — [5] Cfr. *Leg. 3 soc.* n. 39 et 40, et *Chron. 24 gen.* pag. 37.

velut pauperibus vellet eis dare sicut aliis pecuniam, recipere noluerunt; et cum didicisset eos voluntarie pauperes effectos, datis omnibus amore Dei, primo a dicta muliere ad domum suam invitati, deinde a praedicto cive ad domum suam adducti, ibidem aliquibus diebus steterunt, ipsum aedificantes verbo et exemplo; unde hic dedit multa pauperibus. Licet autem a dicto cive (*a*) bene tractarentur, ab aliis tamen vilissimi reputati, iniurias multas tam a parvis quam a magnis recipiebant, acceptis etiam vestimentis vilibus, quae habebant, ab eis, cumque remanerent nudi, non repetebant, sed, si dabantur, recipiebant. « Quidam lutum super eos iactabant; alii vero taxillos ponentes in manibus eorum, invitabant ipsos, si ludere volebant; alii vero capientes caputia eorum a tergo post dorsum suum, sic suspensos portabant [1] »; et sic non solum famis et sitis et frigoris et nuditatis tribulationes patienter portabant, sed multis aliis modis. Ipsi vero non tristabantur nec turbabantur nec inferentibus maledicebant, sed omne gaudium existimantes tribulationes et tentationes in hoc mundo sustinere, pro inferentibus exorabant. Quod videntes homines et cognoscentes eos viros sanctos et Domini discipulos, multi corde compuncti ad eos accedebant, pro illatis veniam postulantes. Quibus remittentes ex corde, nonnullos in societatem suam recipientes, ad beatum Franciscum ad sanctam Mariam de Angelis sunt reversi, recepti a beato Francisco et sociis summo gaudio et laetitia.

Eodem modo fuit frater Bernardus comprobatus Bononiae [2]. Nam approbata regula a domino Innocentio III, frater Bernardus solus missus est a beato Francisco Bononiam. Ad quam cum pervenisset, videntes eum pueri in insolito habitu et valde despecto, multas illi iniurias irrogare coeperunt; quas cum magna laetitia sustinebat, et, ut melius illuderetur ab omnibus, se in platea posuit civitatis pluribus diebus, ubi multi pueri et homines congregati; alii trahebant caputium eius retro, alii ante, quidam vero pulverem, alii vero lapides iactabant in eum, quidam insuper hinc inde graviter eum impingebant. Ad cuncta vero frater Bernardus patientissimus permanebat, in nullo renitens et de nullo murmurans, semper imperturbatam faciem ostendendo. Quod attendens quidam iudex sapiens et tantam constantiam examinans, dixit in corde suo: « Impossibile est, quod iste non sit sanctus homo »; ad ipsum accessit dicens: « Quis es tu, et ad quid venisti »? Frater Bernardus misit manum suam in sinum et protulit regulam evangelicam beati Francisci, quam in corde portabat et opere adimplebat. Quam cum legisset iudex, et admirans vertens se ad socios dixit: « Hic est altior status, quem unquam audiverim, et propterea iste homo cum sociis suis est de sanctioribus hominibus de mundo; unde magnum peccatum faciunt, qui sibi iniurias faciunt (*b*), quia non iniuriis, sed maximis honoribus est dignus ». Et ducens eum ad domum suam cum magno gaudio eum recepit, locum ei pro fratribus dedit ad habitandum et expensas omnes persolvit, et advocatus est factus fratrum, quamdiu vixit [3]. Et cum Bononiae frater Bernardus esset, propter suam sanctam con-

(*a*) As et edd. *Guidone*. — (*b*) As et edd. *inferunt*.

[1] Cfr. *Leg. 3 soc.* n. 39, ubi haec de discipulis S. F. in genere referuntur. — [2] Ad litteram fere convenit c. 4 *Actus;* cfr. *Chron. 24 gen.* pag. 36. — [3] Fortasse est *Accursius* ille, de quo refert Walterus Gisburnensis, *Chronica de gestis regum Angliae* (Mon. Germ. Hist., Script. XXVIII pag 631): « Habuit beatus Franciscus eciam fratres in Ricardina iuxta Bononiam, quibus contulerat mansiunculam dominus Accursius Magnus, qui fecit novam glossam in iure civili super omnia quinque volumina ». Secundum Mazzetti, *Repertorio di tutti i professori di Bologna* (ib. 1877) pag. 11, Accursius mortuus est 1229.

versationem coepit multum honorari, adeo ut sanctum se putaret et beatum, qui posset eum tangere, audire vel videre. Ipse vero, qui humilis erat Christi discipulus, timens, ne tantus honor eius quietem et salutem impediret, ad beatum Franciscum rediit, quae gesta sunt, narravit, et quod alios fratres Bononiam mitteret et non se, instanter rogavit; quod et factum est. Quibus apparet eius patientia, humilitas et sui cum mundo contemptus.

Fuit tertio obedientiae singularis. Semel dum ad sanctum Iacobum beatus Franciscus iret cum fratre Bernardo et aliquibus de suis sociis, et dum in quadam terra unum reperissent infirmum, dixit beatus Franciscus fratri Bernardo: « Carissime fili, volo, quod remaneas ad serviendum isti infirmo »; qui, statim flexis genibus et capite inclinato, suscepit reverentissime obedientiam (*a*) sancti patris. Et cum rediisset beatus Franciscus a sancto Iacobo, invenit ibidem beatum fratrem Bernardum et infirmum perfecte sanatum. Unde sequenti anno eidem concessit, quod ad sanctum Iacobum ipse frater Bernardus iret, quod et fecit [1].

Cui revertenti, dum esset iuxta quendam fluvium, quem profunditate transire nequibat, angelus Domini apparuit, quem salutans idiomate proprio dixit: « Deus det tibi pacem, o bone frater ». Et frater Bernardus admirans de eius pulchritudine et lingua sibi nota, de salutatione pacifica et de facie laeta, interrogavit eum, unde veniret. Et angelus: « Venio, ait, de tali loco, ubi moratur beatus Franciscus ». Et dixit angelus fratri Bernardo: « Quare, carissime, differs transire flumen »? Et frater Bernardus respondit: « Quia timeo periculum propter profunditatem aquae, quam video ». Et ait angelus: « Transeamus simul, ne dubites ». Et apprehensa manu eius, in ictu oculi fratrem Bernardum in alteram partem fluminis incolumem posuit. Quod videns frater Bernardus et cogitans, quod angelus Domini esset, interrogavit de eius nomine. Cui ait angelus: « Quid quaeris nomen meum, quod est mirabile »? Et hoc dicto disparuit, et fratrem Bernardum reliquit valde consolatum sic, quod totam illam viam in gaudio ambulavit [2].

Hic frater Bernardus fuit homo magnae contemplationis. « Ad tantam enim intelligentiae limpitudinem venerat, quod etiam magni clerici ad eum recurrebant; enodabat tenebras quaestionum, in quocumque passu bibliae quaerebatur; quia enim mens eius erat a terrenis absoluta penitus, quasi hirundo volabat ad summa. Et aliquando per triginta dies solus per montium cacumina pervolabat, solummodo caelestia contemplando »; unde quasi continue in Deum rapiebatur. Quando enim ibat per viam cum socio, dixit socio: « Exspecta me aliquantulum, frater »; et exiens aliquantulum a via, adhaerendo alicui arbori rapiebatur. Signum mentalis elevationis ipsius fratris Bernardi erat, « quod per quindecim annos semper tam mente quam facie ibat in caelum erectus ». Hic aliquando frater Bernardus nugatorie dixit fratri Aegidio, ipsum esse medium hominem, quia staret semper in cella reclusus; unde dixit: « Iste stat in cella, sicut in camera domicella ». « Exi ad homines, dixit fratri Aegidio, sta cum eis, vade pro pane, vade pro eleemosyna ». Et sanctus frater Aegidius sibi respondebat et dixit: « Frater Bernarde, non omni homini est datus ad comedendum cibus hirundinis, sicut tibi fratri Bernardo ». Hoc autem dixit, quia, sicut hirundo pascitur volando, sic iste frater

(*a*) As et edd. *mandatum obedientiae.*

[1] Idem *Actus* c. 3 (pag. 11). — [2] L. c. circa finem.

Bernardus vadens pascebatur consolatione divina et ecstasi. Et propter tam excellentem gratiam a Domino fratri Bernardo dátam beatus Franciscus libenter et frequenter loquebatur de Deo cum eo; unde aliquando inventum est ambos per totam noctem raptos fuisse in silva, ubi convenerant ad loquendum de Domino Iesu Christo [1]. Unde semel evenit, quod beatus Franciscus recessit de loco, in quo erat, et ivit ad locum, ubi erat frater Bernardus, ut ad invicem loquerentur de divinis; et cum beatus Franciscus accessisset ad silvam, vocavit fratrem Bernardum, dicens: « Veni et loquere isti caeco ». Et quia frater Bernardus erat contemplatione totus abstractus et Deo iunctus, vocatus a beato Francisco semel, bis et ter, non intelligens beatum Franciscum, ei nihil (*a*) respondit; propter quod beatus Franciscus recedebat desolatus aliquantulum, admirans, quod frater Bernardus ter vocatus ad eum ire noluerit. Sancto autem Francisco recedente et sic cogitante, dixit socio: « Exspecta me aliquantulum », et cum daret se ad orandum, ecce, vox divina facta est ad eum dicens: « Unde tu, pauper homuncio, conturbaris? Nunquid homo debet dimittere Deum propter aliquam creaturam? Frater autem Bernardus, quando vocasti eum, stabat coniunctus mecum, et ideo non poterat ad te venire nec tibi respondere, et ideo non mireris, si non potuit tibi loqui, quia ita erat extra se, quod de tuis verbis penitus nihil advertit ». Hoc intelligens beatus Franciscus, statim, concito gressu (*b*) ad fratrem Bernardum revertitur, ut se de cogitatione habita humiliter accusaret; frater autem Bernardus statim occurrit beato Francisco et ad pedes beati Francisci se proiecit. Et, recitata reprehensione (*c*) divina, praecepit beatus Franciscus fratri Bernardo, quod, quidquid sibi praeciperet per obedientiam, ageret. Frater autem Bernardus timens, ne aliquid excessivum imponeret, ut solebat, dixit beato Francisco: « Pater, paratus sum obedientiam vestram facere, dummodo in his, quae dixero, mihi obedientiam promittatis ». Respondit beatus Franciscus: « Assentio ». Et tunc frater Bernardus dixit: « Dicatis, pater, quidquid vultis ». Et beatus Franciscus ait: « Per sanctam obedientiam praecipio tibi, ut ad puniendam praesumtionem meam et audaciam cordis mei me iacentem in terra calces, pede tuo guttur meum calcando et alio pede super os meum posito, ita quod pedibus tuis sic in gutture et ore positis sic calcantibus transeas me ter ex una parte ad aliam; et sic transeundo, dicas mihi improperia: ‚Iace, rustice fili Petri Bernardonis', et alias plures iniurias ingeminabis dicens: ‚Unde tibi tanta superbia, qui es vilissima creatura' »? Quod audiens frater Bernardus, durum sibi fuit hoc facere; tamen propter obedientiam id, quantum potuit, curialiter adimplevit. Quo facto, dixit beatus Franciscus ad fratrem Bernardum: « Praecipe, quidquid vis, ut faciam, quia promisi tibi obedientiam ». Frater Bernardus ait: « Per sanctam obedientiam praecipio tibi, quod, quandocumque sumus simul, me de meis defectibus corrigas et acrius me reprehendas ». Quo audito, beatus Franciscus obstupuit valde, quia frater Bernardus erat tantae sanctitatis, quod beatus Franciscus habebat eum in magna reverentia [2]. Unde beatus Franciscus [ex tunc] cito se a fratre Bernardo expediebat, ne propter obedientiam tantam animam scandalizaret reprehensione, quando cum ipso beatus Franciscus de Deo loquebatur.

(*a*) As et edd. *intelligens beatus Bernardus nihil.* — (*b*) As et edd. *gradu.* — (*c*) As *responsione.*

[1] Idem *Actus* c. 30 (cfr. *Chron. 24 gen.* pag. 43 in fine), qui omittunt *Quando enim ibat* (pag. 182 lin. 33) — *Et sanctus frater Aegidius sibi respondebat.* — [2] Idem *Actus* c. 2.

Hic frater Bernardus vice quadam, dum esset in choro et, ut dixi, de vitae activae laboribus ad contemplativae dulcedinem translatus esset, et missa cantaretur, fuit adeo in Deum absorptus, quod, cum elevaretur corpus Domini, nihil advertit nec genuflexit, sed stans irreverberatis oculis insensibilis a mane usque ad nonam permansit. Post nonam ad se reversus veniebat cum voce admirativa et dixit fratribus: « O fratres, o fratres! Nullus est in contrata ista tam magnus et nobilis, cui si promitteretur unum palatium plenum auro, quod non esset sibi leve portare unum saccum plenum vilissimo fimo ad thesaurum tam nobilem promerendum ». Ad hunc thesaurum tam nobilem hic frater Bernardus fuit a Deo admissus, cuius signum erat elevatio faciei, ut dictum est, per quindecim annos. Et propter nimiam mentis elevationem ad divina et absorptionem intellectus ad Deum in illis quindecim annis nunquam famem sibi abstulit corporalem; de omnibus tamen, quae sibi apponebantur, aliquantulum comedebat; et dixit, quod de illis, quae homo nihil gustat, non dicitur abstinere, quia vera abstinentia est pugnare contra illa, quae sapiunt [1].

Et quia Deus vult suos servos probare, semel per octo dies stetit non sentiens consolationes divinas; et cum pro recuperatione, totus manens angustiatus et solitarius, Deum ferventer exorabat, ecce, subito apparuit sibi quaedam manus in aëre tenens instrumentum, quod dicitur viola, quae unum tractum versus terram faciens tantum ipsum spiritus consolatione replevit sua melodia, quod, si alium tractum fecisset, versus caelum credebat spiritum exhalasse [2].

Non solum Deus ipsum sic probavit, sed ad impugnandum eum multis et acutissimis daemonibus est traditus, ut beato Francisco, dum devote oraret, est a Domino revelatum. Quod cum per plures dies beatus Franciscus de filio suo cum lacrymis cogitaret et Domino Iesu Christo eum recommendaret, ut de tot insidiis victoriam ei largiri dignaretur, facta est ad eum divina responsio, dicens: « Ne timeas, quia omnes tentationes, quibus frater Bernardus impetitur, datae sunt illi ad exercitium et coronam, et in fine de omnibus ipsum impugnantibus palmam et victoriam cum gaudio reportabit; et ipse frater Bernardus est unus de commensalibus regni caelorum (*a*) ». De qua responsione beatus Franciscus est valde gavisus et, gratias referens immensas Iesu Christo, eum ampliori affectu semper post dilexit. Quae omnia beatus Franciscus fratribus recitavit addens, quod Deus fratrem Bernardum ab omni tentatione liberatum, ante mortem suam ponet eius spiritum in tanta pace et quiete, quod omnes fratres, qui audierint et viderint, mirabuntur; et in illa pace et quiete utriusque hominis transibit de hac vita ad Christum. Et mirati fuerunt fratres de prophetia beati Francisci, quia sic evenit [3].

Fuit frater Bernardus tanti zeli, ut quemlibet in quantocumque magno culmine positum audacter reprehenderet, si ipsum videret in aliquo suae regulae transgressorem. Nam cernens aliquando fratrem Eliam tunc ordinis generalem ministrum palafredum magnum equitantem, post eum fortiter sufflabat, dicens: « Nimis est altus et grossus equus; non sic docet regula »; et aliquando percutiendo groppam equi, in praesentia sua talia verba replicabat [4]. Dum staret aliquando ipse frater Elias ge-

(*a*) As et edd. *Dei*.

[1] Idem *Actus* c. 30; cfr. *Chron. 24 gen.* pag. 43. — [2] Idem *Chron.* cit. pag. 44. — [3] Idem *Chron. 24 gen.* pag. 38; cfr. *Speculum Lem.* pag. 44, *Spec. Sab.* c. 107. — [4] Cfr. *Chron. 24 gen.* pag. 44.

neralis solus in camera, et aliquando cum aliquibus sociis, comedens de bonis Domini, hoc videns frater Bernardus multum dolebat; et surgens de mensa refectorii cum cultello, parasside et coquina in manibus ibat et pulsabat ad ostium camerae dicens: « Quis est hic? Aperite mihi ». Et aperto ostio, ponebat se iuxta generalem ministrum dicens: « Ego volo de istis bonis comedere tecum ». Et tunc frater Elias confundebatur et crepabat (*a*); nihil tamen audebat ei dicere propter suam sanctitatem [1].

Hunc fratrem Bernardum beatus Franciscus magnis extollebat laudibus, et dixit, ipsum istum ordinem fundasse, omnia vendendo et dando pauperibus, ac se nudum offerendo brachiis Crucifixi [2]; omnia enim dedit, etiam et vestimenta, et habitum, quo indutus est, mendicatione obtinuit (*b*).

Beatus Franciscus quantum dilexerit fratrem Bernardum, in fine de hoc mundo recessurus ostendit. Nam adstantibus coram beato Francisco pauperum patriarcha filiis et pro subtractione tam amabilis patris lacrymantibus, dixit ipse beatus Franciscus: « Ubi est primogenitus meus, frater Bernardus? Veni, fili mi, ut benedicat tibi anima mea, antequam moriar ». Tunc frater Bernardus dixit fratri Eliae, qui erat vicarius ordinis, secreto: « Pater, vade ad dexteram beati Francisci, ut et te benedicat ». Cum autem frater Elias se posuisset ad dexteram beati Francisci et sanctus Franciscus prae lacrymis caecutiens manum dexteram supra caput fratris Eliae (*c*) posuisset, dixit: « Istud non est caput primogeniti mei fratris Bernardi ». Tunc frater Bernardus accessit ad sinistram eius. Beatus autem Franciscus manibus cancellatis, brachia (*d*) commutando, sinistram posuit super caput fratris Eliae, dexteram vero super caput fratris Bernardi, dicens fratri Bernardo: « Benedicat te Pater Domini nostri Iesu Christi in omni benedictione spirituali in caelestibus in Christo! sicut primo electus in ordine isto ad dandum bonum exemplum evangelicum, ad imitandum evangelicam paupertatem Salvatoris vel ad imitandum Christum in evangelica paupertate; quia non solum tua liberaliter obtulisti et pro Christi amore etiam integre dispersisti, verum etiam temetipsum in odorem suavitatis obtulisti vel in odorem suavissimi sacrificii obtulisti; benedictus ergo sis a Domino nostro Iesu Christo et a me, suo paupercuIo servo, benedictionibus sempiternis, ingrediens et egrediens, vigilans et dormiens, vivens et moriens; qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur, et qui maledixerit tibi, non erit immunis. Esto dominus fratrum tuorum, id est, tuo imperio cuncti fratres subiaceant; et quoscumque volueris recipere ad ordinem istum, recepti sint, et quoscumque volueris emittere, emittantur; et nullus super te potestatem habeat; et libere, quocumque volueris, possis pergere vel morari [3] ». Haec est benedictio data fratri Bernardo per beatum Franciscum.

Fuit frater Bernardus totus caritativus; nam ad mensam sedens saepe praesentabat uni fratri; et cum a quodam alio fratre reprehenderetur dicente: « Nimis praesentatis tali fratri, ipse enim non potest tantum comedere », respondit frater Bernardus: « Ego facio, carissime, ex parte mea quod meum est et quod est caritatis, ipse vero non comedat, nisi sicut decet ».

(*a*) As *confundebatur in semetipso;* edd. *et turbabatur.* — (*b*) Codex *obtentus.* — (*c*) As *super caput;* edd. *supra caput eius.* — (*d*) As et edd. *Franciscus cancellatis brachiis.*

---

[1] In documentis pluries citatis haec non invenimus. — [2] *Actus* c. 1 n. 44. — [3] Idem *Actus* c. 5 et *Chron. 24 gen.* pag. 42 lin. 30 seq.

5. Deo placente fratrem Bernardum ad se vocare, quia fratres eum affectu paterno venerabantur, ex diversis partibus, cum appropinquaret ad mortem, concurrerunt ad eum. Inter quos affuit ille seraphicus et divinus sanctus frater Aegidius, qui, cum vidisset sanctum fratrem Bernardum, dixit: « Sursum corda » [cum gaudio magno; frater etiam Bernardus dixit: « Sursum corda], habemus ad Dominum ». Et dixit uni fratri secrete, ut locum aptum pararet contemplationi, ut sanctus frater Aegidius posset caelestia contemplari. In ipsa sua infirmitate vocatis fratribus frater Bernardus dixit eis, quod de corpore curam nolebat habere, et ideo, quidquid facerent, erat contentus, sed de anima. Et [ex quo coepit infirmari] semper iuxta se voluit habere fratrem [sacerdotem], qui ipsum ad confessionem, quando aliquid occurreret, audiret (*a*). Cum autem beatus frater Bernardus ad illam horam extremam migrandi pervenisset, fecit se erigi et adstantibus fratribus dixit: « Fratres carissimi, nolo vobis multa verba dicere; sed considerare debetis, quod statum, quem ego habui, vos habetis, et quem ego [nunc] habeo, vos habituri estis. Invenio autem in anima mea, quod pro mille mundis aequalibus isti nollem non servisse Domino Iesu Christo; et de omni offensa, quam ego feci, accuso me Salvatori meo Domino Iesu Christo et vobis; et rogo vos, fratres carissimi mei, ut diligatis vos invicem ». Et post haec verba et alia salubria hortamenta, cum fratres eum in lecto reclinassent, facta est eius facies splendida nimis et laeta non sine admiratione omnium, qui adstabant. Et in ipsa laetitia anima illa felix, cum victoria sibi promissa a Christo, ad gaudium transiit beatorum [1]. [Post mortem factus albus est et caro sua mollis, et quasi ridere videbatur; unde pulchrior erat mortuus quam vivus, et plus delectabantur eum videre omnes mortuum, quam viventem; videbatur enim recte sanctus ridens [2].]

Sepultus Assisii in ecclesia beati Francisci prope eius altare, ut patet cernentibus eius sepulchrum.

Quam gloriam habeat in caelo, ostensum fuit fratri Leoni, socio ipsius et beati Francisci, infirmanti in loco sanctae Mariae de Portiuncula; qui exsistens in loco de Portiuncula infirmus cum fratre Rufino, sed magis ipse, talem de fratre Bernardo habuit visionem. Vidit enim multitudinem fratrum processionaliter incedentium, inter quos vidit unum, a cuius oculis radii procedebant lucidiores radiis solaribus sic, quod in eius faciem intendere non poterat. Et quaerens ab uno illorum fratrum, quo irent, respondit: « Ad animam cuiusdam fratris in Portiuncula infirmantis et breviter morituri ». Et rursus quaesivit, quis esset ille frater, a cuius oculis tanta claritas procedebat. Respondit: « Et non cognoscis eum? Ille est frater Bernardus de Quintavalle ». « Et quare, ait, eius oculi tanta claritate nitescunt »? Et ille: « Quia semper de his, quae videbat in aliis, melius iudicabat. Unde quando videbat trutanos et male indutos, dixit: ,Isti melius servant paupertatem, quam tu, frater Bernarde'. Iudicabat enim de illis, acsi paupertatem voluntarie servarent. Cum divites videbat pretiosis indutos vestibus et deauratis, cum cordis compunctione dicebat: ,Forsitan isti portant cilicia, et sub ista apparentia exteriori sustinent carnis martyrium (*b*) in occulto, et sic

(*a*) As et cdd. *et quando aliquid occurrebat in mente, quod eius conscientiam oneraret, statim confitebatur.* — (*b*) As *carnis immunditiam;* cdd. *macerationem.*

[1] Idem *Actus* c. 5 in fine, ubi desunt *In ipsa sua infirmitate* (lin. 7) — *Cum autem beatus frater Bernardus,* quae sine aliis leguntur in *Spec. Lem.* pag. 46 et *Spec. Sab.* c. 107. — [2] Idem utrumque *Speculum* l. c.

vitant vanam gloriam melius quam tu, frater Bernarde, cum tuis vilibus indumentis'. Et per istum modum semper bonum de aliis, de se autem humiliter sentiens iudicabat. Habebat etiam mundissimos oculos, et quidquid boni cernebat in creaturis, totum regerebat in laudem Creatoris ». Et visio illa disparuit [1].

Unus ex sociis beati Francisci, qui fuit unus de tribus latronibus conversis per beatum Franciscum, ut infra dicetur, raptus in paradisum vidit beatum Franciscum « chlamydatum chlamyde toto stellis pulcherrimis decorato; et quinque stigmata eius erant sicut quinque pulcherrimae stellae, quae tanta luce fulgebant, quod videbantur totam illam civitatem illustrare; frater vero Bernardus habebat coronam in capite pulcherrimam; frater Aegidius etiam totus erat mirando lumine decoratus; et plures alios fratres vidit gloriosos [2] ».

Sic ergo apparet de beato fratre Bernardo eius initium, medium et finis. Ad laudem Iesu Christi. Amen.

De beato fratre Silvestro, socio beati Francisci.

Tertius frater sanctus, qui iacet Assisii in ecclesia beati Francisci, est sanctus frater Silvester, qui sacerdos fuit primo in saeculo. Et hoc modo venit ad ordinem; nam cum frater Bernardus sua cuncta distracta daret pauperibus, beato Francisco ipsum ad praedicta fideliter adiuvante, hic presbyter vel dominus Silvester, dum dispergere videret haec omnia, avaritia ductus dixit beato Francisco: « Tu de quibusdam lapidibus, quos a me emisti pro ecclesiis reparandis, non mihi plene solvisti ». Beatus Franciscus admirans eius avaritiam et nolens cum ipso contendere, ut verus evangelii observator, misit manum in sinum fratris Bernardi, et plenam pecunia posuit in sinum domini Silvestri et ait, quod, si plus vellet, adhuc plus daret. Ille autem contentus recessit. Et cum in sua esset domo et cogitare coepisset, quae fecit, et redarguens avaritiam suam ac fervorem fratris Bernardi et sanctitatem beati Francisci considerans, in prima, secunda et tertia nocte eamdem inspexit visionem [3]. « Videbat namque in somnis totam Assisii civitatem a dracone immenso circumdari, prae cuius magnitudine nimia tota regio videbatur exterminio subiacere. Contuebatur post hoc crucem auream ex ore procedentem beati Francisci, cuius summitas caelos tangebat, cuiusque brachia protensa in latum usque ad mundi fines videbantur extendi; ad cuius etiam aspectum praefulgidum draco ille taeter et horridus penitus fugabatur. Hoc dum tertio sibi monstraretur, viro Dei per ordinem et fratribus enarravit; ac omnibus distractis et datis Dei amore pauperibus, beati Francisci frater effectus, vita eius in ordine sic fuit sancta, quod authenticam reddidit eam, quam in saeculo habuerat, visionem [4] ».

Hic beatus frater Silvester adeo perfectionis, sanctitatis et gratiae est effectus, quod loquebatur cum Deo, sicut amicus cum amico, sicut pluries beatus Franciscus est expertus. Ad hunc fratrem Silvestrum stantem in loco de Carcere in monte Subasio, beatus Franciscus cum vellet ipse certificari, an ad praedicandum ire deberet vel orationi vacare, misit fratrem Massaeum, ut, quia ipse erat tantae sanctitatis et devotionis, quod statim audiebatur a Domino Iesu Christo, et Spiritus sanctus cum

---

[1] Idem *Chron. 24 gen.* pag. 45. — [2] *Actus* c. 29 in fine. — [3] Idem *Leg. 3 soc.* n. 30 et 31, *Actus* c. 1 n. 38-43, et *Chron. 24 gen.* pag. 7; cfr. II Cel. 3, 52. — [4] Bonav. *Leg. mai.* c. 3 n. 5, qui omittit priorem partem.

dignum fecerat divino colloquio, propter quod beatus Franciscus magnam devotionem ad eum habebat; cui, cum verba dixisset beati Francisci, statim frater Silvester ad orationem perrexit. Et cum oraret, statim habuit divinum responsum et statim (*a*) exivit ad fratrem Massaeum dicens: « Haec dicit Dominus, ut dicas fratri Francisco, quod ipsum non solum propter se ipsum vocavit eum, sed ut fructum faciat animarum, et multi per eum lucrentur [1] ». Quo edoctus beatus Franciscus eloquio ad praedicandum accessit.

Hic est ille frater Silvester, cum quo beatus Franciscus Aretium deveniens, invenit civitatem ipsam « intestino bello quassatam propinquum sui minantem excidium. Cum enim in eius suburbio essent hospitati, vidit beatus Franciscus exsultantes daemones ac perturbatos cives ad caedem mutuam succedentes. Ut autem seditiosas illas effugaret aëreas potestates, vocavit beatus Franciscus socium suum fratrem Silvestrum, columbinae simplicitatis virum, dicens: ‚Vade ante portam civitatis, et ex parte Dei omnipotentis daemonibus in virtute sanctae obedientiae praecipe, ut exeant de civitate festinanter' ». Quod frater Silvester ut filius obedientiae cum perfecisset, statim daemones recedentes (*b*), ad pacem civitas est redacta [2].

Hic post multa mira perrexit ad Christum Dominum, et sepultus est Assisii in ecclesia beati patris nostri Francisci.

De fratre Electo, socio beati Francisci.

Quartus frater Assisii sepultus in ecclesia beati patris nostri Francisci est frater Electus, de quo nihil reperi, nisi quod spiritu claruit prophetico; nam domino Petro cardinali Albanensi, cum eum visitasset, eidem dixit: « Tu hodie morieris », et sic evenit [3].

De fratre Leone, socio patris nostri beati Francisci.

Quintus frater iacens Assisii in ecclesia sancti Francisci est frater Leo, confessor beati Francisci, qui, ut de eo dicitur inter alias virtutes, fuit homo purissimus et simplicissimus, de quibus beatus Franciscus eum praecipue commendabat. Unde, propter eius columbinam simplicitatem, beatus Franciscus eum specialiter diligebat et fratrem Pecorellam vocabat, et ad sua secreta tam ex confessione quam ex aliis admittebat. Quando enim beatus Franciscus ad montem Alvernae perrexit, fratrem Leonem secum cum fratre Massaeo et fratre Angelo milite duxit, et sibi in ipso monte, quamdiu stetit, fideliter deservivit. Hunc fratrem Leonem beatus Franciscus, ut dictum est supra fructu et conformitate V [4], informavit, dum irent de Perusio, in quo esset perfecta laetitia, quia videlicet in actibus patientiae.

Cum isto fratre Leone in quodam locello dum staret beatus Franciscus, et breviarium ad dicendum officium (*c*) non haberent, et dixisset ei, ut loco officii frater Leo diceret, quidquid doceret eum et non aliud, et beatus Franciscus dixisset: « Ego dicam sic: ‚O frater Francisce, tu fecisti tot peccata in saeculo, quod es dignus in-

---

(*a*) As et edd. *unde exivit.* — (*b*) As et edd. *daemonibus recedentibus.* — (*c*) As et edd. *matutinum.*

---

[1] Idem *Actus* c. 16. cfr. Bonav. l. c. c. 12 n. 2. — [2] Bonav. l. c. c. 6 n. 9; cfr. II Cel. 3, 51; — [3] Idem *Catalogus sanctorum Fratrum Minorum*, pag. 4, et *Chron. 24 gen.* pag. 252. Sermo est de card. *Petro de Collemedio*, qui 1253 repentina morte decessit. — [4] Pag. 118.

ferno'; et tu, frater Leo, respondeas dicens: ,Verum est, quod infernum profundissimum meruisti' »; et frater Leo respondit: « Libenter, pater; incipe in nomine Domini ». Et beato Francisco incipiente dicere: « O frater Francisce, tu fecisti tot mala in saeculo, quod es dignus inferno », respondit frater Leo, Deo eius linguam dirigente: « Deus faciet per te tot bona, quod ibis in paradisum ». Et cum sanctus Franciscus diceret: « Non dicas sic, frater Leo, sed quando ego dicam: ,O frater Francisce, tu tot mala fecisti in saeculo, quod es dignus maledici', et tu dices: ,Inter maledictos es dignus computari' », et frater Leo diceret: « Libenter, pater »; et beatus Franciscus cum multis lacrymis et suspiriis ac tunsionibus pectoris et valido clamore dixit iam dicta, frater Leo respondit: « Deus faciet te talem, quod inter benedictos eris singulariter benedictus ». Et cum beatus Franciscus per obedientiam mandando, ut diceret et responderet iuxta imposita per eum sibi, et pluries hoc fieret, frater Leo, ut eum docebat Dominus, et non ut volebat beatus Franciscus, respondebat et dixit beato Francisco: « Ego non possum aliud dicere, quia Deus loquitur per os meum [1] ».

Cum quodam tempore frater Leo iret cum beato Francisco versus sanctam Mariam de Portiuncula, vidit crucem auream pulcherrimam beatum Franciscum praecedentem et in ea Christum crucifixum stantem, et videbat, quod cum stante stabat et cum eunte ibat; et crux erat tanti splendoris, quod et faciem beati Francisci et partem aëris circumquaque illuminabat [2]. De virginitate beati Francisci frater Leo fuit tripliciter certificatus, ut dicetur infra, scilicet per confessionem, visionem et superno oraculo. Hic [frater Leo] vidit chartam descendentem de caelo super beatum Franciscum se ponentem, in qua erat scriptum: « Hic est gratia Dei [3] ». Tempore, quo in monte Alvernae stabat beatus Franciscus, frater Leo eundo de nocte, ut diceret matutinum, cum beatum Franciscum non reperisset in cella, vidit eum aliquando tam alte elevatum, quod tangere poterat eius pedes; quos osculando et amplexando dixit: « Deus, propitius esto mihi peccatori, et per merita huius sanctissimi viri fac me tuam misericordiam invenire ». Aliquando vidit eum elevatum ad cacumina arborum; aliquando in tanta altitudine elevatum eundem conspexit, quod vix visu poterat eum attingere, et tunc prosternens se in loco, unde beatus Franciscus erat assumptus, praefata orando dicebat (*b*) [4].

Fratris Leonis beatus Franciscus vidit cor et tentationem, et dando sibi scripturam de sua manu eum liberavit, ut fructu et conformitate XVIII et XXVI dicetur.

Fratri Leoni exsistenti secum in monte Alvernae beatus Franciscus praedixit de sua stigmatizatione in brevi futura, indicando ei, quod Deus in monte illo faceret ad paucos dies mirabilia, quae nunquam fecit alicui creaturae, de quibus admirabitur totus mundus. Frater Leo cum beato Francisco erat in monte Alvernae, quando Dominus stigmata ipsi patri nostro beato Francisco impressit. « Huic soli fratri Leoni beatus Franciscus sua stigmata committebat tangenda et novis pectiolis remutanda; quas qualibet die hebdomadae inter clavos illos mirabiles et carnem reliquam ad retinendum sanguinem et mitigandum dolorem renovabat, excepto die iovis de sero et per totum diem veneris, in quo nullum remedium volebat apponi, ut amore Christi

---

(*a*) As et edd. *ingeminabat*.

---

[1] Cfr. *Actus* c. 8 et *Chron. 24 gen.* pag. 69. — [2] Idem *Actus* c. 38 n. 5 et *Chron.* cit. pag. 68. — [3] Cfr. supra pag. 58 not. 1. — [4] Cfr. *Actus* c. 39 et *Chron.* cit. pag. 65.

eo die crucifixi cum Christo penderet. Aliquando manus illas tam venerandis stigmatibus insignitas ante cor et oculos fratris Leonis sanctus Franciscus studiosius apponebat; ex qua appositione tantam devotionem frater Leo sentiebat in corde, quod quasi exspirabat, frequentibus singultibus in stupore salubri immutatus [1] ».

Semel, dum esset beatus Franciscus in monte Alvernae et frater Leo et ad invicem loquerentur, ostendit ei beatus Franciscus quendam lapidem, quem cum magno cordis gaudio et laetitia extollebat dicens: « Frater Leo, pecorone, lava istum lapidem cum aqua »; quod cum fecisset, dixit: « Lava illum cum vino »; quo facto, ait sanctus Franciscus: « Lava illum cum oleo », quod et fecit; et sanctus Franciscus ait: « Lava illum cum balsamo ». « Et quomodo possem hic, ait frater Leo, balsamum invenire »? Respondit sanctus Franciscus: « Scias, frater pecorella Dei, quod ille est lapis, in quo semel sedebat Dominus, quando apparuit mihi; et ideo dixi tibi, ut quater illum lavares, quia tunc quatuor mihi pro ordine promisit: primum, quod qui diligeret ex toto corde fratres et ordinem, et benedictione praeventus divina, bene finiret (*a*); secundum, quod notabiliter punietur istius ordinis iniustus persecutor; tertium, quod malus frater et in malitia perseverans diu non poterit durare, quin dimittat (*b*) vel confundatur; quartum, quod ista religio usque in finem saeculi durabit [2] ».

Beato Francisco infirmanti, cum frater Leo eidem assisteret, semel « orans devote et factus in ecstasi, ductus est in spiritu ad quoddam flumen impetuosum, profundum et latum. Ubi cum transeuntes aspiceret, vidit aliquos fratres oneratos ingredi illud flumen, quorum aliqui submergebantur in principio, aliqui in medio, aliqui ultra plus vel minus secundum maiorem vel minorem ponderis gravitatem; quod frater Leo non poterat sine compassione videre. Vidit postmodum alios fratres exoneratos sine aliquo periculo vel laesione transire. Beatus vero Franciscus cognoscens ipsum aliquam visionem vidisse, praecepit illam edici. Quod cum fecisset, dixit beatus Franciscus: ‚Vera sunt, quae vidisti; nam flumen est iste mundus, in quo fratres submerguntur, qui non habent voluntariam paupertatem; veri autem fratres Minores omnia mundana contemnentes sine periculo de temporalibus transeunt ad aeterna' [3] ».

Huic fratri Leoni semel beatus Franciscus dixit, quod, cum ipse in sancta Maria de Angelis oraret post trifariam (*c*) pro populo christiano, Christus apparuit sibi dicens: « Si vis, ut miserear populo christiano, fac ut ordo tuus permaneat in statu, in quo fundavi eum; et ego tui amore ordinis ab instantibus tribulationibus mundum praeservabo. Sed scias, quod futurum est, quod ipsi recedent de via ista, quam ostendi eis, et me tantum ad iram provocabunt, quod dabo contra eos magnam daemonibus potestatem; et ipsi ponent tantum scandalum inter ipsos et mundum, quod nullus erit ausus portare habitum manifeste; et quando perdet mundus fidem ordinis, non remanebit ultra lux in mundo; quia posui eos in lucem mundi; fratres autem, qui latebunt in silvis fugitivi, per me, sicut olim filii Israel in deserto, pascentur [4] ».

(*a*) In As correctio facta dicit *omnia bene faceret*. — (*b*) As et edd. addunt *ordinem*. — (*c*) Ita codex; in As correctio *tribunam*, edd. *truinam*.

[1] *Actus* c. 39; cfr. *Chron.* cit. pag. 68. — [2] Idem alio modo refert Eccleston l. c. pag. 245, qui fratrem *Rufinum* colloquio illi interfuisse et verba S. Francisci audivisse refert. — Cfr. *Chron. 24 gen.* pag. 67. — [3] Idem *Chron.* cit. pag. 69; cfr. *Actus* c. 59. — [4] Idem *Chron.* cit. pag. 70; cfr. *Speculum* Sab. p. 140 et *Leggenda antica* (ed. Minocchi) c. 35. — Alia eiusdem visionis relatio habetur in *Actus* c. 65 (cfr. « Prophetia beati Francisci » inter « Verba fratris Conradi », *Opuscules de Critique Historique* t. I pag. 375).

Et iterum dixit beatus Franciscus, quod propter peccata populi Deus mitteret magnam famem in mundo, sed propter merita unius pauperis, qui vivit, facit dilationem; sed eo mortuo, fames illa horribilis invalescet in tantum, quod innumerabiles homines famis angustia morientur. Sed post mortem, cum fames illa, scilicet post sex menses a morte beati Francisci, evenisset, beatus Franciscus apparuit fratri Leoni dicens, quod pauperculus ille erat ipse beatus Franciscus, cuius meritis Deus distulit ipsam mittere; qua multi fame obierunt [1].

Cum post mortem beati Francisci frater Leo affectaret eum videre et ob hoc in loco de Heremita [2] coram Deo se ieiuniis et orationibus afflixisset, apparuit ei beatus Franciscus totus iucundus et splendidus, habens alas cum pennis fulgentibus et cum unguibus ad modum aquilae deauratis. Cumque frater Leo de tam mirando aspectu miraretur et eius afflatu mellifluo recrearetur, interrogavit beatum Franciscum, quare in tali effigie apparebat. Qui respondit: « Inter alia dona, quae mihi Dominus concessit, est, ut devotos ordinis mei adiuvem, quasi volans in tribulationibus citius invocatus, et eorum ac bonorum fratrum animas ad caelestia regna perducam, daemones vero quasi (*a*) unguibus feriam, ac fratres reprobos et ordinis persecutores dura punitione corrigam et discerpam [3] ».

Iste frater Leo in somnis vidit, quod divinum iudicium parabatur, et in prato quodam angelis tibicinantibus congregabatur innumerabilis multitudo. Et ecce, duae scalae, quarum una erat rubea, altera vero alba, erant positae; una ab una parte illius prati, altera ab alia, quarum proceritas a terra usque ad caelos tendebatur. Apparuit Christus in summitate scalae rubeae quasi offensus graviter et iratus, et beatus Franciscus erat aliqualiter inferius prope eum. Qui amplius descendens fratres fortissime vocando dicens clamabat: « Venite, fratres, venite; accedite ad Dominum, qui vos vocat; confidite, ne timeatis ». Fratres multi currebant ex patris admonitione et incipiebant ascendere scalam rubeam confidenter. Cum autem sic ascenderent, unus cadebat de tertio gradu, alius de quarto, alius de decimo, alius de medio, alius de summo. Beatus autem Franciscus ad tantam fratrum ruinam pietate motus et compassione pro filiis precabatur Dominum; Christus vero ostendebat manus et latus, in quibus plagae eius renovari videbantur, et inde sanguis recentissime distillabat, et dixit: « Ista fecerunt mihi fratres tui ». Et dum beatus Franciscus perseveraret, misericordiam pro filiis postulando, post brevem morulam per scalam rubeam aliquantulum descendebat et clamabat, dicens: « Confidite, fratres, ne desperetis; currite ad scalam albam et ascendite, quia ibi suscipiemini et per eam caelum intrabitis ». Currentibus autem fratribus ad scalam albam ex admonitione paterna, ecce, beata Virgo apparuit in summitate scalae et recipiebat eos, et ingrediebantur regnum sine labore [4].

Alia vice apparuit Dominus Iesus Christus fratri Leoni, dicens: « Ego turbor de fratribus ordinis tui ». Cum vero ille tremens causam interrogaret, respondit: « Quia, inquit, mea beneficia non cognoscunt, quae quotidie eis impendo, ut tu nosti, et non tantum spiritualia, sed etiam temporalia necessaria corpori, cum non seminant neque

(*a*) As *quos*.

[1] *Chron. 24 gen.* pag. 70; secundum Salimbene *Chron.* ad an. 1227 illo tempore erat « maxima caristia bladi et rerum victualium... et per totam Italiam magna fames » — [2] Plures apud antiquos auctores inveniuntur loci huius nominis. — [3] Idem *Chron.* cit. pag. 71. — [4] Idem l. c. pag. 71.

metunt, et quia frequenter murmurant et otio vacant, et quia se ad iram provocant, et ad amorem cito non redeunt, parcentes iniurias, ut debent [1] ».

Hic frater Leo intentionem beati Francisci de libris habendis quoad regulae observantiam bene novit, et specialiter, quod nullus liber proprius haberetur, sed in communi [2].

Frater iste Leo fuit cum beato Francisco apud Honorium papam dicentem: « Beatus ille, qui Dei gratia roboratus hanc regulam fideliter et devote servaverit; quia omnia, quae in ea scripta sunt, sancta et catholica sunt et perfecta [3] ».

Beatus iste frater Leo claruit spiritu prophetico. Cuidam iuveni exsistenti in habitu saeculari, cum dixisset: « Tu ordinem nostrum intrabis », ille nunquam potuit quiescere, donec introiret ordinem, ut sibi frater Leo praedixerat. Mulieri praegnanti, cum ad visitandum locum de Portiuncula ob reverentiam Virginis venerat, quae de Insula erat Assisii, cum dolores partus eam arriperent, dubitando, ne posset redire ante emissionem partus ad dictum castrum de Insula, frater Leo dixit: « Ne timeas, quia hoc sero domum tuam cum sole redibis — pluebat enim — et pulchrum paries puerum »; et sic evenit, ut frater Leo praedixit.

Claruit signis, dum adhuc viveret. Quaedam enim mulier de Codale (*a*), comitatus Spoleti, habens apostema sub mammilla, quod multam saniem emittebat et auxilio medicorum nullatenus posset iuvari, ad fratrem Leonem accedendo, cum eum rogasset, ut supra vulnus apostematis signum faceret crucis, quod cum fecisset, statim liberata est, ut nullum signum cicatricis remaneret. Quidam puer morbo caduco laborans, omni die ad fratrem Leonem accedens, clam de tunica eius accipiens suspendit ad collum et liberatus fuit; sed casu decidente a collo praedicto frusto tunicae, cum morbo laboraret pristino, ad praefatum fratrem Leonem rediens, de tunica cum accepisset et collo suspendisset, statim fuit et perpetuo a dicto morbo liberatus. Quidam de castro Trevii a duce Spoletano in carcere tenebatur, qui se orationi fratris Leonis exsistenti in loco de Portiuncula commendavit; apparente sibi fratre Leone cum gausape [4] in manu in medio die et patefaciens carcerem, videntibus aliis, ipsum de carcere extrahendo, ad sanctam Mariam de Portiuncula adduxit; cumque ille quaereret fratrem Leonem et inveniret ac gratias referret, respondit: « Non mihi, sed beatae Mariae de Candelis, cuius est hodie festum, gratias referas, quae te liberavit ». Frater Leo in die dominico, cum iret ad sanctum Paulum, ubi erant molendina de Assisio molentia, et redarguens molendinarios, qui culpam dicentes, dum ad molendina rediissent, molas stantes invenerunt, aqua currente et omnibus stantibus ut prius. Comitissa de Anguillaria, fratri Leoni devota, dum amisisset loquelam, et omnia pro eius morte essent parata, a quadam domina fuit sibi dictum: « Tu habes fidem in sancto fratre Leone, recommenda te sibi »; illa, cum loqui non posset ore, corde se recommendans fratri Leoni statim fuit optime liberata.

(*a*) As *Cordale*.

[1] Idem l. c. pag. 72. — [2] Cfr. *Sanctissimi P. N. Francisci Intentio Regulae* in Doc. ant. franc. t. I pag. 82 seq. — [3] Haec refert Angelus Clarenus tam in *Historia tribulationum* (cfr. *Archiv für Litteratur- und Kirchengeschichte*, t. III p. 602, ubi desunt verba « et catholica »), quam in *Expositione regulae* ad cap. 10 (cod. Ottob. 666 fol. 94 v, cod. 1/92 S. Isid. fol. 68 v); cfr. *Opuscules de Critique historique*, t. I pag. 93. — Quae sequuntur de miraculis fratris Leonis, in aliis documentis non invenimus. — [4] Gausape=pallium (Du Cange).

Hic mandato fratris Crescentii generalis ministri et capituli generalis cum fratre Rufino et fratre Angelo *Legendam* composuit beati Francisci, quae *Legenda trium sociorum* dicitur, quam in hoc opere multoties nominavi et nominabo [1]. Frater Leo iste, ut dictum est [2], fratrem Bernardum de Quintavalle gloriosum post mortem eius vidit.

Hic tandem sanctitate plenus ad Deum pergens, post mortem sepultus est Assisii, cum beato Francisco in eius ecclesia et cum aliis sociis.

De fratre Gulielmo de Anglia.

Sextus frater, qui iacet Assisii in ecclesia beati Francisci, est frater Gulielmus de Anglia. Hic, ut dicitur, loco fratris Ioannis de Cappella, qui ordinem exivit et factus leprosus se suspendit et sic a numero duodenario sociorum beati Francisci exclusus, ratione vitae et sanctitatis tali numero duodenario sociorum insertus, velut alter Mathias collegio apostolorum, duodecimus frater et socius beati Francisci computatur.

Hic qualis fuerit in vita, post eius mortem miracula declararunt; adeo multis et magnis claruit signis, ut beati Francisci sanctitatis famam obumbrare videretur; quapropter frater Elias, tunc ordinis generalis minister, sibi mandavit, quod miracula amplius non faceret; et sic fecit; destitit enim a miraculis propter praesentiam honorificandam et famam sui patris (*a*) beati Francisci [3].

De fratre Angelo, uno de sociis sancti Francisci.

Septimus frater sanctus, qui Assisii iacet in ecclesia beati Francisci, est frater Angelus de Reate. Hic fuit primus miles, qui ordinem ingressus est. Cum isto denique fratre Angelo, fratre Petro Cathanii et fratre Bernardo de Quintavalle ivit beatus Franciscus Romam ad dominum papam Honorium, ut diem determinaret pro indulgentia sanctae Mariae de Portiuncula, quam antea sibi Perusii concesserat. Hunc beatus Franciscus cum fratre Leone et fratre Massaeo assumpsit in socium, quando primo ad sacrum montem Alvernae accessit, et ibi cum eo stetit et fuit. Istum credo esse illum fratrem Angelum, de quo habetur in *Legenda antiqua* [4], qui valde timebat daemones, et de nocte hac de causa non audebat stare solus; quod pandens beato Francisco, eidem ipse pater mandavit, quod ascenderet solus unum montem valde altum et alta voce diceret: « Superbi daemones, omnes ad me venite modo, et quidquid poteritis, facite mihi ». Quod cum ille humiliter fecisset, nec aliquis daemon ad eum venisset, postea impavidus effectus est.

Ad mortem deveniens, cum praefatis sanctis fratribus est tumulatus, et ut sanctus habitus est et depictus.

De fratre Massaeo, socio beati Francisci.

Octavus frater sanctus iacens Assisii in ecclesia beati Francisci est frater Massaeus Marignani, qui fuit verbi gratia adornatus et discretione praecipua;

(*a*) As *patris praecipui*.

---

[1] Supersedemus hoc loco a tractanda quaestione de origine huius legendae; cfr. praeprimis Van Ortroy, *La Légende de S. François d'Assise, dite « Legenda trium sociorum »*, in Analecta Bollandiana t. XIX pag. 119 seq. et Lemmens, Documenta ant. franc. t. I pag. 18 seq. — [2] Pag. 186. — [3] Idem Paul. Puteol. (*Misc. Franc.* t. VIII pag. 58), *Cat. S. Fr. Min.* pag. 5 et *Chron. 24 gen.* pag. 217. — [4] In aliis documentis non invenimus.

propter quae duo beatus Franciscus, quia, quando rapiebatur, satisfaciebat ad se venientibus, libenter eum secum ducebat. Hunc beatum fratrem Massaeum beatus Franciscus volens probare, eo vocato, dixit, quod, quia socii sui habebant gratiam orandi et contemplandi Deum, ipse volebat, quod omnia officia eorum faceret, scilicet faciendo portam, coquinam, eleemosynam, et sic omnia officia domus, et hoc per obedientiam. Frater Massaeus iniuncta omnia libenter perfecit; sed super hoc stimulati conscientia fratres alii socii, quod solus ipse omnem loci portaret laborem, a tali onere, beato Francisco dividente officia et cuilibet dando suum, frater Massaeus est liberatus [1].

Hic est ille frater Massaeus, qui beati Francisci probavit humilitatem. Nam beato Francisco revertenti de silva et ad cellam pergenti, in loco de Portiuncula, factus obviam frater Massaeus cum coepit alloqui, sic dicens: « Unde tibi, unde tibi, unde tibi »? Et quaerenti beato Francisco: « Quid »? respondit frater Massaeus: « Quod totus mundus vadit post te; tu non es homo pulcher nec litteratus »; et sic de aliis, ut dicetur infra, fructu XVIII et conformitate. Respondit beatus Franciscus post spatium oculis elevatis ad caelum: « Vis scire, unde mihi »? inquit; « hoc mihi est ab illis oculis Domini sanctissimis, qui non viderunt inter malos magis peccatorem, viliorem et insipientiorem me ». Quo audito, frater Massaeus de humilitate beati Francisci fuit certificatus [2].

Huius beati viri beatus Franciscus intellexit (*a*) et vidit cordis arcana. Nam cum iret cum beato Francisco et antecedendo beatum Franciscum, ad quoddam trivium, quo homo poterat ire Aretium, Senas et Florentiam, pervenisset, et beatum Franciscum exspectasset ac eidem dixisset, quam viam ire vellet, respondit beatus Franciscus: « Per illam, quam Dominus ostendet, ibimus ». Et cum frater Massaeus diceret: « Quomodo hoc scire poterimus »? respondit beatus Franciscus: « Per signum, quod faciam in te ». Unde mandavit eidem per sanctam obedientiam, quod volveret se et nunquam cessaret, donec ipse sibi diceret; quod faciens, ex vertigine capitis pluries cecidit. Tandem dixit sibi beatus Franciscus, quod se non moveret et diceret, versus quam patriam haberet faciem; et ille diceret: « Versus Senas »; beatus Franciscus dixit: « Vadamus Senas, quia sic est voluntas Dei ». Quo accedentes, beati Francisci populus sciens adventum, ei obviam euntes, ipsum et socium perpensiles ita, quod terram minime tangere potuerunt, usque ad episcopatum portaverunt. In illa hora aliqui cives pugnabant ad invicem, ita quod erant iam duo mortui. Beatus autem Franciscus surrexit et ita gratiose (*b*) praedicavit illis hominibus et tam sancte, quod omnes reduxit ad pacem et ad concordiam; propter quod opus episcopus invitavit beatum Franciscum et eum suscepit cum magno honore. De mane vero beatus Franciscus laudem fugiens humanam, insalutato episcopo, recessit de Senis cum socio; propter quod frater Massaeus ibat murmurando per viam dicens: « Quid fecit hic bonus homo! me, ut puerum, fecit volvere et episcopo, qui nos sic bene recepit, nec verbum dixit in suo recessu, nec gratias retulit »; et videbantur sibi haec omnia indiscrete facta. Tandem nutu Dei ad cor rediens et se durissime arguens, dixit: « Frater Massaee, tu es valde superbus, qui opera divina diiudicas, et es dignus inferno, quia

(*a*) As *intellexit intentionem*. — (*b*) As et edd. *gratiose et sancte*.

[1] Cfr. *Actus* c. 12 et *Chron. 24 gen.* pag. 115. — [2] Cfr. *Actus* c. 10.

Deo cum tua discretione (*a*) rebellas; nam in ista via tam sancta opera sunt facta per fratrem Franciscum, quod si ea fecisset angelus, non fuisset mirabilius; nam omnia, quae in ista via patrata (*b*) sunt, ex ordinatione processerunt divina, ut patet ex fine optimo subsecuto; quia et ad pacem reduxit cives et multas animas a baratro inferni liberavit; et propterea tu es stultissimus et superbus, qui murmuras de his, quae processerunt a voluntate Dei ». Haec autem frater Massaeus aliquantulum praecedens beatum Franciscum secum dicens (*c*) in corde suo, sanctus autem Franciscus omnia praefata videns lumine divino, clamavit post tergum fratris Massaei dicens: « Ad ea, quae nunc cogitas, te teneas; quia sunt bona et utilia tibi, sicut a Deo inspirata. Murmuratio vero prima, quam faciebas, est mala, caeca et superba, a diabolo tibi in anima seminata ». Quae audiens frater Massaeus stupuit, videndo, beatum Franciscum scire tam subito cordis eius arcana; et comprehendit, quod beatum Franciscum semper in suis actibus divina gratia dirigebat [1].

Cum beatus Franciscus socios suos ad diversas orbis partes binos misisset ad praedicandum, ut, quod praeceperat, ipse exerceret, elegit ire versus Franciam cum fratre Massaeo. Et cum ad quasdam habitationes venissent fidelium, necesse habuerunt, ut regula mandat, mendicare. Et cum beatus Franciscus ivisset per unam viam et frater Massaeus per aliam, eleemosynas acquisierunt; et quia beatus Franciscus erat homo despectus et frater Massaeus pulcher, plures et pulchriores habuit eleemosynas et bolos panis. Cum vero ad quendam fontem venissent, in cuius margine lapis erat pulcher et magnus, extrahentes frustra [2], quae acquisierant, videns beatus Franciscus, quod frustra fratris Massaei et plura essent et pulchriora quam sua, exsultans in spiritu pro desiderio paupertatis ait: « O frater Massaee, nos non sumus digni tam magno thesauro (*d*) »; et haec gradatim vocem elevando pluries replicavit. Respondit frater Massaeus: « Pater carissime, quomodo potest dici thesaurus, ubi est tanta paupertas? quia hic non est cultellus neque tobalia nec scutella nec incisorium nec domus nec mensa nec famulus nec famula ». Respondit beatus Franciscus: « Et hoc ego reputo magnum thesaurum, ubi nihil est de his, quae praeparantur humana industria, sed quidquid adest, (*e*) a divina providentia ministratur, sicut apparet manifeste in pane acquisito, in lapide tam pulchro et in fonte tam limpido; unde volo, quod rogemus Deum, ut thesaurum sanctae paupertatis tam nobilem, qui habet Deum administratorem, faciat nos toto corde diligere »; et sic de illis frusticulis (*f*) panis satiati, gratias agentes Deo, versus Franciam iter arripuerunt. Et cum venissent ad quandam ecclesiam et in eam intrantes, beatus Franciscus ivit ad orandum post altare, ubi visitationis divinae recepit tam ignitum fervorem eius anima ad paupertatis concupiscentiam inflammantem, quod videbatur ex facie et oris hiatu quasi flammas ardoris emittere; et egrediens ad socium sic ignitus ore vehementer dixit: « A, a, a, frater Massaee, praebe mihi te ipsum »; et hoc fecit ter. Frater Massaeus stupens de tam vehementi fervore, cum tertia vice dixisset beatus Franciscus: « Praebe mihi te ipsum », misit se totum inter brachia sancti patris. Tunc beatus Franciscus cum hiatu magno et spiritus sancti fervore ac clamore valido reboando: « A, a, a »,

(*a*) Edd. *indiscretione.* — (*b*) As *parta;* edd. *peracta.* — (*c*) As *dicebat.* — (*d*) As et edd. *tanto thesauro et tam magno.* — (*e*) As et edd. *adest, totum.* — (*f*) As *frustulis.*

[1] Fere idem paulo fusius *Actus* c. 11; cfr. *Chron.* cit. pag. 116. — [2] Frustrum=frustum (Du Cange).

levavit fratrem Massaeum cum ipso flatu in aërem et impulit illum ante se, quantum posset esse unius hastae longae mensura; quod videns frater Massaeus, stupuit de tam mirando sancti patris fervore, et retulit postea sociis, quod in illo sancti Francisci impulsu tantam dulcedinem et consolationem spiritus persensit, quod nunquam in vita sua tam maximam consolationem se meminerat habuisse. Postea Romam pergentes, beatus Franciscus fuit a sanctis apostolis Petro et Paulo dulciter amplexatus, ut dicetur fructu XXIII et conformitate. Et quia beatus Franciscus a sanctis apostolis Petro et Paulo petierat, ut pro ipso et sociis custoditionem thesauri paupertatis impetrarent a Christo, beati apostoli sibi dixerunt: « Frater Francisce, quia hoc tu petis et desideras, quod ipse Christus et eius sancti apostoli hic servaverunt, ideo notificamus tibi ex parte Domini nostri Iesu Christi, quod tuum desiderium est adimpletum; et ipse Dominus Iesus Christus nos misit ad te, ut annuntiemus tibi, quod oratio tua est exaudita, et thesaurus sanctissimae paupertatis tibi et te sequentibus perfectissime est concessus. Et tibi ex parte Christi dicimus, quod quicumque hoc desiderium tuum exsequentur, de regno beatitudinis sunt securi; et tu et omnes tui sequaces erunt a Domino benedicti ». Quae omnia beatus Franciscus fratri Massaeo socio suo revelavit [1].

Hic frater Massaeus audivit Christum concedentem indulgentiam beato Francisco pro ecclesia sanctae Mariae de Portiuncula, dum esset beatus Franciscus in dicta ecclesia coram Christo, virgine Maria et angelis (*a*); et ivit cum eo Perusium ad dominum papam Honorium, et dominus Honorius concessit sibi, ut dicetur fructu et conformitate XIV. Et beatus Franciscus dixit fratri Massaeo, quod indulgentia sibi per dominum papam concessa a Christo erat in caelo confirmata. Sed quando fuit dies a Christo dictae indulgentiae determinata, frater Massaeus hoc audivit; sed Romam tunc non ivit cum beato Francisco (*b*) [2].

Beatus Franciscus, ut dictum est supra, volens scire, an deberet orare vel ire ad praedicandum, hunc fratrem Massaeum ad fratrem Silvestrum misit et beatam Claram, ut per eos de beneplacito declaratus divino sciret, quid agendum. Sed fratre Massaeo beato Francisco de voluntate Domini referente responsum, beatus Franciscus, ipso fratre Massaeo accepto pro socio et fratre Angelo, de Reate, ut credo, ad praedicandum perrexit. Et tunc evenit miraculum illud coram praefatis, quod multitudo maxima avium (*c*) congregata ad audiendum praedicationem beati Francisci steterunt et venerunt [3]. Hunc fratrem Massaeum beatus Franciscus misit ad fratrem Rufinum tentatum a diabolo et nequiter deceptum; quem nolentem ad beatum Franciscum operatione diaboli venire, frater Massaeus suo eloquio sancto perduxit, ac a diaboli insidiis exstitit liberatus, ut statim dicetur. Frater iste Massaeus audiens quendam fratrem habere profundissimam humilitatem, quae ipsum sanctificabat, confirmabat et in Dei gratia crescere faciebat, et quod melius est, nunquam a Deo cadere permittebat habentem, ad habendam hanc virtutem humilitatis frater Massaeus exarsit, quod elevans oculos ad caelum voto se strinxit firmissimo, nunquam velle in mundo isto laetari, nisi hanc suae animae virtutem sentiret adesse; quia videbatur sibi, quod esset dignus inferno, nisi ad illam humilitatem pervenisset. Et cum tristis sic

(*a*) As *Maria de Angelis.* — (*b*) As et edd. om. *sed quando — cum beato Francisco.* — (*c*) As *civium.*

[1] Idem *Actus* c. 13 n. 4-19 (n. 20-29 a Pisano breviter exhibentur) et n. 29-31; idem etiam in *Chron. 24 gen.* pag. 117, quae n. 20-29 minus abbreviaverunt. — [2] Bartholi c. 6 et 7. — [3] Cfr. *Actus* c. 16.

frater Massaeus per dies plurimos permansisset, in fame et siti et multis lacrymis se mactando, ac dum quadam die per silvam eundo pro desiderio vehementi dictae virtutis et singultus, luctus, clamores et lacrymas emittendo et dari a Domino sibi humilitatem postulando, vocem de caelo bis eum vocantem audivit: « Frater Massaee, frater Massaee »! Qui per spiritum Christum benedictum recognoscens respondit: « Domine mi, Domine mi ». Et Dominus ad eum: « Quid vis dare ad hanc gratiam possidendam, quid vis dare »? Et frater Massaeus respondit: « Oculos capitis mei ». Et Dominus ad eum: « Et ego volo, quod oculos et gratiam habeas ». Tunc frater Massaeus remansit in tanta gratia optatae humilitatis et lumine Dei, quod continue erat in iubilo. Et saepe, quando orabat, faciebat quendam iubilum uniformem et voce obtusa, sicut columbus: « U, u, u »; ac facie hilari et iucunda contemplationi vacabat. Et super hoc humillimus factus se viliorem cunctis hominibus reputabat. Interrogavit sanctus frater Iacobus de Fallerono fratrem Massaeum, quare versum non mutabat in iubilo; respondit frater Massaeus cum magna laetitia: « Quia, cum in una re inveniam omne bonum, non oportet, quod variem versum [1] ».

Sanctus frater Massaeus requisitus semel, quare erat prae solito tristis, respondit: « Quia, etsi profundissimam humilitatem possideam Dei gratia, hoc mihi non est concessum, quod, etsi nollem aliquod malum illi, qui mihi fecisset iniuriam, etsi bona cupiam et procurem ut mihi, tamen eum non sic diligo ut me, nec placet mihi, quando audio, eum commendari [2] ». Iste frater Massaeus erat solitus dicere, quod melius est ire ad sanctos vivos quam mortuos, id est ad bonos homines, qui supersunt in mundo, quam visitare sanctorum limina; nam tales docebunt te multa, per quae transierunt, scilicet periculosas tentationes, temporales et spirituales [3]. Et uni referenti aliorum mala dixit frater Massaeus: « Considera semper facta bonorum, scilicet beatae Virginis et sanctorum, et nunquam facta malorum. Si enim malus es, considerando facta bonorum, hodie et cras habendo ante oculos facta bona, de necessitate fies bonus; si bonus es, fies melior; sed considerando facta malorum, si bonus es, fies malus, si malus, fies deterior [4] ». Hic frater Massaeus de sero comedebat et statim cellam intrabat et dormiebat et postea surgebat, nihil dicens aliud per totam noctem quam: « Domine mi, da mihi contritionem de omni displicentia et offensione; da mihi gratiam emendandi et satisfaciendi secundum voluntatem tuam ». Et post missam claudendo se in cella dixit: « Fac, Domine, te me cognoscere et amare toto corde »; et hoc dixit cum maximis lacrymis et devotione [5].

Hic emigrans ad Dominum sepultus est Assisii in ecclesia beati Francisci.

De fratre Rufino, socio beati Francisci.

Nonus frater iacens Assisii est frater sanctus R u f i n u s, consanguineus beatae Clarae, et sepultus in ecclesia sancti Francisci. Qui frater Rufinus beati Francisci vita provocatus et doctrina habitum Fratrum Minorum cum magna devotione suscepit. Hic fuit « virgo purissimus, orationis et contemplationis praerogativa sublimis, odoriferae conversationis floridus, coram Deo et hominibus virtutibus adornatus [6] ».

Hunc beatus Franciscus magnis praeconiis extollebat. Cum enim die quadam beatus Franciscus in quodam locello se cum sociis in divinis colloquiis exerceret,

[1] Idem *Actus* c. 41 et *Chron.* cit. pag. 119. — [2] Aliquo aliter et fusius idem referunt *Chron.* cit. pag. 120 lin. 9-27. — [3] Cfr. *Chron.* cit. pag. 121. — [4] Cfr. *Chron.* cit. pag. 120 in fine. — [5] Cfr. *Chron.* cit. pag. 119 in fine. — [6] *Chron.* cit. pag. 46.

frater Rufinus, cum non esset tunc cum eis, sed in silva in oratione, contigit, ut expleta oratione de silva exiret et parum longe a beato Francisco transiret. Quem beatus Franciscus a longe cernens vertit se ad socios dicens: « Dicite mihi, carissimi: quae est sanctior anima, quam habeat Deus in hoc mundo »? Qui humiliter responderunt dicentes, ipsum beatum Franciscum hoc privilegio sublimari. Ipse respondit: « Ego, carissimi, sum indignior et vilior homo ex me, quem Deus habeat in hoc mundo. Sed videtis vos illum sanctum fratrem Rufinum nunc exeuntem de silva? Dominus mihi revelavit, quod anima eius est de tribus sanctioribus animabus, quas Deus nunc habeat in hoc mundo; et firmiter dico vobis, quod ego non dubitarem ipsum sanctum Rufinum vocare, dum adhuc vivit in corpore, cum anima eius sit in gratia confirmata et sanctificata, glorificata et canonizata in caelo a Domino Iesu Christo ». Haec verba dixit beatus Franciscus de sancto fratre Rufino in sui absentia [1].

Sed antequam ad hunc sanctitatis et confirmationis gratiae veniret statum, a diabolo fuit dupliciter inter alia tentatus, etsi per beatum Franciscum liberatus. Primo, ut dicit frater Conradus de Offida, fuit a diabolo tentatus, ut beati Francisci vestigia non sequeretur, et specialiter, quia beatus Franciscus erat simplex et idiota, et fratres hinc inde per hospitalia leprosorum transmittendo, frequenter a studio orationis distrahebat; sed via tuta erat, ut sequeretur viam beati Antonii et aliorum anachoretarum in desertis solitarie commorando. Hanc primo suggessit cordi; deinde in angeli lucis forma apparens, praedicta dixit eidem; et sic fuit frater Rufinus in dicto proposito confirmatus. Unde, cum staret in monte Subasio in cellula in quadragesima solitarius, et fratres alii in cellulis aliis factis de arborum ramis, sic ipse frater Rufinus fuit a diabolo delusus, quod non veniebat ad beatum Franciscum hora comestionis more solito; sed mendicando in Assisio panem per totam hebdomadam clausus manebat. Et beatus Franciscus et alii fratres credebant, quod propter solitudinem, quia erat homo magnae orationis, hoc ageret. Et sic stetit in tota quadragesima. In die vero Coenae beatus Franciscus misit pro omnibus fratribus, qui erant in illo monte solitarii, ut communicarent et facerent Domini coenam. Frater autem Rufinus fratri ipsum vocanti respondit: « Dic fratri Francisco, quod nolo ad eum venire, nec de cetero eum sequi, sed volo morari hic solitarius; quia melius potero hic salvari, quam sequendo eius simplicitates, prout Dominus mihi revelavit ». Quae beatus Franciscus audiens tristis effectus, misit sibi alium nuntium iterum, ut veniret; qui ad ipsum venire recusavit. Ante elevationem eucharistiae misit tertio ad ipsum, ut saltem ad videndum corpus Domini veniret. Qui noluit facere; sed verba primis similia beato Francisco dicenda misit. Quibus auditis, beatus Franciscus, sumpta sacra communione, locum intravit solitarium, et tristitia totus absorptus, coepit lacrymari et magno eiulatu dicere: « Domine, ut quid tam simplicem permisisti errare »? Et surgens personaliter ad fratrem Rufinum accessit et dixit sibi: « Quare, frater Rufine, tantam mihi tristitiam (*a*) dedisti et ter vocatus ad tantam solemnitatem venire noluisti » ? Qui respondit, quod volebat vitam eremitarum sequi et non ipsum (*b*); quia sic faciendo,

(*a*) As *moestitiam*. — (*b*) As et edd. *suam*.

[1] Idem *Actus* c. 35 et *Chron.* cit. pag. 46.

nullus poterat esse error, sed bene ipsum sequendo, cum propter suas simplicitates fratres ab oratione multoties distrahebat. Sed cum beatus Franciscus rogaret eum, quod veniret ad comedendum cum fratribus, et ille nollet, tandem acquievit; sumptoque prandio, cum beatus Franciscus vellet eum ad fratrum communitatem reducere et peteret ab eo, quis ipsum ad hoc induxerat, et frater Rufinus diceret, divinam inspirationem et angelicam allocutionem super hoc factam habuisse, quare sic velle agere dixit; tunc beatus Franciscus dixit: « Ego ostendam tibi illum angelum seductorem, qui, te decipiendo, talia tibi suggessit ». Et oratione facta, statim apparuit angelus tenebrarum ita decorus et splendidus, ut omnes essent stupefacti. Quem frater Rufinus videns cum gaudio dixit: « Hic angelus mihi talia dixit ». Tunc beatus Franciscus post orationem praecepit illi angelo, ut quis esset, visibiliter appareret; et vidente fratre Rufino, transfiguratus est in speciem tam horribilem, quod prae timore et horribili foetore in terra frater Rufinus cecidit quasi mortuus; et a beato Francisco sublevatus et confortatus fuit et in iustitia confirmatus. Et dixit postea frater Rufinus, quod in tali forma apparuit, quod non posset corde credi vel verbo declarari; et dixit, quod per magnum tempus et non sine magna poena sibi videbatur praedictum foetorem sentire [1].

Vice alia frater Rufinus fuit a diabolo de praedestinatione tentatus, videlicet, quod ipse non erat de praedestinatis ad vitam aeternam, et quidquid boni faciebat in religione, perdebat. Et hoc primo diabolus eius cordi suggessit. Sed frater Rufinus hoc beato Francisco non pandit; verum consueta opera faciebat, scilicet orando, ieiunando et alia bona faciendo; erat tamen ex hoc melancholicus totus et tristis effectus. Sed hosti antiquo non suffecit hoc sibi suggerere, sed insuper fratri Rufino in specie Crucifixi apparens, ei dixit (*a*): « O frater Rufine, ego sum Dei Filius; tu non es de praedestinatis ad vitam; cur te affligis? *Ego scio, quos elegerim* [2]; nec credas filio Petri Bernardonis, nec ipsum de ista materia interroges; quia omnis alius a me hoc ignorat. Ideo credas, quod tu es de numero damnatorum, et ipse frater Franciscus et pater eius est damnatus; et quicumque eum sequitur, decipitur ». Unde frater Rufinus erat ita obtenebratus a principe tenebrarum, quod iam fidem et amorem in beato Francisco perdiderat, et hoc sibi dicere non curabat. Sed beato Francisco, quod frater Rufinus non dixit, spiritus Domini revelavit. Unde ipse pater pius, videns periculum dicti fratris, misit ad eum fratrem Massaeum, ut ad eum frater Rufinus veniret omni modo; nam beatus Franciscus et frater Rufinus (*b*) ambo stabant in loco de Carceribus, scilicet in monte Subasio. Frater Rufinus respondit fratri Massaeo: « Quid ego habeo agere cum fratre Francisco »? Et tunc frater Massaeus, homo totus sapientia Dei plenus, clare cognoscens eum diaboli fallacia deceptum, ait: « O frater Rufine, nescis tu, quod frater Franciscus est sicut angelus Dei, qui tot animas in mundo illuminavit, et a quo etiam nos tot divinae gratiae dona recepimus? Ego volo, quod omnino ad eum venias; quia clare video te a diabolo esse deceptum ». Statim autem frater Rufinus venit ad beatum Franciscum, quem beatus Franciscus a longe videns coepit clamare: « O frater Rufine, captivelle, cui credidisti »? Et

(*a*) Edd. *suggerere, verum etiam in similitudinem Christi crucifixi se transfigurans dixit fratri Rufino.* — (*b*) As et edd. 2 *Massaeus.*

[1] Fere idem *Chron.* cit. pag. 48 et 49. — [2] Ioan. 13, 18.

sibi beatus Franciscus totam tentationem, quam habuerat intus et extra, dixit; et docuit, quod ille, qui talia sibi suggesserat, non erat Christus sed diabolus: primo, quia cor eius induraverat; secundo, quia eum tristem effecerat, cuius oppositum est de Christo; tertio, quia dicendo sibi aliquid vituperii, diabolus sustinere ut superbus non posset, et ideo dixit beatus Franciscus fratri Rufino: « Si tibi iterum apparebit et aliquid tibi dixerit, dicas ei, scilicet diabolo: ,Aperi os tuum et ego stercorizabo in illud'; et ipse statim a te effugiet ». Tunc frater Rufinus humiliter culpam suam cum lacrymis recognovit, quod praefata beato Francisco non revelaverat. Sanctus vero Franciscus dixit sibi: « Vade, fili, et confitearis, et orationis (*a*) studium non omittas. Et scias, carissime, pro certo, quod haec tentatio erit tibi ad magnam utilitatem et consolationem, sicuti in brevi experieris ».

Sanctus autem frater Rufinus rediit ad cellam suam et ad orandum in silva. Et dum staret cum multis lacrymis ad orandum Omnipotentem, diabolus in specie Christi apparens dixit: « Frater Rufine, nonne dixi tibi, quod non crederes filio Petri Bernardonis? cur te affligis? Crede mihi, quia tu es damnatus ». Et statim frater Rufinus: « Aperi os, et ipsum stercorizabo ». Tunc diabolus indignatus cum tanta furia et tempestate ab eo recessit et cum tanta commotione lapidum montis Subasii, quod ignem maximum, se ad invicem collidendo, fecerunt. Unde ad tam terribilem strepitum lapidum beatus Franciscus et socii admirantes extra dictum locum, ut novitatem illam aspicerent, exierunt. Et tunc sanctus frater Rufinus manifeste advertit, quod ipsum hostis deceperat. Unde sero (*b*) ad beatum Franciscum rediit et prosternens se in terram, iterum dixit culpam suam; qui confortatus a beato Francisco totus pacificatus remansit. Et post hoc, dum staret ad orandum cum multis lacrymis, et ecce Christus benedictus sibi apparuit et totam animam suam divino liquefecit amore, dicens: « Bene fecisti, fili, bene fecisti, quod fratri Francisco credidisti; quia ille, qui te contristaverat, diabolus fuit, ego autem sum Christus magister tuus; et ut de hoc te reddam certissimum, hoc sit tibi signum, quod, donec in isto mundo eris, nunquam de cetero tristis eris ». Et benedixit Christus sanctum fratrem Rufinum et dimisit eum in tanto gaudio et dulcedine spiritus et elevatione mentis, quod die ac nocte erat absorptus in Deum. Et confirmatus est tunc in tanta gratia et benedictione et securitate salutis aeternae, quod totus est in virum alterum transmutatus. Ad tantam autem elevationem mentis et orationis perseverantiam pervenit, quod stetisset continue infra parvum circulum die noctuque ad contemplandum divina, si aliquis eum non impedisset. Et quia beatus Franciscus de gratia noverat fratris Rufini, ideo, ut praemissum est, dixit eum sanctum merito posse vocari [1].

Erat autem ipse frater Rufinus propter assiduae contemplationis studium ita absorptus in Deum, quod, quasi insensibilis factus, valde raro loquebatur. Nec etiam erat verbi disseminandi gratia praeditus. Unde cum die quadam beatus Franciscus dixisset fratri Rufino, ut iret ad praedicandum, quidquid Spiritus ei suggessisset, Assisium, et cum frater Rufinus diceret, quod sibi parceret, quia idiota et gratiam verbi non habebat, beatus Franciscus dixit: « Quia non statim mihi obedisti, ideo per sanctam obedientiam

---

(*a*) As et edd. addunt *consuetae*. — (*b*) As et edd. *secundo*.

---

[1] Idem nonnullis mutatis *Actus* c. 31 et *Chron.* cit. pag. 50.

tibi praecipio, ut nudus, solis braccis remanentibus, vadas Assisium, et intrans ecclesiam aliquam sic nudus praedicabis populo ». Qui, statim obediens, Assisium perrexit nudus. Sed beatus Franciscus cogitans interim de prompta obedientia fratris Rufini et de suo mandato tam duro, coepit se increpare, quod talia fratri Rufino de nobilioribus de Assisio mandasset; et inquit ad se ipsum beatus Franciscus: « Per Deum, ego faciam, quod tu experieris quod in alio mandas ». Et denudans se tunicam suam et fratris Rufini fratri Leoni dedit, quem pro socio suo duxit, ut secum eas deferret. Et dum pervenisset Assisium, invenit fratrem Rufinum praedicantem et devote dicentem populo: « O carissimi, fugite mundum, dimittite peccatum, reddite alienum, si vitare vultis infernum (*a*); servate mandata Dei, diligite super omnia Deum et proximum sicut te ipsum, si pergere vultis ad Deum, et agite poenitentiam, quoniam appropinquat regnum caelorum ». Sed cives Assisinates videntes primo fratrem Rufinum nudum sic et consequenter beatum Franciscum, dixerunt: « Isti faciunt tantam poenitentiam, quod efficientur amentes ». Beatus vero Franciscus sic nudus ascendit in pergulum et praedicavit tam stupenda de contemptu mundi, de poenitentia sacra, de paupertate voluntaria, de desiderio regni caelestis, et de nuditate et de opprobriis, ac de passione Domini nostri Iesu Christi crucifixi tam ardenter, quod incredibili devotione et compassione turba maxima, quae convenerat, misericordiam Altissimi ad sidera conclamabat; et tam magnus planctus fuit illa die in Assisio in populo de passione Domini, quod nunquam fuit similis de passione Domini auditus. Unde aedificato populo beatus Franciscus et beatus Rufinus se tunicam reinduerunt et ad sanctam Mariam ambo sunt reversi; et beatum se putabat, qui posset eos tangere vel fimbriam vestimenti [1].

Dum frater Rufinus semel iret pro pane per Assisium quaeritando, et ecce, quidam daemoniacus ligatus manibus et pedibus, a multis sociatus, qui ducebatur ad beatum Franciscum, ut eum liberaret. Qui, cum a longe vidisset sanctum fratrem Rufinum, statim coepit clamare et furere tam fortiter, quod fractis omnibus vinculis, de manibus omnium exsilivit; et cum illi de hoc mirarentur et daemoniacum interrogarent, quare sic fecisset, respondit: « Quia ille frater pauperculus, ille frater humilis, sanctus frater Rufinus, qui incedit cum tasca, suis virtutibus sanctis et humilibus orationibus me incendit et cruciat; unde non possum hic plus morari », et statim exivit. Quod advertens frater Rufinus, quia illi homines et homo sanatus magnam sibi reverentiam exhibebant, hortatus est eos, ut in his omnibus glorificarent Deum et Salvatorem nostrum Dominum Iesum Christum [2].

Iste frater Rufinus stigmata beati Francisci videre promeruit; sed ad cognitionem vulneris lateralis triplici modo et via pervenit: primo lavando femoralia beati Francisci, quae ex parte dextri lateris multipliciter cruentata de sanguine, qui de plaga lateris exibat, invenit; nam beatus Franciscus post impressionem sacrorum stigmatum femoralia usque ad ascellas (*b*) portabat. Secundo scalpendo beatum Franciscum digitos in dictam plagam studiose immisit; propter quod beatus Franciscus angustiatus maximum clamorem emisit, dicens: « Parcat tibi Dominus, frater Rufine! Quare hoc facere voluisti »? Tertio dicendo beato Francisco, quod sibi hanc gratiam faceret, ut ipsius et suam tunicam ipse acciperet, et sibi suam daret; quod cum beatus Fran-

(*a*) As *si intrare vultis paradisum.* — (*b*) As *costas;* cdd. *axillas.*

[1] Idem cum nonnullis adiunctis *Actus* c. 32 et *Chron.* cit. pag. 47. — [2] Idem *Actus* c. 33 u. 3-7; cfr. *Chron.* cit. pag. 48 lin. 8-15.

ciscus faceret exspoliando se, quia non habebat nisi unam tunicam, frater Rufinus curiose intuendo, dictum vulnus laterale oculis aspexit [1].

Infirmatus frater Rufinus ad mortem, cum frater Leo iam visionem vidisset de fratre Bernardo, ut dictum est [2], et credens, se esse illum fratrem, pro quo illa fratrum multitudo iret processionaliter, et quia gravius infirmabatur quam frater Rufinus, existimans se moriturum, surrexit, ut potuit, et totus laetus frater Leo ivit ad fratrem Rufinum et dixit ad eum: « Frater carissime, credo, quod Deus velit me vocare ex hac vita ad se ». Frater Rufinus respondit: « Frater Leo, tu es deceptus, quia non de te, sed de me est visio, quam vidisti »; et dixit frater Rufinus: « Tu vidisti hoc in somnis, ego vero vigilando. Beatus enim Franciscus venit ad me cum illa multitudine dicens mihi, quod cum illis pergerem ad Dominum, breviter moriturus; et tunc osculum dulcissimum mihi dedit et os meum odore replevit mirabili; et ut verum me dicere comprobes, appropinqua et senties redolentiam in ore meo osculo sancto derelictam ». Cumque frater Leo appropinquasset, tanta odoris fragrantia est perfusus, quae ex ore fratris Rufini exhalabat, quod totus alteratus credebat fratri Rufino de his, quae dicebat. Frater vero Rufinus tunc ad mortem veniens, vocatis fratribus, ipsos ad servandam paupertatem et caritatem mutuam admonuit; et admonitione facta, in Domino obdormivit, et cum illa comitiva sanctorum caelum adiit, sepultus Assisii in ecclesia beati Francisci [3].

De fratre Guidone, socio beati Francisci.

Decimus frater, qui iacet Assisii (*a*), est frater Guido de Senis laicus. Huic frater Leo socius beati Francisci iam mortuus apparuit, et mortem suam fratribus ipse praedixit [4].

De fratre Aegidio de Cappotiis.

Undecimus frater, qui iacet Assisii in ecclesia beati Francisci, est frater Aegidius de Cappotiis vir magnae sanctitatis [5].

De fratre Valentino de Narnia.

Duodecimus frater, iacens Assisii in ecclesia beati Francisci sepultus, et parvo tempore, quo decessit (*b*), est sanctus frater Valentinus de Narnia, qui nobilis genere habuit filias duas et tres filios et unum castrum. Qui divino compunctus spiritu, omnia relinquens, filias in monasterio sororum ordinis sanctae Clarae, se vero cum tribus filiis fratrem Minorem fecit; sed primogenitus novitius recessit, et adhuc supervivit doctor legum (*c*); minimus, dum vellet ab ordine egredi, orationibus fratris Nicolai de Assisio laici, qui nunc coruscat miraculis, Perusii retentus, mortuus est in ordine, et devote; alter vero adhuc superest (*d*). Hic frater Valentinus vixit in ordine bene triginta annis, semper comedendo panem et aquam; decem annis comedendo

(*a*) As et edd. addunt *in ecclesia beati Francisci.* — (*b*) As et edd. *parvum tempus est, quod decessit.* — (*c*) As et edd. *et doctor legum in mundo exstitit.* — (*d*) As *alter etiam in ordine perstitit;* edd. *stetit.*

[1] Cfr. *Actus* c. 34 et *Chron.* cit. pag. 52. — [2] Pag. 186. — [3] Cfr. *Chron.* cit. 53. — [4] Cfr. *Cat. S. Fr. Min.* pag. 6. — [5] Idem *Cat. S. Fr. Min.* pag. 7.

sine aliqua alia comestione, solum panem in aqua absinthii intingendo. Ad carnem cilicium semper detulit, tunica habituali, chorda et femoralibus dives; nihil aliud ferendo in capite nec pedibus, usque ad vitae finem sic permansit.

Hic in loco de Carcere tempore stetit permaximo, ac ibidem diem claudendo (*a*) extremum primo ad sanctam Claram, et demum ad ecclesiam beati Francisci de Assisio perductus, tumulatus, multis claruit et claret nunc miraculis (*b*).

Isti ergo duodecim fratres sunt Assisii in ecclesia beati Francisci, qui sanctitate singulari fulserunt, tumulati.

In aliis locis provinciae (*c*) multi sancti fratres iacent, miraculis et sanctitate praeclari.

In loco SANCTAE MARIAE DE ANGELIS sive de Portiuncula iacent infrascripti fratres, videlicet:

De fratre Petro Cathanii, socio beati Francisci.

Frater Petrus Cathanii, qui fuit secundus frater et filius ac socius beati Francisci. Istum beatus Franciscus, cum esset canonicus maioris ecclesiae de Assisio, distractis omnibus, una die cum sancto fratre Bernardo de Quintavalle ad ordinem recepit et fratres fecit.

Hic frater Petrus primo fuit beati Francisci vicarius; et deinde beato Francisco renuntiante officio generalatus coram fratribus, ipse frater Petrus factus est generalis minister. A fratre Petro isto, dum beatus Franciscus abrenuntiasset generalatus officio, petiit beatus Franciscus, ut sanctae obedientiae haberet meritum, sibi unum de sociis in suum dari guardianum, cui humiliter obediret; quod et factum est, cui beatus Franciscus vivendo et moriendo firmiter obedivit.

Iste frater Petrus, dum beati Francisci esset vicarius, a beato Francisco quaesivit, si sibi placeret, ut de rebus fratrum ordinem intrantium propter multitudinem fratrum ad locum sanctae Mariae advenientium et ordinem ingredientium et propter rerum penuriam aliquid reservaretur. Respondit beatus Franciscus: « Malo, te altare Virginis gloriosae nudare, cum necessitas id requirit, quam contra paupertatis votum et observantiam evangelii aliquid attentare; gratius enim habebit beata Virgo, sancti evangelii perfecte servato consilio, suum altare detegi, quam altari vestito, Filii sui promissum consilium praetermitti [1] ».

Denique, cum propter multitudinem fratrum, ut possent recipi in loco sanctae Mariae de Portiuncula, et ut locum haberent fratres ad dicendum officium, fecisset fieri quandam domum, super hoc a beato Francisco redargutus fuit; et ab eo audivit, quod nolebat, quod fratres in dicto loco facerent domos pro consolatione, sed ante (*d*) incommoda sustinerent et tribulationes, ut locus ipse esset ceteris forma et paupertatis exemplum [2].

Huic fratri Petro suo vicario beatus Franciscus culpam fratris infamati discutiendam commisit, et si culpabilem inveniret, puniret, si vero non, infamantem redderet poena cunctis notabilem [3].

(*a*) As et edd. *clausit.* — (*b*) As et edd. *deductus et ibidem tumulatus multis claruit et claret miraculis.* — (*c*) As *aliis provinciis.* — (*d*) As et edd. *potius.*

[1] Bonav. *Leg. mai.* c. 7 n. 4; cfr. II Cel. 3, 13. — [2] Cfr. *Speculum Sab.* c. 8. — [3] Cfr. II Cel. 3, 115.

Iste frater Petrus una cum fratribus Bernardo de Quintavalle, Rufino et Massaeo Marignani audivit Christum concedentem indulgentiam pro ecclesia sanctae Mariae de Portiuncula et diem determinantem, ac (*a*) ad papam Honorium pro confirmatione et determinatione diei indulgentiae Romam ivit.

Iste frater Petrus, postquam vicariatus et generalatus officium per tempus gesserat, vocatus a Domino, post mortem maximis in loco [sanctae Mariae], ubi est reconditus, coepit coruscare miraculis; propter quod, cum multi homines et mulieres ad eius sepulchrum concurrerent, et fratres de hoc inquietarentur, beatus Franciscus ad eius accedens sepulchrum et stans super ipsum dixit: « Frater Petre, sicut mihi fuisti obediens in vita, sic volo, quod sis et mortuus. Et ideo, quia fratres propter te inquietantur a personis saecularibus, tibi per sanctam obedientiam mando, quod deinceps nullum facias miraculum ». Mirabile dictu! Frater Petrus ex tunc a miraculis destitit, et nullum deinceps fecit [1].

In loco sanctae Mariae de Angelis iacent hi venerabiles fratres, socii beati Francisci.

In loco sanctae Mariae iacent quatuor fratres de sociis beati Francisci cum isto fratre Petro, quorum nomina non inveni.

Iacent etiam in eodem loco sex fratres alii, qui animam beati Francisci in specie solari in caelum viderunt adire.

In hoc etiam loco sanctae Mariae iacet frater Iacobus, qui vidit animam beati fratris Francisci evolare ad caelum sicut stellam super nubem candidam [2].

Iacent etiam in hoc loco sanctae Mariae fratres illi, qui audierunt et viderunt multas aves alaudas (*b*) congregatas, cantantes super tectum ecclesiae sanctae Mariae in obitu sancti Francisci [3].

De fratre Ioanne Simplici, socio beati Francisci.

Frater Ioannes simplex in loco sanctae Mariae iacet. Qui frater Ioannes simplex, videns beatum Franciscum quandam scopantem ecclesiam, cum iuvit, et ad ordinem per beatum Franciscum receptus, cum beato Francisco saepe ibat, et adeo erat simplex, quod quidquid beatus Franciscus faciebat, et ipse faciebat; si spuebat beatus Franciscus, spuebat et ipse; si genuflectebat, et ipse genuflectebat, et sic de aliis. Et cum a beato Francisco super hoc reprehenderetur, respondit: « Ego promisi omnia facere, quae tu facis ». Hic tantum in virtutibus crevit et sanctis moribus, quod omnes fratres mirabantur. Et tandem ante mortem beati Francisci obiit, quem beatus Franciscus, narrando fratribus eius conversationem, non fratrem Ioannem, sed sanctum fratrem Ioannem nominabat [4].

Plures alii sancti fratres in hoc sunt loco sepulti.

In hoc loco in signum dilectionis beatus Franciscus voluit, quod post mortem suam suum cor a corpore amotum collocaretur, ut a fratribus antiquis ego ipse ac-

(*a*) Codex *at*. — (*b*) As *ad laudes*.

[1] Cfr. Paul. Puteol. (*Misc. Franc.* t. VIII pag. 58) et *Chron. 24 gen.* pag. 31. — [2] I Cel. 110 et Bonav. l. c. c. 14 n. 6 haec, fratris omisso nomine, referunt; Bessa c. 1 (An. Franc. t. III pag. 668) nomen indicat. — [3] Idem *Cat. S. Fr. Min.* pag. 7. — [4] Cfr. II Cel. 3, 120, *Spec. Lem.* c. 31, *Spec. Sab.* c. 57.

cepi; et est, ut dicitur, in altari capellae beati Francisci ibidem locatum [1]. Ipsum enim locum, ut dicetur fructu XIV et XXVIII et conformitate, prae omnibus locis mundi beatus Franciscus dilexit.

DE PERUSIO.

In Perusio iacent isti fratres, videlicet frater Aegidius sanctae memoriae, de Assisio, qui fuit tertius frater, filius et socius beati Francisci. Cuius vitam succincte primo hic subdam [2], et demum eius sacra dicta et admonitiones.

De beato fratre Aegidio, tertio filio et socio beati Francisci.

De religionis ingressu.

Hic gloriosus vir de civitate Assisii oriundus, cum audisset a suis consanguineis, quod dominus Bernardus de Quintavalle, maior homo de Assisio, et dominus Petrus Cathanii, qui erat canonicus ecclesiae cathedralis, distractis omnibus, vita et habitu, beato Francisco haeserant, a Deo inspiratus post octo dies ad beatum Franciscum se studuit transferre, ut se eidem, more praefatorum, habitu et vita coniungeret. Et cum locum nesciret, ubi beatus Franciscus cum praefatis maneret, in quodam trivio positus Christum rogavit, ut sibi viam panderet ad inveniendum beatum Franciscum; ipsoque dirigente ad locum seu tugurium, in quo beatus Franciscus cum praefatis morabatur, pervenit. Et cum de his, quae conceperat, cogitaret, beatus Franciscus occurrit ei; quem ipse Aegidius videns, ad pedes eius prostratus, coepit eum rogare, ut eum cum fratre Bernardo (*a*) et fratre Petro ad suum consortium recipere dignaretur. Beatus Franciscus attendens, eum esse fidelissimum et devotum eidem dixit: « Carissime, magnam gratiam facit tibi Christus, qui te in suum militem eligit et servitorem »; et sic confortavit eum et monuit, ut in vocatione sua, qua a Deo vocatus erat, persisteret; vocavitque beatus Franciscus fratrem Bernardum et fratrem Petrum dicens: « Unum bonum fratrem nobis misit Dominus »; qui simul gavisi in Domino comederunt.

Cum beatus Franciscus, cum ipso Aegidio Assisium pergeret, ut pro habitu eius pannum procuraret, occurrit beato Francisco in via mulier paupercula petens eleemosynam; cumque beatus Franciscus nihil haberet ad dandum, vultu angelico conversus ad ipsum Aegidium dixit: « Demus sibi mantellum tuum, carissime, amore Domini nostri Iesu Christi »; qui vultu hilari exspolians se, dedit illi; et statim visum est ipsi Aegidio, quod eleemosyna illa ascenderet caelum, et sensit se protinus gaudio quodam perfundi. Sed demum ipsum beato Francisco in festo sancti Georgii habitum induendo ordinis factus est frater Minor. Quo induto, beatus Franciscus cum ipso versus Marchiam pergens exhortabatur homines ad poenitentiam; et beatus frater Aegidius dicebat, ut eidem crederent, quia bonum consilium eis dabat. In ipso autem itinere beatus Franciscus prophetando de dilatatione ordinis, dixit fratri Aegidio: « Nostra religio similis est (*b*) homini piscatori, qui mittit retia sua in aquam, capiens piscium multitudinem copiosam, et parvos in aqua relinquens, magnos eligit in vasa sua ».

Sequitur:

(*a*) Codex *fratribus*. — (*b*) As et edd. *erit*.

[1] Pisanus hic ad testimonium « fratrum antiquorum » recurrit; hucusque non cognoscuntur documenta scripta Pisano antiquiora, quibus traditio illa enuntiatur. — [2] Sequitur, mutato ordine, vitam, quae exstat in *Chron. 24 gen.* pag. 74 seq.

De ipsius devotione.

Temporis in processu beatus Franciscus sibi ad sanctum Iacobum eundi licentiam concessit, in quo itinere nunquam famem a se repulit propter penuriam, quam Domini amore tolerabat. Unde die quodam, cum ivisset pro eleemosyna et nihil invenisset, ad quandam aream perrexit et inventis quibusdam granis fabarum se refecit; et cum se somno dedisset, surrexit adeo fortis, acsi multa genera (*a*) pigmentorum comedisset. In quo itinere obvians cuidam pauperi, motus (*b*) pietate, caputium auferens ab habitu, sibi dedit et diebus viginti sine caputio ambulavit. Cumque sic deformis ad castrum quoddam Lombardiae venisset, nomine Ficarolum, a quodam vocatus ad ipsum, quia indigebat, libenter accedens, sperans aliquid habere, taxillos, si vellet ludere, in manibus eius posuit. Frater Aegidius in nullo motus dixit sibi: « Dominus parcat tibi ». Et sic per mundum habitu deformi eundo frequenter deridebatur.

Post hoc, socio habito a beato Francisco et licentia de visitando sepulchrum Domini, Brundusium devenit. Et cum ibi esset pluribus diebus, procurato urceo, ibat aquam portando, et necessaria pro victu sibi et socio acquirebat. Postea mare transiens, cum devotione maxima sepulchro visitato cum aliis locis, ad civitatem Achon (*c*) devenit, ibique moram contrahens, ut de labore suo viveret, faciebat sportas de iuncis, quibus illi homines utebantur; portabat etiam defunctos ad cimiterium et aquam per civitatem; et sic vitae necessaria lucrabatur. Quando haec facere non poterat, recurrebat ad mensam Domini [eleemosynam ostiatim petendo]. Demum ad sanctam Mariam de Portiuncula est reversus.

Visitavit etiam sanctum Angelum et sanctum Nicolaum de Bari. Et quando ibat per mundum, hortabatur homines et mulieres, ut Deum diligerent et timerent et poenitentiam agerent de peccatis. Die quadam, cum esset fessus valde ex itinere et famem pateretur, iuxta viam ad dormiendum se posuit, et cum surgeret a somno, invenit iuxta caput suum, divino beneficio, medium panem; et gratias Deo agens, cum comedisset, est fortificatus (*d*).

Sequitur:

De eius exercitio et vitatione otiositatis.

Missus a beato Francisco ad standum Romam, volens de labore manuum suarum vivere, ibat ad silvam distantem per quatuor milliaria, et incidebat ligna et portabat ad urbem, et necessaria pro victu accipiebat. Semel ligna vendidit uni mulieri, et cum illa, videndo eum religiosum esse, vellet sibi plus dare, quam pacta esset cum eo, frater Aegidius noluit accipere, sed medietatem etiam pretii ei dimisit, dicens: « Nolo, quod avaritia me vincat ». Unde nullum opus, quantumcumque vile, dedignabatur peragere, dummodo honeste posset illud exercere. Ibat tempore vindemiarum ad colligendum uvas, et eas in torculari exprimebat, et necessaria pro vita sic sumebat. Semel ad excutiendum nuces ibat; et cum sibi tot nuces darentur, quod gremio non posset capere, exuto habitu, manicis et caputio ligatis nudus remansit; et implens habitum nucibus, nudus ad urbem reversus, pauperibus dedit.

(*a*) As es edd. *grana*. — (*b*) As *pauperi nudo*. — (*c*) As *Achalis*, edd. *Achaiae*. — (*d*) As et edd. *confortatus*.

In monasterio sanctorum Quatuor Coronatorum prope sanctum Ioannem Lateranensem purgabat farinam, accipiendo pro sauma (*a*) septem panes. Similiter pro aqua deferenda ibat per milliare ad fontem sancti Sixti, de qua aqua bibebant monachi et fiebat panis, et pro his panes accipiebat; et quod sibi superfluebat, dabat pauperibus. Dum semel aquam pro monachis ibidem adduceret, et quidam de ea ad bibendum exegisset, respondit: « Non possum tibi dare et residuum monachis deferre ». Ille multas iniurias sibi dixit; sed frater Aegidius, alio urceo accepto, ivit pro aqua et ad domum se iniuriantis portavit; quod, ut vidit ille, suam culpam dicendo et, quod parceret, rogavit; quod et libenter fecit.

Nunquam frater Aegidius in aliquo labore se per totam diem obligabat alicui, ut suas horas dicere et orationi posset vacare. Summa ergo diligentia frater Aegidius otium vitavit, unde vel laborabat manibus vel orabat vel devotioni vel salutiferis vacabat verbis. Unde, cum frater Aegidius esset apud episcopum (*b*) Tusculanum cardinalem et ipse iret ad colligendum olivas et alia servitia facienda, et panem ad dicti cardinalis hospitium portaret, et cardinalis diceret sibi, ut de pane suo tanquam pauper manducaret, respondebat verbum prophetae [1]: *Labores manuum tuarum quia manducabis* etc.

Huic fratri Aegidio, tanquam homini boni exempli, dedit licentiam liberam beatus Franciscus, ut videlicet iret, quocumque vellet, et staret, ubicumque ei placeret. Respondit frater Aegidius, quod in tam libera licentia ire et stare nolebat. Et tunc beatus Franciscus septimo anno conversionis suae misit eum ad eremitorium de Fabrione (*c*), comitatus Perusii. Ubi dum esset, faciebat casulas pro ciatis conservandis, cophinos et caricannas, et postea deferebat ad civitatem et vendebat, et necessaria pro victu et vestitu recipiebat. Et sic insistebat labori, quod unum fratrem induebat.

Ad praedictum locum accedens ibat discalceatus et solo habitu contectus tempore magni frigoris; cui quidam obvians dixit, quod non sic iret, si sciret, se statim paradisum debere intrare. Ad quod verbum hostis antiquus ei tantum frigus immisit, quod fere algore moreretur; sed meditatione Christi, quomodo ibat nudus et discalceatus, subito calefactus laudavit Altissimum, qui eum suo igne sic subito calefecerat.

De eius humilitate.

In quo loco, cum per plures annos stetisset, et semel recordatus peccatorum suorum, silvam intravit, et vocato quodam fratre puero, nudavit se et posita chorda in collo praecepit illi fratri, ut eum traheret cum chorda ad locum fratrum. Quo ingressi, frater Aegidius vociferando clamavit: « Miseremini mei, fratres, miseremini peccatoris ». Ad quem fratres convenientes et videntes eum sic nudum, lacrymari coeperunt, dicentes: « Indue te, pater, tunica »; et ille: « Non sum dignus esse frater Minor; tamen si vos vultis mihi reddere tunicam pro misericordia et eleemosyna, recipio ut indignus »; et sic recepit et se induit.

De fervore martyrii.

Hunc beatus Franciscus cernens esse idoneum et voluntarium ad martyrium, ipsum cum aliis fratribus ad saracenos destinavit. Qui venientes Tunitium a chri-

(*a*) As *psalma*, edd. *salma*. — (*b*) As et edd. *dominum episcopum*. — (*c*) As *Fabriani*.

[1] Ps. 127, 2.

stianis prohibiti sunt saracenis praedicare; timebant enim christiani, ne propter eos occiderentur a saracenis; unde ipsos vi in navem reposuerunt. Et sic ad partes fidelium ad beatum Franciscum sunt reversi.

De eius obedientia.

Fuit enim frater Aegidius magnae obedientiae. Nam cum in loco Agelli staret, et aliquantulum semel extra locum ivisset, fuit sibi dictum ex parte generalis ministri, quod iret Assisium ad eum; qui noluit ad locum redire, sed via recta Assisium accedebat. Et cum fratres suaderent, ut locum primo intraret et postea iret, respondit, quod nolebat, dicens: « Mihi mandatum est, quod vadam Assisium, non quod revertar ad locum »; et de loco, ubi praeceptum audivit, Assisium ivit, et hoc propter obedientiam, quam stricte (*a*) servabat.

Cuidam fratri conquerenti sibi, quod guardianus eidem oranti mandasset, quod iret pro pane, et melius sibi videbatur orare quam ire pro pane, respondit frater Aegidius: « Nondum, quid sit oratio, cognovisti; quia vera oratio est, quod subditus praelati sui faciat voluntatem ». Et dixit frater Aegidius: « Signum superbiae est ponere caput sub iugo obedientiae et extrahere inde, ut via, quae sibi perfectior videtur, adimpleatur. Quamdiu bos tenet caput sub iugo, implet horrea frumento. Si homo esset tanta devotione et gratia elevatus, quod loqueretur cum angelis, et a suo praelato vocaretur, statim deberet colloquium angelorum dimittere et praelato promptius (*b*) obedire ». Hoc exemplo firmavit frater Aegidius semel; quia raptus coram domino papa Gregorio et cardinalibus, qui ipsum iverant ad visitandum Perusii ad locum de Monte, sibi praecipiendo dominus papa, quod statim ad eos deberet redire, statim, qui insensibilis videbatur, cucurrit ad papam et eius pedibus provolutus dixit humiliter culpam suam.

Audiens frater Aegidius casum fratris Eliae de inobedientia et apostasia ac excommunicatione, prostravit se in terram, et terrae se fortiter toto corpore constringebat, et interrogatus, quare hoc faceret, respondit: « Volo descendere, quantum possum, quia ille descendit tantum propter saltum ».

Semel frater Aegidius obedientiam volebat experiri cuiusdam fratris in sacra theologia magistri, qui sanctae Clarae praedicabat et eius sororibus. Cui praedicanti dixit frater Aegidius: « Tace, magister; quia ego volo praedicare »; qui statim tacuit. Et postquam frater Aegidius in fervore spiritus eructavit melliflua, dixit magistro: « Perfice nunc, frater, sermonem, quem incepisti », et sic fecit. De quo beata Clara exsultans (*c*) dixit: « Hodie completum est desiderium beati Francisci mihi aliquando dicentis: ,Opto multum, fratres meos clericos ad tantam humilitatem venire, quod magister in theologia a voce laici volentis praedicare a praedicatione cessaret'. Dico vobis, fratres, ait sancta Clara, quod plus me aedificavit magister sua humilitate, quam si vidissem eum mortuum suscitantem ».

De amore paupertatis.

Fuit frater Aegidius amator paupertatis. Unde, licet laborabat manibus, nihil pecuniae recipiebat, sed quae pro victu sufficiebant, et residuum dabat pauperibus. Et quia hanc amavit, Deus sibi in necessariis condescendit, ut patuit supra [1] in pane

(*a*) As et edd. *strictissime.* — (*b*) As *prompte.* edd. *protinus.* — (*c*) As et edd. *exsultans in spiritu.*

[1] Pag. 206.

ad caput eius invento sibi divinitus ministrato. Et similiter, dum esset in principio in quodam monte supra castrum Dirutae, et nullus sciret hoc de castro vel de contrata, cum socio, et ibi ageret quadragesimam, ac nives in tanta copia tribus diebus et noctibus descendissent, quod nullo modo nec ad acquirendum panem nec ad laborandum posset exire, invocato Domino per ipsum et socium, ut eis subveniret, divina providentia statim affuit et cuidam de castro Dirutae inspiravit, ut ad ecclesiam sancti Laurentii, ubi erant duo fratres, accederet et panem et vinum eis deferret; quod et fecit; cuius hortatu et verbo alii de castro eis necessaria sufficienter portaverunt. Quod videns frater Aegidius dixit socio: « Frater, hucusque rogavimus Dominum, et exauditi sumus; sed amodo ei regratiemur, et oremus pro illis, qui nobis eleemosynas fecerunt »; et sic factum est. Ac ipsius fratris Aegidii et socii exemplo multi conversi de illa contrata sunt ad Dominum et facti sunt fratres; alii vero uxorati in domibus propriis poenitentiam exercebant.

Cum frater Aegidius semel ivisset Assisium, fratres eum per domum duxerunt, ostendentes ei aedificia sumptuosa, quae construxerant, quasi in eis gloriantes. Quibus diligenter inspectis, frater Aegidius dixit fratribus illis: « Dico, fratres, quod nihil deficit vobis, nisi uxores ». Et perturbati fratres de hoc, dixit frater Aegidius: « Fratres mei, vos bene scitis, quod ita est vobis illicitum dispensare in paupertate, sicut in castitate; postquam paupertatem a vobis reiecistis, de facili reiicere potestis et castitatem »

De corporis maceratione et carnis munditia.

Mortificationi carnis intendebat assidue, in servitutem eam reducendo; quare candore praefulsit nitidae puritatis. Unde frater Aegidius semel comedebat in die hora serotina, et tunc valde parum. Et dixit ipse frater Aegidius, quod « caro nostra est sicut porcus, qui avide currit ad lutum et esse in luto continue delectatur; et caro etiam est sicut scabro (*a*), qui fimum equinum volvere cupit; caro est pugil inimici ». Interrogatus a fratre quodam: « Quomodo possemus carnem a vitiis ipsius praeservare », respondit frater Aegidius: « Qui vult transferre magna saxa vel trabes grandes, studet eas transferre ingenio magis quam viribus; et in hoc facto est similiter procedendum. Omne vitium laedit castitatem; est enim castitas sicut speculum clarum, quod per solum halitum obscuratur. Impossibile est hominem venire ad gratiam Dei, dum ei placet in carnalibus delectari. Caro vult nos tradere die ac nocte, quam qui vicit, omnes vincit inimicos et venit ad omne bonum ». Et aliquando dixit: « Inter omnes virtutes ego diligerem castitatem »; et cum quidam frater diceret: « Nonne maior est caritas »? respondit frater Aegidius: « Et quid est castius caritate (*b*) »? Et frequenter cantando dixit: « O sancta castitas, qualis es, qualis es! Tu es talis et tanta, qualem et quantam te fatui non cognoscunt ». Et cum frater peteret, quid vocaret castitatem, respondit: « Castitatem voco omnes sensus custodire gratiae Dei ». Et cum sic castitatem commendaret, quidam saecularis praesens dixit: « Ego abstineo me ab omnibus, praeterquam ab uxore mea; sufficit me sic stare »? Respondit frater Aegidius: « Videtur tibi, quod homo non possit inebriari vino vegetis suae »?

Apud Spoletum dum esset, audiendo vocem unius mulieris, tantam sensit tentationem, quantam nunquam fuerat passus; quam oratione, verberibus et operibus duris a se expulit; et sic fuit plenarie liberatus.

(*a*) Codex *strabo*. — (*b*) As *castitas sine caritate.*

Quidam frater tentatus dixit: « O, si viderem fratrem Aegidium, cui possem istam tentationem revelare »! Et cum a longe esset, nec posset istam licentiam habere, cum vice quadam se sopori dedisset, astitit ei frater Aegidius, ad cuius praesentiam maximam consolationem suscepit; et exposita tentatione, respondit frater Aegidius: « Quid faceres cani, si te percuteret vel morderet »? Respondit ille: « Percuterem eum, et sic a me fugarem ». « Sic, inquit frater Aegidius, vade et fac similiter tuae tentationi ». Et cum a fratre rogaretur, ut pro se oraret, dum surgit a somno, sensit se a tentatione liberatum.

Plures tentatos exire ab ordine retinuit et a variis tentationibus liberavit.

De spiritu prophetiae.

Claruit spiritu prophetico. Fratri Praedicatori tentato de virginitate beatae Mariae et eunti ad eum pro consilio, frater Aegidius videns in spiritu ei occurrit, baculo ter terram percutiendo et dicendo: « Virgo ante partum, in partu et post partum »; et qualibet percussione terrae lilium oriendo fratrem a tentatione liberavit.

Sanctum Ludovicum regem Francorum cognovit in spiritu (*a*), qui ad ipsum (*b*) Perusium venerat, et ei occurrens in amplexus mutuos ruentes, se solo spiritu et non verbo alloquentes extrinseco ab invicem discesserunt summe consolati [1].

Ultima infirmitate decubans, cum Perusini custodirent eum, dixit prophetando: « Dicite Perusinis, nec propter miracula nec propter canonizationem meam unquam pulsabuntur campanae, et signum non dabitur nisi signum Ionae prophetae ». Et sic fuit; quia post mortem in sepulchro invento in agro, ubi erat sculpta historia Ionae prophetae, est tumulatus.

De eius contemplatione et raptu.

Hic sanctus, postquam in activae vitae operibus devotissime se exercitarat, placuit Altissimo ad statum vitae contemplativae eum deducere prae aliis viventibus. Sexto enim a sua conversione anno, in loco de Fabrione, qui est in planitie Perusii, quadam nocte, dum devote oraret, tanta fuit consolatione et dulcedine repletus, quod sibi videbatur, quod Dominus vellet animam eius a corpore educere; et coepit, sentire qualiter corpus moriebatur, primo a pedibus, et sic consequenter, donec anima exivit. Et stans extra corpus prae nimia pulchritudine delectabatur videre se ipsam; erat enim subtilissima et lucidissima supra aestimationem, sicut ipse retulit prope mortem. Et tunc anima fuit rapta ad contemplandum secreta caelestia, quae nunquam voluit revelare. Ad auditum siquidem Domini vel patriae caelestis, statim coram omnibus rapiebatur; unde hoc agnoscentes pastores et pueri, ut eum videbant, ab aliis edocti clamabant: « Paradisus, paradisus », et ipse audiens statim rapiebatur ibidem. Et quia sic frequenter rapiebatur, a consortio hominum se subtraxit, et stabat in cella reclusus. Fuit raptus semel coram quinque ministris, qui ad eum visitandum accesserant; alia vice coram fratre Bonaventura ministro generali in horto fuit raptus per tres horas; coram domina Iacoba de Septem Soliis et fratre Gerardino, petendo, si gutta aquae cadens in mari nomen mari imponat, et respondente fratre Gerardino,

(*a*) Edd. om. *in spiritu*. — (*b*) Edd. addunt *videndum in habitu peregrino*.

[1] Hac de re cfr. *Acta SS.*, aug. t. V, *Comment. praevius ad vitam S. Ludovici* § LXII.

quod non, sed absorbetur a mari et substantia et nomen, statim coram omnibus fuit raptus.

Dominus papa Gregorius IX Perusii cum misisset pro eo, et cum ipso loqueretur, statim immobilis stetit oculis in caelum elevatis. Alia vice ipsemet papa Gregorius vadens ad visitandum eum, ut posset loqui cum eo, invenit eum raptum, et tamdiu sic stetit, quod papa ei loqui non potuit.

Invitatus a domino papa praedicto ad prandium, ut cum eo loqui valeret, et a papa cum gaudio esset receptus, quidam de astantibus suggessit domino papae, ut faceret eum cantare; quod cum papa hoc ei mandasset, frater Aegidius respondit: « Quem cantum, pater, vis me cantare »? Et sic pluries replicans et currens ad aliam partem palatii ponendo unum pedem super alium, raptus stetit usque ad horam vespertinam; et probavit dominus papa et qui cum eo erant, quod nec sensus nec pulsus erat in eo. Coenante curia et illo sic permanente, papa sibi assistentibus dixit: « Perdidimus, ecce, istum hominem; sed in eo probemus virtutem obedientiae »; et tunc praecipiendo per obedientiam, quod statim ad eum deberet redire, mirabile dictu! statim frater Aegidius, qui insensibilis videbatur, cucurrit ad papam, et pedibus eius provolutus, dixit culpam suam. Et tunc dominum papam alloquendo informavit eum de modo in regimine (*a*) observando.

Eo faciente moram in loco de Agello, comitatus Perusii, a post vesperas ab hora, qua coenaverat et verba dulcissima dixerat, fuit raptus usque ad galli cantum; et tunc ipso a raptu cessante, cum pergeret versus cellam, tantum lumen advenit et splendor, quod lumen lunae fuit absorptum; quod videntes fratres stabant merito stupefacti; quibus ipse dixit: « Quid fecissetis, filii, si maiora vidissetis? Qui magna, inquit, non videt, modica magna credit ».

De consolationibus a Deo sibi factis et apparitionibus.

In praefatis vero raptibus mirabiles consolationes recipiebat, quia Deum videbat et sanctos. Unde in loco exsistens de Cetona (*b*) iuxta Clusinam civitatem Tusciae, tribus diebus ante nativitatem Domini oranti apparuit Dominus Iesus Christus, et ultra eius humanitatem vidit eius divinitatem; et duravit haec apparitio non continue, sed interpolatim usque ad vigiliam Epiphaniae. Qua visione tanta dulcedine fuit repletus, ut crederet, animam a corpore exire, et sic (*c*) exivit aliquando, ut ipse dixit. Unde cogebatur maximis vocibus exclamare, non sine terrore fratrum audientium. Quae visio, ut patuit ex recitatis ab ipso fratre Aegidio, multum fuit mirabilis: primo, quia, ut dixit, tali visione ex certitudine Dei et omnium divinorum omnem amisit fidem; secundo, quia Paulus nesciebat, an in corpore vel extra, se raptum fuisse, frater Aegidius scivit, nam extra corpus fuit, sicut cuidam fratri revelavit; tertio, quia hac visione, ut dixit, Deus maiora fecit in eo quam in aliquo alio; hoc ostendebat, locum de Cetona ultra omnia loca ultramarina, sex exceptis, quibus ipsum comparabat, et ultra omnia loca citramarina commendando; quarto, quia hac visione, ut ipse asserebat, fuit omnium charismatum et Spiritus sancti donis repletus; unde dixit, quod in monte Pesulo, ubi est dictus locus, ecclesia fieri deberet, quae Pentecostes appellaretur; hanc visionem habuit eo anno, quo beatus Franciscus mortuus est, decimo octavo anno a sua conversione; quinto, hac visione factum est et consecutum, ut, si quando ser-

(*a*) Edd. *religione.* — (*b*) Codex *Scetona.* — (*c*) Codex *si.*

monem vel verbum audiret de Deo vel gloria paradisi, statim raperetur; sexto, quia frater Aegidius dixit se quatuor vicibus natum: primo de sua genitrice, secundo in baptismo, tertio in ingressu ordinis, quarto, quando Deus sibi apparuit; et in hac nativitate, ut dixit, perdidit omnem fidem ex aperta visione eorum, quae sunt fidei, et sic semper fuit perfectissime consolatus.

De eius a diabolo vexatione.

Et licet sanctus frater Aegidius esset sic virtutibus plenus et tantis contemplationum excessibus sublimis, tamen a diabolo est multipliciter tribulatus. Nam, habita illa visione divina in loco Fabrionis, ut dictum est, non post multos dies, dum staret ad orandum in cella, diabolus tam terribilis (*a*) ei apparuit, quod ipse prae timore loquelam amisit; sed corde, quia non poterat ore, invocando divinum auxilium, subito fuit liberatus. Unde post interrogavit beatum Franciscum: « Si aliquid est ita terribile in mundo, quod homo per *Pater noster* non posset sustinere »? Et respondit beatus Franciscus « Diabolus est; nullus eum respiciendo posset sustinere, dicendo dimidium *Pater noster*, quin statim moreretur, nisi Domini subsidio adiuvaretur ». Et frater Aegidius, quia fuerat expertus, credidit esse verum.

In Spoleto in ecclesia sancti Apollinaris, dum de nocte tempestive intrasset ecclesiam et inclinatus oraret, diabolus super eum ascendit et opprimebat. Qui surgere non valens, traxit se, ut potuit, ad vas aquae benedictae, qua fide aspersus, fuit a daemonis violentia (*b*) liberatus.

Iuxta finem vitae suae, scilicet anno quinquagesimo secundo ab ingressu ordinis, coepit diabolus solito eum fortius molestare; nam quadam nocte post orationem, dum vellet quiescere, accepit eum diabolus et in tam arcto loco posuit, ut non posset se aliquo modo movere, nec etiam adiutus a socio potuit inde removeri; sed divina gratia tandem exivit. Alia vice eum orantem in tantum diabolus turbavit, quod vocibus terribilibus coepit clamare: « Succurrite, fratres, succurrite »! Sed fratre Gratiano socio accedente, fuit confortatus. Et sic frequenter diabolus turbabat eum, quod saepe de sero eundo ad cellam dixit: « Nunc exspecto martyrium meum ».

De eius felici in Domino obdormitione.

Morte appropinquante fratris Aegidii, acutissima febre, tussi et dolore capitis ac pectoris fuit adeo gravatus, ut non posset quiescere, dormire vel comedere; sed oportebat, quod fratres eum super lectum portarent, ut aliquam requiem inveniret. In vigilia sancti Georgii hora matutinali, cum fratres eum super lectum posuissent, quasi sine tractu vel corporis motu violento, clausis oculis et ore, anima illa sanctissima, carne exuta, caelestia petiit, eo videlicet die, completis quinquaginta duobus annis, scilicet in festo sancti Georgii, quo beatus Franciscus eum habitu induerat ordinis.

Cuius animam quaedam sancta persona vidit cum multis animabus fratrum et aliorum, qui decesserant, et de purgatorio ad caelum ascendentem, ac Dominum nostrum Iesum Christum ei obviam occurrentem et cum ipso honore maximo et melodia caelorum tabernacula virtuosissime penetrantem, quem in solio gloriae Dominus collocavit.

(*a*) As *terribiliter*. — (*b*) As et edd. *molestia*.

Dum infirmaretur frater Aegidius, quidam frater de ordine Praedicatorum infirmatus fuit in conventu eorum; et dum sanctus frater Aegidius moreretur, et ipse mortuus est. Qui apparens uni fratri amico suo dixit, se bene valere; quia, inquit, « quando ex hoc mundo transivi, quidam frater Minor, nomine Aegidius, decessit, et propter eius eximiam sanctitatem Christus concessit, quod omnes animae, quae erant in purgatorio, secum ad paradisum transirent, cum quibus ego in tormentis exsistens eius meritis fui liberatus »; et disparuit. Frater vero, cui praedicta fuerant revelata, cum dicere nollet praefata, statim fuit infirmatus. Cognoscens autem, hoc esse, quia sancti fratris Aegidii gloriam et virtutem non vulgabat, misso pro Fratribus Minoribus et Praedicatoribus, quibus iam dicta cum reserasset, statim fuit a febre curatus.

Transiit autem sanctus frater Aegidius ex hoc mundo 1262 (*a*) in nocte sancti Georgii, a sua conversione anno quinquagesimo secundo. Post cuius mortem Perusini quaerentes lapidem pro eius sepultura, sepulchrum reperiunt marmoreum, in quo Ionae prophetae sculpta erat historia, et iuxta quod praedixerat, ibi posuerunt eum.

Sanctus frater Aegidius septem habuit singularia, quae ipsum magis ac magis ad perfectionem deduxerant: primum, quia fidelissimus ac catholicus fuit, secundum, quia devotissimus, tertium, quia reverens, quartum, quia pius et compatiens, quintum, quia sollicitus, sextum, quia obediens, septimum, quia gratissimus fuit Deo et hominibus de beneficiis sibi datis [1].

Huic fratri Aegidio « concessum est a Domino, ut in his, quae ad bonum animae pertinent, efficaciter adiuvet invocatus [2] ».

De miraculis post mortem.

Post mortem divina potentia eum celebrem miraculis reddidit. Tres enim ab oculorum diversis infirmitatibus liberavit, duos a pedum dolore, tres contractos, ab infirmitate oris et gutturis tres, a manuum et brachiorum infirmitate mulieres duas, mulierem liberavit a partus periculo et abortivo, ab infirmitate lapidis unum, duos a febribus; lac dedit mulieri pauperculae ad filios nutriendos; aliam mulierem morbo et infirmitate horribili laborantem, sic et aliam, quae omnia per secessum emittebat, sicut sumebat, voto ad ipsum facto, liberavit; sic et alios multos a diversis infirmitatibus clementer suis precibus eripuit [3].

Et sic patet primum, quod erat videndum.

Restat nunc secundo videre de fratris Aegidii doctrina. Licet enim litteras ignoraverit, quia non instructus humanitus et laicus fuerit, quia vero ad tertium caelum raptus fuit et Deum conspexit, ut iam dicta declarant, hinc est, quod multa dixit et docuit utilia animae et praeclara, quae inferius per capitula distinguuntur, ut melius capiantur et videantur.

(*a*) Edd. *MCCLXXXII.*

---

[1] Cfr. *Vita B. Aegidii* in Doc. ant. franc., t. I pag. 62. — [2] Ita Bern. de Bessa, *Liber de laudibus S. Francisci,* c. I (Anal. franc. t. III pag. 667). — [3] Cfr. *Acta SS.*, apr. t. III, *De B. Aegidio,* pars IV (« ex codice Perusino »).

DICTA FRATRIS AEGIDII

distincta per materias hic subscribuntur. Et I. capitulum sit de consiliis animarum datis diversis personis.

Fratri Iacobo habenti gratiam raptus, petenti a fratre Aegidio qualiter in dicta gratia se haberet, respondit frater Aegidius: « Nec addas, nec minuas, et fuge multitudinem (*a*) ». Et cum quaereret ille, quid esset, quod diceret, respondit beatus frater Aegidius: « Quando mens est apta introduci ad illa gloriosa lumina divinae bonitatis, nec debes addere per praesumptionem nec diminuere per negligentiam, et debes diligere solitudinem, quantum potes, si vis, quod gratia custodiatur et crescat (*b*) [1] ».

Cuidam fratri interroganti eum, quid posset facere Deo magis gratum, frater Aegidius mane facto cantando respondit: « Una uni », et nihil plus dixit. Sed cum ille eum non se intelligere diceret, frater Aegidius dixit: « Una et sola anima sine intermissione et medio uni soli Deo est committenda ».

Fratri Gratiano sibi dicenti, quod ipse sciret praedicare, consulere, et multa sciret, « sed cui operi magis adhaerere, inquit, nescio, volo tuum consilium », respondit frater Aegidius: « Nihil est, quod tantum et in quo placeas Deo, nisi quod te per gulam suspendas ». Et cum ille horreret verbum, respondit frater Aegidius: « Homo, inquit, suspensus non est in caelo, et tamen est sublevatus a terra, et semper respicit inferius; et ita tu facias; cum in caelo non sis, potes tamen a terrenis levari et in virtuosis operibus te exercitare, de te humiliter sentire, et misericordiam Dei exspectare ».

Quidam dixit sibi, quod omnino volebat religionem intrare; cui (*c*) frater Aegidius respondit: « Si hoc vis facere, cito interfice parentes tuos »; et cum ille lacrymis perfusus diceret: « Quomodo possem facere tantum scelus »? respondit: « Ego non dico, quod tu materiali gladio interficias eos, sed mentali; quia *qui non odit patrem et matrem, non potest esse Christi discipulus* [2] ».

Duobus cardinalibus ad eum venientibus et supplicantibus, ut pro eis oraret, respondit, quod non erat necesse, quod ipse pro eis oraret, quia maiorem fidem et spem habebant quam ipse. Et illis dicentibus: « Quomodo »? respondit frater Aegidius: « Quia vos tot honoribus, divitiis et prosperis speratis salvari; ego autem cum tot calamitatibus et adversis timeo damnari ». Quo audito, corde compuncti et in melius mutati, recesserunt ab eo.

Cuidam fratri a tentatione detento, pro qua (*d*) Deum rogaverat, nec exaudiretur, et hoc dixisset fratri Aegidio, respondit: « Non mireris, frater, si Dominus vult, te pugnare contra hostes, a quo tot gratias accepisti; quanto enim rex virilius munit milites suos, tanto vult eos fortius proeliari ».

Cuidam eum interroganti, quomodo posset libenter ad orationem pertingere, cum sentiret suum cor indevotum, respondit frater Aegidius: « Ecce rex habet duos servos fideles, quorum unus armatus est et alter inermis; qui ambos mittit ad proelium contra hostes. Armatus viriliter ad bella procedit, inermis vero sic loquitur domino

(*a*) As et edd. addunt *quantum potes.* — (*b*) As et edd. *debet... potest... vult.* — (*c*) As et edd. *Cuidam dicenti... intrare, frater.* — (*d*) As *quo.*

[1] Idem *Actus* c. 47. — [2] Luc. 14, 26.

suo: ‚Domine, ut vides, arma non habeo, sed propter amorem tuum procedam contra hostes ad proelium'. Videns autem dominus fidelitatem illius servi dicit ministris suis: ‚Ite, et praeparate arma, quibus induatur hic servus meus fidelis, et ponite in eo signum armorum meorum'. Sic, quicumque insipidus ad orationis bella procedit confidenter, ei Dominus de variis (*a*) providebit ».

Cuidam petenti consilium, si deberet religionem intrare, respondit frater Aegidius: « Si aliquis multum pauper sciret thesaurum in agro, numquid ad fodiendum thesaurum illum postularet consilium? Quanto magis debet homo non procrastinando currere ad inveniendum regni caelestis thesaurum infinitum »? Qui statim consilio acquiescens, relictis omnibus, religionem intravit.

Cuidam iurisperito dixit frater Aegidius: « Credis, quia dona Dei sint magna »? Qui respondit, quod sic. Cui frater Aegidius: « Ostendam tibi, quod non credis. Quantum bene valent res tuae »? Respondit ille: « Forsitan mille libras ». « Nunc probo, quod solo verbo credis. Si enim dares illas mille libras pro centum millibus, maximum lucrum reputares, et tamen eas non dares pro regno caelorum; ergo a te caelestia respectu terrenorum pro nihilo reputantur ». Cui iudex: « Credis tu, quod quilibet tantum operetur, quantum credit »? Respondit frater Aegidius: « Si bene crederes, bene operares, sicut sancti faciunt ». Et iudex consensit, sententiam fratris Aegidii esse veram.

Cuidam interroganti et dicenti fratri Aegidio: « Quid faciam? Si bene ago, inde glorior; si male, devenio in tristitiam et quasi desperationem », respondit frater Aegidius: « Bene facis, si doles de peccato, sed dole moderate, considerans, maiorem esse Dei potentiam ad miserandum quam tuam ad peccandum. Si enim agricultor consideraret, antequam seminaret, intra se dicens; ‚Si semines nunc, venient volucres caeli et bestiae terrae, et devorabunt germen tuum', nunquam seminaret; et (*b*) quid comederet, non haberet. Cultor autem discretus seminat, et finaliter colligit sufficientia sibi. Non dimittas propter vanam gloriam bonum opus; quia, si tibi displicet, semper melior et maior pars apud te remanebit ».

Quidam interrogavit sanctum fratrem Aegidium dicens: « Potest aliquis in saeculo exsistens Dei gratiam invenire »? Respondit frater Aegidius: « Potest, sed ego praeeligerem unam gratiam in religione quam decem in saeculo. Gratia enim habita in religione de facili crescit et conservatur; quia homo in religione est segregatus a tumultu et turbatione sollicitudinis saecularis, quae est gratiae inimica. Fratres etiam sui verbo caritativae exhortationis et sanctae conversationis exemplo ipsum retrahunt a malo, et ad bonum provocant et accendunt. Gratia autem, quam quis habet in saeculo de facili perditur et difficillime conservatur; quia saecularium sollicitudo negotiorum, mater turbationis, dulcedinem gratiae impedit et perturbat. Aliquando (*c*) etiam saeculares persuasione pestifera et damnabilis conversationis exemplo a bono retrahunt ipsum et ad malum, quasi violenter, impellunt. Nam honeste agentem non adiuvant, sed derident; inimicos autem Dei non arguunt, sed extollunt. Melius est ergo unam gratiam secure possidere quam decem in tanto discrimine et timore [1] ».

Cuidam a fratre Aegidio reprehenso et ex hoc turbato in nocte, in visione, quidam astitit dicens: « Ne indigneris, frater; quia beatus erit, qui fratri Aegidio

(*a*) As et edd. *necessariis.* — (*b*) As et edd. *et sic.* — (*c*) As edd. *alii.*

[1] Prior haec pars l. cap. habetur in citata *Vita B. Aegidii* (Analecta franciscana t. III) pag. 92-95; altera ib. pag. 107 lin. 18 — pag. 108 lin. 10.

credet ». Qui statim, mane surgens, ivit ad fratrem Aegidium, dicens culpam suam de indignatione, rogans, ut ipsum frequenter corriperet; quia paratus erat suas reprehensiones patienter portare.

Cuidam dicenti fratri Aegidio, ut pro se oraret Deum, respondit: « Ora tu pro temetipso; quare, te remanente, cum ire possis, alium pro te mittis »? Et cum ille diceret: « Ego sum peccator, vos autem amicus Dei, et ideo ipsum cito pro vobis et pro aliis poteritis obtinere », respondit frater Aegidius dicens: « Carissime, si omnes plateae civitatis Perusii essent plenissimae (*a*) auro et argento, et mitteretur bannum, quod quilibet posset recipere. mitteres tu nuntium ad accipiendum pro te »? Qui respondit: « Certe non; immo ego personaliter irem, nec confiderem in aliquo quantumcumque fideli ». Et frater Aegidius: « Sic est de Deo; totus mundus est eo plenus; omnes possunt eum invenire; vade ergo tu, et alium non mittas ».

Alteri dicenti, quod omnino volebat ire Romam, dixit frater Aegidius: « Saltem scias eligere meliorem monetam et abiicere malam »; vocabat autem peccata et mala exempla malam monetam, virtutes vero et merita meliorem monetam.

Cuidam militi converso et ordinem intranti, cum dixisset fratri Aegidio, quod de ipso non curabat, nec monebat, aut secum conversaretur (*b*), ut faciebat, dum ipse esset in saeculo, respondit frater Aegidius: « Frater mi, tu es de familia Domini, et tu et ego sub eodem Domino socii militamus; et quid ego scio, si Dominus noster vult, quod aliud officium facias, quam ego darem tibi? Ego de uno te informarem, et forsitan Deus aliud de te disponere vellet ».

De via salutis et perfectionis. — Capitulum II.

Dicebat frater Aegidius: « Si vis salvari, non petas rationem ab humana creatura de his, quae tibi accidunt; si vis salvari, diligenter stude, ac satage te desperare ab omni consolatione et honore; quam consolationem potest tibi dare aliqua creatura; quia daemones consolationum subtiliores et peiores sunt quam daemones tribulationum, et maiores sunt casus et frequentiores pro consolationibus quam pro tribulationibus. Omnis magnus casus et omne magnum periculum non est [propter] aliud (*c*), nisi propter elevationem capitis, et omne bonum invenitur propter inclinationem capitis. Vae illis, qui volunt honorari de sua malitia. Si te credis Creatorem omnium offendisse, ab omnibus patienter sustinere debes omnia adversa; quia adversus aliquem rationem non habes. Si aliquis tecum contendit, si vincere vis, perde; quia in fine, quando te credideris vicisse, tunc perdidisti. Si vis bene et acute (*d*) videre, erue tibi oculos; si vis bene et perfecte audire, aures obtura, et sis surdus; si vis bene et ornate loqui, incide tibi linguam, et fias mutus; si vis bene tua opera perficere, abscide tibi manus; si vis bene omnia membra tua habere perfecte, ipsa incide; si vis bene vivere, occidere te stude; si vis bene comedere, ieiuna; si vis bene dormire et quiescere (*e*), vigila; si vis lucrari bene, scias perdere. O quam magna sapientia est ista scire! non tamen omnibus datum est [1] ».

(*a*) As et edd. *plenae*. — (*b*) As et edd. *volebat secum conversari*. — (*c*) Edd. *non veniunt propter aliud*. — (*d*) As et edd. *acutius*. — (*e*) As et edd. *bene et quiete dormire*.

[1] Usque huc cap. 2 exhibet *dicta*, quae in aliis capitulis (praesertim c. 7) redeunt. Quae sequuntur, conveniunt usque ad cap. ultimum fere ubique editioni nostrae *Dictorum B. Aegidii* in « Bibliotheca franciscana ascetica medii aevi », t. III (Ad Claras Aquas 1905); Pisanus sequitur codices clas. B, de quibus confer l. c. pag. XVII not. 1.

Gratia Dei et virtutes sunt scala et via ascendendi in caelum, vitia vero et peccata sunt toxicum [et] viae descendendi ad infernum; vitia et peccata sunt toxicum; virtutes et bona opera sunt tyriaca (*a*). Gratia attrahit gratiam, et vitium unum trahit ad aliud. Gratia non vult laudari; vitium non vult vituperari. Mens in humilitate requiescit; patientia est filia eius. Puritas cordis videt Deum; devotio manducat ipsum. Si amas, amaberis; si times, timeberis; si servies, servietur tibi; si bene te geris de aliis, et alii bene se gerent de te. Beatus, qui amat et non desiderat inde tantum amari; beatus qui timet, et non desiderat inde tantum timeri; beatus qui servit, et non desiderat tantum serviri; beatus qui se bene gerit de aliis, et non desiderat, quod alii se bene gerant de eo. Et quia haec magna sunt, ideo stulti non pertingunt.

Tria sunt valde magna et utilia, quae quicumque haberet, male cadere non posset: primum si omnem tribulationem, quae accidit, libenter sustineas; secundum est, si de omnibus, quae facis et recipis, magis humiliaris; tertium est, si fideliter diligis illa bona, quae videri non possunt corporeis oculis. Ea, quae vilipenduntur et relinquuntur ab hominibus mundanis, magis honorantur et recipiuntur a sanctis et a Deo; et ea, quae amplius diliguntur et amplectuntur et honorantur ab hominibus mundanis, amplius odiuntur, relinquuntur et vilipenduntur a sanctis et a Deo. Omnia enim diligenda odit homo miser, et diligit odienda.

Interrogavit semel frater Aegidius quendam fratrem dicens: « Habes tu bonam animam »? Respondit frater ille: « Frater mi, nescio ». Dixit frater Aegidius: « Sancta contritio, sancta humilitas, sancta caritas, sancta devotio, sancta laetitia faciunt animam sanctam et bonam ».

De fide. — Capitulum III.

Omnia, quae possunt excogitari, narrari, videri vel palpari, nihil sunt respectu eorum, quae nec videri nec palpari nec excogitari possunt. Omnes sapientes et sancti, qui fuerunt et sunt et erunt, qui locuti sunt vel loquenter de Deo, non dixerunt, nec unquam dicent de Deo in comparatione eius, quod est, nisi sicut punctus acus in comparatione caeli et terrae et omnium creaturarum, quae in eis sunt, et plus quam millies minus. Tota enim sacra scriptura loquitur nobis quasi balbutiendo; sicut mater balbutit cum puero suo parvo, qui aliter non posset verba intelligere.

Dicebat frater Aegidius cuidam iudici saeculari: « Credis tu, quod dona Dei sunt magna »? etc.; vide supra in primo capitulo [1]. Et dicto iudice dicente fratri Aegidio: « Credis tu, quod aliquis homo tantum operetur, quantum credit »? respondit frater Aegidius: « Sancti et sanctae bona, quae potuerunt, facere studuerunt; et quae non potuerunt complere opere, compleverunt sanctis desideriis; defectum operis complevit desiderium sanctum. Si quis haberet perfectam fidem (*b*), veniret in statum talem, in quo daretur ei plena certitudo. Homini, qui certe exspectat magnum et aeternum bonum, quid ei mali potest facere aliquod malum? Et homini, qui exspectat magnum et aeternum malum, quid boni potest ei facere aliquod bonum? Nunquam tamen aliquis peccator, dum vivit, debet desperare de Dei misericordia; quia vix est arbor

(*a*) As et edd. *triacha* (theriaca=antidotum). — (*b*) As et edd. *perfecte fidem veram.*

[1] Pag. 215.

ita spinosa et nodosa, quam non possint homines planam et pulchram facere et ornare; multo magis non est aliquis ita gravis peccator in mundo, quem non possit Deus gratia et virtutibus adornare ».

De dilectione. — Capitulum IV.

Dilectio maior est cunctis aliis virtutibus. Beatus, qui non satiatur illis rebus, quas semper debet desiderare. Dicebat frater Aegidius cuidam fratri, speciali amico suo: « Credis tu, quod ego diligam te »? Respondit ille: « Credo ». Dixit illi frater Aegidius: « Non credas, quod diligam te; quia solus Creator est ille, qui vere diligit creaturam, et amor noster nihil est respectu amoris Creatoris ». Et quidam alius frater dixit fratri Aegidio: « Quid est, quod propheta dicit [1]: *Omnis amicus fraudulenter incedit in me* »? Cui respondit frater Aegidius: « Ideo tibi sum fraudulentus, quia bonum tuum non facio meum; quanto enim amplius bonum tuum facerem meum, tanto minus essem tibi fraudulentus; quanto amplius quis laetus fuerit de bono proximi, tanto erit inde particeps, [et quanto quis de malo alicuius gavisus fuerit, tanto magis erit inde particeps]; si ergo vis esse particeps bonorum omnium, gaudeas de bono omnium. Bonum ergo aliorum facis tuum, si tibi placet; et malum alienum facis tibi custodiam, si tibi displicet. Haec est via salutis, ut sis laetus de bono proximi, et dolens de malo suo, et credas bonum de aliis, de te malum, et honores alios et te despicias ». Qui non vult alios honorare, non honorabitur; et qui non vult cognoscere, non cognoscetur; et qui non vult fatigari, non requiescet. Laboritium super laboritium est studere pietati et benignitati. Quidquid fit sine amore et dilectione, non est placitum Deo et sanctis eius. Si quis pauper efficitur suis, et divinis efficitur dives; ergo divina debet homo diligere et sua contemnere. Quid est maius, quam scire commendare beneficia Dei, et scire reprehendere se de malitiis suis propriis? In hac schola vellem studuisse a principio mundi et studere usque ad finem mundi, si tantum vixissem et victurus essem, scilicet in consideratione et commendatione (*a*) Dei et reprehensione maleficiorum meorum. Et si defectum haberem in reprehensione mei de maleficiis meis, nollem defectum habere in consideratione beneficiorum Dei. Vides, quod mimi (*b*) commendant miro modo, qui dant unum cincium. Quid ergo nos debemus facere Domino Deo nostro? Multum debes esse fidelis in amore illius, qui te vult liberare ab omni malo, et qui tibi vult dare omne bonum.

De humilitate. — Capitulum V.

Nemo potest venire in cognitionem Dei nisi per humilitatem. Via eundi sursum est ire inferius. Omnia pericula et omnes casus magni, qui acciderunt in mundo, non nisi propter elevationem capitis acciderunt, sicut patet in illo, qui fuit creatus in caelo, et in Adam et in pharisaeo in evangelio Matthaei [2] et multis aliis; et omnia bona, quae acciderunt, facta sunt in flectendo [caput], ut patet in beata Virgine et in publicano et in sancto latrone et pluribus aliis. Non possemus nos habere unam molam gravem, quae faceret nos caput semper humiliare?

(*a*) As et edd. addunt *beneficiorum*. — (*b*) As et edd. *minimi*.

---

[1] Ier. 9, 4. — [2] 23, 12.

Dixit ei quidam frater: « Quomodo nos possemus fugere istam superbiam »? Et ille: « Lava tibi manus inde, ubi tu posueris os, ibi teneas pedes (*a*); si consideres beneficia Dei, debes inclinare caput tuum; et si consideres peccata tua, debes caput tuum similiter inclinare. Vae autem illi, qui vult honorari de malitia sua »! Unus magnus gradus humilitatis in homine est cognoscere, se semper esse contrarium suo bono. Ramum etiam humilitatis reputo, reddere aliena et non ea sibi appropriare, hoc est, omnia bona Deo attribuere, cuius sunt, et sibi attribuere mala.

Beatus ille, qui ita se habet vilem coram hominibus, sicut vilem se invenit coram Deo. Beatus ille, qui se ipsum nunc iudicat, quia non veniet ad aliud iudicium. Beatus, qui ambulat fideliter ad iudicium et obedientiam alterius; hoc enim fecerunt apostoli, postquam Spiritu sancto repleti fuerunt. Qui vult pacem et tranquillitatem habere, omnem hominem reputet superiorem suum. Beatus ille, qui non vult videri in suis verbis et moribus nisi illa compositione, in qua divina gratia componit eum. Beatus, qui scit conservare et abscondere revelationes Dei; quia nihil occultum, quod non revelet Deus, quando placet sibi. Si quis esset sanctior homo de mundo, et se reputaret viliorem de mundo, in hoc esset humilitas; humilitas nescit loqui, et patientia non audet loqui. Humilitas videtur mihi esse quasi fulgur; sicut enim fulgur facit percussiones terribiles, et postea nihil potest inveniri ex eo; sic humilitas dissipat omne malum, et est inimica omnis peccati, et facit hominem se ipsum nullum reputare. Per humilitatem invenit homo gratiam coram Deo et pacem cum hominibus; sicut enim si rex aliquis magnus vellet mittere filiam suam ad aliquem locum, non poneret eam super equum indomitum, superbum et calcitrosum, sed super equum mansuetum et suaviter ambulantem, sic Deus non ponit gratiam suam in superbis, sed humilibus.

De timore Domini. — Capitulum VI.

Timor Domini sanctus omnem malum timorem expellit et custodit illa bona, quae non possunt lingua exprimi, nec etiam excogitari; quem habere, quia maximum donum Dei est, non omnibus datum est. Qui non timet, ostendit se non habere, quod perdat. Timor Dei regit et gubernat hominem, et facit eum invenire gratiam Domini; quam si habet homo, timor Domini conservat eam (*b*), et si non habet, facit ad eam pervenire. Omnes creaturae rationales, quae ceciderunt, nunquam cecidissent, si hoc donum habuissent. Hoc sanctum donum non est nisi sanctorum et sanctarum; et quanto aliquis est magis gratiosus, non est minus humilis et timoratus; et virtus, quae minus est comparata ab hominibus, non est minor aliis. Homo, qui offendit in tantum Deum, quod dignus est morte, cum qua securitate potest ire ante praesentiam eius? Beatus, qui se cognoscit esse in carcere in hoc mundo et semper suum Dominum offendisse. Multum valde debet homo timere a superbia, ne praecipitet eum. A te ipso et a simili tui timeas semper et caveas. Non est perfecta securitas homini, dum est inter inimicos suos; inimicus noster est caro nostra, et ipsa cum daemonibus semper est adversaria et contraria animae nostrae; maiorem ergo timorem debet homo habere, ne malitia sua propria vincat eum, quam de alia re de mundo; impossibile est enim, quod homo possit ad gratiam Dei conscendere vel in ea perseverare sine sancto timore et sancto pavore, quem qui non habet, signum est pereundi. Hic

---

(*a*) Edd. *et pone ibi os, ubi tenes pedes.* — (*b*) As et edd. *eum.*

timor facit humiliter obedire et flectere caput usque ad terram sub iugo obedientiae sanctae. Item, quantum quis maiorem habet timorem, tanto plus orat; cui (*a*) autem datur gratia sanctae orationis, non est parvum quid. Opera hominum, quantumcumque videantur magna, non sunt secundum existimationem hominis, sed secundum aestimationem et beneplacitum Dei; et ideo nobis semper est timendum.

De patientia. — Capitulum VII.

Qui patienter sustineret tribulationes propter Deum, cito veniret in magnam gratiam, et esset dominus huius mundi, et teneret iam pedem in alio mundo. Quidquid homo facit sive bonum sive malum, sibimetipsi facit. Non ergo debes scandalizari, si aliquis facit tibi iniuriam, sed debes compati peccato eius. Sustinere patienter iniurias tibi factas a proximo propter Deum, et propter Christum (*b*) et propter te ipsum. Quantum quis paratus est sustinere tribulationes et iniurias propter Deum, tantum est magnus apud Deum et non plus; et quanto quis est debilis a tribulatione et dolore sustinendo propter Deum, tanto minor est apud Deum, et non cognoscit, quid sit Deus. Si quis dicit tibi malum, adiuva illum. Si quis dicit tibi bonum, redde illud Deo. Adiuvare debes eum, ut, si dicit tibi malum, tu dicas deterius de te. Si vis facere partem tuam bonam, facias partem tuam malam, et partem alterius bonam, hoc est: factum et dictum alterius lauda, et tuum reprehende; et si vis facere partem tuam malam, facias e contrario. Quando igitur aliquis contendit tecum, si vis vincere, perde; nam in fine, quando te credideris (*c*) vicisse, invenies perdidisse. Via ergo salvationis est via perditionis. Non sumus boni supportatores tribulationum, quia non sumus boni sectatores spiritualium consolationum; qui enim fideliter laboraret in se et super se et pro se, suaviter omnia sustineret. Iniuriam nulli facias, et si quis tibi facit iniuriam, sustine eam patienter amore Dei et propter remissionem peccatorum tuorum; multo enim melius est unam gravem iniuriam sustinere sine murmure aliquo propter amorem Dei, quam pascere quotidie centum pauperes et per plures dies ieiunare usque ad caelum stellatum. Quid prodest homini despicere se ipsum, et tribulationes suo corpori facere in ieiuniis et orationibus (*d*) et disciplinis, et non posse unam iniuriam pro Christo (*e*) sustinere, de quo reciperet maius pretium vel praemium quam de suis (*f*), quae portat sua propria voluntate? Sustinere tribulationes sine murmure magis purgat peccata hominum quam effusio lacrymarum.

Beatus ille, qui habet semper ante oculos peccatum suum et beneficia Dei et sustinet patienter omnem tribulationem et angustiam, unde debet habere magnam consolationem. Beatus ille, qui non petit, nec desiderat aliquam consolationem sub caelo ab aliqua creatura. Non exspectet homo praemium a Deo, si est humilis et quietus solummodo, dum bene satisfit ei in omnibus (*g*). Qui semper bene haberet prae oculis peccata sua, in nulla tribulatione deficeret. Omne bonum, quod habes, debes recipere a Deo, et omne malum a peccato tuo; si enim unus homo fecisset et faceret omnia bona, quae fecerunt, faciunt et facient omnes homines de mundo, tamen si bene inspicit, inveniet se semper contrarium in bono suo.

Dixit ei quidam frater: « Quid faciemus, si venerint in tempore nostro tribulationes magnae »? Respondit sanctus frater Aegidius: « Si plueret Dominus lapides et

(*a*) As *cum*. — (*b*) As et edd. *proximum*. — (*c*) As *videris*. — (*d*) As et edd. addunt *vigiliis*. — (*e*) As et edd. *a proximo*. — (*f*) Edd. *his*. — (*g*) As *si bene faciat ei in orationibus*.

saxa de caelo, non nocerent nobis, si essemus quales esse deberemus; si homo esset, qualis deberet, malum converteretur ei in bonum; si enim habenti malam voluntatem ipsum bonum retorquetur in malum, ita habenti bonam voluntatem malum convertitur in bonum; omnia enim magna bona et magna mala sunt intus in homine, quae videri non possunt ». Ad infirmitatem magnam et ad laborem magnum et ad famem magnam et ad iniurias magnas alicui factas currunt pessimi daemones. Si vis salvari, non petas tibi iustitiam fieri ab aliqua creatura. Viri sancti bona faciunt et mala patiuntur. Si cognoscis, te offendisse Creatorem et Deum omnium, cognosce, quia dignum est, quod omnia te persequantur et vindicent iniuriam, quam fecisti Domino. Ab omnibus creaturis debes sustinere patienter molestias tibi factas, quia contra aliquam non habes iustitiam, cum sis dignus puniri ab omnibus. Magna virtus est homini vincere semetipsum. Si vincis te ipsum, vinces omnes inimicos, et pervenies in omne bonum. Magna virtus esset, si quis permitteret, se vinci ab omnibus hominibus, quia talis homo esset dominus huius mundi. Si vis salvari, conare, ut desperes ab omni consolatione, quam tibi potest dare creatura aliqua mortalis; quia maiores et frequentiores sunt casus ex consolationibus, quam ex tribulationibus accidentes. Nobilis est (*a*) natura equi, qui licet in cursu sit velocissimo, tamen is, qui equitat, potest eum avertere ab una via et dirigere ad aliam; sic debet homo in impetu irae suae permittere se regi ab illo, qui corrigit eum. Ad solam memoriam Dei debet homo desiderare, quantum est pro se, dare pretium aliis, ut darent ei alapas et colaphos, et ut traherent eum per capillos. Murmurabat quandoque quidam religiosus coram eo de quadam gravi obedientia sibi data; cui dixit sanctus frater Aegidius: « Amice mi, quanto plus murmuras, tanto plus te oneras; et quanto devotius et humilius submiseris caput iugo sanctae obedientiae, tanto levius et suavius erit tibi; tu non vis vituperari in hoc mundo, et vis honorari in alio; non vis maledici, et vis benedici; non vis laborare, et vis quiescere; deceptus es, quia per vituperium pervenitur ad honorem; per maledictionem habetur benedictio, per laborem requies. Proverbium verum est: ‚Qui non dat de eo, quod dolet, non potest habere de eo, quod vult'. Non mireris, si proximus te offendit aliquando; quia etiam Martha, quae sancta erat, volebat provocare Dominum contra sororem suam carnalem; tamen iniuste murmurabat Martha de Maria; et quanto plura membra amiserat quoad usum Maria quam Martha, tanto plus laborabat quam Martha; amiserat enim loquelam, visum, auditum et gressum. Studeas esse gratiosus (*b*) et virtuosus, et pugna contra vitia, et sustine patienter tribulationes et verecundias. Non enim est aliud, nisi ut vincas te ipsum; quia parum est homini attrahere animas ad Deum, nisi vincat se ipsum ».

De otiositate. — Capitulum VIII.

Otiosus hunc mundum amittit et alium, non fructificando sibi nec aliis. Impossibile est virtutes acquiri sine sollicitudine et labore. Si potes esse in securo, non ponas te in dubio; ille est in securo, qui laborat pro Deo. Iuvenis, qui laborem recusat, regnum caelorum recusat. Si sollicitudo non prodest, negligentia non obest, nec nocet. Sicut otiositas mala via est ad infernum, ita otiositas et quies sancta via est ad caelum. Multum debet [homo] esse sollicitus ad custodiendam gratiam sibi datam a Deo et cum ea fideliter laborare, quia saepe amittit fructus pro frondibus

(*a*) Codex *enim*. — (*b*) As *gloriosus*.

et grana pro paleis. Quibusdam autem dat Deus fructus, et frondes facit eis caras; quibusdam dat utrumque; et quidam carent utroque. Maius reputo bona data a Domino conservare, quam ea acquirere. Qui novit acquirere et nescit reponere, nunquam ditabitur; scire vero reponere et nescire acquirere, non est magnum. Multi lucrantur multa, sed nunquam fiunt divites, quia non custodiunt, quod lucrati sunt; et aliqui paulatim (*a*) lucrantur et fiunt divites, quia id, quod lucrantur, bene custodiunt. Fluvius Tiberis quantam congregationem aquarum haberet, si non continue defflueret? Homo petit a Deo donum sine mensura et sine fine, et vult ei servire cum mensura et fine. Qui vult sine modo et fine amari et remunerari, debet sine modo amare et sine fine servire. Propter negligentiam suam homo amittit perfectionem suam.

Loquebatur semel frater Aegidius cuidam volenti pergere Romam dicens: « Quando ibis per viam, noli attrahere tibi ea, quae videbis, ne impediant te; et scito eligere bonam monetam a falsa; multae sunt astutiae inimici et eius laquei occulti et varii ». Beatus qui exfructat corpus suum amore Altissimi, et de bono, quod facit, a caelo inferius aliquod praemium non requirit. Si quis esset pauperrimus valde et diceret ei aliquis: « Frater, accommodo tibi istam rem meam, ut per tres dies exfructes eam, et per hoc thesaurum habebis infinitum », nonne, ille pauper, si constaret ei, hoc esse verum, studeret sollicite rem illam exfructare? Res mutuata nobis a Deo est caro nostra, et quasi tres dies sunt totum tempus vitae nostrae; si vis ergo frui, stude lucrari; si enim non laboras, quomodo quiesces? Si omnes agri et vineae huius mundi essent unius hominis, qui non coleret eos, nec coli faceret, quem fructum perciperet inde? Alius autem habens parvam quantitatem agrorum et vinearum et ipsos bene coleret (*b*), perciperet inde fructum pro se et pro aliis pluribus. Si quis vult facere malum, vix petit consilium; et quanto vult aliquod bonum facere, studet a multis consilium perquirere. Proverbium ironicum est: « Ad spem [1] tui vicini non penas ollam ad ignem ». Non est homo beatus, si bonam habeat voluntatem, nisi bonis operibus studeat eam sequi; quia ad hoc dat Deus homini gratiam suam, ut sequatur eam.

Dixit semel sancto fratri Aegidio quidam homo vagabundus, ut videbatur: « Frater Aegidi, fac mihi consolationem ». Respondit frater Aegidius: « Stude bene agere, et consolationem habebis. Nisi enim in se praepararet homo locum Deo, non inveniet locum in creaturis Dei ». Quis est, qui non velit facere id, quod melius esset non solum animae suae, sed etiam corpori in hoc mundo? Nos autem nec bonum animae nec bonum corporis volumus operari. Ego possem dicere veraciter, quod qui alleviat sibi iugum Domini, aggravat sibi illud, et qui illud aggravat sibi, ipsum sibi alleviat. Utinam homines facerent illud, quod esset melius corpori in hoc mundo. Qui fecit alium mundum, fecit et istum; et de bonis, quae tribuit in alio mundo, potest in isto retribuere, et corpus sentit de bonis animae.

Tunc dixit ei quidam frater: « Forte moriemur, antequam experiamur aliquid boni ». Respondit frater Aegidius; « Pelliparii noverunt de pellibus, cerdones (*c*) de calceamentis, fabri de ferro, et sic de aliis artibus. Quomodo potest homo scire artem, in qua nunquam studuit? Credis tu, quod magni domini dent dona magna stultis hominibus et insanis? Non dant ». Bona opera sunt via ad omne bonum, sicut mala

(*a*) As et edd. *paulative.* — (*b*) As et edd. *colens.* — (*c*) Codex *sardones.*

[1] Ita codex, As et edd.; editio nostra *Dictorum* (pag. 27) *sepem.*

opera sunt via ad omne malum. Beatus ille, quem nulla res inferius a caelo deaedificabit, et quem omnia, quae videbit vel audiet vel sciet, aedificabunt, et de omnibus studebit eligere utilitatem suam.

De contemptu mundi. — Capitulum IX.

Vae homini illi, qui ponit cor suum et desiderium suum et vires suas in rebus terrenis, propter quas relinquit et perdit caelestia bona! Aquila, quae volat altissime, si haberet alligatam cuilibet alae unam de trabibus ecclesiae sancti Petri, non volaret ita alte. Multos invenio laborantes pro corpore et paucos pro anima; multi etiam laborant multum pro corpore, frangentes saxa, cavando montes, et alia opera gravia faciendo; sed pro anima quis ita viriliter et ferventer laborat? Avarus similis est talpae, quae non credit, alium thesaurum esse nec aliud bonum, nisi cavare terram, et inhabitare eam; tamen sunt alii thesauri, quos ignorat.

Aves caeli et bestiae terrae et pisces maris, quando habent sibi cibum competentem, contenti sunt. Cum ergo homo contentus non sit terrenis rebus, sed semper suspirat ad alia, patet, quod ad hoc non fuit principaliter factus, sed ad alia; corpus enim factum fuit propter animam, et mundus iste propter alium mundum. Mundus iste est talis campus, quod habens in (*a*) eo partem maiorem habet partem deteriorem. Item dicebat, quod beato Francisco non multum placebant formicae propter nimiam sollicitudinem congregandi victualia sua, sed aves caeli sibi magis placebant; quia *non congregant in horrea* [1].

De castitate. — Capitulum X.

Caro nostra est sicut porcus, qui avide currit in lutum et delectatur in luto esse. Caro est sicut scabro, qui semper stercus equinum volvere delectatur. Caro nostra est pugil diaboli. Dixit ei quidam frater: « Quomodo possemus nobis cavere de vitiis carnis »? Respondit sanctus frater Aegidius dicens: « Qui vult saxa magna et trabes grandes transferre, studet eas transferre [magis] ingenio quam viribus; et in hoc facto similiter est procedendum ». Omne vitium laedit castitatem, est enim sicut speculum clarum etc., ut dictum est supra capitulo primo [2].

De tentationibus variis. — Capitulum XI.

Gratia magna pace possideri non potest; quia semper oriuntur ei multa contraria. Quanto homo gratiosior fuerit, tanto plus a diabolo impugnatur, non tamen debet homo propter hoc cessare sequi gratiam suam; quia quanto gravior fuerit pugna, tanto, si vicerit, maior erit corona. Nos ideo non habemus multa impedimenta; quia non sumus, quales esse debemus. Verumtamen, si quis bene iret per viam Domini, nec fatigationem haberet nec taedium, sed in via saeculi fatigationem habet homo et taedium usque ad mortem. Respondit ei quidam frater dicens: « Tu videris dicere duo contraria sibi ipsis ». Respondit sanctus frater Aegidius: « Nonne daemones plus currunt ad hominem habentem bonam voluntatem, quam ad alios? Ecce impedimentum! Et si quis venderet denariatam suam plus millies quam valeret, quam fa-

(*a*) As et edd. *ex*.

[1] Matth. 6, 26. — [2] Pag. 209.

tigationem ibi sentiret? Ecce, soluta est contrarietas. Dico ergo, quod, quanto quis magis fuerit repletus virtutibus, tanto magis infestatur a vitiis; et tanto magis ea odio deberet habere. De omni vitio, quod vinces, virtutem acquires. Et de quocumque vitio amplius (*a*) tribularis, de eo maius praemium recipies, si devinces ». Quacumque de causa omittit homo ire per viam Domini sui, ipsa de causa amittit praemium suum.

Dixit ei quidam frater: « Tentor frequenter tentatione pessima, et pluries Dominum rogavi, ut auferret eam a me; et non aufert eam ». Respondit frater Aegidius: « Quanto aliquis rex [magis] munit milites suos armis, tanto vult, ut fortius proelientur. Si quis etiam vadit ad proelium orationis quasi sine armis, quia sentit se aridum et indevotum, Deus videns fidelitatem eius, ponit in eo signum armorum suorum ». Sic est de tentationibus aliquando, sicut accidit de agricola, qui videt silvam arborum et veprium in aliquo territorio suo, in quo vellet facere novale et granum seminare; sed multis sudoribus, laboribus et angustiis fatigatur, antequam colligat inde granum; et quandoque quasi poenitet, quod laborem illum assumpsit, propter labores et angustias, quae sibi in opere illo emergunt. Primo enim intuetur silvam exstirpandam, et non videt granum; secundo cum laboribus multis incidit arbores, et nondum videt granum; tertio cum multo labore et gravi evellit radices arborum, et nondum videt granum; quarto proscindit terram et aptat, et nondum videt ibi frumentum, pro quo tantum laboravit; quinto arat iterum terram; sexto seminat eam; septimo purgat eam; octavo metit; nono triturat, et haec omnia cum labore magno facit; decimo reponit cum gaudio, quasi non recordans tanti laboris propter fructum multum, quem habet in fine. Multos etiam labores plures istis sustinet, quos omnes benedicit propter gaudium, quia fructum bonum percipit.

Iterum dixit ei quidam: « Quid possum facere? Si enim facio aliquid boni, habeo inde vanam gloriam, et si facio malum, incido in tristitiam et quasi in desperationem ». Respondit frater Aegidius: « Benefacis, si doles de peccato tuo; tamen consulo tibi, ut doleas temperate et moderate; semper enim debes credere, quod maior sit potentia Dei in parcendo, quam tua potentia in peccando. Si Deus facit misericordiam alicui magno peccatori, credis tu, quod minorem peccatorem relinquat? Ceterum propter tentationem inanis gloriae non desistas facere bonum; si enim agricultor volens iacere semen in terra, diceret intra se: ‚Nolo seminare in hoc anno; quia si seminavero forte venient volucres et comedent ex semine tuo', et, si propter hoc non seminaret, non haberet fructum terrae suae ad comedendum. Si autem seminat, licet aliquid de semine pereat, tamen maior pars seminis remanebit ei. Sic est de illo, qui tentatur a vana gloria et pugnat contra eam ».

Quidam frater dixit ei: « Legitur de beato Bernardo (*b*), quod semel dixerit septem psalmos poenitentiales, nec quidquam aliud cogitavit nisi super his, quae dicebat ». Respondit sanctus frater Aegidius: « Maius reputo, si castrum aliquod expugnatur, et defendit se viriliter et valenter, quam si castrum non expugnatur ».

De poenitentia. — *Capitulum XII.*

Dicebat semel quidam iudex saecularis sancto fratri Aegidio: « Quomodo possemus nos saeculares ascendere ad statum gratiae et virtutis »? Respondit sanctus frater Aegidius: « Primo debet homo dolere de peccatis suis; postea pure confiteri; demum

(*a*) As et edd. *magis*. — (*b*) As *beato fratre Bernardo*.

poenitentiam sibi iniunctam facere; postmodum custodire se ab omni peccato et ab omni occasione peccati; tandem debet se in bonis operibus exercere ». Benedictum sit illud malum, quod convertitur homini ad bonum, et maledictum sit illud bonum, quod convertitur homini ad malum. Libenter debet homo sustinere mala in hoc mundo; quia de hoc dedit nobis exemplum in se Dominus noster Iesus Christus. Beatus, qui habebit dolorem de peccatis suis et plorabit die ac nocte, nec consolabitur in hoc mundo, donec perveniat illuc, ubi omnia desideria cordis sui complebuntur.

De oratione. — Capitulum XIII.

Oratio est initium et complementum omnis boni. Oratio illustrat animam, et per eam cognoscitur bonum et malum. Hanc orationem debet facere omnis peccator ad Dominum, ut det ei cognoscere suam misericordiam et sua peccata et sua beneficia. Qui nescit orare, non cognoscit Deum. Omnes, qui debent salvari, si habent usum rationis, de necessitate oportet, ut in fine suo ad orationem se convertant. Ponamus, quod aliqua mulier verecunda multum et simplex haberet unicum filium, qui propter offensam aliquam esset captus a rege et ad suspendium (*a*) duceretur; nonne haec vidua (*b*) verecunda et simplex, solutis crinibus et nudato pectore, vociferando clamaret, et ad regem rogandum curreret pro liberando filio suo? Amor filii et necessitas mulierem, verecundam et vix extra limen domus suae exeuntem prius, quasi effrontem postea compellit ire per plateas inter homines eiulantem, et simplicem reddit sapientem. Sic bene sciret et vellet orare, qui mala sua et pericula et damna sua veraciter cognosceret.

Dixit ei quidam frater: « Multum deberet homo dolere, quando in oratione non potest gratiam devotionis invenire ». Respondit sanctus frater Aegidius: « Consulo tibi, quod plane facias factum tuum; si enim haberes aliquantulum boni vini in vegete, et faex esset sub vino, velles tu vegetem concutere et vinum cum faece miscere? non esset hoc faciendum; et si mola molendini aliquando non facit bonam farinam, molendinarius non confestim confringit eam cum malleo; sed plane et paulative reparat molam illam, et postea facit bonam farinam. Facias tu similiter, et cogita, te nullatenus esse dignum consolationem aliquam a Deo in oratione accipere; nam, si quis vixisset ab initio mundi usque nunc et victurus esset usque ad finem mundi, et in oratione deduxisset omni die plenam parassidem lacrymarum, non esset dignus tunc in fine mundi, ut Dominus consolationem unicam ei daret ».

Dicebat ei aliquando frater quidam: « Quare plures tentationes patitur homo, quando orat Deum quam aliis temporibus »? Respondit sanctus frater Aegidius: « Quando aliquis habet causam contra aliquem adversarium (*c*) in curia principis alicuius, si homo ille vadit ad principem illum, ut proponat et faciat aliquid contra adversarium suum, adversarius autem ille hoc sciens opponit se isti totis viribus, ne sententia detur pro isto. Sic facit diabolus contra nos. Ideo, si steteris in colloquio cum aliis, videbis frequenter te non sentire multa bella tentationum; sed si ad orationem perrexeris ad recreandam animam tuam, tunc senties contra te ignita iacula inimici. Non debes tamen propter hoc orationem relinquere, sed firmus stare; quia haec est via ad supernam patriam; et ille, qui propter hoc orationem relinquit, est sicut ille, qui de proelio fugit ».

(*a*) As *suspendendum*. — (*b*) As et edd. *vidua licet*. — (*c*) As et edd. addunt *suum*.

Dicebat ei quidam: « Video multos, qui statim videntur habere gratiam devotionis et lacrymarum, quando vadunt ad orationem; ego autem inde vix possum aliquid sentire ». Respondit sanctus frater Aegidius: « Labora fideliter et devote; quia gratiam, quam non dat tibi Deus in una vice, poterit dare in alia; et quod non dat tibi in uno die vel in una septimana, poterit dare tibi in alio die vel in alia septimana vel in alio mense vel anno; pone laborem tuum, et Deus ponet gratiam suam, sicut sibi placebit. Faber, qui fabricat cultellum, antequam cultellus perficiatur, multas dat tunsiones super ferrum, de quo facit cultellum, sed postremo in una percussione cultellus perficitur ». Multum debet homo esse sollicitus de salute sua; si enim totus mundus esset plenus hominibus etiam usque ad nubes, si esset possibile, et de his non deberet salvari nisi unus, tamen quilibet deberet sequi gratiam suam, ut esset ille unus; quia non est amittere corrigiam calceamenti amittere supernam patriam. Sed vae vobis (*a*)! est qui det, sed non est qui accipiat.

Alio tempore quidam quaesivit a sancto fratre Aegidio: « Quid facis frater Aegidi »? Respondit: « Facio malum ». Ille vero dixit iterum fratri Aegidio: « Quod malum facis tu, qui es frater Minor »? Sanctus frater Aegidius dixit cuidam fratri (*b*) adstanti sibi: « Frater, qui est paratior, vel Deus nobis dare gratiam suam vel nos accipere »? Respondit ille: « Deus est paratior nobis dare quam nos accipere ». Dixit sanctus frater Aegidius: « Et facimus nos bene »? Ille frater respondit: « Immo, facimus male ». Et conversus sanctus frater Aegidius ad illum, qui quaesierat ab eo, quid faceret, ait: « Ecce, patet, quod dixeram tibi verum, cum respondi, me facere malum ». Item dixit: « Multa opera commendantur in sacra scriptura, ut vestire nudos, pascere famelicos et alia multa; tamen de oratione Dominus loquens dicit: *Nam et Pater tales quaerit, qui adorent eum* [1]. Bona opera adornant animam, sed oratio nimis est magnum quid ».

Sancti religiosi sunt quasi sancti lupi, qui vix exeunt in publicum, nisi pro magna necessitate, et tunc in publico contrahunt parvam moram.

Dicebat sancto fratri Aegidio quidam frater familiaris eius: « Quare non exis aliquando ad homines saeculares volentes tibi loqui »? Respondebat frater Aegidius dicens: « Volo satisfacere proximo meo cum bono animae meae; non credis, quod ego darem potius aliquando mille libras, si haberem eas, quam ego darem me proximo »? Respondit frater: « Credo ». « Et credis, quod ego darem potius quatuor millia librarum, quam darem me aliquando proximo »? Respondit ille: « Credo ». Dixit ei frater Aegidius: « Dominus dicit in evangelio [2]: *Qui reliquerit patrem et matrem et fratres et sorores* etc. *propter meum nomen, centuplum accipiet in hoc mundo.* Fuit autem quidam Romanus, qui intravit ordinem fratrum Minorum, cuius facultates dicebant valere sexaginta millia librarum; ergo aliquod magnum est, quod dat in hoc mundo Dominus Deus, ex quo valet centies sexaginta millia librarum. Sed nos sumus caeci et velati; si videmus hominem multum gratiosum et virtuosum, non possemus ferre perfectionem eius. Si quis esset vere spiritualis, vix videre vellet aliquem vel audire vel moram facere cum aliquo, nisi pro magna necessitate, sed semper optaret solitarius esse ».

Dicebat iterum de se ipso: « Ego potius vellem esse caecus, quam esse pulchrior vel ditior vel sapientior vel nobilior homo de mundo ». Dixit ei quidam: « Quare

(*a*) Edd. *nobis*. — (*b*) As et edd. *fratri Minori*.

[1] Ioan. 4, 23. — [2] Matth. 19, 29 et Marc. 10, 30.

velles potius esse caecus, quam habere ista »? Respondit: « Quia timeo, ne impedirent iter meum ». Beatus erit, qui non cogitabit, nec dicet, nec faciet aliquid reprehensibile.

Interrogavit aliquando sanctus frater Aegidius quendam fratrem dicens: « Quid dicunt isti sapientes de contemplatione »? At ille dixit: « Multa dicunt »; et ille: « Vis, ut dicam tibi, quid mihi videtur »? Et ille: « Modo dic ». Et dixit sanctus frater Aegidius: « Gradus contemplationis mihi videntur esse ignis, unctio, ecstasis, contemplatio, gustus, requies, gloria ».

De cautela spirituali et eius consideratione. — Capitulum XIV.

Si vis bene videre, erue oculos tuos, et esto caecus; si vis bene audire, esto surdus; si vis bene loqui, esto mutus; si vis bene ambulare, abscide tibi pedes; si vis bene operari, mutila tibi manus; si vis bene amare, habeas te odio; si vis bene vivere, te mortifica; si vis bene lucrari, scito perdere; si vis esse dives, esto pauper; si vis esse in deliciis, afflige te; si vis esse securus, esto semper in timore; si vis exaltari, humilia te; si vis honorari, despice te et honora te despicientes; si vis habere bonum, sustine malum; si vis esse in quiete, labora; si vis benedici, desidera maledici. O quam magna sapientia est scire hoc facere! et quia magna sunt, non omnibus data sunt. Si mille annis viveret homo, nec haberet aliquid facere extra os suum, satis haberet facere intus in corde suo, nec posset ad complementum perfectum venire, tantum haberet facere solum intus in corde suo. Nullus deberet velle videre vel audire aliquid sive loqui de aliqua re, nisi usque ad utilitatem suam, nec nobis! ultra procedere ullo modo. Qui non vult cognoscere, non cognoscetur; sed vae illi, qui habent dona Dei, non cognoscunt; et qui non habent, non quaerunt. Homo fingit Deum, qualem vult; sed ipse est talis, qualis ipse est.

De scientia utili et inutili et de praedicatoribus verbi Dei. — Capitulum XV.

Qui vult scire satis, inclinet caput satis, et operetur satis, et trahat ventrem per terram, et Dominus docebit eum satis. Summa sapientia est bona opera facere, bene custodire se et iudicia Dei conservare (*a*).

Dixit semel cuidam volenti ire ad scholas causa addiscendi: « Cur vis ire ad scholas? Summa totius scientiae est timere et amare Deum; haec duo sufficiunt tibi. Tantam sapientiam habet homo, quantum boni operatur, et non plus. Non sis nimis sollicitus fore utilis aliis, sed esto magis sollicitus, ut sis utilis tibi ipsi ». Volumus aliquando multa scire pro aliis et pauca pro nobis. Verbum Dei non est audientis vel dicentis, sed operantis illud. Multi nescientes natare intraverunt in aquas, ut adiuvarent pereuntes in eis, et cum pereuntibus perierunt; prius erat unum damnum, postea fuerunt duo. Si bene procuras salutem animae tuae, bene procurabis salutem omnium amicorum tuorum. Si bene facis factum tuum, bene facis factum omnium bene volentium tibi. Praedicator verbi Dei positus est a Deo, ut sit candela, speculum et vexillifer populo Dei. Beatus ille, qui dirigit alios per viam rectam, et ipse non cessat ire per eam; sic enim invitat alios ad currendum, quod ipse currere non desistit, et sic est adiutor aliis, ut fiant divites, et ipse ex hoc non fiat pauper. Credo, quod bonus praedicator magis loquitur sibi quam aliis. Videtur mihi, quod qui vult animas peccatorum trahere ad bonum, magis debet timere, ne ipse ab aliis male trahatur. Cui dixit quidam

(*a*) As *conservare vel custodire*, edd. *considerare*.

frater: « Quomodo »? Et ille: « *Averte oculos meos, ne videant vanitatem* [1]; illi, qui dicunt, non comprehendunt; et illi, qui audiunt, non intelligunt ». Dixit ei quidam: « Quid est melius, bene praedicare, an bene facere »? Respondit: « Quis magis meretur, vadens ad domum sancti Iacobi vel viam sancti Iacobi aliis ostendens »? Multa video, quae non sunt mea; multa audio, quae non intelligo; et multa loquor, quae non operor: ergo videtur mihi, quod per solum visum, loquelam et auditum non salvatur homo.

De verbis bonis et non bonis. — Capitulum XVI.

Qui loquitur bona verba, est quasi os Dei, et qui loquitur mala verba, est quasi os diaboli. Quando servi Dei congregantur in aliquo loco ad colloquendum, deberent tractare de pulchritudine virtutum, ut placerent eis virtutes; quia, si placerent eis, exercerentur in eis, et si exercerentur in virtutibus, semper ab eis virtutes amplius amarentur. Quanto magis homo est plenus vitiis, tanto est magis ei necessarium de virtutibus loqui. Sicut enim ex frequenti colloquio pravo de vitiis incidit quis in vitia faciliter valde (*a*), sic ex frequenti colloquio sancto de virtutibus faciliter inducitur et disponitur ad virtutes. Sed quid dicemus? De bono non possumus dicere bonum, et de malo non possumus dicere malum. Quid ergo dicemus? De bono enim dicere non possumus, quantum bonum sit, nec etiam de malo, quantum sit, cum utrumque incomprehensibile sit a nobis. Ego non reputo minoris virtutis esse, scire bene tacere, quam scire bene loqui; et videtur mihi, quod homo deberet habere collum ad instar gruis, ut quasi per multos nodos transiret verbum, antequam ex ore egrederetur.

De perseverantia. — Capitulum XVII.

Quid prodest homini ieiunare, orare, eleemosynas facere, se ipsum affligere, sentire quoque magna de caelo et non pervenire ad portum salutis? Ecce, aliquando apparet aliqua navis in mari formosa, magna, nova et multo thesauro plena; tamen sibi (*b*) aliquo periculo occurrente ad portum salutis non venit, sed miserabiliter perit; et quid omnis illa bonitas et pulchritudo eius? Et iterum aliquando in mari navis aliqua deformis, non grandis, vetusta, despecta, non multo thesauro repleta et cum multo labore evadens maris pericula, feliciter venit ad portum, et haec sola commendabilis. Simile quoque evenit in hominibus mundi huius; merito ergo omnibus est timendum. Quamvis arbor sit nata, non tamen statim est magna; et si magna, non florida; et si floret, non statim producit fructus; et cum producit fructus, non statim magnos; et si magni, non tamen sunt maturi; et si maturi, non omnes ad os comedentis perveniunt, sed multi decidunt et putrefiunt, et vel a porcis vel a bestiis aliis devorantur. Dixit ei quidam: « Dominus faciat bene te finire ». Respondit sanctus frater Aegidius: « Quid mihi prodest, si regnum caelorum centum annis manducassem (*c*), nisi bene finirem? Duo magna bona hominis reputo: Deum amare, et sibi semper a peccato cavere; qui haberet haec duo, haberet omnia bona ».

De religione. — Capitulum XVIII.

Dicebat sanctus frater Aegidius de se ipso loquens: « Vellem potius habere modicum gratiae in religione quam multum in saeculo; quia plura pericula et pauciora

(*a*) As et edd. om. *Sicut enim — valde*. — (*b*) Codex *si*. — (*c*) Ed. nostra *Dictorum* (pag. 61) *mendicassem*.

[1] Ps. 118, 37.

adiutoria sunt in saeculo quam in religione. Sed homo peccator plus formidat bonum suum quam malum suum, quia timet poenitentiam agere et religionem intrare plus, quam in peccato iacere vel in saeculo remanere ».

Item petiit ab eo quidam saecularis, si religionem deberet intrare. Cui sanctus frater Aegidius dixit: « Si quis pauperrimus sciret thesaurum pretiosum absconditum in agro aliquo communi, nunquid ab aliquo consilium quaereret, an ad thesaurum ire deberet? Quanto magis ad cavandum caelestem thesaurum debent omnes homines cum festinatione ire »? Hoc ut ille audivit, venditis omnibus bonis suis, religionem intravit.

Dicebat quoque sanctus frater Aegidius: « Multi religionem ingrediuntur et quae conveniunt religioni, non operantur; et sunt huiusmodi sicut agricola, qui arma Rolandi indueret et cum eis pugnare nesciret. Non enim omnes homines equum Bayardum scirent equitare, nec insidentes ei scirent a casu sibi cavere. Non reputo magnum curiam regis intrare, nec reputo magnum bona a rege recipere, sed magnum reputo scire, sicut decet, in curia regis stare. Curia magni regis est religio, quam non est magnum intrare et aliqua dona Dei in ipsa recipere, sed scire, sicut decet, in ea vivere et usque in finem perseverare et devote ac sollicite. Potius vellem in saeculari statu exsistere et vivere et ad religionis ingressum suspirare, quam in religione exsistere et satur esse ». Gloriosa Virgo, Mater Dei nata fuit de peccatoribus et peccatricibus, nec fuit in aliqua religione, et tamen est id, quod est. Debet religiosus credere, se nescire nec posse vivere sine religione. Videtur mihi, quod religio fratrum Minorum vere fuit missa a Deo in hunc mundum ad magnam hominum utilitatem; sed vae nobis, nisi simus tales homines, quales esse debemus! Religio fratrum Minorum videtur mihi pauperior et ditior huius mundi; sed hoc mihi videtur nostrum vitium, quia nimis volumus alte ambulare. A principio mundi usque nunc melior religio nec expeditior religione fratrum Minorum adhuc non apparuit.

Ille dives est, qui imitatur divitem; ille est sapiens, qui imitatur sapientem; ille est bonus, qui imitatur bonum; iste est pulcher, qui imitatur pulchrum; ille est nobilis, qui imitatur nobilem Dominum Deum nostrum.

De obedientia. — Capitulum XIX.

Quanto magis constrictus est religiosus amore Dei sub iugo obedientiae, tanto maiorem fructum reddet; et quanto magis est religiosus obediens et subiectus praelato suo propter honorem (*a*) Dei, tanto magis est pauper et mundus a peccato suo prae ceteris hominibus huius mundi. Religiosus bene obediens, similis est militi bene armato, sedenti super bonum equum (*b*), qui transit securus inter hostes, et nemo potest eum offendere. Religiosus autem obediens cum murmure similis est militi inermi sedenti super equum malum, qui transiens inter hostes cadit et ab inimicis rapitur. Religiosus, qui in propria voluntate vult vivere, ad ignem inferni vult ire.

Quamdiu bos tenet caput sub iugo, implet horrea frumento; bos autem non tenens caput sub iugo, sed vagando discurrens, magnus dominus sibi esse videtur, sed frumento horrea non implentur. Magni et sapientes ponunt caput humiliter sub iugo obedientiae, et stulti de sub iugo caput extrahunt et obedire nolunt. Mater quandoque nutrit filium et exaltat; qui, postquam magnus effectus est, matri per suam superbiam non obedit, sed eam deridet et spernit. Maius reputo obedire homini praelato propter

(*a*) As *amorem.* — (*b*) As et edd. *homini bene armato vel militi sedenti.*

amorem Dei, quam obedire ipsi Creatori per se ipsum mandatum aliquod imperanti; qui enim obedit vicario Domini, bene obediret Domino sibi aliquid imperanti. Videtur autem mihi, quod, si quis esset in tanta gratia, quod cum angelis loqueretur, si vocaretur ab homine, cui promisit obedientiam, deberet colloquium dimittere angelorum et homini, cui propter Deum obedientiam promisit, obedire. Qui vero posuit caput sub iugo obedientiae et postea, ut sequatur viam perfectionis, extrahit de sub iugo obedientiae caput suum, hoc est signum latentis superbiae magnae. Bona consuetudo est via ad omne bonum, et mala consuetudo est via ad omne malum.

De memoria mortis. — Capitulum XX.

Si quis vixisset ab initio mundi usque modo et semper passus fuisset malum in omni vita sua, et modo iret ad omne bonum, quid noceret ei omne malum, quod passus est? Et si quis habuisset semper bonum ab initio saeculi usque modo et nunc iret ad omne malum, quid ei prodesset omne bonum, quod habuit? Dixit ei quidam saecularis: « Vellem in hoc mundo diu vivere et in omnibus abundare »; cui respondit: « Si viveres mille annis et esses dominus totius mundi, in morte quod praemium reciperes a carne (*a*), cui servivisti? Sed in modico tempore qui bene se gerit et bene se custodit, praemium inenarrabile (*b*) recipiet in futuro ».

De contemplatione. — Capitulum XXI.

Cum nullus sit, qui ad contemplativam vitam accedere valeat, nisi per activam fidenter et devote exercitatus fuerit, oportet, ut in omni sollicitudine activa vita utatur. Ille esset bonus activus, qui, si possibile esset, omnes pauperes huius mundi pasceret, omnes vestiret et omnia eis necessaria tribueret abundanter et omnes ecclesias et hospitalia et omnes pontes huius mundi faceret; et si postea iste haberetur malus homo ab omnibus hominibus de mundo, et ipse bene hoc sciret, et nollet teneri nisi malus, et propter hoc a nullo bono opere cessaret, sed magis ardenter, frequenter et ferventer in omni bono opere se exerceret; sicut ille, qui non vult, nec desiderat, nec exspectat aliquod inde meritum in hoc mundo, considerans, qualiter Martha sollicita *circa frequens ministerium* [1], adiuvari petens a sorore, a Domino est increpata, et tamen a bono opere non cessavit; sic et bonus activus nulla increpatione vel despectione debet a bono opere cessare, quia non terrenum, sed aeternum exspectat inde habere praemium. Ad contemplandam gloriam divinae maiestatis nullus potest accedere, nisi per fervorem spiritus et frequentem orationem; per fervorem spiritus accenditur homo et ad contemplationem ascendit, quando cor cum membris est ad hoc totum dispositum plene ita, quod nihil aliud vult, nec potest cogitare, nisi quod habet et sentit. Ille esset bonus contemplativus, qui, si haberet incisos pedes et manus et extractos oculos et incisum nasum, aures et linguam, prae magnitudine suavissimi et ineffabilis et inaestimabilis odoris, gaudii et dulcedinis nulla alia membra, nullaque alia, quae citra caelum (*c*) excogitari possunt, curaret vel desideraret habere, praeter (*d*) id, quod habet et sentit; sicut *Maria sedens iuxta pedes Domini* [2] tantam recipiebat dulcedinem verbi Dei, quod nullum habebat membrum,

(*a*) As et edd. *corpore*. — (*b*) Codex *enarrabile*. — (*c*) Codex et As *caelum sunt. excogitari*. — (*d*) Edd. *propter*.

[1] Luc. 10, 40. — [2] Luc. 10, 39.

quod posset vel vellet facere aliud, quam id, quod faciebat. Et hoc est signum, quod conquerenti sorori suae, quod eam [non] adiuvaret, nullo verbo vel indicio respondit; cuius advocatus factus est Christus pro illa respondens; quae respondere non poterat, quia aliud sentiebat et cogitabat quam illa, quae clamabat (*a*).

Contemplari est ab hominibus esse divisum, et soli Deo esse coniunctum.

De virtutibus. — Capitulum XXII.

De divinis rebus fit homo dives et de humanis fit pauper; ergo multum ea debet diligere homo et ista odire. Sicut universae terrae viae plenae sunt vitiis et peccatis, sic omnes viae caeli plenae sunt gaudiis et virtutibus. Gratiae et virtutes sunt creaturis praeparatae vocantes omnes et dicentes: « Venite et recipite nos, et docebimus vos viam veritatis », et miser homo non vult ire. Cuius culpa ergo? Si homo vivit in miseria et paupertate, cum vocetur ad donum (*b*), et non vult laborare ire ad ipsum; et ideo dignus est poenis aeternis. Sicut virtutes et gratiae sunt viae et scalae ad regnum caelorum, ita vitia et peccata sunt viae et scalae ad profundum inferni. Periculosum est a Domino petere gratias et virtutes; quia, si secundum gratias a Domino tibi datas non operaris, efficeris maior Dei inimicus; et ita plus petere est te maiorem Dei inimicum facere propter ingratitudinem. Quanto maiora dona (*c*) offert Dominus servo suo, tanto est magis ingratus, si non custodit et reddit sibi gratiam. Quanto magis homo plenus est vitiis et peccatis, tanto est magis necessarium ei loqui de virtutibus et gratiis; et quanto homo est magis plenus virtutibus et gratiis, tanto magis impugnatur a vitiis et peccatis, et tanto magis debet ea odio habere; unde de omni vitio, quod homo vicerit, acquirit sibi virtutem.

De dictis memorabilibus fratris Aegidii. — Capitulum XXIII.

Multae merentur et inveniuntur gratiae in oratione et virtutes; quarum prima est, quod illuminatur homo in mente; secunda, quia roboratur in fide; tertia, quia suas cognoscit miserias; quarta, quia pervenit in timorem et humiliatur et vilescit sibi ipsi; quinta, quia pervenit in contritionem; sexta, quia occurrunt lacrymae contritionis; septima, quia venit in cordis emendationem; octava, quia purificatur conscientia; nona, quia stabilitur in patientia; decima, quia supponit se obedientiae; undecima, quia pervenit in veram obedientiam; duodecima, [quia pervenit] in scientiam; tertiadecima, [quia pervenit] in intellectum; quartadecima, [quia pervenit] in fortitudinem; quintadecima, [quia pervenit] in sapientiam; sextadecima, [quia pervenit] in notitiam Dei, quia se manifestat his, qui *adorant eum in spiritu et veritate* [1]. Postea accenditur in amorem, currit in odorem, pervenit in dulcedinem suavitatis, in mentis quietem ducitur, ac in gloriam perducitur. Postquam autem posuit os in verba Altissimi, ubi anima satiatur, quis poterit eam separare ab oratione, quae perducit ad contemplationem? Ut autem ad praedicta quis perveniat, inter multa alia sex sunt necessaria, videlicet: consideratio suorum malorum praeteritorum, de quibus oportet, ut doleat; cautela de praesentibus; timor de futuris; consideratio misericordiae Dei, quae hominem exspectat, de peccatis non se ulciscendo, cum pro illis mortalis homo sit dignus poena aeterna secundum iustitiam divinam; attentio beneficiorum Dei, quae

(*a*) Edd. *assentiebat et cogitabat, quam illa clamabat.* — (*b*) As *domum*, edd. *dominum.* — (*c*) As *bona.*

[1] Ioan. 4, 23.

explicari non possunt, videlicet, beneficia carnis (*a*), quam pro nobis assumpsit, passionis, quam pro nobis sustinuit, doctrinae, quam nobis reliquit, et gloriae, quam nobis promisit.

Item dixit: « Ea, quae odit saecularis, religiosus debet diligere, videlicet, paupertatem, verecundiam, nuditatem, famem, sitim, vilitatem, et his similia ». Dixit sanctus frater Aegidius de religione: « Navis fracta est, conflictus factus est, fugiat qui fugere potest, et evadat, si potest ». Item dixit in fervore spiritus: « Parisius, Parisius, quare destruis ordinem beati Francisci »? Item docuit quendam praedicatorem, ut diceret: « Bo, bo, multum dico, et pocho fo », id est, parum facio. Item audiendo quendam dicentem operariis vineae: « Faite (*b*) e non parlate », vocavit fratres dicens: « Audite, quid iste dicit: ,Facite, et non loquimini' [1] ».

Cuidam interroganti, quare magis in homine pullularent mala quam bona, respondit: « Post maledictionem pronior est terra ad producendum malas herbas quam bonas, tamen assiduus cultor ita frequenter posset facere, quod herbae malae vix possent ascendere ». Item quaerenti de praedestinatione dixit, quod sufficiebat sibi ripa maris ad lavandum pedes et manus et totum corpus; et stultus erat, si (*c*) quaerebat de illa aqua, quae erat in profundo maris; et cui sufficit scientia ad bene vivendum, nimis alta non quaerat. Item dixit: « Debes Deum rogare, ut non faciat tibi multa bona in hoc saeculo, et ut te mittat ad dura proelia, et non te adiuvet propter maius praemium ». Item dixit: « In hoc potest cognosci, si quis Deum perfecte diligit, qui omni sollicitudine separat se a vitiis et quotidie magis operatur bonas operationes ». Item dixit: « Illud est de summis donis (*d*) donorum Dei, videlicet, custodire gratiam sibi a Deo datam, et scire lucrari et exfructare eam in bonis operibus, et a peccatis cavere ». Item dixit: « Maior virtus est sequi gratiam quam tribulationes patienter sustinere; plerique enim patienter tolerant tribulationes, sed non sequuntur gratiam ». Item dixit: « Tantum est dicere frater Minor, quantum videlicet subiacere sub pedibus omnium; quia quanto plus descensus, tanto magis ascensio ». Item dixit: « Qui plus amat, plus desiderat ». Item dixit: « Magis timere debemus de bonis quam de malis; malum sequitur homo, sed bonus est contrarius ». Item dixit, quod sic debemus conversari inter homines, ut non perdamus, quod Dominus operatur in nobis, et studeamus et sciamus nos salvare cum paucis. Exemplum: Saepius enim contingit, quod qui scit natare, si non sapienter et caute sciat iuvare illum, qui in aquis periclitatur, ut simul pereant et moriantur. Item dixit, quod de gratia, quam non habet homo, tenebitur inde reddere rationem; quia, cum Dominus creaturam suam creat benevolentia et gratia sua, etiam ex natura deberet esse benevolus et gratiosus; unde ex negligentia et imperfectione sua perdit homo perfectionem suam; si enim bene et sollicite laboraret in gratia sibi data et collata, inveniret et daret sibi gratiam, quam non habet. Item dixit: « Melius est esse in domo Dei, hoc est in religione, plena serpentibus, et ibi Dominus, quam esse in domo pulchra, plena deliciis et divitiis sine vera poenitentia ». Item dixit: « Volo, inquit, esse primo obediens usque ad mortem; secundo volo subiacere pedibus aliorum; tertio volo me dure reprehen-

(*a*) As et edd. *incarnationis*. — (*b*) As et edd. *fate*. — (*c*) As *qui*. — (*d*) As *summum donum*.

[1] Cfr. *Chron. XXIV gen.*, pag. 86.

dere et castigare; quarto carnes meas volo dentibus lacerare; quinto (*a*), si voluntarie ab his nollem me retrahere, volo per vim cum torque in collo retrahere me ».

Interrogatus, quid sentiret de beato Francisco, respondit totus inflammatus ex auditu beati Francisci dicens: « Ille homo, beatus Franciscus, nunquam deberet nominari, quin homo prae gaudio lamberet labia sua. Tantummodo sibi unum defuit, scilicet corporis fortitudo; si enim tale corpus habuisset, quale ego habeo, scilicet ita robustum, procul dubio totus mundus eum sequi minime potuisset ».

Praedicta de vita et dictis sancti fratris Aegidii ad praesens sufficiant.

De beato fratre Conrado de Offida.

Iacet Perusii in conventu frater Conradus de Offida sanctitate insignis [1]. Hic, dum quatuordecim esset annorum, venit ad ordinem; et cum esset ad studium positus, fecit se inde elevari, scilicet de studio (*b*), faciens deinde officium per decem annos, videlicet officium eleemosynae, similiter etiam coquinam per dictum tempus in quodam locello. In quo loco venit ad eum quaedam pulcherrima avis, et quotidie ad eum veniebat et se super eius humerum ponebat, et quandoque antecedebat eum euntem per silvam vel per hortum dulcissime canendo; et sic faciebat per singulos dies, a qua indicibiles consolationes recipiebat. Appropinquante autem die iovis sancta, rogavit frater Conradus Dominum, quod sibi auferret istam avem illis tribus diebus, quia non consolationem illis tribus diebus volebat accipere, sed dolorem et tristitiam propter diem veneris sanctam. Quod et factum est; nam dicta avis se occultavit usque ad diem Resurrectionis de mane, quo mane venit pulchrior solito, et fecit sibi dulciorem cantum et maiorem consolationem, quam facere solebat, et sibi, ut dicitur, locuta est magnalia, ac, ipso vidente, recto tramite ad caelum transvolavit.

In loco Forani provinciae Marchiae, cum frater Conradus in cella, sequestrata a fratribus, in silva esset, et venatores bestias insequerentur, lupus sic insecutus ad cellam venit fratris Conradi praedicti, qui exiens ad eum cepit eum per collum sicut agnum, et ipsum duxit ad locum fratrum; quod videntes fratres, mirati sunt, et coeperunt prae devotione lacrymari fortiter, videndo sanctitatem praedicti fratris.

In dicto loco, dum esset hic sanctus frater Conradus cum sancto (*c*) fratre Petro de Monticulo, et in festo Purificationis beatam Virginem rogaret, ut sibi aliquam dulcedinem daret de illa consolatione, quam exhibuit sancto Simeoni, suum Filium in suis ulnis collocando, et statim fuit exauditus. Nam Domina nostra sibi apparuit cum Filio cum tanto lumine, quod non solum tenebras effugabat, sed etiam cuncta lumina superabat; et appropinquans ad sanctum fratrem Conradum, puerum suum *speciosum prae filiis hominum* [2] posuit in ulnis eius; quem sanctus frater Conradus devotissime accipiens et labia labiis imprimens et pectori pectus adstringens, totus liquefiebat in amplexibus et osculis caritatis. Haec omnia frater Petrus praedictus, qui latenter iverat ad observandum eum, luce clara videbat, ac ex hoc magnam habebat consolationem; et cum per spatium sic stetisset, beata Maria cum Filio tandem recedens, ei omnia frater Petrus recitavit; cui frater Conradus imposuit, ne, quamdiu viveret, alicui reseraret [3].

(*a*) Edd. *sexto*. — (*b*) As *inde de studio elevari*; edd. *se deinde de studio levavit*. — (*c*) As et edd. *socio*.

[1] Eadem leguntur in vita, quae exstat in *Chron. 24 gen.*, l. c. pag. 422-424; cfr. *Dialogus* pag. 8. — [2] Ps. 44, 2. — [3] Cfr. *Actus* c. 53 n. 12-18.

Hic frater Conradus in loco Syroli orando liberavit obsessam a daemone, et statim inde recessit, ne mater puellae ad eum (*a*) accederet, aut ne concursus ad eum fieret populorum.

Cum ad locum nativum Offidae ipse frater Conradus vice quadam ivisset, et ibi esset quidam frater iuvenculus, qui de officio et aliis actibus regularibus nihil curabat et insolentissime vivebat adeo, quod omnes fratres conturbaret, cum hoc dicto fratri Conrado esset expositum a fratribus, et compatiens tam fratribus quam iuveni, ipsum ad se vocans tam efficacia verba illi dixit, quod, facta manu Domini super eum, statim mutatus est in virum alium, ita quod factus est [in moribus] de puero senex, sollicitus, devotus, obediens, pacificus et obsequiosus, ita quod fratres, sicut prius de ipso tristabantur, sic et postea summe laetabantur. Post hanc conversionem, paucis diebus elapsis, infirmatus iuvenis migravit a saeculo cum dolore omnium fratrum. Qui apparens sancto fratri Conrado oranti ante altare dicti conventus eum salutavit et se animam talis fratris esse insinuavit, dicens, quod propter aliquas culpas erat in purgatorio, et quod aliquot *Pater noster* diceret pro eius anima, cum eius oratio esset multum Deo accepta et Domino Iesu Christo (*b*). Quod frater Conradus faciens, dum dixisset primum *Pater noster* et secundum, anima dixit illi: « Tota a poenis continue allevior, quare secure dicas ». Qui cum centum *Pater noster* dixisset, illa anima regratiando fratri Conrado pro parte Dei dixit, quod liberata a poenis pergebat ad gloriam. Sanctus frater Conradus, ut fratres laetificaret, omnia per ordinem enarravit [1].

Hic sanctus frater Conradus fuit magnus praedicator, et Deus ipsum vita et miraculis reddidit celebrem, sed incomparabiliter post mortem. Nam, cum innumeris coruscaret miraculis, inter alia quinque mortuos suscitavit, ut asseruit diabolus, ut habetur infra conformitate et fructu XIV, in miraculis de indulgentia Portiunculae [2]. Propter cuius miracula, quia ipse in loco de Insula Assisii decesserat et ibi iacebat, Perusini illuc pergentes manu armata ipsum Perusium deduxerunt, et statim miracula facere cessavit; sed in primo loco, scilicet de Insula, ipsum invocantibus adhuc mira agit, ut dicitur.

De beato fratre Ventura, laico.

In loco praedicto Perusii iacet sanctus frater Ventura laicus, paupertatis amator et caritate plenus, qui fratres forenses recipiebat, et sanctitate praeclarus, qui istis temporibus decedens nunc coruscat miraculis.

De fratre Nicolao, laico.

In dicto loco de Perusio iacet frater Nicolaus de Assisio (*c*), laicus et infirmarius, caritate plenus et vita sanctissimus; qui parum est, quod decessit; et ipsum a Deo mirificatum in caelis attestantur miracula in terris, quae per eius preces et merita Dominus quotidie operatur [3].

(*a*) Codex *eam*. — (*b*) As *et sibi eius animam, cum eius oratio multum esset Deo accepta et Domino Iesu Christo, commendavit*. — (*c*) As *Perusio*, Edd. *Assio*.

[1] Cfr. *Actus* c. 50. — [2] Cfr. *Bartholi* c. 37 (pag. 75). — [3] Cfr. supra pag. 202 lin. 34.

De fratre Sensu, laico.

In loco MONTIS IOVIS iacet frater Sensus laicus, vir altae contemplationis et raptus. Hic semel comedebat in die et caules marcidos stantes tota die (*a*) in sole (*b*). Hic adeo in cella esse dilexit, quod, etsi intensi essent calores, de ipsa non exibat, et tantum in cella esse delectabatur, quod pro toto mundo illam delectationem non mutasset. Unde dixit ipse frater Sensus: « Si mihi concederetur vivere usque ad finem mundi sanus (*c*), et essem dominus auri, argenti, hominum et mulierum, habendo omnem delectationem, et diceretur mihi: ‚In fine mundi habebis vitam aeternam', et fieret mihi optio: ‚Accipe omnia supradicta, vel sta non in cella tua', ego potius vellem stare in cella mea sine oculis, manibus et pedibus cum illo, quod dat mihi Deus in cella mea, quam omnia habere supradicta ». Et licet esset laicus, illuminatus a Deo multa pulchra dicebat et respondebat [1].

De fratre Gulielmo.

In TUDERTO iacet sanctus frater Gulielmus. Hic quandam puellam, nomine Claruecciam, in aquis molendini submersam, sua invocatione a mortuis resuscitavit; puerum propinquum morti, non valentem mammillas recipere, sua invocatione sanavit; inter contractos et curvos sex sanavit (*d*); a variis oculorum infirmitatibus quinque curavit; cuidam muto loquelam restituit; usum manuum et pedum tribus praebuit; duos a febre eripuit; mulierem ab infirmitate mammillarum et quendam a daemonio liberavit; dominum fratrem Ioannem de Murro cardinalem nostrum de infirmitate curavit, ac duos alios mortuos suscitavit [2].

De fratre Rogerio.

In dicto etiam loco Tuderti iacet sanctus frater Rogerius, qui « tam evidenti emicuit sanctitate, ut eum dominus papa Gregorius IX vere sanctum appellaverit, et eius memoriam apud Tudertum concesserit celebrari [3] ».

In dicto etiam loco Tuderti iacet frater Petrus de Galiculo [4], qui multa miracula fecit post mortem suam.

De fratre Iacobo de Tuderto.

In Tuderto, non in loco fratrum, sed in monasterio sororum sanctae Clarae de Monte Sancto, iacet sanctus frater Iacobus Benedictoli (*e*), qui dicitur frater Iacobus de Tuderto, « vir mirandae sanctitatis, et totus ardens in Dei amore [5] ». Hic a domino papa Bonifacio male informato multa perpessus patienter sustinuit, sed post liberatus fuit. Hic multas laudes magnarum sententiarum et dulcedine plenas edidit in romantio, et contra morbos (*f*) dicti domini Bonifacii viriliter exclamavit. Et quia aliqua notabilia dixit, hic ea inseram.

(*a*) As *quotidie*. — (*b*) As et edd. *ad solem*. — (*c*) As et edd. *et essem semper sanus*. — (*d*) As et edd. *liberavit*. — (*e*) As *de Benedictoli*. — (*f*) As et edd. *mores*.

[1] Verba fr. Sensus habentur in compil. « Fac secundum exemplar »; impressa sunt in *Speculo vitae B. Francisci* fol. 106 v, 121 r—122 r. — [2] Cfr. *Cat. S. Fr. Min.* pag. 9 (not. 1 et 2). — [3] Ita Bessa l. c. pag. 669; cfr. *Cat. S. Fr. Min.* pag. 9. — [4] Edd. *Galliendo; Cat. S. Fr. Min.* (pag. 9) *Gallicelulo;* est Gaglietole prope Tudertum. — [5] Idem *Cat. S. Fr. Min.* pag. 9.

Quomodo homo potest scire, quod (a) sit in caritate.

Dicebat frater Iacobus: « Licet pro certo non possim scire, me esse in caritate, habeo tamen aliquas probationes. Nam de Dei amore habeo istud signum vel probationem, quod, si aliquid peto a Deo, et non facit, plus diligo eum quam prius; si vero facit contrarium, diligo eum in duplo plus quam prius. De amore vero proximi habeo istud signum, quod, si me offendit, non minus eum diligo; nam, si minus diligerem, hoc esset signum, quod prius eum non diligebam, sed me. Debeo diligere proximum propter se, non propter me, et amare bonum suum et eius utilitatem, et in his gaudere. Et sic faciendo, maius bonum consequor de bonis suis quam ipse; nam de regno Franciae ego melius habeo quam ipse rex Franciae; quia iucundor de suo bono et honore et commoditate, et ipse hanc iucunditatem habet cum multa sollicitudine et multis laboribus et angustiis, quae non habeo ego ».

De humilitate, et quomodo homo venit ad sui contemptum.

Dixit frater Iacobus: « Homo deberet sic profunde in oculis suis vilescere et sic abiectum se reputare, quod in sua aestimatione crederet, conversationem suam omnibus esse onerosam et despicabilem; nam per hoc in sua humilitate proficeret, et illorum, cum quibus conversatur, defectus melius et levius supportaret ». Unde inquit ipse: « Quando morabar in curia, mihi dicebatur: ‚Non est tibi taedium conversari cum talibus? Mirum est, quod potes sustinere‘. Et ego respondebam: ‚Immo, mirum est, quod ipsi me sustinent et non expellunt me sicut diabolum‘. Et sic, cum quibuscumque homo conversatur, deberet se reputare indignum eorum consortio et conversatione propter vilitatem et miseriam suam. Sicut enim amor sui est radix omnium vitiorum et malorum et enervatio omnium virtutum, sic (b) odium sui est origo et fundamentum omnium virtutum et deletio omnium vitiorum; unde homo deberet non tantum se odire, sed velle ab omnibus odiri. Ad hoc autem odium sic (c) venitur: debet quis semper diligenter scrutari et studere in cognitione sui; ex hoc videbit et cognoscet se malum et se iudicabit odibilem et se odiet tanquam malum. Et quia ex hac cognitione sui ducitur in cognitionem veritatis, incipit amare veritatem, non tantum in se, sed in omnibus; unde vult, quod omnes illam veritatem de se ipso teneant, quam tenet ipse; et sic iudicando se in veritate odibilem, volet ab omnibus odiri, nec poterit pati se commendari; quia in hoc videret confundi veritatem, quam ipse amat. Et ex hoc mortificatur appetitus laudis, quem habebat, et omnis appetitus inordinatus et vitiosus, et per consequens exterminatur superbia, ira, invidia et cetera vitia, et ex hoc etiam acquiritur despectus sui et omnis virtus et omne bonum; nam per hoc senties in anima radicari prudentiam, fortitudinem, temperantiam, iustitiam et ceteras virtutes, et maxime triplicem patientiam; unde per hoc venitur ad quietem animi. Prima patientia est virtus, qua quis sustinet patienter adversa; secunda est doni fortitudinis, qua quis sustinet libenter; tertia est beatitudinis, scilicet beati pacifici, qua quis sustinet gaudenter. Ordo autem odiendi est, ut odiatur consuetudo vitiorum et diligatur esse naturae, ita quod utrumque servet terminos suos, ut nec propter servandam naturam incidat in vitium, nec propter exterminanda vitia corrumpatur natura ».

(a) As *sciat, si est.* — (b) Codex *sicut.* — (c) As *si.*

De triplici statu animae.

Tres sunt animae status: in primo habet anima cognitionem suorum peccatorum et lacrymas compunctionis, quae ipsam ducunt prope desperationem; in secundo transit ad considerandam redemptionem Salvatoris, in quo habet lacrymas compassionis ad Christum; in tertio transit ad amorem. Et iste status habet tres partes: in prima, scilicet sui principio, inchoat amare, et habet lacrymas devotionis; in secunda parte, scilicet perseverantia huius status, augetur amor, et habet lacrymas simplices, quia sunt sine violentia, et nescit causas, quare sibi obveniunt; in tertia parte, quae dicit statum consummatum, stat anima in atria (!) Domini et gustat de vita aeterna et perdit lacrymas.

De quatuor pugnis animae.

Nota, quod anima habet quatuor pugnas, scilicet extra se, iuxta se, intra se et supra se. Primam, quae est extra se, habet cum mundo, et haec vincitur non amando res mundi; quia quantacumque pulchra et re delectabili temporali non debet anima vel modicum impediri a vacatione Dei, et cum mundana impediant eam, debet anima (*a*) non solum ea non amare, sed odire et spernere, sicut fit de virga curvata in aliquam partem, quae debet flecti in partem contrariam, quousque ad rectitudinem redeat.

Secunda pugna, quae est iuxta se, habet cum sensibus corporis. Haec pugna vincitur primo modo subtrahendo ipsos sensus ab illicita consuetudine videndi, audiendi et sentiendi, et sic de aliis. Secundo modo vincitur habendo de ipso visu displicentiam; unde tantum curarem, si viderem pulchram faciem mulieris, quantum si viderem caput asini; sed secundus modus non est tutus nec pro omnibus; unde melius est subtrahere sensus; sed quando quis non potest subtrahere sensus commode, quin videat nociva vel audiat murmurationes et vana (*b*) huius mundi, quae inficiunt animam, tunc habeat displicentiam, quantum potest, ita quod de hac nulla delectatio intret in animam. De gustu vero probavi tria remedia: primum, quia accepi et siccari feci flores absinthii, et ponebam coram me ad modum salis super mensam, ita quod alii non perpendebant, et sapidos bolos condebam in isto tali sale (*c*); et tanta erat eius amaritudo, quod nullam gulositatem mihi dabat; sed illud dilaniabat mihi linguam, et ideo dimisi. Secundum remedium fuit, quod faciebam bolos rotundos et parvos, et diglutiebam ad modum pillularum, ita quod nihil deinde degustabam; sed illud devastabat mihi stomachum, et ideo dimisi. Tertium remedium fuit, quod emebam cibos delectabiles, et quia postea imponebam magnos labores et magna onera corpori in tantum, ut, si quando postea haberem coram me tales cibos et dicerem corpori, si vellet comedere, valde libenter refutabat et potius volebat abstinere quam comedere, et portare flagella, quae propter ea sibi imponebam. Modo dimisi omnia praedicta et sum in quarto remedio; quartum remedium est in referendo in Deum omnes sapores et in eius gratiarum actiones; sed istud non est pro omnibus, sed pro illis, qui sic sobrie et temperate se habent, et sic habent mentem absorptam et semper Deo coniunctam, quod de saporibus gulae (*d*) non curant, sed omnia in Deum referre sciunt. Et quia inter omnes sensus lingua plurimum inficit animam, non solum gustu, sed etiam locutione, ideo adhibendum est remedium silentii, quod mirabiliter

(*a*) Edd. om. ab *anima—anima*. — (*b*) As *nova*. — (*c*) As et edd. *ponebat super isto tali sale* — (*d*) As et edd. *gulose*.

animae confert. Unde ad ipsum habendum frater Iacobus posuit exemplum de fratre Iunipero, qui per sex menses tenuit silentium, de quo dicetur in sequentibus.

Tertiam pugnam (*a*), quae est intra se, habet anima cum affectionibus sive passionibus suis, quae sunt gaudium, spes, timor et dolor. Haec vincitur hoc modo, quia anima habendo familiaritatem assiduam cum Deo per orationem, meditationem et devotionem participat omnipotentiam Dei; quae omnipotentia operatur hoc miraculum in anima, quod expellit inde dictas passiones.

Quarta pugna, quae est supra se, est maior omnium praedictarum, quam habet anima cum Deo, hoc videlicet modo, quia assumit magnam et arduam sollicitudinem tenere se cum Deo et considerans, se factam ad imaginem Dei et eius similitudinem, et quod Deus vult hospitari in ea; toto ergo conamine cavet, ne aliquid in se recipiat, quod offendat oculos divinae maiestatis, et ne exeat etiam ad aliquid, quod displiceat Deo, et summo studio nititur, quod talem se ei reddat, qualem ipse vult, hoc est sine macula.

De refrenatione sensuum similitudo.

Dicebat frater Iacobus ad refrenandos corporis sensus talem similitudinem. « Quaedam pulcherrima virgo quinque fratres habebat, et omnes erant valde pauperes, et illa virgo habebat unum pretiosum lapidem magni valoris. Istorum autem suorum fratrum unus erat citharoedus, alius pictor, alius coquinator, alius speciarius, alius leno. Venit ergo primus ad sororem suam dicens: ,Tu vides, soror mea, quod ego sum pauper; rogo, ut des mihi istum lapidem tuum pretiosum'. Respondit ipsa: ,Frater mi, nolo dare tibi, quia volo pro me'. Et ille: ,Volo emere a te ipsum'. Et illa: ,Quid vis mihi dare'? Et ille: ,Faciam tibi unum pulcherrimum sonum cum instrumento meo'. Tunc illa ait: ,Et quid faciam postea sono transacto, unde vivam ego postea? Non dabo tibi pro tali pretio, immo de ipso volo me nuptui tradere et honeste et honorifice vivere'. Postea venit frater secundus petens similiter ab ea lapidem, et illa negante, dixit se velle eum emere pro pretio, offerens unam pulchram picturam. Tertius vero frater similiter veniens offerebat pro pretio unum confectum. Quartus offerebat (*a*) unum bonum piperatum. Quintus dicebat, quod eam duceret per lupanaria. Eodem modo se habuerunt omnes: primo petendo ex dono, postea dicta pretia offerendo; et ipsa simili modo omnibus respondit et tanquam bona et sapiens omnes abire permisit, et sibi lapidem reservavit. Post hoc venit ad eam quidam rex magnificus et petiit ab ea lapidem; illa vero respondit: ,Domine, nihil aliud habeo quam istum lapidem; quid dabis mihi inde'? Respondit rex: ,Pro isto lapide accipiam te in sponsam meam et faciam te magnam reginam et dabo tibi vitam aeternam et affluentiam omnium bonorum, quae desideraverit anima tua'. Et illa: ,Domine, tanta est munificentia vestra, quod lapidem vobis negare non possum; eum vobis libentissime trado'; et dedit regi lapidem.

« Notandum, quod ista virgo est anima; lapis, quem habet, est voluntas vel consensus liberi arbitrii; quinque fratres vero sunt quinque sensus corporis. Nam primus, qui est histrio, dicitur auditus; secundus. qui est pictor, dicitur visus; tertius, qui est speciarius, dicitur odoratus; quartus, qui est coquinarius, dicitur gustus; quintus, qui est leno, dicitur tactus, quia in eo magis viget sensualitas et magis incurvatur anima

---

(*a*) Codex *Tertia pugna.* — (*b*) As et cdd. *offerens.*

ad opus illicitum. Sicut ergo stultissima fuisset illa virgo, si pro aliquo illorum pretiorum tam vilium dedisset lapidem sic pretiosum, ita sine aliqua comparatione ultra quam stultissima est anima, quae in aliquem consensum illicitum se permittit duci ab aliquo sensu corporis; sed potius debet anima toto conatu abstinere ab illa modica delectatione, quam sumere posset per sensus corporis, et suum consensum summo regi reservare et gratiosissime ei dare, qui eam suam sponsam et tam magnificam fecit ».

De studio animae ad virtutes.

De studio animae ad virtutes talem posuit frater Iacobus similitudinem. « Mos est mulieribus se ornare et pulchras velle apparere. Ad hoc, quod sit pulchra, oportet, quod habeat faciem pulchram et vivam (*a*) vel rubeam, quod etiam sit magnae staturae, quod sit sana, quod sit vigorosa, et quod sit morigerata in suo gressu, et quod sit pulcherrimis vestibus adornata. Sic anima debet se ornare, et velle pulchram apparere; et ideo debet magnum studium ad virtutes adipiscendas adhibere. Quae omnia praedicta virtutes sibi praestant; nam fides facit eam pulchram, spes facit eam statura magnam, caritas facit eam vivam, prudentia facit ipsam morigeratam, fortitudo facit eam vigorosam, temperantia facit eam sanam, iustitia facit eam vestitam et ornatam. Et istis virtutibus munita, cum vadit ad caelum, occurrunt ei omnes ordines angelorum et sanctorum omnium, quia cum omnibus participat in aliqua virtute; occurrunt enim (*b*) ei patriarchae propter fidem, prophetae propter spem, sancti apostoli propter caritatem, sancti martyres propter fortitudinem, sancti doctores propter prudentiam, sancti confessores et praelati propter iustitiam, sanctae virgines propter temperantiam », et similia.

De quaestione inter rationem et conscientiam.

Dicit ratio conscientiae: « Quare sic me affligis et tenes me in tanta anxietate »? Conscientia respondit: « Quia mihi est datum iudicium veritatis, unde non possum falsitatem sustinere ». Dicit etiam iterum conscientiae ratio: « Quare ergo modo permittis, me esse in pace, nec me in aliquo molestas »? Respondit conscientia: « Quia posuisti te in manibus iustitiae Dei, quod, quidquid manus iustitiae Dei de te facit, tibi placet, et ideo non est meum iudicare, quia ad maiorem iudicem ivisti ». Iterum dicit ratio: « Quare, cum minus modo operer, permittis me esse in pace, et hactenus multa operabar, et sic me vexabas »? Conscientia respondit: « Quia confidebas de ipsis operibus et sperabas in eis; unde non poteram illam falsitatem sustinere; modo vero non confidis in ipsis, nec inde exspectas meritum, et ideo non murmuro nec repugno; et ideo non mireris ».

De quinque scutis patientiae.

Dicebat frater Iacobus, quod patientiae quinque sunt scuta. Primum est, quod quis desideret infirmitatem (*c*); secundum, quod ei non serviatur in ea, nec aliquis curam de eo habeat; tertium, quod ei deserviatur et displicentia fiat; quartum, quod Deus tollat ei omnem laetitiam et consolationem (*d*); quintum, quod propter omnia ista non exspectet aliquam retributionem a Domino, nec in praesenti vita nec in futura.

(*a*) Edd. *niveam.* — (*b*) Codex *etiam.* — (*c*) Edd. *decidat in infirmitates.* — (*d*) As et edd. addunt *corporis.*

Multa alia hic sanctus frater dixit notabilia, sed sufficiant haec; quia, ut praemisi, in vulgari per rhythmos multa composuit magnarum sententiarum et devotionis, ut patet ea intuentibus.

In loco Tuderti iacet alius frater sanctus, videlicet frater Aegidius de Regno (*a*), homo magnae abstinentiae et perfectionis ac poenitentiae, cuius odorem sive adventum per 25 milliaria frater Ioannes de Vallibus dixit se sentire. Unde, cum ad ipsum fratrem Ioannem accederet odor ille, dixit frater Ioannes: « Frater Aegidius venit »; et cum interrogaretur, quomodo sciebat, respondit frater Ioannes, quod per 25 milliaria percipiebat odorem suae sanctitatis. Et sic fratres reperiebant (*b*), quod ad ipsos frater Aegidius accedebat, ut dixit frater Ioannes.

De sancto fratre Simone de Corsciano.

In loco de AMELIA iacet frater Simon de Corsciano (*c*), comitatus Ameliae. Hic multa miracula fecit tam in vita quam post mortem.

Locus de Sancta Illuminata [1].

In loco de Sancta Illuminata iacet sanctus frater Temptialbene (*d*), qui in vita cuidam orbato oculis, cum signum crucis fecisset, visum perditum reddidit. Cuidam paralytico, cum fecisset signum crucis, eum protinus liberavit. Dum crucis signum fecisset cuidam fortissime patienti in manibus, dolor extemplo recessit. Plura alia miracula fecit tam in vita quam post mortem [2].

In dicto loco Sanctae Illuminatae iacet alius sanctus frater, videlicet frater Ioannes de Avellino [3], qui post mortem miracula peregit.

Locus Interamnae [4].

In loco de Interamne iacet frater Petrus de Podio, qui multa fecit miracula; et frater Simon de Campo Regali, qui etiam miraculis claruit.

De fratre Simone de Collazono.

In loco de SPOLETO iacet sanctus frater Simon de Collazono. Hic, nobilis genere, puer ordinem intravit, in quo proficiens vita, exemplo et scientia factus est primo minister Marchiae, et postea minister provinciae sancti Francisci [5]; qui in dictis officiis notabiliter se habuit, cum omni prudentia, maturitate et humilitate, quae ad praefatum officium spectabant, exercens. Ad bonam (*e*) et vitam religiosam traxit matrem primo, quae fuit singularis socia et amica imperatricis et imperatoris Otthonis IV, ac consequenter saecularis, deinde sorores et neptes et alias. Sed quam iste sanctus frater fuerit Deo acceptissimus, miracula post mortem authentice aucto-

(*a*) Edd. *Regio*. — (*b*) As *recipiebant*, edd. *percipiebant*. — (*c*) As *Torsciano*, edd. *Torsiano*; in districtu Perusino exstant *Torgiano* et *Corciano* (cfr. Anal. Franc. t. III pag. 253). — (*d*) Cfr. Anal. Franc. t. III pag. 64 not. 4, ubi plures variantes huius nominis habentur. — (*e*) As et edd. *bonum*.

[1] Alviano. — [2] Idem refert *Dialogus* pag. 91; cfr. *Acta SS.* t. II iunii pag. 487 et 488. — [3] Cfr. vitam ipsius « ex mss. Rogerii episcopi Frequentini, consanguinei et coaevi » apud *Acta SS.* t. II iunii pag. 488. — [4] Terni. — [5] Cfr. Salimbene, *Chronica* pag. 146.

ritate papali accepta declarant[1]. Sanctus iste frater Simon puerum submersum in aquis molendini, invocatione eius facta a matre, resuscitavit[2]; contractos diversimode undecim curavit; a rupturis quinque liberavit; viginti duos a caecitate et infirmitate oculorum; a gangulis duos; tres mulieres ab infirmitate mammillarum; a tumefactione corporis et membrorum undecim; novem a morbo caduco; undecim loquelam restituit; viginti duos ab infirmitate et dolore manuum et brachiorum; ab infirmitate aurium, oculorum et pedum viginti tres liberavit; quatuor a daemonio; quendam in civitate Firmana (*a*), cadentem in profundo fonte, sui invocatione liberavit (*b*); ab infirmitate lapidis (*c*) duos; mente captos tres; a variis capitis infirmitatibus quinque; morti propinquum puerum cadentem in aquis sui invocatione liberavit; tres curvos erexit; decem guttosos; aridos membris duos; a morbo letargico et non dormire valentes (*d*) sex; a splenis infirmitate unum; ab umbelici et ventris infirmitate tres; a spasmo unum; a gulae et barbae infirmitate tres; duobus non valentibus cibum sumere appetitum restituit; ab infirmitate testiculorum quemdam (*e*); leprosum unum curavit; uni mulieri auditum restituit; ficus a vermibus eripuit; equum invalidum sanitati restituit, ac oves cuiusdam, quae pedibus stare non poterant, primo ipsum, et deinde oves curavit. Praefata omnia, authentice recepta, indicant praedicti fratris Simonis excellentiam suae sanctitatis.

[Item] in Spoleto iacet frater Theobaldus, qui multa miraculorum signa effecit (*f*).

De fratre Antonio de Pisis.

In MONTE LUCO prope Spoletum iacet frater Antonius de Tegrinis (*g*) de Pisis; qui contemptis blanditiis, scilicet maternis, uxore, quam nondum duxerat, et legibus civilibus, in quibus studebat, factus frater Minor, per viam simplicitatis et paupertatis, obedientiae et humilitatis Christum secutus, revelata sibi primo morte, ad Dominum moriendo perrexit, quod Dominus signis ostendere est dignatus. Quidam medicus de Spoleto, habens infirmitatem incurabilem in tibia, facto voto, quod, si meritis fratris Antonii eum Dominus liberaret, habitum assumeret tertii ordinis beati Francisci, voto emisso de sero, in mane se perfectissime invenit liberatum. Et cum ad sepulchrum dicti fratris signa fierent ac per hoc locus frequentaretur a saecularibus, quidam guardianus simplex sibi mandando, quod amplius non ageret miracula, sic (*h*) factum est.

De sancto fratre Thoma.

In EUGUBIO iacet sanctus frater Thomas, qui plura in signum suae sanctitatis miracula fecit post mortem.

De sancto fratre Iacobo, laico.

In CIVITATE CASTELLI sepultus est frater Iacobus laicus, qui multis miraculis claruit post mortem suam.

(*a*) Codex *Firanna*. — (*b*) Codex *liberatus fuit*. — (*c*) As om. *lapidis*. — (*d*) Codex et As *valentibus*. — (*e*) As et edd. *unum*. — (*f*) As *efficit*. — (*g*) Codex *Tegrimis*. — (*h*) As et edd. *mandavit.... quod et factum est*.

[1] Anno 1252 Innocentius IV bullis « Ex parte dilectorum » et « Litteras nostras » miracula B. Simonis examinanda curavit (Sbaralea, *Bullarium* t. I pag. 606 et 619; addit « ex processu Spoleti asservato apud nostros Minores Convent. »). — [2] Cfr. Bessa c. 1 (l. c. pag. 669).

Locus Burgi sancti Sepulchri.

In Burgo sancti Sepulchri iacet frater Rainerius laicus, qui post mortem signis miraculorum patuit pluribus (*a*). Duos mortuos suscitavit et quinquaginta (*b*) quatuor alios aegrotos curavit (*c*), ut patet instrumento publico, quod ego vidi (*d*) [1].

Conventus Fulginei.

In Fulgineo iacet sanctus frater Hermannus, supra cuius corpus in ecclesia sancti Feliciani cum caderet de altissimo quidam magister lignorum et lapidum, qui ecclesiam aptabat, corporis nullam passus est laesionem. De huius sepulchro aqua guttatim emanat miraculose, cum tamen in lapide nullam videant homines fissuram. Quendam, nomine Bonaventuram, per duos annos contractum, quod nullo modo de lecto posset surgere, a parentibus ad eius sepulchrum ductum liberavit. Item quendam alium, qui manibus ibat reptando, contractum ad suum tumulum accedentem curavit. Similiter et quandam puellam, ductam ad tumulum suum contractam, erexit. Quandam mulierem, cum ignoranter cum oleribus quoddam os comedisset, et os eius guttur obturasset, propter quod crederet se mori, corde sancto fratri Hermanno se vovente (*e*), os exsiliens liberavit [2].

In Fulgineo, in loco fratrum, iacet etiam quidam alius frater, nomine Matthaeus, (*f*) qui etiam temporibus istis moriens signis claruit.

Locus Pisquiae [3].

In Pisquia (*g*) iacet frater Ioannes de Vallibus, vir amator paupertatis et vitae ac sanctitatis mirabilis; hunc Deus glorificatum in caelis crebris fecit (*h*) et nunc assidue ostendit miraculis.

De fratre Matthaeo de Narnio.

In Narnio iacet sanctus frater Matthaeus, qui signis multis claruit. Quendam fratrem nostrum, nomine Concordium, tribus annis paralysi resolutum et per se nihil agere valentem, ad eius ductum sepulchrum, fratris Matthaei implorato auxilio, liberavit. Alium, nomine Hugolinum de civitate Narnii, per decennium paralysi passum, invocato sancto fratre Matthaeo, et sibi de nocte apparente, ac ipsum cum rosa, quam habebat in manu, totum contingente et fricante, de mane surgentem curavit. Unam mulierem paralyticam, ad eius sepulchrum ductam super asinum, liberavit. Mulierem habentem faciem adustam nec valentem quiescere prae dolore, eo invocato, curavit. Aliam apostemate et febre quasi ad mortem perductam sui invocatione frater Matthaeus liberavit. Iuvenem habentem os usque ad collum retortum monstruose, dum ad eius tumulum sancti fratris Matthaei suffragium invocasset, liberavit.

(*a*) As et edd. *multis.* — (*b*) Edd. om. *quinquaginta.* — (*c*) As et edd. addunt *a diversis infirmitatibus.* — (*d*) As et edd. om. *quod ego vidi.* — (*e*) As *invocante;* edd. *invocato.* — (*f*) In fructu XI vocatur *Martinus.* — (*g*) As *Piscia;* edd. *Pistia.* — (*h*) Edd. *factis.*

[1] Cfr. *Acta SS.*, t. 1 nov. pag. 391—402, quo loco habetur *Relatio miraculorum.* — [2] Idem fusius refert *Dialogus S. Fr. Min.* pag. 84 et 85. — [3] Brugliano, « qui est in confinibus civitatis Camerini et Fulginei »; cfr. *B. Bernardini Aquilani Chronica fratrum minorum observantiae,* pag. 8 (et not. 1).

Similiter quendam alium a dicta oris deformitate liberavit (*a*). Mulierem ambulantem per solarium domus suae et cadentem ac crus ex casu fractum habentem, facto voto et sancti fratris Matthaei tactis reliquiis, liberavit; nam statim sana surrexit et miraculum omnibus enarravit [1].

Locus Nursiae.

In Nursia iacet sanctus frater Antonius, qui multis fulsit et fulget miraculis.

Locus Cassiae.

In Cassia sepultus est sanctus frater Pax Theatinus [2], qui miraculis pluribus claruit.

Locus Arquatae.

In Arquata (*b*) iacet frater Paulus, qui multa fecit miracula.

Locus Spelli.

In Spelio iacet sanctus frater Andreas, qui fuit sacerdos; qui multitudine miraculorum et vita sanctissima hominibus exstitit mirabilis et gloriosus et mortuos suscitavit [3].

Locus Bittonii.

In Bittonio (*c*) requiescunt frater Ioannes de Laudibus, qui, vivente beato Francisco, vulnus laterale stigmatum tangere meruit [4]; frater Iordanus laicus, vir sanctissimus et vere perfectus.

Locus Mevaniae.

In Mevanio [5] iacet frater Nicolaus de Pater noster, qui ibat dicendo cuilibet « Dic *pater noster* »; hic fulget nunc miraculis et coruscat.

Praedicti fratres et multi alii iacent in provincia sancti Francisci, quorum memoria oblitterata est mundo, etsi fulgeat apud Christum, scriptorum negligentia et fratrum indevotione.

Reperiuntur plures fratres, qui de provincia fuerunt beati Francisci, de quibus, ubi iaceant, nulla est mentio aut memoria: videlicet frater Philippus Longus, primus visitator Dominarum Pauperum; cuius labia ab angelo calculo ignito, ut Isaias, sunt tacta et purgata [6]; dicitur, quod iacet Perusii in monasterio sororum; frater etiam Moricus, nisi quod creditur, quod sit ille, qui in Urbe Veteri iacet [7]; frater Barbarus; frater Ioannes de sancto Constantio; frater Bernardus de Viridante. Qui omnes fuerunt sanctitate praeclarissimi et primi socii beati Francisci; qui ubi iaceant, non habetur, nisi velimus dicere, quod iaceant in sancta Maria de Angelis vel in (*d*) Assisio.

(*a*) As *curavit.* — (*b*) *Chron. 24 gen.* habet *Aquasparta.* — (*c*) Edd. *Victonii;* est *Bettona.* — (*d*) As et edd. *Angelis de.*

[1] Fusius refert *Dialogus* cit. pag. 76-78. — [2] Cfr. *Cat. S. Fr. Min.* pag. 11 et *Acta SS.*, t. II iunii pag. 49. — [3] Cfr. *Acta SS.*, t. I iunii pag. 356-362. — [4] Idem Bessa c. 1 (l. c. pag. 668, ubi « *letale vulnus* »). — [5] Bevagna. — [6] Idem Bessa c. 1 (l. c. pag. 667) et *Actus* c. 1. — [7] Cfr. infra pag. 250 not. 3.

De fratre Simone de Assisio.

Fuit etiam alius frater de provincia beati Francisci, vocatus frater Simon de Assisio [1], qui ubi sit sepultus, non reperi, qui fuit homo maximae sanctitatis. Qui, vivente beato Francisco, venit ad ordinem. Hunc Altissimus tanta suae benedictionis et dulcedinis gratia praevenit et ad tantam contemplationem et mentis elevationem perduxit, quod tota vita sua erat speculum sanctitatis et virtutum. Iste rarissime extra suam cellam videbatur; si quando stabat cum fratribus, semper in divinis colloquiis se exercebat. Hic nunquam grammaticam didicit, sed semper conversatus in silvis, et tamen de Deo tam alte loquebatur et de amore Domini nostri Iesu Christi benedicti, quod verba eius supernaturalia videbantur. Unde quodam sero, cum in silvam ad colloquendum de Deo ipse cum fratre Iacobo de Massa perrexisset, et ipse de divino amore dulcissime loqueretur, cum per totam noctem stetissent, visum est eis, quod modico tempore consedissent. Hic sanctus vir cum praesentiret, divinas visitationes se recipere debere, ponebat se in lecto, acsi vellet dormire; quia sancti Spiritus tranquilla suavitas non solum mentis quietem sed et corporis requirebat; unde saepe in talibus visitationibus rapiebatur in Deum et totus ad exteriora insensibilis reddebatur; nam quodam sero ad superiora raptus adeo insensibilis est effectus, quod, carbo ignitus positus a quodam fratre super pedem eius, nec sensit calorem, cum steterit, donec esset exstinctus, nec carbo pedi aliquam intulit laesionem.

Quando in mensa stabat cum fratribus, priusquam cibum sumeret corporis, alimenta spiritualia sociis ingerebat.

Cum semel loquendo de Deo iuvenem quendam saecularem et lascivum ad Deum convertisset et fratrem fecisset, suaque vestimenta ipse frater Simon servaret, ac iuvenis diabolicis tentationibus impulsatus (*a*), pannos suos repetendo, ad saeculum vellet pluries redire, frater Simon primo cum verbis, deinde ipso iuvene caput suum ad pectus fratris sui reclinante, ac fratre Simone cum lacrymis orante, ab omni tentatione liberavit. Qui iuvenis adeo Spiritus sancti fervore fuit repletus, quod, cuidam cum oculi deberent extrahi, in pleno concilio petiit, ut sibi unus extraheretur, ut alteri unus oculus remaneret, cuius caritatem homines attendentes pepercerunt utrique.

Hic, cum staret in loco Brufortii, custodiae Firmanae in provincia Marchiae, et quadam die in silva maximam suavitatem sentiret, ac aves garrulae sibi impedimentum prae rumore praestarent, conversus ad eas praecepit in nomine Domini Iesu, ne amplius ad dictum locum et silvam venirent. Mirabile dictu! statim inde recesserunt, nec unquam apparuerunt.

Hic tandem plenus virtutibus migravit ad Dominum. Sed, ubi sit sepultus non reperi; credo, quod in dicto loco Brufortii iaceat, cum in dicto loco, ut dicetur, alii plures iaceant sancti fratres.

De fratre Leonardo, socio beati Francisci.

De fratre Leonardo de Assisio, socio beati Francisci, etsi non de primis, qui fuit sanctus homo, nullibi reperitur, ubi iaceat; et tamen istum, ut dicit XI pars *Le-*

(*a*) As et edd. *propulsatus*.

[1] Eadem in vita fr. Simonis, quae exstat in *Chron. 24 gen.* pag. 159 et 160 (cfr. *Fioretti* c. 41).

gendae maioris [1], quando voluit prima vice ire ultra mare et fuit impeditus vi ventorum, beatus Franciscus habuit in socium. Cuius, dum asinaret beatus Franciscus prae lassitudine et fatigatione, et hic post eum iret lassus et fessus et intra se diceret, humanum aliquid passus: « Non de pari ludebant parentes istius et mei; ecce, ipse equitat, et ego pedester asinum eius duco », statim beatus Franciscus cogitatum agnovit; qui pedibus beati Francisci provolutus, cum lacrymis cogitatum patefaciendo, veniam postulavit.

De fratre Illuminato, socio beati Francisci.

De fratre etiam Illuminato, qui fuit « vir luminis et virtutis [2] », socius beati Francisci, quando ad Soldanum accessit et quando christianis, ne praeliarentur cum saracenis, casum praedixit, ac multa est passus mala cum beato Francisco; sed, ubi iaceat, non habetur.

Et sic multi sancti et venerabiles fratres negligentia fratrum scribentium, ubi iaceant, non habetur. Et sic patet succincte de sanctis fratribus, qui in provincia sunt reconditi beati Francisci.

Transeundum est ad alias provincias ordinis.

DE PROVINCIA ROMANA.

Locus Romae. De fratre Iunipero, socio beati Francisci.

In provincia Romana iacent infrascripti sancti fratres, videlicet in Roma in loco de Aracoeli, iacet sanctus frater Iuniperus, socius beati Francisci, etsi non de primis, homo singularissimus patientia et virtutibus [3].

Hic patientiae virtute prae aliis fulsit adeo, ut, lacessitus iniuriis etsi esset, nullus unquam turbatum aliquando vidit eum. Quando enim sibi diceretur iniuria, totus gaudens versus dicentem praeparabat gremium, dicens: « Amice, proiicias huc, imple gremium istis lapidibus pretiosis, imple, ne timeas », lapides pretiosos appellans improperia et iniurias.

De eius contemptu.

Et non solum fuit patiens in verbis, sed etiam in factis et poenis illatis. Nam, cum frater Iuniperus portaret focarium, quia frequenter habitabat in locis desertis, et tunc faciebat ignem ad se calefaciendum, et subulam ad suendum soleas fratrum, daemones cuidam nobili, sed viro pessimo, nomine Nicolao, habenti castrum iuxta Viterbium, qui propter sua mala opera magnas habebat inimicitias, apparentes dixerunt, quod quidam fraticellus veniebat ad interficiendum eum et castrum ipsius incendendum; [et signum erat] quia hic frater habebat subulam, qua eum occidere, et focarium, quo castrum incendere debebat. Cum ergo frater Iuniperus solus sine (*a*) socio ad dictum castrum venisset, mandato dicti tyranni captus, inventum est focarium cum subula. Et cum interrogaretur, si veniret ad occidendum dictum nobilem et castrum

(*a*) Codex *cum*.

[1] N. 8. — [2] Bonav. *Leg. maior* c. 9 n. 8. — [3] Cfr. vitam ipsius in *Chron. 24 gen.* pag. 54 sqq. et *Fioretti*, Vita di Frate Ginepro.

incendendum, respondit: « Ego facerem istud et peius, si Dominus permitteret ». Et cum esset positus ad equuleum, frater Iuniperus dixit: « Laudatus sit Dominus, laudatus sit Dominus ». Depositus de equuleo et rondellato sibi capite fortiter, propter quod nunquam deinceps fuit de capite sanus, interrogatus, si ad eum occidendum et castrum incendendum venisset, frater Iuniperus ut prius semper respondebat; propter quod ad suspendium iudicatus est. Et cum duceretur super asellum, ipse pungebat asellum, ut cito iret. Interim quaedam mulier ivit et fratribus nuntiavit, quod unus frater Minor duceretur ad furcas. Tunc guardianus cucurrit et vocem eius audiendo agnovit, eum esse fratrem Iuniperum, et discooperiens eius faciem iam panno ligatam, vidit, quod erat frater Iuniperus. Sed frater Iuniperus nil curans de hoc, ut vidit guardianum, dixit: « Quomodo es pinguis (*a*), guardiane ». Guardianus vero perfusus lacrymis dixit his, qui eum ducebant, quod hic erat de sanctioribus fratribus ordinis, et quod subsisterent, quousque iret ad loquendum cum dicto Nicolao; qui steterunt. Ut audivit hoc Nicolaus, fuit valde territus et dolens, et ad se revocatus (*b*), cognovit culpam suam, et cum eo contraxit dictus homo magnam amicitiam; et frater Iuniperus bis in anno, acquirendo aliqua munuscula ab amicis, deferebat dicto Nicolao et dixit, quod nunquam invenerat hominem secundum cor suum, sicut praedictum Nicolaum[1].

Frater Iuniperus homo fuit sui contemptu gaudens et dolens de honore. Unde semel, dum esset in valle Spoletana, scilicet Fulginei, et magna solemnitas esset Assisii, nudatus totaliter de Fulgineo venit transiens per Spellum et per mediam civitatem Assisii usque ad locum [fratrum]; et cum valde a generali ministro reprehenderetur, respondit, quod hanc sibi imponeret poenitentiam, quod sibi praeciperet, quod, sicut venerat nudus, ita rediret.

Alia vice intravit Viterbium, et dum esset in porta, femoralibus positis in capite et habitu in modum fardelli ligato ad collum, sic nudus ad plateas ivit civitatis, ubi multas verecundias perpessus est; et sic nudus ad locum fratrum venit, omnibus contra eum ex hoc clamantibus, ipso tamen parum de eis curante.

Romam dum accederet, scito a pluribus, obviam ei multi venerunt (*c*), quos declinare volens, cum uno puero se ad ludendum ad unam tabulam posuit, quae, in uno capite dum elevaretur, in alio deprimebatur; quod intuentes illi, aliqui credentes, quod faceret ex contemptu sui, aliqui, quod ex fatuitate, ipse tamen tamdiu stetit in dicto ludo (*d*), quod omnes recesserunt; et tunc ipse solus urbem est ingressus.

A quodam fratrum amico vocatus, ad quem obedientia constrictus accessit, receptus ab eo honorifice et collocatus in lecto pulcherrimo, frater Iuniperus, deturpato loco et insalutato hospite, recessit de mane.

De caritate et pietate fratris Iuniperi.

Sanctus frater Iuniperus non solum in praefatis fuit singularis, sed totus plenus fuit caritate et pietate. Unde, cum in sancta Maria de Angelis frater Iuniperus esset, et quidam frater infirmus appeteret de pede porci manducare, frater Iuniperus, gladio accepto (*e*), ad gregem porcorum prope locum pascentem accessit et unum porcum

(*a*) Codex *piger* (Fioretti *grasso*). — (*b*) As et edd. *eo revocato*. — (*c*) As et edd. *accederet, multi de Roma hoc scientes obviam ei venerunt*. — (*d*) As et edd. *loco*. — (*e*) As et edd. *arrepto*.

[1] Sec. vitam cit. pag. 58 et *Fioretti* l. c. c. 4 Nicolaus « post modicum » obiit.

accipiens, amputato pede, ad locum revertens, dictum pedem decoxit et fratri infirmo dedit ad comedendum. Sed dominus porci factum non approbans multa verba beato Francisco et fratribus iniuriosa dixit, propter quae dure beatus Franciscus fratrem Iuniperum reprehendit. Frater Iuniperus miratus, quomodo ille de tanto actu caritatis conquereretur, ad placandum eum accessit; quem tanta caritate et humilitate est allocutus, ut dictus homo ipsum porcum totum fratribus ad comedendum pro pietantia dirigeret, et beatus Franciscus de eius reconciliatione gauderet.

Frater Iuniperus totus in caritate inflammatus, quidquid habebat vel sibi occurrebat, pauperibus largiebatur. Unde nulli rei parcebat; dabat habitum, mantellum et quidquid sibi occurrebat. Semel pauperi petenti eleemosynam frater Iuniperus, quia guardianus mandaverat sibi, ut habitum non daret, dixit (*a*): « Ego habitum non possum tibi dare, sed si accipias, ego non contradicam », quod et fecit.

Alia vice, dum altare beati Francisci optime paratum custodiret, usquequo sacrista comederet, cuidam vetulae petenti ab eo eleemosynam, cum nihil haberet prae manibus ad dandum, amotis cum gladio campanulis in frigio exsistentibus de argento, eidem tradidit et recedere, ne sibi tollerentur, admonuit.

Hunc sanctum fratrem Iuniperum superbi daemones valde timebant. Unde transiens per quandam villam (*b*), ubi erat quidam daemoniacus, statim daemoniacus per septem milliaria fugit; et interrogatus de causa respondit, quod illius stulti fratris Iuniperi non poterat praesentiam exspectare. Unde beatus Franciscus, si statim daemones ab obsessis non recederent, dicebat diabolo: « Nisi statim recedas, faciam fratrem Iuniperum contra te venire »; et sic daemon timens praesentiam fratris Iuniperi et sancti Francisci virtutem et humilitatem non ferens, subito recedebat.

Frater Iuniperus videns, quod omni die fiebat coquina notabiliter pro fratribus, cogitavit facere coquinam per dies plures, et sic dixit guardiano; cui guardianus dedit licentiam. Frater Iuniperus, acquisitis pullis, carnibus recentibus et salitis, oleribus et leguminibus, in magna caldaria, igne maximo supposito, nihil lavando nec mundando, omnia praedicta simul posuit et pro decoctione laboravit. Et cum gauderet de sua coquina ac fratribus in mensa ministrasset, invenerunt pullos cum pennis omnibus decoctos; propter quod reprehensus a guardiano humiliter suam culpam recognovit.

De eius contemplatione.

Fuit frater Iuniperus magnae et altae contemplationis; unde semel in missa (*c*) raptus sic est a fratribus dimissus, et cum ad se rediisset, clamando venit ad fratres dicens: « Quis tam nobilis in terra, qui non ferret libenter super se cistam luti, si daretur sibi domus auro plena »? Et dixit: « O me, heu! quare nolumus sustinere modicum verecundiae, ut possimus lucrari vitam aeternam »?

Beatus Franciscus sanctitatem agnoscendo fratris Iuniperi, dixit sociis: « Utinam de talibus iuniperis haberem unam magnam silvam »!

Frater Iuniperus per sex menses tenuit silentium isto modo: nam prima die proposuit non loqui ob reverentiam Dei Patris, secunda die Filii, tertia Spiritus sancti, quarta beatae Mariae; et sic dies observando [singulos] ob reverentiam alicuius sancti, per tantum (*d*) tempus silentium servavit.

(*a*) As et edd. plura mutaverunt. — (*b*) As *viam*. — (*c*) As om. *in missa*; edd. *in mensa*. — (*d*) As *totum*.

Dum simul essent frater Aegidius, frater Rufinus, frater Simon de Assisio et frater Iuniperus, et frater Aegidius eos interrogasset, quid facerent, cum carnis tentatione urgerentur, respondit frater Simon: « Ego considero illius peccati turpitudinem et sic evado ». Frater Rufinus dixit: « Ego me ad terram proiicio et tamdiu sto in oratione, Dei et beatae Virginis implorando clementiam (*a*), donec sentio me perfecte liberatum ». Frater Iuniperus respondit: « Quando ego tales tentationes quasi in burgo castri esse praesentio strepentes, subito fortiter cordis ostia claudo, et sanctis meditationibus ac desideriis pro tuta custodia totum cordis fortilitium reddo occupatum. Quando vero illae suggestiones, cordis ostium quasi pulsando, percutiunt, ego respondeo quasi ab intus, porta non reserata, dicens: ‚Extra, extra! hospitium captum est, et hic recipi non potestis', et sic nunquam intrare permitto; illae vero quasi victae de tota contrata recedunt ». Et frater Aegidius dixit, quod cum ipso tenebat; quia cum illo peccato tutius et discretius homo pugnat fugiendo, ubi ab intus est proditor carnis appetitus, et eius exercitus per sensus corporis sentitur.

Cum oraret frater Iuniperus semel et forte de se aliquid magni cogitaret, apparuit sibi quaedam manus in aere, et vocem audivit dicentem sibi: « Manus sine manu nihil potest facere », id est, nullus est tam bonus, qui posset manu sua, id est potentia sua, aliquid agere sine manu, id est gratia et potentia, Dei. Quod verbum audiens et intelligens frater Iuniperus clamando et saltando ibat per domum dicendo: « Bene est verum, Domine ».

Hic habuit quendam fratrem in discipulum et socium, nomine Attentialbene (*b*), maximae obedientiae, patientiae et virtutis. Si fuisset per totam diem verberatus, nihil dixisset. Ad praeceptum fratris Iuniperi, cum dixisset: « plora », statim plorabat et, si statim dixisset: « ride », ridebat. Cum eius mortem audisset frater Iuniperus, dixit: « Non habeo amplius bonum in isto mundo »; et omnia utensilia domus frangens dixit, quod totus mundus in morte illius erat destructus, et quod, si fratribus non fuisset ad horrorem, de osse capitis eius duas partes faceret: de una scutellam, in qua comederet, de alia cifum, in quo biberet.

Frater Iuniperus semel interrogavit quendam, quomodo vellet mori. Respondit ille, quod vellet mori in loco, ubi essent multi fratres, qui pro ipso Deum orarent. Respondit frater Iuniperus: « Ego vellem iuxta mortem meam, quod tantus foetor exiret de corpore meo, quod nullus frater posset appropinquare, et quod finaliter me in aliqua valle (*c*) proiicerent, et ibi solus abominabiliter morerer ac sepultura privatus relinquerer canibus devorandus ».

Hunc sanctum fratrem Iuniperum beata Clara ad mortem veniens secum habere voluit, ut, dum de Christo Iesu melliflua eructaret, de hoc mundo transiret; ipsum enim ioculatorem Iesu Christi vocabat [1].

Frater iste Iuniperus post multa magna (*d*) facta ab ipso in vita tandem Romae quievit in pace, in loco sanctae Mariae de Aracoeli sepultus.

In Roma, in dicto loco de Aracoeli, iacet sanctus frater Sabatinus, (*e*) qui fuit unus de (*f*) primis sociis beati Francisci, vir sanctitate praeclarus [2].

(*a*) As et edd. *auxilium et clementiam.* — (*b*) As *Attencialbene;* edd. *Atentalbene.* — (*c*) As *vallo;* edd. *in fossato.* — (*d*) As *miracula.* — (*e*) As *Sabbatinus.* — (*f*) As *de duodecim;* edd. *de tredecim.*

---

[1] Cfr. Celano, Vita S. Clarae (apud Sedulium, *Historia Seraphica,* Antverpiae 1613), pag. 27. — [2] Cfr. *Anonymus Perusinus* n. 17 et *Leg. 3 soc.* n. 35.

In Roma, in loco praefato, iacet sanctus frater Electus, qui ibi annis decem sepultus fuit, et multis videntibus surrexit et se in sepulchro reposuit [1].

De fratre Andrea de Anania.

In loco de PILLIO [2] iacet sanctus frater Andreas de Anania, nepos domini papae Alexandri IV, qui factus cardinalis sanctae Romanae ecclesiae abrenuntiavit, et noluit esse. Et propter magna miracula, quae ipse in vita faciebat, papa Bonifacius dixit, quod, si non moreretur, eum adscriberet catalogo sanctorum. Huic apparens Carolus primus rex Siciliae [3] rogavit, ut pro se apud Christum vellet intercedere, cum maximas in purgatorio poenas sustineret, quas evaderet, si pro ipso oraret; quod et fecit. Vice quadam cum appetisset aviculas assatas comedere et praeparatas ante se haberet, nolens appetitui condescendere, signo crucis facto, mandavit, ut abirent, quae statim revixerunt et avolarunt. Hic, inter alios sanctos, potestatem accepit super spiritus superbiae daemones; unde in loco, in quo iacet, daemoniaci, cum ducuntur, statim eius precibus liberantur. Multa egit miracula in vita et agit nunc; de quibus notitiam non valui habere [4].

De fratre Theobaldo de Assisio.

In civitate HORTENSI iacet sanctus frater Theobaldus de Assisio. Hic inter alia duo fecit mira: nam, cum staret in loco sancti Laurentii iuxta Tiberim, et sibi mandaretur, quod festinato ad civitatem pergeret Hortensem, veniens ad dictum flumen Tiberis, nec navis adesset, et profunditas aquae esset nimia, et sibi, ne transiret, a circumstantibus dissuaderetur, signo crucis facto, parum elevata tunica, aqua vix eum ad poplites tangente, cum stupore assistentium pertransivit. Vice alia cum pisces vellet habere pro fratribus, nec prece aut pretio posset invenire, ad fluvium Tiberis accedens, missa manu sub arena bis, utraque vice piscem reperit longitudinis palmi, quos et fratribus deportavit [5].

Locus de Piperno.

In Piperno iacet frater Leonardus de Fulgineo, qui, cuidam claudo signum crucis cum fecisset ad parentum petitionem, ipsis videntibus ab eo sanitati est optime restitutus. Alteri exsistenti (*a*) caeco et privato omni lumine per annos octo, ad se perducto et signo crucis facto, lumen optatum rependidit (*b*) [6].

De fratre Ambrosio de Massa.

In URBE VETERI iacet sanctus frater Ambrosius de Massa [7]. Hic oriundus de civitate Massana, etsi usque ad tempus virilis aetatis fuerit in mundo, praeservatus tamen a mundanis vitiis, Domini complexus coelibatum, virilis aetatis portas ingressus, laqueos diaboli sibi paratos devitans, omnibus datis pauperibus et nihil retentis, habitum fratrum Minorum in sua suscepit civitate. Conversationis igitur gratiam divina clementia consecutus, obedientiae virtutem anteponens victimis, pro fratrum neces-

(*a*) As et edd. *ex natura*. — (*b*) As et edd. *restituit*.

[1] Idem refert *Cat. S. Fr. Min.* pag. 12 et *Chron. 24 gen.* pag. 264. — [2] Pileo. — [3] Mortuus 1285. — [4] Cfr. *Cat. S. Fr. Min.* pag. 12. — [5] Idem *Dialogus* pag. 117 refert. — [6] Cfr. *Dialogus* pag. 90 (ubi « per annos quatuor »). — [7] Sequitur Pisanus *Dialogum* cit. pag. 51 sqq.

sitatibus acquirendis in frigore et nuditate, in fame et siti iuxta mandatum sanctae obedientiae discurrens, semetipsum obtulit Domino sacrificium medullatum. Orationibus frequenter insistens, stratum conscientiae fusis lacrymis irrigabat, pane tantum saepe contentus et aqua, concupiscentiae carnalis incendia temperabat. Compassionis insuper visceribus erga miseros affluens et infirmos, ministeria talibus necessaria impendebat. Non solum autem fratribus, sed et saecularibus sibi cognitis et ignotis humanitatis obsequia impendebat, in infirmitatis articulo misericorditer visitans decubantes, ac medicamina, quae vulneribus vel infirmitatibus convenirent, officiosa sedulitate procurans. Humilitatis studio fratribus frequenter coquinam paravit, parapsides lavans ac depressionis officia explens gaudenter. Si quando verbo vel facto aliquem conturbasset, chorda collo appensa, veniam humiliter postulabat. Illata libenter suscipiens, inferentibus indulgebat. Haec omnia per quindecim annos peragens, divino oraculo edoctus de morte et loco, ut socio aperuit, ad Urbem Veterem perrexit, ubi infirmitate pressus, termino appropinquante vitae, circa horam matutinalem, vultu prae solito exhilaratus aliquid mirandum se vidisse significavit; quem fratres assistentes, si beatum Franciscum vidisset, cum inquirerent, respondit: « Nequaquam ». Interrogatus, si angelum vidisset, quaerenti nihil respondit. Mortem tamen cuiusdam noti (*a*) sui denuntiavit ex nomine sibi divinitus revelatam dicens, quod Gulielmus obiisset; et inter nonam et vesperum se eum secuturum praedixit, et sic est factum.

Hic gloriosus frater quanti meriti sit apud Deum, miracula per eum facta attestantur. Quae miracula authentice recipienda et probanda dominus papa Gregorius IX commisit, immo mandavit episcopis Urbevetano et Suanae ac priori sancti Ioannis de Platea ordinis sancti Augustini, et bulla sua, quae data fuit Laterani pontificatus sui anno decimoquarto [1]. Qui invenerunt istum sanctum Ambrosium fratrem contractos in diversis membris quatuordecim liberasse; a morbo caduco quatuor; unum daemoniacum, ipso fratre Ambrosio vivente, dum ei praecepisset exire, et duos post mortem; quatuor a fractura viscerum; sex de apostemate; unum a fistula; aliam a lupa; quatuor a diversis infirmitatibus; unum de cordiaca; de infirmitate, quae livida dicitur, aliam; surdum per vigintiquatuor annos (*b*); a sanguinis fluxu unum; mulierem habentem foetum mortuum per quatuor menses in utero; alium per sex annos dissenteriam passum; puerum habentem os corrosum; caecos et surdos quatuor; septem mortuos suscitasse, et multa alia mira Deum per preces servi sui fratris Ambrosii effecisse. Sed mortis papae [Gregorii] praeventione catalogo sanctorum non est annotatus [2].

De fratre Morico, socio beati Francisci.

In Urbe Veteri iacet frater Moricus, magister praefati fratris Ambrosii et sanctus ac, ut puto, socius unus de sociis beati Francisci [3]. Qui frater Moricus primo de ordine fuit Cruciferorum; sed infirmitate gravatus, cum per internuntium beato Francisco supplicaret, ut pro salute sua Dominum exoraret, beatus Franciscus annuit, et misso sibi electuario de micis panis et oleo, quod coram Virginis ardebat altari,

(*a*) As *devoti*. — (*b*) As et edd. *quatuor*.

[1] Bullam « Dei sapientia » vide apud Sbaralea, *Bullarium* t. I pag. 280. — [2] Cfr. Introductionem ad *Dialogum de vitis sanctorum fratrum*, pag. XVII. — [3] Sec. *Chronicam 24 gen.* pag. 253 aliosque « fr. Moricus, olim de ordine Cruciferorum » iacet in conventu sacro Assisii.

confecto, praedixit, eum fratrem Minorem futurum; quod antidotum divina inventione confectum cum gustasset, sanus surrexit et tantum a Deo vigorem obtinuit, quod ingressus ordinem beati Francisci, unica tantum coopertus tunica, loricam portans ad carnem, crudis contentus cibariis, videlicet herbis et leguminibus ac fructibus, per multa lustra temporum, semper tamen sanus exstitit, incolumis et fortis [1]. Huic fratri Morico, dum nativitas Christi esset die veneris, et de carnibus comedendis esset quaestio, et frater Moricus diceret, quod non essent comedendae propter diem veneris, hoc fuit ante confirmationem secundae regulae, beatus Franciscus dixit: « Peccas, frater Morice, diem veneris vocans diem, quo Christus natus est puer Iesus nobis; volo, inquit, quod et parietes tali die comedant carnes, et si non possunt, vel de foris liniantur [2] ». De isto alia non legi; miraculis tamen fulsit post mortem [3].

In dicto loco Urbis Veteris iacet sanctus frater Severinus, qui etiam miraculorum gloria coruscavit (*a*).

De fratre Gulielmo de Cordella.

In TUSCANELLA iacet sanctus frater Gulielmus de Cordella. Hic post praedicationem suam factam in platea die quadam, cuidam caeco ad eum accedenti, facto signo crucis coram populo, visum restituit. Die eodem cuidam viro per sex annos humeris complicato, recte non valenti incedere, coram populo signo crucis impresso, sanitatem optatam concessit; his (*b*) et aliis miraculis claruit [4].

Locus Proceni.

In Proceno (*c*) iacet sanctus frater Tobias, qui spiritu prophetico fuit plenarie radiatus et illuminatus.

De fratre Soldanerio.

In VITERBIO iacet sanctus frater Soldanerius, « quasi sol dans nitorem hic moribus fulsit et doctrina [5] ».

Locus Montis Compatri.

In Monte Compatrum iacent sancti fratres, videlicet frater Angelus de Monte Leone, pauperrimus et despectus lector; in cuius morte, ut quidam frater vidit clara luce, pro ipsius anima venit quidam frater solemniter paratus, cum fratrum magna multitudine [6].

In dicto loco iacet sanctus frater Rainaldus de partibus Reatinis, vir perfectionis et sanctitatis. Hic ambulans iuxta civitatem Reatinam cum fratre Bernardo, socio suo et guardiano, obviam habuit quendam caecum eos salutantem et deprecantem humiliter, ut super eius oculos signum facerent crucis; qui frater Rainaldus dicti socii mandato eidem crucis faciens signum, statim lumen caecus recepit. Modico deinde spatio infirmatus hic frater ad mortem, cum multi, audita eius gravi infirmitate, ad custodiendum eum circa transitum fratres convenissent, cumque caelo iam videretur

(*a*) As *coruscat*. — (*b*) As et edd. *hic*. — (*c*) Codex *Preceni*.

[1] Bonav. *Leg. mai.* c. 4 n. 8. — [2] II Cel. 3, 128. — [3] Cfr. *Acta SS.*, t. III martii pag. 852. — [4] Cfr. *Dialogus* pag. 98 et 99. — [5] Ita Bessa l. c. pag. 668. — [6] Idem *Cat. S. Fr. Min.* pag. 13.

affinis, coepit corpus eius sudare sudore profundo (*a*); et apparuerunt in facie eius et habitu quasi flores ad instar pruinae desuper concrescentis. De quo fratres, qui aderant, plurimum admirantes, sudorem huiusmodi saepius extergebant; sed eodem iterum recrescente, usque post obitum in eius corpore perduravit, et cum eo positus in sepulchro. Qui cum per triennium quievisset, contigit, quendam alium sanctum fratrem decedere in loco eodem, in cuius transitu tanto odore respersa est domus fratrum et regio circumquaque, quod de eius animae beatificatione signum eis esset certum. Hunc in sepulchro fratris Rainaldi collocare volentes, aperto tumulo, invenerunt corpus fratris Rainaldi iam triennio positum ita cancellatis manibus inconsumptum, acsi die ipsa esset humatum; et cum movere ipsum tentassent, ut daret locum fratri tumulando, non potuerunt; sed corpus dicti fratris Rainaldi inferius descendit tanquam vivum, dansque locum fratri circa (*b*) partem occidentalem in fovea se erexit, et quamdiu semel potest dici oratio dominica, sic permansit; iterumque, videntibus cunctis tam fratribus quam saecularibus, qui adstabant, versus partem orientalem se ex latere declinavit, ac tamdiu sic perstitit, quoadusque corpus fratris alterius in eadem secum fovea clauderetur. Quod videntes fratres et saeculares Dominum laudaverunt [1].

In eodem loco iacet quidam frater sanctus de Parma, qui qualis esset meriti apud Deum, ostendit Salvator; nam in die olivarum palmam, quam accepit, plantans de mane crevisse invenit.

DE PROVINCIA TUSCIAE.

Locus de Setona.

In provincia Tusciae in loco de Setona iacet frater Guido. Hic a fratribus in oratione visus est super terram altissime elevatus; spiritum propheticum habuit et (*c*) miraculis coruscavit.

De fratre Humili de Perusio.

In FLORENTIA in conventu iacet frater Humilis de Perusio. Hic, cum longe a Florentia vitam duceret solitariam et esset in civitate Florentiae maximae famae, rogavit Christum, ut sibi diceret, quem ordinem deberet intrare pro sui salvatione; et Dominus Iesus Christus respondit sibi, quod ingrederetur ordinem fratrum Minorum; et cum ille peteret, quam vitam tenere deberet, respondit Christus: « Teneas vitam communem, fratres fugias, et non iudices fratres alios (*d*) de defectibus ipsorum (*e*) ». Hic pluribus miraculis claruit.

De fratre Accurso.

In dicto loco iacet frater Accursus laicus, vir sanctus et infirmarius conventus, qui multa miracula fecit. Huic oranti in capella infirmorum beata Virgo apparuit cum magna ipsius fratris consolatione; sed cum fratrem infirmum, quem in

(*a*) As et edd. *eius sudore perfundi.* — (*b*) As et edd. *versus.* — (*c*) As *et multis.* — (*d*) As et edd. *eos.* — (*e*) As *factis eorum.*

[1] Idem refert *Dialogus* pag. 109.

cura habebat, dum audiret clamantem, Virgine benedicta dimissa, ad infirmum perrexit et quae postulabat effecit; quod multum beatae Virgini placuit; in cuius signum beata Virgo eidem apparens, suo colloquio et aspectu iterato indicibiliter est consolatus (*a*).

In dicto loco iacet sanctus frater Benedictus laicus de Mucello, qui multa miracula est operatus [1].

In dicta civitate Florentia, in quadam capella iuxta ecclesiam hospitalis sancti Galli extra portam civitatis, iacent multi sancti fratres. Et capella illa in devotione habetur ob reverentiam praedictorum; ubi iacet frater Ioseph, qui fuit vitae sanctissimae, cuius corpus post multa tempora est intactum repertum cum habitu et chorda, acsi eodem die fuisset sepultum.

De sancto fratre Benedicto de Aretio.

In ARETIO iacet sanctus frater Benedictus de Aretio, qui ad ordinem fuit receptus a beato Francisco. Hic fuit minister Antiochiae, et imperatorem Constantinopolitanum et regem Ierusalem, videlicet regem Ioannem (*b*), ut dicetur, ad ordinem nostrum recepit. Fuit hic devotus sancto Danieli prophetae, et cum affectasset eius sepulchrum visitare, nec posset tam ex viae prolixitate quam custodia draconum exsistentium ad eius sepulchrum in Babylonia, die quadam sibi immenso dracone apparente et eum infra caudam accipiente, in Babyloniam portavit ad sancti Danielis sepulchrum; cuius sepulchrum (*c*) aperiens, eius digitum accepit ex devotione et secum detulit, ac ab eodem dracone modo praefato accepto in pristino loco illaesus est positus; et draco statim disparuit, unde angelus Domini fuit (*d*).

Hic, cum a partibus Ierosolymitanis ad Italiam rediret, facta tempestate in mari, sortibus missis, ut alter Ionas missus et proiectus in mare, statim a nubecula acceptus, ad paradisum deliciarum est portatus. Quem videntes Enoch et Elias, ab eo, quis esset, petentes, cum se fratrem beati Francisci diceret, illi Francisci in mundum adventu audito, magnum gaudium habentes, magnum tripudium fecere, dicentes se in brevi per martyrii palmam ad Dominum perrecturos, ipsumque fratrem Benedictum amplexantes et osculantes per totum paradisum duxerunt, omnia ostendentes eidem. Et cum per tempus stetisset cum eis, dicta nubecula, quae eum ibidem posuerat, recipiendo in portu Italiae, ad quem applicare volebat, posuit; unde nautae, qui eum proiecerant, in dicto loco ipsum reperientes valde sunt mirati.

Hic spiritu prophetico claruit; nam fratri Thomae de Papia, exsistenti ministro provinciae Tusciae, secreta cuiusdam consilii, quae nulli aperuerat, et de quibus dubitabat, quam partem eligeret, frater Benedictus omnia sibi revelavit et, quid tenendum, praedixit. Hic multis miraculis claruit et claret in loco praefato (*e*) [2].

De fratre Bernardo.

In MASSA iacet frater Bernardus, qui miraculis exstitit gloriosus. Nam quidam iuvenis de Massa infirmitate vesicae gravatus et tumefactus ac morti convicinus, ad

(*a*) As et edd. *consolata*. — (*b*) Codex *Ierusalem et regem;* As om. *regem Ierusalem*. — (*c*) As et edd. *tumulum*. — (*d*) As et edd. *unde creditur, quod angelus Domini fuerit*. — (*e*) As et edd. om. *Hic—praefato*.

[1] *Cat. S. Fr. Min.* pag. 13 et 14 eadem de his quatuor refert. — [2] Cfr. *Vita et miracula B. Benedicti Sinigaldi de Aretio Ord. Min. scripta per Nannem Aretinum a. 1502* (ed. P. Hieronymus Golubovich O. F. M. Ad Claras Aquas 1905).

eius sepulchrum delatus, multo sanguine emisso, est liberatus; alium habentem in crure fistulam, qua contractum natibus adhaerebat, recommendatione facta dicto sancto, infra dies quatuor est liberatus; mulierem toto corpore fistulatam, non valentem medicamine aliquo curari, dicto fratri se recommendantem, post modicum sic curavit, ut talem nullatenus senserit passionem [1].

De fratre Donato de Ferraria.

In CASTRO FLORENTINO iacet sanctus frater Donatus de Ferraria. Hic habuit spiritum propheticum; unde fratrem quendam a longe distantem in alio loco apostatantem vidit et portatum in ore a dracone, quem fratres cum dicto apostatante stantes non agnoverant. Alterius fratris vidit tentationem, videndo diabolum super eum stantem, et cum fratri dixit suam tentationem, sic esse, frater est confessus.

LOCUS SACRATISSIMUS MONTIS ALVERNAE.

In monte Alvernae iacet frater Gulielmus de Radicofano, super cuius caput, dum oraret, visus est ignis magnus [2].

De sancto fratre Clemente.

In dicto loco iacet frater Clemens, vir mirae perfectionis et sanctitatis, qui dum staret in quodam eremitorio, quod Garderia dicitur, in oratione, antiquus hostis in diversis speciebus animalium cum eo frequenter pugnam commisit, ut ab oratione exturbaret; sed cum nocte quadam diutina congressione fatigasset et quasi iam lassus intrasset quoddam tugurium ad quiescendum et se iuxta ignem posuisset et dormitare coepisset, diabolus titione (*a*) ignea eius tetigit manum; qui expergefactus, cum accepisset titionem, ut repercuteret ferientem, diabolus ab eius oculis evanuit; ignis tamen exustio in dicti fratris manu die sequenti apparuit.

Idem frater vice alia in partibus Hispaniae constitutus et orando de nocte, dum super trabem quandam genua frequenter flecteret, diabolus adstans genuflexione qualibet eum in maxilla percutiebat; quod cum diu pertulisset, tandem manum extendit, ut caperet se percutientem; ille fugiens, manum fratris tetigit ac sic percussit, quod in ea quinque vesicae turgentes exortae sunt, ita quod diebus multis cum ea nihil potuit operari [3].

De sanctissimo fratre Ioanne de Marchia sive de Alverna.

In dicto loco iacet sanctus frater Ioannes de Firmo, vocatus de Alverna, vir sanctitate mirabilis et perfectione. De huius viri sanctitate aliqua narranda sunt et succincte [4].

Hic de civitate Firmana, provinciae Marchiae, habuit ortum. Cum nutriretur infantulus in cuna, die lunae, die mercurii et die veneris semel tantum mammas

(*a*) Codex *tinctione*.

[1] Cfr. *Dialogus* pag. 88. — [2] Idem *Cat. S. Fr. Min.* pag. 15. — [3] Cfr. *Dialogus* pag. 101. — [4] Vita sequens nec sequitur illam, quam exhibent *Acta SS.*, t. II aug. pag. 461, nec eam, quae habetur in *Chron. 24 gen.* pag. 439 sqq. (excerpta a S. Antonino, *Chronicorum* p. III tit. 24 c. 7 § 5); plura enim adduntur vel aliter referuntur.

sugebat. Deinde factus annorum septem, se a pueris abscondendo, ad agrum patris ibat ad meditandum Domini passionem, et in tantis lacrymis se cruciabat, ut cor eius videretur deficere; ibique tam duris per totum corpus se disciplinis mactabat, quod de carne eius mundissima et candidissima rivuli sanguinis defluebant; et priusquam ad domum reverteretur, consuebat circa collum suum et corpus suum urticas, quas cooperiebat superioribus indumentis. Factus vero annorum decem et (*a*) esset canonicus ecclesiae maioris terrae suae, loricam triginta librarum ad carnem nudam portavit, cuius manicarum longitudinem de nocte decurtavit; sed hanc quidam suus concanonicus est furatus. Sed quidam homo spiritualis sibi devotus aliam corpori suo congruam procuravit, cuius annuli, velut in ceram liquefactam, sic in eius carnem teneram intraverunt. Tunc temporis se abstinentia sic stringebat, ut in die de una quarta parte panis esset contentus. Sed cum sibi diceretur a quibusdam, quod ipse esset bonus frater Minor, quo (*b*) verbo audito, a Domino inspiratus, ordinem nostrum intravit, dum tredecim esset annorum. Et cum verba divina aliquando a suo audiret magistro, cor eius ut cera liquescens tanta suavitate gratiae in interiore homine replebatur, quod homo exterior discurrere est coactus aliquando per hortum, aliquando per ecclesiam (*c*) et quandoque per silvam, prout interior impellebat [1]. Sed temporis in processu ad raptus multiplices pervenit, ut dicetur.

Completo probationis anno et facta professione, tantae se dedit humilitati, ut omnia officia loci faceret; faciebat coquinam, serviebat in mensa et ipsam parabat ac in ea legebat, ad portam respondebat, fratrum antiquorum tunicas lavabat; custodiens sacristiam et in choro cantoriam faciens, spiritum devotionis nec exstinguebat aut praetermittebat.

De ipsius paupertate.

Paupertatem complexus, habitu, chorda et femoralibus dives fuit, nihil usque ad mortem habere volens praeter parvum (*d*) breviarium ad dicendum divinum officium. Et quia sic dilexit paupertatem, Deus in suis necessitatibus sibi condescendebat, dando sibi corporis fortitudinem; nam etsi iret nudus et discalceatus tempore magni algoris et nivium et ieiunus, semper robustior et fortior sociis inveniebatur.

De rigiditate et poenitentia ipsius.

Fuit hic homo maximae rigiditatis corpori suo; aliquando enim portavit loricam, aliquando corium porcinum, aliquando tunicam de pilis equinis nodosam, et quandoque ad carnem habuit circulum ferreum, quem prolixitate [temporis] carni sic habuit insertum, quod in amotione et depositione eius caro circum circa est a corpore evulsa.

Abstinentia etiam carnem domuit. Antequam esset praedicator, quadragesimam sancti Martini, sancti Francisci et maiorem, sancti Spiritus, apostolorum Petri et Pauli, Virginis gloriosae, angelorum, vigilias sanctorum, feriam sextam in pane et aqua faciebat; triginta annis tantum aquam habuit (*e*). Quandam quadragesimam fecit nihil comedendo nisi herbas, quantum (*f*) intra duos digitos manus posset stringere; aliam

---

(*a*) Edd. *cum*. — (*b*) Codex *a Deo*. — (*c*) As *cellam*. — (*d*) As *unum*. — (*e*) As et edd. *bibit*. — (*f*) As *quas*.

---

[1] Cfr. *Actus* c. 54 n. 8.

fecit fabas aqua madefactas manducando, quantum stringebatur manu; aliam fecit reclusus cella, in qua nihil comedit, nisi unum parvum panem hordeaceum pro die; aliam fecit solum unum panem biscoctum comedendo et aquam bibendo. Unde socio aliquando habuit dicere: « Nullum genus asperitatis est, inquit, quod olim in se non probaverit corpus meum ».

Quomodo de Alverna est dictus.

Iste, etsi oriundus fuerit de Marchia et de Firmo, tamen ad montem Alvernae accedens et dicto loco incorporatus, deinceps frater Ioannes de Alverna est dictus. Hic sanctus homo tribus annis nunquam sedit nec dormiendo nec vigilando, nisi quando esset in mensa vel in capitulo vel in choro; et sic Deus in eo sensualitatem subiecit rationi, quod primum concupiscentiae motum nullatenus sentiebat, ut ipse dixit.

De spiritu intellectus.

Quantum denique hic sanctus esset Deo acceptus, ex visitationibus divinis potest apparere. Deus enim vice quadam per tres menses omni die visitavit eum, suum angelum ad ipsum mittendo, et in fine ex parte Dei dedit gratiam, ut secundum aliquem sensum scripturam intelligeret; et ex tunc factus est praedicator magnus. Praedicavit Pisis, Florentiae, Senis, Aretii, Perusii, et sic de aliis terris, in quibus magnum fructum peregit animarum. Florentiae, dum in platea conventus praedicaret, et serenitas esset, statim pluvia descendens, cum nullus vellet eius praedicationem dimittere, homines pannos viliores reflectendo super se et mulieres sudaria et pannos lineos super se ponendo, et quia tumultum aliqualem faciebant, frater Ioannes fuit miratus non ad pluviam advertendo. Mirabile factum! pluvia (*a*) descendit, et super ipsum nec super pulpitum, ubi praedicabat, ut vidit totus populus, gutta minima descendit; quod ad magnum fuit miraculum toti populo.

De apparitionibus sibi factis.

Hic sanctus primo a sanctis fuit visitatus. Nam beata Virgo Maria per totam diem stetit cum eo in illa forma, qua ipsa conversata est in hoc mundo, tangens eum, et ipse in gremio eius caput suum reclinavit.

Beatus Franciscus apparuit ei primo in provincia Marchiae, dum oraret pro fratre Iacobo de Fallerono, qui infirmabatur in loco Moliani Firmanae custodiae; et apparuit beatus Franciscus sibi cum stigmatibus refulgens gloria singulari, et cum multis fratribus, scilicet cum fratre Lucido et fratre Matthaeo (*b*) antiquo de Monte Rubiano, quos frater Ioannes nunquam vidit, et tamen eos cognovit; et tunc revelatum est sibi de salvatione dicti fratris Iacobi [1]. In monte Alvernae saepe beatus Franciscus apparuit sibi, et sibi quaedam arcana dixit, quae, quia erant ad ipsius fratris Ioannis praeconium, nulli voluit dicere. Alia vice in dicto monte beatus Franciscus sibi apparuit et cum eo diu stetit, et in fine dixit sibi: « Frater Ioannes, pete a me omnem gratiam, et faciam tibi »; cui cum petiisset tangere eius stigmata et osculari, quod beatus Franciscus ei concedens (*c*), remansit valde consolatus.

(*a*) As et edd. addunt *tanta*. — (*b*) As *Massaeo*. — (*c*) As et edd. *beato Francisco concedente*.

[1] Cfr. *Actus* c. 57.

Beatus Laurentius sibi semel apparuit, cui erat devotissimus, dum oraret pro quodam scrupulo, quod habebat frater Iacobus de Fallerono de sacerdotio. Cui beatus Laurentius apparens de dicto dubio eum certificavit, et postmodum in vigilia sui festi, dum cantaretur antiphona: *Adhaesit anima* etc. in vesperis, apparuit ei acsi assaretur, et oculo compassivo fratrem Ioannem respiciebat; et die praefata, dum *Salve Regina* cantaretur, apparuit ei beatus Laurentius ante altare conventus, renes tenens ad altare et in manu sinistra craticulam quasi pro scuto, et dixit fratri Ioanni, quod propter illam craticulam et tormenta magnam gloriam habebat in caelo, et ecclesia de eo faciebat magnam solemnitatem, et facientes poenitentiam magnam haberent gloriam, et disparuit [1].

Ieiunata semel quadragesima angelorum, dum in solemnitate beati archangeli Michaelis ad matutinum venisset, post matutinum, dum ad cellam rediret, in egressu ecclesiae angelum in forma iuvenis pulcherrimi reperit tenentem instrumentum organicum in manu et secum usque ad cellam semper pulsando euntem, raptus post introitum cellae, angelo disparente, remansit.

Dominus noster Iesus Christus multoties eidem apparuit. Semel, dum optasset videre Christum in forma, qua de cruce fuit depositus, dum celebrasset et venisset ad *Pater noster* et diceret: « Per ipsum et cum ipso et in ipso » etc., in dicta forma Salvator eidem apparuit, oculo compassivo eum respiciendo. Volens igitur Dominus ipsum fratrem Ioannem probare, consolationis et contemplationis dulcedinem de ipso ab eo subtraxit. Unde ipso sine lumine Creatoris et dulcedine remanente, dum in quodam loco in quadam silva anxius esset et lacrymis superfusus, ac uni fago facie erecta ad caelum adhaesisset, Dominus Iesus Christus apparuit per semitam incedens, nihil fratri Ioanni dicens. Post quem frater Ioannes totus afflictus et lacrymis irrigatus incedebat, rogans, ut faciem eius gratiosissimam ad ipsum converteret; sed Dominus, qui eum probare volebat, per semitam incedens ulterius nihil loquebatur ei. Et frater Ioannes surgens post eum incedebat, supplicando, ut eum Dominus exaudire dignaretur; et iterum Salvator recessit, nihil ei dicens. Sed frater Ioannes lacrymando post Christum semper incedebat. Tandem Salvator conversus ad ipsum, faciem suam ei ostendit et manus suas expandit, sicut facit sacerdos, dum se ad populum convertit; et tunc frater Ioannes de pectore Domini vidit radios exeuntes, non solum silvam exterius, sed ipsius animam et corpus interius divinis splendoribus illuminantes, quibus fuit edoctus, quem actum humilem et reverentem deberet cum Christo tenere. Unde statim accessit ad pedes Christi, quos sibi ad osculandum porrexit, quos lacrymis ut alia Magdalena rigavit; deinde manus Christus eidem praebuit ad osculandum et eas expandit. Et frater Ioannes surgens ad pectus Domini accessit et amplexatus est eum et Iesus (*a*) ipsum; et deosculans frater Ioannes pectus Domini, tunc sensit tantum odorem, quod omnia odoramenta mundi in respectu illius foetor essent, et tunc fuit raptus et summe consolatus; super quo pectore residens fontem hausit divinae sapientiae, et profunda Dei sunt patefacta eidem. Unde deinceps de quacumque profunditate theologiae praedicabat et quaestiones declarabat. Et dictum odorem frater Ioannes per plures menses sensit, et similiter in dicta semita, per quam incesserat et

(*a*) As et edd. *Christus versa vice.*

[1] Cfr. *Actus* c. 55.

steterat Dominus Iesus, et per amplum spatium circumquaque frater Ioannes per multa tempora sensit [1].

Alia vice frater Ioannes, cum appropinquante Christi nativitate de eius humanitate consolationem exspectaret, de ipsius habuit (*a*) deitate et caritate; et sibi tam perfectissimum amorem exhibuit, quod videbatur sibi, quod anima a corpore raperetur; nam centies plus, quam [si] esset in fornace, eius anima et cor ardebat, et prae nimio amore et ardore fortiter cogebatur clamare; amor interpolate duravit per sex menses, sed ardor bene per annum; et in hoc tempore et post visitationes (*b*) divinas et consolationes innumeras habuit. Sed in nocte quadam elevatus fuit in Deum tam mirando lumine, quod vidit omnia creata in Creatore, tam caelestia quam terrestria, et omnia suis gradibus ordinata et distincta, quomodo sunt chori beatorum spirituum infra Deum et paradisus terrestris beataque Christi humanitas, et habitationes inferiorum similiter designavit; et videbat et sentiebat, quod omnia repraesentabant Creatorem. Postea elevavit eum Deus super omnem creaturam ita, quod fuit absorpta et assumpta anima eius in abysso deitatis et claritatis divinae et sepulta in pelago deitatis et infinitatis divinae in tantum, quod nil creatum vel formatum, nil imaginatorium, nil sensibile vel comprehensibile et huiusmodi est, quod cor vel lingua posset cogitare vel loqui. Et erat absorpta illa anima in illo pelago et abysso deitatis sive forma claritatis ita, quod erat anima ipsa absorpta in abysso deitatis et dilatata sicut gutta vini in latitudine maris, quae, sicut nihil invenit in se nisi mare, sic eius anima nihil videbat, nisi Deum in omnibus et super omnia et infra omnia et extra omnia. Et ibi sensit tres personas in uno Deo et unum Deum in tribus personis, et sensit caritatem illam aeternam, quae fecit Dei Filium incarnari per obedientiam Patris, qua incarnatus est. Et per istam viam incarnationis et passionis Filii Dei meditando et baiulando ac lacrymando ad lumina ineffabilia praedicta pervenit; et dixit, nullam aliam viam esse, qua anima ad Deum posset introire, nisi per Christum, qui est *via, veritas et vita* [2]. Fuerunt etiam sibi ostensa in eadem visione quaecumque facta per Christum fuerunt a casu primi hominis usque ad ingressum Christi in vitam aeternam, qui caput et princeps est electorum, qui ab initio mundi fuerunt, sunt et erunt usque ad finem mundi, sicut annuntiatum est per sanctos prophetas et Dei sanctos et electos [3].

Dum hic frater Ioannes esset in loco Moliani, custodiae Firmanae et provinciae Marchiae, ante matutinum praeventus [est] divina dulcedine adeo, quod post matutinum in silva, ne audiretur a fratribus, voces maximas ex vehementia dulcedinis emittebat, et hoc infra octavam assumptionis Dominae; quam dulcedinem habebat cogitando de verbo consecrationis, scilicet: *Hoc est corpus meum;* qua consideratione illuminatus a Spiritu sancto, apertis oculis mentalibus, videbat Christum cum beata Virgine Maria et multitudine angelorum [et] sanctorum, et intelligebat illud apostoli dictum [4], quomodo omnes *sumus unum corpus in Christo, singuli autem alter alterius membra,* et illud [5]: *Ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quae sit longitudo, latitudo, altitudo, sublimitas et profundum, scire autem supereminentem caritatem Christi,* quod totum (*c*) in isto sacramento reperitur, cum conficitur hoc verbo: *Hoc est corpus*

(*a*) Edd. *humilitate.* — (*b*) As et edd. *visiones.* — (*c*) As et edd. *bonum.*

[1] Cfr. *Actus* c. 54. — [2] Ioan. 14, 6. — [3] Cfr. *Actus* c. 51. — [4] Rom. 12, 5. — [5] Eph. 3, 18 sq.

meum. Hac igitur dulcedine superelfusus, non credens eam intendi, ad celebrandum accessit. Cum praefatione dicta, venisset ad *Qui pridie* (*a*) et ad verba consecrationis, supercrescente dulcedine divina, qua sentiebat divinam praesentiam et multitudinem angelorum et sanctorum, multoties dixit: *Hoc est, hoc est,* sed verba consecrationis explere nequibat. Unde guardianus, fratres et saeculares ad eum iuvandum accesserunt, sed ipso dicente: *Corpus meum,* statim apparuit ei Dominus Iesus Christus benedictus incarnatus et clarificatus, et ostendit ei humilitatem, quae fecit eum incarnari et facit eum quotidie venire in manus sacerdotis. Et talis humilitas fratrem Ioannem sic tenebat in dulcedine et admiratione, ut verba consecrationis perficere nequiret. Visa igitur Domini praesentia, cor eius velut cera liquefactum est, et membris omnibus destitutus cecidit retro, sed a guardiano et aliis, ne caderet, est sustentatus, et ipsum fratres et saeculares tanquam mortuum in sacristiam detulerunt; erat enim cor eius frigefactum tanquam hominis mortui, et digiti contracti, ut moveri non possent; et sic iacuit exanimis a mane usque ad tertiam (*b*) tempore aestivo, nec perficere potuit missam. Hoc cuidam suo fratri secretario revelavit [1].

Vice alia celebrando, hostia consecrata, apparuit ei Christus cum pulcherrima barba, et indutus veste rubea, qui dedit sibi tantam consolationem et laetitiam utriusque hominis, quod, nisi quia remansit sibi intellectus, fuisset in ecstasi tractus; et in ipsa visione certificatus fuit, quod propter illam missam placatus fuit Deus pro toto mundo, et maxime pro suis recommendatis.

Parum ante mortem vidit Dominum Iesum Christum in humana figura ita despectum et vilem, quod non posset homo aliquis tantum vilificari; quem cum admiratione interrogavit dicens: « O Deus meus omnipotens, quid est hoc, quod tam vilis et despectus appares »? Et Christus respondens ait: « Scias, quod non videor tibi ita despectus et vilis, sicut sum hodie in cordibus christianorum ». Et tunc in praesentia Salvatoris est raptus, et Christus disparuit.

Rapiebatur hic sanctus frequenter in Deum, sicut manus adustione est pluries comprobatum; et cum a fratre interrogaretur quodam, si praedicationes raptum eius impedissent, respondit dicens: « Carissime, per septem annos habui continuam gratiam lacrymarum et raptus non raros, et illo tempore fuit gratia Dei super animam meam. Profecto Deus postea mutavit gradum in anima et adeo proposuit animam super gratiam, quod, quandocumque ipsa vult affluentiam lacrymarum usque ad defectum cordis et desiderat raptum, habet; et est status iste sublimior, quia tunc nec raptum nec lacrymas occultare poteram, nunc autem possum ».

De spiritu prophetiae.

Sanctus iste non solum Dei magna agnovit, sed spiritum propheticum in cordis (*c*) agnitione habuit. Nam, cum ipse haberet auctoritatem a generali ministro absolvendi fratres, qui eidem confiterentur, at si ipsi fratres (*d*) ad montem Alvernae accedentes inducebat ad sibi confitendum, et eis si omittebant aliquid, statim dixit: « Tu omisisti (*e*) tale peccatum », et sic esse illi asserebant. Uni fratri dixit quoddam peccatum oc-

(*a*) Codex om. *Qui*. — (*b*) As et edd. addunt *et ultra*. — (*c*) As et edd. *Dei*. — (*d*) Edd. om. *at si ipsi*. — (*e*) As et edd. *commisisti*.

[1] Cfr. *Actus* c. 52.

cultum, de quo frater habuit dicere, quod ipsum peccatum commiserat, antequam frater Ioannes esset natus in mundo [1].

Dum hic frater Ioannes in commemoratione omnium defunctorum missam celebraret, et corpus Domini levando ipsum pro animabus defunctorum Deo Patri offerret, vidit infinitas animas de purgatorio egredi, quasi multitudinem scintillarum de ignita fornace prodeuntium, et illas vidit ad caelestia evolantes ob merita Christi, qui in cruce pro humana salute pependit, qui quotidie in sacratissima hostia offertur pro vivis et mortuis [2].

A diabolo hic sanctus perturbatus fuit; nam in monte Alvernae orando et contemplando vidit totum aerem et terram multitudine daemonum plenam. Tunc frater Ioannes hoc videns, baculo accepto et percutiens eos, de toto illo monte effugavit. Alia vice vidit in visione infinitam multitudinem daemonum contra fratres sagittas immittentes: aliquae resultabant (*a*) contra daemones immittentes, et daemones cum stridoribus fugiebant; aliquae tangendo fratres statim cadebant; aliquae intrabant cum toto ferro et remanebant; aliquae intrabant et totum corpus ad aliam partem penetrabant; quod videns frater Ioannes in lumine divino, quo fuit radiatus, intellexit dictorum fratrum statum.

Semel, dum oraret, vidit fratrem quendam carpentarium a daemonibus extra ordinem duci; qui surgens ab oratione perrexit ad fratrem et accipiens eum per tunicam dixit ei: « O frater mi, quid agere tu vis »? Et revelatione ei patefacta, cum sanctis verbis [eum] retinuit, et in ordine finivit.

Et quia pro sua sanctitate ab omnibus honorabatur, semel volens honores huiusmodi evitare secrete de Senis recessit et ivit Columbanum (*b*), ut nullus hoc sciret; sed, dum staret ibidem et oraret, visa est columna ignea a summo caelo descendere et super eius cellam residere a colentibus terras vicinas; propter quod miraculum a populo coepit frequentari, unde hac de causa ab inde (*c*) recessit.

Suum obitum praescivit, et fratribus dixit: « Modicum temporis vobiscum ero ». Sed ad mortem veniens primo faciem terribilem ostendit ita, quod omnes adstantes timuerunt valde; sed illico serenatus angelica facie in fratres respexit, et cum a fratre Ioanne de Septimo (*d*) de Pisis, qui aderat, interrogatus, quid vidisset, respondit: « Si dicerem, quid viderim, vos non intelligeretis me; sed unum scitote, quod, qui vult aeternam adipisci salutem, soli Christo crucifixo ardenter inhaereat in (*e*) effectu »; et his dictis, perrexit ad Dominum.

Hic per quinquaginta annos fuit in ordine. In festo sanctae Mariae ad Nives, cum missam celebrasset et cum fratribus comedisset, post prandium arreptus a febribus et in vigilia sancti Laurentii, cuius erat devotus, omnibus sacramentis susceptis, fratres dulciter alloquendo ad Dominum migravit, sicut cuidam sibi familiari est ostensum, 1322 (*f*) anno.

Alii sancti fratres multi in dicto loco iacent, scilicet montis Alvernae.

Locus de Puppio.

In Puppio iacet frater Iacobus Barletanus. Cui Christus apparens in silva certificavit eum de remissione peccatorum suorum, quam semper optaverat; in cuius

(*a*) Edd. *insultabant*. — (*b*) In As correctum *Columbarium*; est Colombaio. — (*c*) As *non inde*. — (*d*) *Chron. 24 gen.* pag. 446 *Septimio*. — (*e*) Edd. *cum*. — (*f*) As *1312*.

[1] Cfr. *Actus* c. 58. — [2] Cfr. *Actus* c. 56.

signum Christus posuit manus dicti fratris intra suas manus; et ex tunc tantum odorem sensit in suis manibus, quod omnium odorum fragrantiam excederet, et multo tempore post ob eius reverentiam sibi manus non lavit; sed die quadam duobus fratribus ad ipsum venientibus, cum vellet cum ipsis comedere, vocatus ad mensam, non recordatus lavit sibi manus et ex tunc non sensit odorem; de quo in tota vita sua ploravit et doluit.

Locus Montis Ilcini.

In Monte Ilcino [1] iacet sanctus frater Philippus laicus, qui multa fecit miracula. Et inter alia, cum de loco Columbarii, in quo decessit, corpus eius ad Montem Ilcinum deduceretur, inundante pluvia, nec una gutta feretrum tetigit, nec sui corporis portitores. De isto sancto fratre fit memoria celebris in dicto castro, in sanctorum Philippi et Iacobi festo [2].

Locus Montis Politiani.

In Monte Politiano iacet frater Bartholomaeus Puccii Francisci, qui uxorem, filios et omnia relinquens factus est frater Minor devotissimus et sanctus, et post mortem miraculis claruit.

Locus Columbarii.

In loco de Columbario iacet frater Guido de Bolsena, vir sanctus. Hic, dum esset novitius Senis et cum socio suo novitio, scilicet fratre Nuno (*a*) Altimanni, in horto loqueretur de Deo, Iesus in specie pueri in medio eorum apparuit et stetit cum eis a post nonam statim usque ad horam vesperorum, prout vidit frater Petrus Pectinarius de tertio ordine [3]. Huic fratri Guidoni a Deo revelatum fuit de secta fraticellorum, quae exsurgere in ordine debebat, sicut praedixit fratri Iacobo de Monte Ilano (*b*) servitori suo monendo, quod se ab his elongaret, sicut ab inimicis Christi. Huic fratri quidam gattus omni die capiendo aviculam portavit, quam dictus frater Iacobus eidem parabat ad comedendum; et mortuo dicto fratre Guidone, gattus ad eius pedes mortuus est [4].

Locus Cortonae.

In Cortona in plebe iacet sanctus frater Guido, qui fuit de sociis beati Francisci, qui mortuus in loco antiquo de Cortonio, qui dicitur Celle beati Francisci, et miraculis coruscaret, a populo ad civitatem deductus, et quia ibi non erat tunc locus fratrum, in plebe honorifice est sepultus [5].

De fratre Rolandino de Florentia.

De provincia Tusciae, videlicet de Florentia, fuit quidam sanctus frater nomine Rolandinus; sed ubi sit sepultus, non reperi. Hic frater dum die quadam ad orandum ecclesiam intrasset, subito, dum orationis prolixitas tenderetur, apparuit quidam

(*a*) Edd. *Mino*. — (*b*) As et edd. *Ilcino*.

[1] Montalcino. — [2] Cfr. *Acta SS.*, t. III apr. pag. 404-406. — [3] B. Petrus Senensis, de quo infra. — [4] Cfr. Wadd. ad 1290 n. XV. — [5] Cfr. *Acta SS.*, t. II iunii pag. 602-604.

solis radius super altare descendens, et vidit puerum in radio memorato super altare stantem mira pulchritudine decoratum, qui coronam auream manu tenens (*a*), alteram quoque sibi similem gemmatam capite gerebat, vocavitque fratrem ex nomine dicens: « Frater Rolandine, perseverare stude finaliter in negotio, quod coepisti; quia corona haec, quam manu teneo, tibi est praeparata »; et statim disparuit. Frater vero Rolandinus, quae viderat, cuidam fratri sacerdoti retulit, qui, visione intellecta, ipsum ad boni perseverantiam confortavit et de promissione facta docuit non altum sapere sed timere [1].

De fratre Francisco de Maleficiis.

De Florentia frater Franciscus fuit, de Maleficiis nuncupatus, homo devotus et paupertatis ac regulae suae zelator. Qui, etsi in Corsicae insula sit humatus, circa ipsum Deus in monte sacro Alvernae miraculum magnum demonstravit; nam, cum staret Alvernae et fratribus forensibus loca, in quibus beatus Franciscus steterat, ostenderet, et iuxta praecipitium maximum supra hortum in planitie positum dum staret talia ostendendo et incaute (*b*), cecidit et de scropulo in scropulum caput, membra, pectus et renes percutiendo, dum putaretur a fratribus comminutus totaliter, nulla laesione notatum fratres, qui ad excipiendum eius corpus ut mortuum descenderant, invenerunt; de quo fratres omnes sunt stupefacti.

De fratre Ioanne de Florentia.

De Florentia fuit etiam sanctus frater Ioannes Parens, primus generalis ordinis post mortem beati Francisci [2]. Qui, cum esset iudex et in Civitate Castellana staret ad suae domus fenestram, contigit, ut grex porcorum adesset; et cum nullo modo Civitatem Castellanam vellent intrare, edoctus pastor a quodam, ut diceret porcis: « Intrate, porci, Civitatem Castellanam, sicut iudices infernum », et cum fortiter illud pastor dixisset, statim porci sine rebellione dictam introierunt civitatem. Quo verbo audito et miro viso, statim deserens mundum factus est frater Minor, vita et sanctitate mirabilis. Propter quae electus est post mortem beati Francisci primus in ministrum generalem.

Hic missus [est] a papa Gregorio, ut discordantes Romanos ad subiectionem et reverentiam ecclesiae Romanae reduceret. Quibus rebelli animo persistentibus dixit, quod Deus ipsos in brevi puniret fluminis inundatione, et sic fuit; nam Tiberis in tantum crevit, quod multos in propriis domibus necavit et urbem quasi destruxit; propter quod miraculum Romani ad obedientiam domini papae devenerunt.

Multi alii notabiles fratres fuerunt de Tuscia, quorum notitia obliterata habetur negligentia fratrum et pravitate (*c*).

DE PROVINCIA BONONIAE.

In provincia Bononiae, in loco de BONONIA, iacet frater Nicolaus; qui, dum adhuc viveret, mortuum, dum ad sepulturam ferretur, dicitur suscitasse; idemque novos oculos cuidam, a quo erant oculi eruti, comprobatur reddidisse [3].

(*a*) As et edd. *gestans.* — (*b*) Edd. *in caritate.* — (*c*) As et edd. om. *et pravitate.*

[1] Idem *Dialogus* pag. 111. — [2] Cfr. *Chron. 24 gen.* pag. 210 sqq. — [3] Ita Bessa c. 1 (l. c. pag. 669); cfr. *Cat. S. Fr. Min.* pag. 16.

De fratre Bonizo.

Iacet ibidem et in eodem sepulchro cum fratre Nicolao praedicto frater Bonizus, homo sanctissimus. Hic frater Bonizus in monte Polumbarum fuit cum beato Francisco, quando fecit regulam, quam habemus, et Christum audivit loquentem et dicentem (*a*) ministris pluribus ibidem congregatis, quod regulam ipsam ipse fecerat et volebat, eam ad litteram sine glossa intelligi et servari, ut dicetur fructu et conformitate sequenti. Huic fratri Bonizo post suam mortem apparens beatus Franciscus cum habitu aureo et gloriosus, et sua stigmata plus quam sol lucentia sibi ostendit, osculanda et contrectanda concessit.

Iacet ibidem frater Matthaeus de Faventia, qui in vita et morte et post miracula est operatus et adhuc facit.

Iacet ibidem frater Guido de Spatis magnus praedicator Crucifixi et passionis. Hic mira multa in vita fecit, et nunc etiam sua sanctitas miraculis praeclaris Bononiensibus et aliis innotescit.

Iacet ibidem quidam sanctus laicus frater Gulielmus de Cortimilio, vitae sanctissimae et miraculis praeclarus.

De fratre Gerardo.

In MUTINA iacet frater Gerardus magnus praedicator [1]. Hic, dum Venetiis in vigilia festi beati Francisci de beato Francisco populo praedicaret et altissima de ipso loqueretur, quidam civis ob hoc commotus, etsi devotus esset beati Francisci et festum eius ageret, a praedicatione recedens, dum domum rediisset, statim somno opprimitur; qui ad lectum pergens, statim fuit sopitus et visionem habuit de beato Francisco singularem [2]. Nam raptus in caelum videbat Christum, beatam Mariam et omnes ordines sanctorum angelorum et sanctorum, et processionaliter ibant omnes, et Christo ac Matri reverentiam exhibebant. Sed cum beatum Franciscum non videret, angelo ipsum ducenti dixit ipse civis: « Ubi est beatus Franciscus, de quo frater Gerardus tam alta dixit »? Et angelus respondit: « Exspecta, et videbis beatum Franciscum cum suis, in quo loco et quem statum habebis (*b*) ». Et vidit, quod Christus elevavit brachium dextrum, et de ipsius vulnere laterali exibat beatus Franciscus singulari gloria decoratus, cum vexillo crucis explicato in manibus, et post ipsum maxima multitudo fratrum et aliorum sequebatur gloriosissime decorati; et tunc dixit angelus sibi: « Beatus Franciscus, quia semper passionem Christi fuit meditatus cum suis, ideo cum Christo stat et residet, prout cernis ». Et viso hoc, statim civis ille a somno surgens, ad locum fratrum veniens, invenit adhuc fratrem Gerardum praedicantem; cui et aliis post praedicationem narrans cuncta, quae viderat, de bonis suis ob reverentiam beati Francisci fecit et dotavit (*c*) locum sancti Francisci de contrata Venetiis; et demum renuntians mundo factus est frater Minor et filius beati Francisci. Hic frater Gerardus signis claruit (*d*).

(*a*) Codex *dixit*. — (*b*) As et edd. *habet*. — (*c*) As *donavit*. — (*d*) As et edd. om. *Hic—claruit*.

[1] Cfr. Salimbene, *Chron.* pag. 36. — [2] Pisanus ipse quae sequuntur exhibet ut somnium.

In ARIMINO iacet frater Ioannes Barontii, qui signis claret et claruit.

In dicto loco iacet istis temporibus frater Andreas, dulcis frater et bonus, qui, ut dicunt fratres, signis claret et miraculis.

DE PROVINCIA PADUAE SIVE B. ANTONII.

In Provincia Paduana sive beati Antonii iacent infrascripti sancti fratres.

De sancto Antonio de Padua.

In Padua iacet sanctissimus frater Antonius, quem papa Gregorius IX eodem anno, quo mortuus est, scilicet anno Domini 1233 (*a*), die 13 Iunii, catalogo sanctorum adscripsit. Huius sanctissimi viri vita succincte ponenda est propter prolixitatem vitandam [1].

Hic, natione Hispanus, de regno Portugalliae et civitate Ulisbona exstitit oriundus, clarus parentibus. Litteris in ecclesia beatae Mariae imbuitur, et cum ad annos puberes deveniret, et praeter solitum se motibus illicitis sentiens perurgeri, spretis studiis, carnis illecebris et parentibus, ad quoddam monasterium ordinis sancti Augustini pergens factus est canonicus regularis. Et quia importune a suis visitabatur parentibus, hac de causa ab inde secedens, ad sanctae Crucis de Colimbria aliud eiusdem ordinis convolavit monasterium; quo in loco exsistens primo virtutibus, demum sacrae scripturae suum studium coaptavit.

Dum ibidem vir Dei maneret, in Marrochio quinque fratres Minores, a beato Francisco missi illuc ob fidem praedicandam, a rege Marrochiorum martyrio glorioso coronantur. Quorum venerandas reliquias [cum in Hispaniam detulisset] dominus Petrus infans, germanus regis Portugalliae, dum ipsorum meritis a manibus dicti regis Marrochiorum, apud quem ob metum fratris sui regis manebat, se praedicat liberatum et dictorum fratrum (*b*) celebrem passionem, ad aures beati Antonii pervenit; quod ut percepit, zelo fidei et martyrii succensus optat praefatis martyribus sicut iungi consortio, sic et habitu, ut ad praefata perveniat. Unde die quadam fratribus Minoribus ad suum divertendo monasterium, data per ipsos fiducia eidem, quod cum ad terram saracenorum dirigerent, habitum ordinis Minorum, habita prius a suo priore de hoc licentia, eum induentes, factus est frater Minor. Directus iuxta promissum, ad partes infidelium ut pergeret, diutino languore torrens (*c*), ad partes fidelium pro sanitate recuperanda coactus est redire; et dum ad solum nativum intenderet redire, versus Hispaniam navigando, ventis secundis non flantibus, devenit ad Siciliam. Unde, cum generale capitulum apud Assisium instaret de proximo celebrandum, beatus An-

(*a*) Ita falso Codex, As, edd.; sanctus Antonius obiit 1231. — (*b*) As et edd. addunt *reliquiis portatis*. — (*c*) As et edd. *correptus*.

[1] Pisanus hic saepe sequitur *Legendam primam* (« Assidua fratrum »; ed. praeter alios Kerval, *S. Ant. de P. Vitae duae*, in « Collection d'études et de documents » t. V, Paris 1904), quam succincte et aliquando ad verbum exhibet; quandoque (ex. gr. « ventis secundis non flantibus ») convenit *Vitae auctore anonymo valde antiquo* (« In Hispaniis »; apud *Acta SS.*, t. II iunii pag. 705 sqq.); alia eodem fere modo referunt *Actus S. Francisci* et *Liber miraculorum* (*Acta SS.* l. c. et *Chron. 24 gen.* pag. 121 sqq.); nonnulla ex traditione orali Pisanus se accepisse testatur. Prout suis locis indicabimus, pluries a reliquis auctoribus discrepat. Cfr. Kerval l. c. pag. 262-266.

tonius debilis, infirmus (*a*) illuc perrexit; atque per generalem ministrum ad Romandiolae transmissus provinciam, in eremo Montis Pauli vitam solitariam cum summa abstinentia (*b*) per tempus conduxit; humilitatis officiis prae omnibus occupatus, scilicet in serviendo fratribus et lavandis paropsidibus et utensilibus coquinae. Et licet hic sanctus sic deditus esset humilitatis officiis, nec suam scientiam ostenderet fratribus, etsi aliquando litteraliter quaedam verba exprimeret, sed ipsam omnino supprimere studeret, Deo tamen placuit ad notitiam aliorum hoc modo venire. Cum enim ad ordines sacros suscipiendos perrexisset Forumlivium cum fratribus, essetque consuetudo, quod ordinandis verbum Dei proponeretur, et super hoc tam de ordine Minorum quam Praedicatorum plures essent requisiti, qui omnes de impraeparatione se excusantes, tandem Antonius est requisitus, qui satis renitens (*c*) ultimo tamen acquievit; ac verbum Dei proponens cum tanta maturitate et scientiae profunditate praedicavit, quod omnes audientes in stuporem convertit. Comperto hoc a fratribus, impositum est ipsi praedicationis onus et officium. Ex tunc enim totum se dedit ad opus praedicationis exercendum; unde ex tunc civitates coepit circuire et castra et audacter verbum Dei proponere. Etsi eius verba essent divinae sapientiae sale et discretione condita, vitia tamen reprehendebat audacter, nulli adulando, nec aliquem formidando.

Sed quales fructus beati Antonii praedicatio fecerit, aliqua dicam, quae audivi a quampluribus.

In civitate enim dum esset hic sanctus Arimini, ubi tunc magna erat turma haereticorum, dum praedictos sua praedicatione cum testimoniis scripturae optaret reducere ad fidem veram, sed illi obstinatione duriores effecti lapidibus, nec eius verbis acquiescere, nec praedicationem eius audire voluerunt. Quod vir Dei Antonius cernens ad os fluminis iuxta mare perrexit; post quem haeretici abierunt, quid ageret, scire volentes. Ubi dum esset sanctus Antonius et stans super ripam, quae mari appropinquabat, pisces ex parte Dei coepit ad se vocare, ut suam praedicationem, quam ipsi haeretici audire nolebant, pisces ipsi attenderent; et [ecce] statim ante sanctum Antonium tanta magnorum et parvorum piscium multitudo accessit, quanta nunquam simul in partibus illis visa fuit, et omnes tenebant caput aliquantulum extra aquam. Stabant pisces maiores cum minoribus in magna pace, distincti tamen diversarum specierum et colorum varietate, et quilibet suis stabant in locis; maiores in loco profundiori, mediocres, ubi aquarum non erat tanta profunditas, parvi vero iuxta beatum Antonium propinquiores adstabant. Quibus sic dispositis, beatus Antonius incepit eis praedicare dicens, quod gratias Creatori suo reddere debebant, quia locum dedit eis clarum et diaphanum, benedixit eis in creatione (*d*), conservavit in diluvio, escas dedit et libertatem accedendi, quo vellent, eis Ionam ad conservandum dedit, staterem Dominus ad solvendum tributum ex eis accepit, et post resurrectionem eos in cibum assumpsit. Praedicante beato Antonio et praefata dicente, aliqui pisces emittebant vocem, alii aperiebant ora et submittebant capita ostendentes, se laudare Creatorem (*e*), ut poterant; et quanto magis beatus Antonius praedicabat, tanto maior copia piscium ad ipsum confluebat. Quae cernens beatus Antonius voce magna clamavit dicens: « Benedictus Deus aeternus, quem magis honorant pisces aquatici

(*a*) As et edd. addunt *ut potuit.* — (*b*) As et edd. om. *cum summa abstinentia.* — (*c*) As et edd. *renuens.* — (*d*) Codex *Creatore.* — (*e*) As et edd. *Altissimum.*

quam homines haeretici ». Et quia ad dictum spectaculum concurrerat totus populus civitatis et ipsi haeretici, videntes tantum miraculum haeretici, dimissa infidelitate, ad eius pedes se posuerunt; quibus tam catholice praedicavit, quod omnes ad fidem convertit; pisces vero a beato Antonio licentiati laetantes cum mirandis lusibus (*a*) recesserunt [1].

In dicta civitate Arimini quidam haereticus, Bonellus nomine, erat, qui dixit, hostiam consecratam non esse corpus Domini, et quod faceret a sua asina comedi, quam assuefecerat ad hostias comedendum. Quod beatus Antonius audiens missam celebravit, hostiam consecratam asinae detulit et ostendit; statim asina genuflexit et capite inclinato reverentiam exhibuit. Quod videns haereticus praedictus, infidelitate dimissa, verus est factus catholicus [2].

Cum semel beatus Antonius in consistorio coram papa praedicaret et cardinalibus, ubi erant graeci et latini, francigenae et teutonici, sclavi, anglici et multi alii diversarum linguarum et aliorum idiomatum, sancto Spiritu inflammatus et lingua apostolica eructans de Deo melliflua, omnes in dicto consistorio exsistentes, etsi lingua loqueretur hispanica et propria, cum intellexerunt, admiratione summa dicentes omnes: « Nonne iste Hispanus est? Et quomodo per eum audivimus unusquisque linguam propriam, in qua nati sumus »? Sed et summus pontifex stupens ad tam profunda de scripturis a beato Antonio prolata dixit: « Vere, iste est arca testamenti et divinarum armarium litterarum [3] ».

Dum beatus Antonius mundum circumeundo ob praedicationem, factus custos Lemovicensis, ad civitatem Bituricensem venisset, ac cum quadam die populo praedicaret, in tanta multitudine populus convenit, quod in nullo loco civitatis inventus est locus, ubi tanta consisteret multitudo. Unde canonici civitatis processionaliter civitatem exeuntes cum populo ad quoddam pratum latissimum perrexerunt, ubi beatus Antonius praedicaret; et hoc fuit tempore aestivo. Qui dum praedicaret, volens Deus ostendere sanctitatem beati Antonii, subito ventus surrexit et tempestas valida adeo, quod omnes inceperunt timere tam de pluvia futura, quam de coruscationibus et tonitruis, et sic coeperunt surgere et velle abire. Quod cernens beatus Antonius dixit eis: « Ego pro parte Domini nostri Iesu Christi vobis dico, quod nullus vestrum aliquid mali habebit, nec gutta aquae super aliquem vel aliquam descendet; stetis firmi, ne timeatis »; qui verbis eius fidem dantes immobiles ad audiendam praedicationem steterunt. Et cum pluvia grandine grossissima descendisset super terram circa audientes, nec grando nec pluvia nec aliud descendit super locum, in quo erant audientes, cum tamen grando ex nimietate ad altitudinem magnam ut murus omnem locum ambisset. Quo viso miraculo, cuncti Deo gratias reddiderunt, beatum Antonium

(*a*) As et edd. *ludis*.

[1] Idem fere *Liber miraculorum* pag. 122 et *Actus* c. 49. Cfr. I. Rigauld, *Vie de S. Antoine de Padoue* (ed. P. Ferd. d'Araules, O. F. M., Bordeaux 1899) pag. 88, qui « prope Paduam » accidisse refert, et legendam Florentinam (« Antonius in civitate », ed. P. Leon. Lemmens O. F. M. in *Römische Quartalschrift,* 1902) pag. 411. — [2] *Legenda prima* pag. 41 conversionem Bonilli Arimini refert absque adiunctis; Rigauld pag. 90 easdem narrat circumstantias, neglectis loco et nomine; legenda « Benignitas » (ed. Kerval l. c.) pag. 221 et *Liber miraculorum* pag. 123 factum esse dicunt « in partibus Tolosanis ». — [3] Idem *Actus* c. 48; alia quaedam addunt manuscriptum Lucernense *Legendae primae* (scriptum c. 1337; cfr. Kerval l. c. pag. 115 sqq.) et leg. « Benignitas » l. c. pag. 223.

in summa devotione deinceps habentes. Et hoc miraculum, sicuti fuit, sculptum est in lapide in frontispitio ecclesiae maioris Bituricensis, sicut ego a fratre habui, qui vidit et istud miraculum mihi retulit [1].

In civitate de Podio regni Franciae, quae ob multa mira in ipsa facta per beatum Antonium, ad ipsum sanctum speciali devotione afficitur, beatus Antonius, dum esset guardianus et praedicaret, post se omnes ad praedicationem trahebat. Unde quaedam domina praedicatione eius tracta post ipsum ibat et quae sunt domus, non exercebat; quod vir eius perpendens eam reprehendit et ad praedicationem ire prohibuit. Unde die quadam beato Antonio praedicante (*a*), dicta domina virum suum dum rogasset, ut ad praedicationem eam accedere permitteret, et ille nollet, summitatem domus ipsa ascendit et, divina faciente virtute, praedicationem coepit audire beati Antonii, acsi esset praesens; et cum interrogaretur a viro, quid ageret, respondit: « Ego beati Antonii praedicationem audio, acsi adessem »; et cum ille insanam diceret uxorem, rogatu uxoris ascendit et ita coepit praedicationem audire, acsi praesentialiter adesset. Quo miraculo viso, et beati Antonii devotus exstitit et praedicationem eius ipse nunquam dimisit [2].

Cum beatus Antonius prope sex milliaria a civitate de Podio ad quendam locum ad praedicandum ivisset, et facta praedicatione, de vino et aliis fuit sibi transmissum; sed quaedam mulier, cum gustasset vinum beato Antonio missum, et sibi non apparuisset bonum, concite ad domum suam pergens et hauriens de meliori vino, tam fuit sollicita in deferendo vinum, quod claudere (*b*) vegetem fuit oblita et sipulum ipsum in manu portavit; et veniens ad beatum Antonium sibi suum obtulit vinum. Et cum staret cum beato Antonio, respiciens manum, videns sipulum, recordata est, quod vegetem non clausisset; statimque ad domum reversa invenit totum cellarium plenum vino effuso; sed confidens in beati Antonii meritis in cannam misit sipulum, et subito veges fuit repleta adeo, ut desuper vinum efflueret; quod meritis beati Antonii, cui vinum dederat, esse factum nullatenus dubitavit [3].

In civitate Lemovicensi, dum esset custos beatus Antonius, et in nocte dominicae Nativitatis in principio primae missae deberet praedicare in ecclesia cathedrali, et nonam lectionem ipse diceret in conventu fratrum, recordatus, quomodo tali hora praedicare deberet, rogavit Dominum, quod sua virtute suppleret, quod humana fieri non poterat; tunc ipso stante cum lanterna in manu, ipso tamen nihil dicente, in ecclesia cathedrali ascendendo pulpitum praedicavit [4].

Semel in quadam ecclesia beato Antonio in quadam solemnitate praedicante, et ibi adesset quaedam mulier nobilior de contrata, diabolus volens beati Antonii praedicationem impedire et dictam dominam, in specie cursoris se fingens ad ipsam cum

(*a*) Codex *beatus Antonius praedicans*. — (*b*) As et edd. *obturare*.

[1] Rigauld pag. 94 et *Liber miraculorum* pag. 129 illud Lemovicis accidisse referunt in « fovea de arenis ». — [2] Sec. manus. Lucern. l. c. pag. 119 et leg. « Benignitas » pag. 227, fuit « mulier Paduana »; *Liber miraculorum* pag. 137 non indicat locum facti. — [3] Leg. Florentina pag. 411, Rigauld pag. 50 et *Liber miraculorum* pag. 136 factum simile cum aliis circumstantiis referunt. — [4] Rigauld pag. 44 et *Liber miraculorum* pag. 125 idem « in Septimana sancta in nocte Coenae » accidisse dicunt, legenda Florentina pag. 411 « in Parasceve »; praeterea omnes tres permutato ordine dicunt, S. Antonium in ecclesia praedicationem interrupisse, ut lectionem apud fratres diceret.

litteris ivit dicens, filium suum ab inimicis captum et mortuum. Tunc beatus Antonius, qui aure corporis nihil audiverat, dixit coram omnibus: « Ne timeas, quia filius tuus sanus est et vivit; et iste cursor diabolus est »; et statim diabolus ab oculis omnium ut fumus evanuit [1].

Hic beatus Antonius in funere cuiusdam praedicans usurarii proposuit pro themate illud: *Ubi est thesaurus tuus, ibi erit et cor tuum* [2]; et dixit: « Mortuus est hic dives, et sepultus est in inferno [3] »; et addidit dicens parentibus, ipso sepulto: « Ite ad thesauros eius, et in medio eorum cor eius invenietis, eo quod non remansit in corpore »; et sic facientes cor adhuc calidum invenerunt in medio denariorum [4].

In praedicatione beati Antonii quidam adeo compunctus fuit, quod, dum vellet sancto Antonio sua confiteri peccata, prae gemitu nullum poterat exprimere verbum; cui cum sanctus Antonius diceret, quod ea scriberet et sibi daret, quod et fecit; et cum sancto Antonio daret, meritis beati Antonii et cordialis contritionis totam scripturam invenit deletam, acsi nihil in ea aliquando scriptum fuisset [5].

In Lombardia beatus Antonius praedicans iuxta fluvium, et haeretici eius praedicationem nollent audire, ad fluvium pergens mandavit piscibus, ut capite posito extra aquam immobiles stando eius praedicationem audirent, quod et fecerunt; ad quod miraculum multi sunt ad fidem conversi [6].

Postquam sanctus frater Antonius plures provincias et loca illustraverat, factus est per generalem ministrum in capitulo generali Assisii, quando beati Francisci reliquiae sunt translatae, praedicator et lector generalis [7]; fuit enim lector Tolosanus (*a*), Bononiae et Paduae.

Ad civitatem Paduae tandem devenit, Deo duce. Qui zelo ferventissimo incipiens praedicare, divina faciente gratia, tantus erat concursus civium et aliorum de civitatibus propinquis, castris et villis, ut ambitus ecclesiarum eos capere non valerent; unde ad latissima pratorum spatia ob hoc sanctus Antonius praedicaturus ibat. Et homines cum et mulieres audiebant libenter, ut noctis tempore surgentes mutuis cursibus ad capiendum loca contenderent se invicem praevenire. Cuius praedicatione discordantes ad pacem reducebantur, captivati dimittebantur, usurae restituebantur et spoliata, meretrices convertebantur ad Deum; sic et omni genere flagitiorum detenti ad poenitentiam confluebant. Nec ipse sanctus, nec fratres Minores et sacerdotes alii saeculares, qui ipsum comitabantur, ad confessiones audiendas populorum sufficiebant. Multi asserebant a Deo commonitos, ut dictis beati Antonii intenderent.

Ultima quadragesima, quam totam praedicando et confessiones audiendo usque ad sero explevit, etsi corpulentia naturali gravaretur et febre, ob zelum animarum nunquam nec praedicationes dimisit, nec confessiones audire. In cuius quadragesimae initio hostis diabolus fructum animarum volens impedire, cum se sopori dedisset, guttur eius comprimens eum suffocare est conatus; qui nomen Virginis Mariae devote invocans et crucis signum fronti imprimens, et cum vadentem videre optaret, totam cellam lumine divino circumfluxam (*b*) conspexit; quod lumen diabolus non susti-

(*a*) As *Tholosae*. — (*b*) As et edd. *circumfulsam*.

[1] Cfr. *Liber miraculorum* pag. 134. — [2] Matth. 6, 21. — [3] Luc. 16, 22. — [4] Primum hoc refert legenda Florentina pag. 414 (cfr. Kerval l. c. pag. 246). — [5] Idem *Liber miraculorum* pag. 134. — [6] Cfr. supra pag. 265, ubi « in civitate Arimini » factum esse narrat. — [7] Anno 1230.

nens statim aufugit. Non solum beatus Antonius se in praedicatione occupavit, sed ad describendum praedicationum opus se convertit. Nam dominicale fecit pulcherrimum et subtilissimum; sic quadragesimale condidit et festivum [1]; ut etiam post mortem fructum facerent sermones eius, quem, ipso vivente, verbo attulerat Domino Deo.

Beatus Antonius futura praenovit; et quae in longinquis partibus fiebant, divina ei revelatione pandebantur. Quod enim futura praevidit, patuit supra, quando praedixit pluviam non descensuram super populum in civitate Bituricensi; et mulieri dixit filium sanum, quem diabolus mortuum asserebat, ac de corde usurarii inter denarios reperturo. Sed aliud insero, quod a fratre fide digno audivi. In civitate de Podio, de qua supra memoriam feci, beatus Antonius exsistens et officium guardianatus exercens ibidem, in civitate praefata erat quidam notarius totus lubricus et carnalis ac mundanus; cui cum beatus Antonius frequenter obviaret, semper ante eum, caputio extracto, genuflectebat. Quod cernens homo ille et credens, beatum Antonium ad sui agere derisionem, turbabatur et, quantum poterat, beatum Antonium declinabat. Sed una dierum, cum beatus Antonius eidem obvianti praedicta ageret, vir ille scandalizatus dixit ei: « Nisi esset Dei reverentia, ego percuterem te gladio, qui tantam de me agis derisionem; quare, inquit, genuflectis coram me »? Cui beatus Antonius respondit spiritu prophetico radiatus: « Ego Deo meo me offerre martyrem sum, inquit, conatus, sed ipsi non placuit; tu autem, ut mihi Dominus revelavit, martyr eris gloriosus; et te deprecor, quod, dum in agone eris martyrii, memor sis mei ». Ille autem hoc audiens derisit beatum Antonium. Quid plura? Episcopo Podiensi cum multis ad praedicandum saracenis pergente Ierosolymam, iste notarius inspiratus a Deo, venditis omnibus, ivit cum eo. Et cum episcopus tepide de fide diceret saracenis, ter sustinuit ipse notarius; ultimo increpans episcopum, quia non ferventer fidem praedicaret et defensaret, cum fervore nimio Christum coepit saracenis dicere Deum, et Maumeth filium esse diaboli et perditionis; et cum fidem constantissime praedicaret et defensaret, captus a saracenis tribus diebus est poenis afflictus; sed cum, tribus diebus expletis, ad mortem duceretur, revelavit cunctis, sibi sanctum fratrem Antonium praedixisse eum martyrem futurum et hominem esse sanctissimum. Et sic ipso martyrio consummato, socii reversi populo omnia retulerunt; propter quae beatus Antonius in magna est habitus devotione [2].

In Padua beatus Antonius exsistens rem vidit, quam narro a dicto fratre mihi relatam (*a*) [3]. In civitate Ulisbona, de qua ipse sanctus Antonius fuit oriundus, viventibus ipsius beati Antonii parentibus, videlicet patre, matre et fratribus, cum quidam duo cives inimici essent et hostes capitales, contigit, filium puerum unius dictorum de sero ab alio inveniri, qui iuxta parentes beati Antonii habitabat. Quem crudelis homo capiens perductum ad domum statim occidit et in profunda nocte hortum parentum beati Antonii intrans, facta fovea, latenter humavit et abscessit. Et quia puer filius erat personae notabilis, facta inquisitione, repertum est ipsum puerum per contratam, ubi hostis habitabat, transisse; et cum domus hostis esset quaesita cum

(*a*) Codex *revelatam*.

[1] De ipsis infra, ubi de fratribus scientia praeclaris. — [2] *Liber miraculorum* pag. 134 similem prophetiam refert, factam « dominae praegnanti, quod filius, quem portabat, martyr esset futurus ». — [3] Apud auctores citatos non invenimus.

horto, nihil est repertum. Sed inquisita domo cum horto parentum beati Antonii, puer in horto sepultus est inventus; propter quod a iustitiario regis pater cum omnibus de domo detenti sunt, tanquam ipsi puerum occidissent. Quod cum beatus Antonius, etsi esset Paduae, spiritu cognovisset, licentiam a guardiano de sero petens conventum exivit; et cum pergeret de nocte, ad civitatem Ulisbonam divino miraculo est deductus. Et mane intrans civitatem ad iustitiarium pergens rogare eum coepit, ut innoxios a crimine absolveret et dimitteret; sed ille cum nulla ratione id vellet peragere, beatus Antonius puerum mortuum sibi deferri mandavit. Qui adductus, mandavit [sibi], ut surgeret et, an sui parentes eum occidissent, indicaret. Qui a mortuis surgens dixit, beati Antonii parentes immunes esse a sua morte; propter quod absoluti et dimissi sunt. Qui (*b*) cum eisdem beatus Antonius per totam diem stetisset, de sero ab Ulisbona recedens mane Paduae est inventus.

Per hunc Deus plura signa ostendit et fecit. Cum quendam beatus Antonius ad confessionem audisset, qui pede matrem percusserat, et super hoc a sancto Antonio argueretur, dicente illud evangelii [1]: *Si pes tuus scandalizat te, abscide eum*, sed ille non bene verbum intelligens, dum esset domi, arrepto gladio, pedem sibi amputavit, et quia effusione sanguinis et dolore in puncto erat mortis, vocatus sanctus Antonius eum redarguit et, dehumato pede, ad crus suum apponens, crucis signo praemisso, pedem cum crure reunivit et illum liberatum reddidit [2]. Vice alia invitatus ab haereticis assensit (*c*), credens ex hoc ipsos ad viam deducere veritatis. Et cum haeretici ei dicerent: « Evangelium dicit, quod comedas de omni eo, quod apponitur tibi », statim ante eum unum magnum buffonem et horribilem posuerunt. Quod videns beatus Antonius, oculis prius ad caelum levatis, opposuit signum crucis, et statim corpus caponis calidissimum et redolens apparuit, quod videntes, qui aderant, ad fidem conversi omnes de eo comederunt [3].

Fuit etiam beatus Antonius a beato Francisco plurimum dilectus; unde sanctus Franciscus eum episcopum suum vocabat propter reverentiam magnam, quam ad eum habebat [4]. Beatus Antonius post beati Francisci mortem contra fratrem Eliam et sequaces se viriliter opposuit, regulam defensando cum sociis beati Francisci et sancta Clara, quam ille mutare quoad aliqua nitebatur. Et quia beatus Antonius plurimum honorabatur a papa Gregorio et reputabatur, dum beatus Antonius coram fratre Elia domino papae Gregorio diceret, quae frater Elias faciebat, et frater Elias beato Antonio dixisset: « Mentiris », dominus papa ipsum a generalatus officio absolvit [5].

(*a*) Codex *quod*. — (*b*) Codex *asserit*.

[1] Matth. 18, 6. — [2] Idem nonnullis mutatis Rigauld pag. 74; fusius manus. Lucern. l. c. pag. 121 et *Liber miraculorum* pag. 138. — [3] Idem leg. Florentina l. c.; sec. Rigauld pag. 62 et *Liber miraculorum* pag. 124 « cibum veneno plenum et mortiferum coram beato Antonio posuerunt ». — [4] II Cel. 3, 99. — [5] Pisanus cum *Chron. 24 gen.* (pag. 230) aliisque hic plura confundit. *Legenda prima* refert, quod beatus Antonius interfuit capitulo generali anno 1230 celebrato (pag. 43), et quod « urgenti familiari causa minister ordinis servum Dei Antonium ad curiam destinavit » (ib. pag. 42); quae supplet Eccleston pag. 242 narrans, quod « a capitulo [1230] missi sunt ad papam Gregorium pro expositione regulae nuntii solemnes cum ministro generali, scilicet sanctus Antonius » etc.; quam expositionem Gregorius IX dedit bulla « Quo elongati » (die 28 sept. 1230). Qui nuntii « retulerunt etiam papae, quale scandalum fecisset frater Helias » (Eccl. pag. 242); ast frater Elias non fuit praesens, unde nec illo modo a Pisano relato in S. Antonium invehere

Et quia nimis prolixum esset, quae sanctus Antonius peregit in vita sua, singula narrare, qualiter ad gloriae praemium transivit, est dicendum.

Nam beati Antonii mors sua eidem (*a*) denuntiata fuit. Et cum per 15 dies ante cum socio extra Paduam in quodam colle esset, unde amoenam Paduae planitiem cernere poterat. conversus ad socium situm Paduae civitatis commendando dixit, eam decorandam proximo immenso honore; quem honorem ex eius corporis tumulatione accepit, quia in ipsa ultimum Deo tradidit spiritum. Anno enim dominicae incarnationis 1231 13 (*b*) Iunii die, correptus febribus, in loco Celle extra civitatis Paduanae muros in suburbio, confessione facta et absolutione percepta, hymnum beatae Mariae: « O gloriosa Domina », coepit devotissime decantare; moxque luminibus in caelum directis, respiciebat prolixius in excelsis; et cum a fratre quodam interrogaretur, quid cerneret, ait: « Dominum meum Iesum Christum ». Habita unctione extrema et decantatis cum fratribus septem psalmis poenitentialibus, media fere hora spiritu ad se tracto, anima exuta a corpore et in abyssum deitatis absorpta, corpus eius speciem dormientis omnino praeferebat, ac eius membra confecta dum adhuc (*c*) quodam naturali pallore, post transitum in alborem versa, futurae gloriam resurrectionis intuentibus ingerebant. Post cuius obitum vir sanctus coepit maximis signis et miraculis clarere. Nam, eo mortuo, cum fratres propter populum eius mortem occultare vellent, usquequo sepultus esset, pueri parvuli per civitatem Paduanam incedentes clamare coeperunt: « In Cella mortuus est sanctus frater Antonius, mortuus est sanctus frater Antonius ». Ad quorum voces Paduani cives, homines excitati et mulieres, ad locum praefatum perrexerunt, ut quem patrem et doctorem habuerant in vita, nunc post mortem eius patrocinio iuvarentur. Verum, quia controversia fuit de eius corpore, ubi sepeliretur, tandem ministro declarante, quod in loco fratrum erat sepeliendum, cum maximo honore et reverentia eius corpus ad fratrum ecclesiam, quae sancta Maria vocabatur, deducentes in sepulchro divinitus invento [1] eum sepelierunt.

Et quia statim coepit magnis miraculis refulgere, dominus papa Gregorius miracula eius recipienda (*d*) et examinanda mandavit episcopo Paduano, priori Praedicatorum et priori sancti Benedicti. Qui diligenter omnia facientes, signa et miracula ipsi domino papae transmittentes (*e*), dominus papa in civitate Spoleti eodem anno, quo ex hac vita sanctus frater Antonius decesserat, sanctorum catalogo cum magna solemnitate adscripsit. Qua die in civitate Ulisbona, unde ortus fuit beatus Antonius, nova laetitia in omni aetate orta est; nam tam homines quam mulieres omnis status extra domos in plateis et vicis cantabant et psallebant, et campanae omnes totius civitatis sine hominum manibus pulsabantur solemnissime; et admirantes homines et mulieres dixerunt: « Quid est hoc, quod gaudium et tripudium non possumus cohibere? Nunquam

---

(*a*) As et edd. *a Deo.* — (*b*) As *31.* — (*c*) Edd. addunt *tenerentur.* — (*d*) As et edd. *recitanda.* (*e*) As et edd. *transmiserunt.*

---

potuit. Illa potius acciderunt in capitulo generali, quo frater Elias depositus et frater Albertus de Pisis electus fuit, ast non cum sancto Antonio pluribus ante annis mortuo, sed cum fratre Haimone de Faversham, prout diserte refert Eccleston l. c. Confusio ex similitudine nominum *Antonii* et *Aimonis* in manuscripta irrepsisse videtur (cfr. Sabatier, *Examen de la vie de frère Élie du Speculum vitae* in *Opuscules de Critique historique,* fasc. XI pag. 168 not. 1). — [1] Videtur alludere ad legendam, secundum quam « tumulus vel arca per illos martyres sanctissimos Quatuor Coronatos asseritur fabricata »; cfr. Kerval l. c. pag. 144.

in terra ista hoc vidimus, nec tantam in nobis experti sumus iucunditatem. Quod signum est hoc? Aliquam (*a*) significat novitatem ». Postea de Italia venerunt fratres sancti Antonii canonizationem deportantes, et invenerunt, quod illa die et hora in catalogo sanctorum a Christi vicario est adscriptus, quando tantum gaudium Ulisbonae a civibus est peractum [1].

Beatus et sanctus hic frater Antonius plures mortuos suscitavit. Regina Legionis, quae hodie dicitur Castellae, tenuit filiam defunctam tribus diebus contra voluntatem regis et baronum; quae puella undecim erat annorum. Et dixit ipsa regina beato Antonio: « O beate Antoni, ego sum de patria tua, redde mihi filiam meam ». Ad hanc vocem cum fide firma statim puella surrexit, et matrem arguit dicens: « Mater mea, Deus parcat tibi; cum enim essem inter virgines in gloria, tam instanter beatus Antonius ad preces vestras Dominum rogavit, quod me in vitam ad vos remisit, sed unum sciatis, quod Dominus noster mihi promisit, quod non stabo vobiscum nisi per 15 dies; et hoc vobis procuravit beatus Antonius »; et sic evenit [2]. In civitate Ulisbona filius sororis sancti Antonii quinquennis in mari ludens cum pueris, eversa navicula, aliis natantibus, solus ille submersus remansit; mater vero post tres horas accurrens filium mortuum a piscatoribus captum recepit. Sed cum pater vellet eum sepelire, mater non permisit, sed ad beatum Antonium conversa ait: « Frater mi, si extraneis es pius et mirabilis (*b*), nunquid tuae sorori eris crudelis? Esto mihi nunc propitius et filium meum mihi redde; tibi enim promitto, quod in divino servitio eum ordini tuo tradam ». Mirabile dictu! Statim puer surrexit incolumis atque sanus, acsi nunquam mali aliquid habuisset. Et matre votum implente, puer frater Minor factus usque ad finem in ordine laudabiliter vixit [3]. In comitatu Paduae filiam cuiusdam mulieris submersam (*c*) in aqua, facto voto ad beatum Antonium a matre, si filiam suscitabat, deportando imaginem de cera ad eius sepulchrum, mox coram omnibus, aqua emissa, calore vitali fota revixit [4]. In civitate Cloneacensi [5] quidam puer, filius Dominicae, submersus in quodam lacu, patre vovente et beatum Antonium invocante pro vita filii, redivivum filium accepit. In Apulia civitate Monopolim iuxta locum fratrum, quidam iuvenis terram fodiens, ripa desuper irruente, est letaliter oppressus; quod mater audiens cum clamore accurrens dixit: « Sancte Antoni, redde mihi filium meum »; cum enim esset effossus, vivus apparuit, sed conquassatus. Et cum a fratribus, qui illuc advenerant, quaereretur, quomodo vixisset, respondit: « Beatus Antonius manus suas posuit super guttur meum »; quod audientes Deo et beato Antonio grates debitas persolverunt [6].

Plures alios mortuos suscitavit; nam quidam frater noster, Parisius nomine, vir veridicus, asseruit, se duodecim mortuos a beato Antonio vidisse suscitatos [7]. Infirmos alios liberavit; nam contractos et aridos decem liberavit; paralyticos et contractos octo; caecos sex, et specialiter, qui se caecum finxerat, cuius cum petiam ab oculis

(*a*) As et edd. *et quam.* — (*b*) Codex *miserabilis.* — (*c*) Edd. *filia submersa.*

[1] Cfr. manuscr. Lucern. l. c. pag. 116 et *Liber miraculorum* pag. 142. — [2] Cfr. *Liber miraculorum* pag. 143. — [3] Primum haec leguntur in legenda Florentina (l. c. pag. 414); cfr. *Liber miraculorum* pag. 145. — [4] *Legenda prima* pag. 104. — [5] Comacchio; cfr. *Legenda prima* pag. 104, ubi *Dominici.* — [6] Cfr. *Dialogus* pag. 21. — [7] Cfr. *Liber miraculorum* pag. 146: « Qualiter decem pueros submersos resuscitavit ».

elevaret, ut sanctum derideret, ambo oculi in pelia extra caput sunt inventi, sed poenitens visum recuperavit ut prius [1]; tres surdos; duos mutos; surdum et mutum per viginti quinque annos unum, qui postea ad custodiam arcae beati Antonii semper stetit; epilenticos quatuor; ciathum (*a*) proiectum pro experientia suae sanctitatis incolumem conservavit [2]; clericum sancto detrahentem percussit, sed voto facto per matrem liberavit [3]; naufragos (*b*) liberavit; mulierem se ad aquam proiicientem cum invocatione beati Antonii, quia vir eius nolebat (*c*) eam ducere ad sanctum Iacobum, a suffocatione et balneatione omnino pannorum praeservavit [4]; panicum a passeribus, invocatus a quadam domina simplici, custodivit [5]; quendam puerum habentem inflaturam in collo bis liberavit, matre vovente primo, sed non perficiente, et post vovente et perficiente [6]; quandam puellam filiam cuiusdam militis atrociter infirmitate lapidis aggravatam, voto emisso a puellae matre, lapillum quendam puella (*d*) statim proiecit, et deinceps nullam dictae aegritudinis pertulit laesionem [7].

Multa etiam mira fecit et facit continue. Nam quendam fratrem vidi Paduae, dum essem lector, habentem novitiorum curam, quem beatus Antonius totaliter contractum ita, quod manibus ambularet, liberavit. Quidam miles de Brixia captus a domino Barnabove (*e*) de Vicecomitibus [8] in crastino decapitandus, voto facto beato Antonio, eum a carcere (*f*) beatus Antonius extraxit et in loco tuto extra dominium praedicti domini collocavit; qui Paduam veniens pallium pro altari beati Antonii fecit valoris quingentorum ducatorum (*g*); sed post, cum vellet frater fieri, sed retentis quibusdam denariis, fratres noluerunt eum recipere; unde post factus est frater Praedicator.

Cardinalis Bononiensis (*h*) de Francia, dominus Guido episcopus Portuensis, a morte per beatum Antonium liberatus, apostolicus in Italia legatus, ipsius translationem peregit et caput in pulcherrimo tabernaculo de argento suis sumptibus facto locavit [9].

Dominus frater Bonaventura cardinalis Albanensis, exsistens generalis ordinis, facta corporis translatione, cum aperuisset eius arcam, post viginti quinque annos [10] ab eius morte, corpore resoluto, linguam eius reperit acutam, integram et rubeam in ore. Quam postea cum quidam generalis vellet a loco Paduae deportare, nunquam vidit portam, unde exiret, aliquam; unde ipsam in quodam altari condidit, cuidam fratri hoc patefacto a generali ministro, qui frater, sunt forte triginta quatuor anni, veniens ad mortem fratribus indicavit; quam reverenter de altari praedicto tollentes in quodam tabernaculo crystallino posuerunt. Et hodie ipsam inspicientibus integra est et sana.

Quibus apparet beati Antonii sanctitas et excellentia.

(*a*) Codex *sciaticum*. — (*b*) As et edd. addunt *etiam plures*. — (*c*) Codex *volebat*. — (*d*) Codex *puellae*. — (*e*) As et edd. *Bernabone*. — (*f*) As et edd. addunt *de nocte*. — (*g*) As et edd. *florenorum*. — (*h*) Ita Codex, As, edd.; est Guido *Boloniensis* (de Boulogne), cardinalis Portuensis 1342-1373; cfr. Eubel, *Hierarchia catholica medii aevi*, pag. 17.

---

[1] Idem legenda Florentina pag. 414. — [2] Cfr. *Leg. prima* pag. 105. — [3] Ibid. pag. 111. — [4] Ibid. pag. 107. — [5] Ibid. pag. 112. — [6] Ibid. pag. 113. — [7] Cfr. *Dialogus* pag. 25. — [8] Dominus Mediolani 1355-1385. — [9] Quae translatio facta est die 15 febr. 1350. — [10] Potius anno 1263, die 8 apr.

[Item] in conventu Paduae iacet frater Lucas, socius beati Antonii, sanctitate, signis et scientia ac praedicationibus clarus. Hic iacet iuxta capellam beati Antonii, et super eius arcam missa celebratur, et corpus eius in devotione habetur. Hic utiles, solemnes et subtiles composuit sermones dominicales, et incipiunt: *Narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non ut lex tua* [1].

In dicto conventu etiam iacet quidam alius frater, nomine Fidentius, vir sanctus, et miraculis insignis.

Locus Corneclani.

In Corneclano (*a*) iacet frater Marcus laicus, homo sanctitate mira conspicuus.

Locus Mantuae.

In Mantua iacet frater Benevenutus laicus, homo Deo devotus et sanctitate praeclarus.

Locus de Utino.

In Utino iacet sanctus frater Odoricus, qui fidei zelo partes adiens infidelium fructum multum in conversione gentium fecit et partes infidelium pro maiori parte personaliter visitavit. Et licet de conditionibus, habitationibus et moribus praefatorum esset informatissimus ac veridice posset effari, voluit tamen trinum habere mandatum ad scribendum mirabilia praefatorum; et sic obedientia adstrictus breve quoddam opus edidit de mirabilibus ipsorum infidelium. Demum ad provinciam nativam rediens sancti Antonii in Utino obdormivit in Domino; cuius mors in Domini conspectu gloriosa [2].

Signa multa sanctus iste post mortem fecit et facit, propter quae in patriarchatu Aquilegiensi est canonizatus. Hic frater Odoricus quendam fratrem Minorem sex dies iacentem in monumento precibus sororis a mortuis suscitavit; quem vidit suscitatum frater Henricus generalis minister [3], ut magister Matthaeus Bartholi dixit (*b*).

Locus Venetiarum.

In Venetiis iacet frater Carissimus de Clugia [4]; qui post mortem positus in sepulchro supinus inventus est postea genuflexus. Hic hodie multis coruscat miraculis; nam et arborem siccam subito frondere fecit et fructus facere.

Iacet etiam Venetiis frater Gentilis, minister (*c*) de Marchia. Hic frater, cum esset in Babylonia Aegypti et ad posse conaretur linguam arabicam discere, nec valeret, intra se dixit: « Ex quo (*d*) linguam ignoro, nec addiscere valeo, quia praedicare non possum et consequenter nullum fructum facere, ad partes fidelium redire intendo ». Et cum iter arriperet, a quodam iuvene requisitus eidem obvianti, quo pergeret, et

(*a*) As *Cornedano;* est Conegliano. — (*b*) As et edd. *ut mihi magistro Bartholomaeo dixit ipse oretenus.* — (*c*) As et edd. *martyr.* — (*d*) As *Ecce.*

[1] Ps. 118, 85. — Exstant in cod. XIX, 417 bibl. Patavinae ad S. Antonium (Iosa, *I codici manoscritti della biblioteca Antoniana di Padova*, Pat. 1886, pag. 46); cfr. Sbaralea, *Supplementum* pag. 492. — [2] Cfr. *Bibliotheca hagiographica latina medii aevi,* t. II pag. 911-913. — [3] Henricus de Alfleriis, minister generalis 1387-1405. — [4] Chioggia.

ipse causam expressisset, dixit illi iuvenis: « Revertere, et Domini ex parte, quod hanc scias linguam, concedo »; et ex tunc saracenicum valde bene scivit, et in partibus praefatis remansit. Hic frater Gentilis, dum in deserto esset Arabiae et ad montem pergeret Sinai ad sanctam Catharinam cum domino Marco Corneyo (*a*), postea duce Venetorum [1], dicto domino dixit: « Mihi est revelatum, quod pater meus et mater mea in extremis laborant; volo ire ad eos visitandum et sepeliendum, et cras hora vesperorum ad vos revertar ». Et his dictis, ab oculis eius sublatus est. Sed sequenti die hora, qua dixerat, revenit, dicens, se patrem et matrem visitasse ac eos sepelisse et post sepulturam ad ipsum rediisse. Qui dominus Marcus, postea reversus ad partes fidelium, personaliter ivit ad Marchiam et invenit, fratrem Gentilem illa hora fuisse in Marchia, ut praedixerat; et ex tunc singularissimam devotionem gessit ad eum. Corpus istius sancti fratris fecit ipse dominus Marcus Venetias deferri, et magno tempore in domo propria tenuit cum magna reverentia, sed postea fratribus dedit. Et cum dictus dominus Marcus filium habere non posset, intercessione praedicti sancti fratris iam mortui et meritis duos filios masculos a Domino obtinuit. Haec, ut audivi, posui; quia eius legendam non vidi [2].

In Venetiis, in ecclesia nostri conventus [maioris], scilicet sanctae Mariae, ubi sunt praedicti fratres, iacet frater Franciscus, dictus poverellus, laicus. Hic, etsi esset octogenarius et ultra, semper discalceatus, habituali tunica et sola contentus fuit, femoralibus et chorda. Hic in Avinione et in Venetiis portam, cum esset laicus, faciebat. Hic tempore domini Urbani V de Avinione recedens, ad manendum perrexit Venetias. Et cum esset ibidem, dum quadam nocte in dormitorio novitiorum ignis esset accensus, et per ligna apposita, scilicet antennarum, ad fenestras fratres evasissent, hic frater non valens ascendere fenestram, quia antiquus et totum corpus habebat catenis circumdatum, genuflexit et se Domino commendavit. Unde factum est, quod, cum totum dormitorium esset combustum et cella huius fratris, ipse tamen, etsi iam exspirasset, corpus eius intactum et cappa et capilli remanserunt ab igne. Quod videntes fratres et saeculares cum magna reverentia eum sepelierunt; et hucusque assiduis fulget miraculis.

DE PROVINCIA MARCHIAE.

In Provincia Marchiae iacent infrascripti sancti fratres.

Locus Camerini.

In Camerino iacet sanctus frater et magister Ioannes de Parma, quintus post beatum Franciscum ordinis Minorum minister generalis, vir scientia et religiositate praeclarus, maximus paupertatis et humilitatis amicus.

Hic prohibuit in choro cantari vel legi, quidquid in officio sanctae Romanae ecclesiae, quod habemus ex regula, non esset contentum, vel per generale capitulum

(*a*) As et edd. *Cornerio*.

[1] Marcus Cornerius, dux Venetiarum 1365-1367. — [2] Apud auctores Pisano antecedentes nihil de B. Gentile invenimus; cfr. ea, quae dicit cod. Can. Misc. 525 bibl. Bodlei. Oxoniensis (in *Cat. S. Fr. Min.* pag. 17 not. *b*).

approbatum, exceptis quibusdam antiphonis post completorium decantandis de beata Virgine. In missa quoque iuxta ritum ipsius romanae ecclesiae a sinistris sacerdotis mandavit hostiam [collocari] et calicem a dextris, et pallam divisam a corporalibus superponi [1].

Hic generalis, vocato Romae capitulo generali, in praesentia domini papae Alexandri IV, cum omnimoda importunitatis instantia impotentia allegata, a ministerio se absolvi obtinuit. Qui postea in loco de Greccio stetit in magna humilitate et devotione [2].

Hic officium composuit ad omnes horas de beneficiis Creatoris, et officium de cruce, cuius (*a*) incipit invitatorium: *Regem Christum crucifixum*, dicitur etiam composuisse [3].

Hic tempore domini Nicolai IV licentiam obtinuit, ut iret ad partes infidelium, cupiens spargere apud illos semen verae fidei et evangelicae veritatis; cumque pervenisset Camerinum, infirmatus ibidem diem clausit extremum. Qui maximis miraculis a die exitus usque in praesens claruit et claret [4].

Locus Sancti Severini.

In Sancto Severino iacet frater Bentivola, qui maximis claruit miraculis. Hic visus fuit a quodam plebano, nomine Massaeo, per magnum spatium in aere levatus; propter quod ille, dimisso plebanatu, factus est sanctus (*b*) frater Minor.

Hic frater Bentivola, dum staret in loco de Trabe Bonanti [5] et solus quendam custodiret leprosum, coactus obedientia ab inde recedere et nolens illum leprosum relinquere, involuto eo in panno et imposito humeris, in parvo tempore, scilicet ab aurora usque ad ortum solis, per quindecim milliaria a loco de Trabe usque ad montem sancti Vicini portavit; quod, si aquila fuisset, non (*c*) potuisset sic volare [6].

Locus de Sirolo.

In Sirolo iacet sanctus frater Petrus de Monticulo. Hic frater Petrus fuit visus levatus in aere a fratre Servodei de Urbino, tunc guardiano in loco antiquo de Ancona, usque ad pedes Crucifixi positi in alto per quinque vel sex cubitos a pavimento ecclesiae. Hic frater Petrus vidit beatam Mariam summo fulgore radiantem in festo Purificationis Filium suum parvulum Dominum Iesum ponentem in ulnas sancti fratris Conradi de Offida, et hoc, dum starent ambo de familia in loco Forani de custodia Anconae.

Hic frater Petrus, cum ad beatum Michaelem archangelum devotione praecipua afficeretur et ad angelos, et ob hoc ipsorum quadragesimam ieiunasset, et ultima die ieiunii in ecclesia se inclusisset, a quodam fratre puerulo, studiose sub altare ad hoc latente, auditus est loqui cum sancto archangelo Michaele et archangelus cum ipso;

(*a*) Codex *quod.* — (*b*) As et edd. om. *sanctus.* — (*c*) As et edd. *vix.*

[1] Idem *Catalogus generalium ministrorum ordinis* (Anal. Franc. t. III) pag. 697 et *Chron. 24 gen.* pag. 275 (habent *quidquid in ordinario* et omittunt *et calicem a dextris*); ibidem leguntur fere omnia alia, quae Pisanus de B. Ioanne refert. — [2] Cfr. Salimbene, *Chron.* pag. 132. — [3] Cfr. Sbaralea, *Supplementum* pag. 398. — [4] Cfr. Ubertinus de Casali, *Arbor vitae crucifixae Iesu*, l. V c. 3. — [5] Ponte della Trave. — [6] Idem *Actus* c. 53, n. 3-5, et *Chron. 24 gen.* pag. 409.

et verba archangeli Michaelis ad fratrem Petrum erant ista dicentis: « Tu pro me fideliter laborasti, et multipliciter te afflixisti; ecce, ego veni ad te consolandum. Unde petas quamcumque gratiam, et ego illam a Domino tibi impetrabo ». Cui cum frater Petrus diceret: « Hanc gratiam peto, ut remissionem omnium peccatorum meorum mihi impetres », respondit archangelus Michael: « Petas aliam gratiam; quia hanc faciliter tibi acquiram ». Frater vero nullam aliam petens, dixit ad eum Michael archangelus: « Et ego propter fidem et devotionem, quam habes in me, hanc gratiam, quam postulas, et multas alias tibi impetrabo ». Et duravit hoc colloquium per maximum spatium noctis, et sic archangelus recessit, dimittendo fratrem Petrum valde consolatum [1].

Frater Petrus iste, stando cum fratre Conrado de Offida in loco praefato Forani (*a*), se ad invicem ligaverunt sub hoc pacto, ut, quamcumque consolationem misericordia Dei uni eorum concederet, in caritate Dei alter alteri revelaret. Quo pacto firmato, frater Petrus in oratione stans, dum meditaretur Domini passionem et dolorem, quem habuit beata Maria, sanctus Ioannes evangelista et beatus Franciscus de ipsa Domini passione, occurrit animo, ut sciret, quis praedictorum magis doluit. Et cum in meditatione praedicta cum multis maneret lacrymis, ecce, apparuit sibi beata Virgo et sanctus Ioannes evangelista et beatus Franciscus vestiti praeclaris gloriae indumentis; sed beatus Franciscus indutus videbatur praeclariori veste, quam iste beatus Ioannes; et cum adstitissent fratri Petro, et timeret vehementer, beatus Ioannes confortans eum dixit: « Ne timeas, carissime frater in Domino; ecce, ad te consolandum venimus et de tuo dubio declarandum. Unde scias, quod, quamvis Mater Dei et ego super omnes doluimus de Christi passione, tamen post nos beatus Franciscus prae omnibus doluit; ideo ipsum in tanta gloria cernis ». Et cum frater Petrus peteret ab apostolo, quare vestimentum beati Francisci erat suo praeclarius, respondit: « Quia, cum in mundo esset, pro Christi amore viliora, quam ego, pertulit vestimenta ». Et his dictis, quoddam gloriosum vestimentum, quod ipse beatus Ioannes tenebat in manibus, protulit fratri Petro dicens: « Accipe hoc vestimentum; quia tibi illud attuli exhibendum »; et cum vellet illo vestimento fratrem Petrum induere, frater Petrus stupens et admirans et ex admiratione corruens coepit clamare: « Frater Conrade, frater Conrade carissime, festina, succurre mihi, et veni, et vide mirabilia ». Inter haec verba visio sancta elapsa est; et post hoc venit sanctus frater Conradus, cui omnia enarravit; de quo similiter consolati Deo gratias reddiderunt [2].

Hic miracula, ubi iacet, multa effecit.

Locus de Esculo [3].

In Esculo iacet frater Conradus, qui ob miracula magna de eo populus civitatis agebat festum magnum; quod dimissum est fratrum negligentia et vario statu dictae civitatis [4].

Locus Fabriani.

In Fabriano iacet sanctus frater Franciscus, qui etiam maximis miraculis clare fulsit et totam patriam ipsis illustravit [5].

(*a*) As *Firmi*.

---

[1] Cfr. *Actus* c. 53, n. 6-18. — [2] Cfr. *Chron. 24 gen.* pag. 410 (*Actus* c. 74). — [3] Ascoli. — [4] Cfr. *Acta SS.*, t. II apr. 741 et 742. — [5] Cfr. *Acta SS.*, t. III apr. pag. 984-990.

Locus de Auximo.

In Auximo iacet frater Gratianus sacerdos, et de partibus Romandiolae oriundus, qui multa et praeclara miracula fecit in vita. Cum enim ipse in loco de Trabe Bonantis exsistens die quadam populo praedicaret, coeperunt audiri tonitrua, fulgura coruscare, et ventus turbinis subito irruit super eos, ita quod viri, qui convenerant, a loco fugere festinarent. Sed frater Gratianus advocans fugientes fiducialiter dixit eis: « Nolite fugere, fratres; quia tempus congruum verbo suo illico Dominus providebit ». Orante autem ipso, videntibus omnibus et mirantibus, in partes duas omnis se pluvia divisit et, quantum iactus lapidis est, retrocedens omnino non tetigit assistentes, sed super multitudinem hominum in loco praedicationis sedentium sol splendebat; quod videntes omnes, qui aderant, divinae virtuti attribuerunt.

Quaedam mulier de civitate Auximi (*a*) in uno oculo orbata cum filio lumine carente utriusque oculi, dum rogaret coram multis, ut sibi et filio super oculos signum crucis faceret, quod cum fecisset, ambo sunt illuminati. Iuvenis quidam phrenesim patiens sic, quod pannos laceraret, homines percuteret et multa alia mala ageret, ad fratrem Gratianum adductus, cum eum signasset, a dicta infirmitate liberatus est. Vir quidam de Ripa Transonis propter magnum pondus, quod portavit in humeris, fractus et contractus, benedictus (*b*) a fratre Gratiano, et gibbus et fractura totaliter abscessit. Quidam, nomine Leopardus, longo tempore pedum infirmitatem passus sic, quod nullo modo poterat ambulare, ad fratrem Gratianum se fecit deferri, qui ad locum, in quo erat infirmus, advenerat; a quo crucis signo consignatus, ac de aqua, in qua loti fuerant pedes fratris Gratiani, lotus, sic illico dolor omnis recessit, quod nunquam amplius dictam senserit passionem (*c*). Vir quidam de castro Castagneti sic erat contractus, quod de lectulo per decem annos surgere non poterat; ad fratrem Gratianum deportatus, data sibi manu a fratre Gratiano, eum protinus liberatum erexit; et suis pedibus ad domum propriam est reversus. Puer quidam de Castro Ficardi, utroque lumine orbatus, fratri Gratiano praesentatus a patre, videntibus, qui adstabant, facto signo crucis super oculos, lumen accepit; sic et alium puerum caecum utroque oculo signando lumen videre fecit. Multa alia in vita fecit, sed post mortem ad tumulum. Mulierem contra vetitum laborantem et divino iudicio percussam in brachio, ut laborare non posset, invocato sancti praesidio, ad eius sepulchrum venientem liberavit. Quandam mulierem ambas manus contractas habentem, ad eius sepulchrum adductam, modicum cum stetisset, liberavit. Dum viveret ipse frater Gratianus puerum contractum et clausas manus a nativitate habentem signando erexit et extendit [1].

In dicto loco de Auximo iacet etiam frater Cathelanus, (*d*) zelator paupertatis altissimae et homo sanctus [2].

Locus de Racaneto.

In Racaneto iacet frater Benevenutus, homo sanctissimus et signis gloriosus [3].

(*a*) As *Amanni;* edd. *Amarni.* — (*b*) As et edd. addunt *signatus.* — (*c*) As *laesionem.* — (*d*) As *Cathalanus;* edd. *Catalanus.*

---

[1] Idem *Dialogus* pag. 73-75. — [2] Idem *Cat. S. Fr. Min.* pag. 18. — [3] Cfr. *Cat. S. Fr. Min.* pag. 18.

Locus Sancti Marini.

In Sancto Marino iacet frater Dominicus, per quem Deus post mortem multa miracula operatus est. Quidam enim plebanus de Montefeltro, nomine Beringarius (*a*), habens crus fistulatum, nec poterat medicorum studio vel arte curari; facto voto sancto fratri Dominico, et eius sepulchro visitato, plenissime est curatus. Alius, nomine Boncompagnus de Sancto Marino, per viginti annos incurvatus, non valens sine baculo incedere, fratri Dominico humiliter se commendans, illico est erectus. Puer quidam claudicans in uno pede sic, quod nullo modo ipsum poterat ad terram tangendam coaequare, invocato praesidio fratris Dominici, liberatus est [1].

De fratre Petro de Monte Ulmi.

In dicto loco iacet etiam frater Petrus de Monte Ulmi (*b*) vel Ulmonis. Hic post mortem multos a variis infirmitatibus curavit; nam vir quidam de Monte Rubiano (*c*), crure uno, tibia, brachioque contractis, ad sepulchrum dicti fratris Petri accedens, invocato beato Francisco, ut fratrem Petrum confortaret pro impendenda sibi sanitate, stans per modicum ad sepulchrum liberatus est. Mulier de Firmo incurvata adeo, quod nullo modo poterat ambulare, ad sepulchrum fratris Petri equo vecta, super eius tumulum orans erecta est. Quaedam alia habens filiam in extremis laborantem, nondum sepulto corpore, sepulchrum (*d*) fratris Petri accedens et manu sancti posita super vultum filiae, statim cum admiratione omnium ad vitae robur est revocata [2].

De fratre Gratiano.

In dicto loco iacet sanctus frater Gratianus, quem puto socium fuisse sancti fratris Aegidii; et multa ab eo habuit et de ipso vidit. Coram quo quendam nobilem, cuius pes infirmitate (*e*) scindi debebat, osculata tibia et pede signo crucis signato, ab omni infirmitate post morulam curavit. Huic frater Aegidius narravit, quomodo fuit in paradisum raptus et vidit gloriam, quam sua anima habitura erat post mortem; et non dubitavit ut Paulus, an eius (*f*) anima fuerit extra corpus vel non. Fratri huic Gratiano sanctus frater Aegidius reseravit de illa consolatione mirabili, scilicet de apparitione Christi, facta sibi in loco de Scetona ante tres dies nativitatis Christi usque ad Epiphaniam.

Dum cum fratre Gratiano sanctus frater Aegidius loqueretur de Deo, quidam splendor venit transiens inter ambos. Huic commendabat frater Aegidius locum de Scetona dicens, quod citra mare nullibi fecerat Deus maiora quam in loco praefato. Persecutiones atroces, quas diabolus sancto fratri Aegidio faciebat, hic fuit expertus, ad cuius clamorem ad ipsum accedebat. Hunc fratrem Gratianum frater Aegidius multum dilexit et de eo valde confidebat; quia eum nutrierat ab adolescentia in sanctis moribus et actibus spiritualibus, et huic multa documenta dedit spiritualia, ut patet in actis fratris Aegidii [3].

(*a*) As et edd. *Beningarius.* — (*b*) As *Montolini.* — (*c*) As *Urbiano.* — (*d*) As et edd. om. *sepulchrum.* — (*e*) As et edd. *ab infirmitate.* — (*f*) As et edd. *sua.*

---

[1] Cfr. *Dialogus* pag. 87 et 88. — [2] Cfr. *Dialogus* pag. 88 et 89. — [3] Cfr. *vitam beati Aegidii* in *Chron. 24 gen.*

Locus de Murro.

In loco de Murro (*a*) iacet sanctus frater Massaeus. Hic, cum esset plebanus et vidisset fratrem Bentivolam in aere elevatum, relictis omnibus, factus est frater Minor; et adeo fuit sanctae vitae, quod et multa miracula fecit [1].

Locus Suffiani.

In loco Suffiani primo, sed nunc translata sunt ossa ad locum Brofortii (*b*) custodiae Firmanae, iacet quidam frater sanctissimus, cuius nomen non reperi [2], tam mirandae sanctitatis et gratiae, ut totus videretur divinus, et saepe ad Deum rapiebatur. Hic, cum aliquando staret totus absorptus et elevatus in Deum, eo quod gratiam haberet contemplationis divinae, veniebant diversi generis volucres et super caput eius et spatulas et super manus et brachia familiarissime residebant, et ibidem cantabant et cantus mirabiles faciebant. Hic, cum a sua redibat contemplatione, veniebat cum tanta mentis laetitia, quod homo vel potius angelus alterius saeculi videbatur; nam tunc facies eius ex divinae allocutionis consortio mirabiliter resplendebat ita, quod admirationem et stuporem aspicientibus ingerebat. Hic semper solitarius manebat et rarissime loquebatur. Quando vero de aliquo interrogabatur, respondebat, sicut esset angelus. Et erat gratiosus omnibus, et sermo eius semper erat divino sale conditus.

Hic non diebus neque noctibus ab oratione et divina contemplatione cessabat, nec a meditationibus sempiterni luminis Christi invictum animum non (*c*) relaxabat; unde fratres propter divinam gratiam, quae in eo fulgebat, carissimo venerabantur affectu quasi alterum Moysen. Et in tam laudabili studio perseverans ad finem vitae devenit. Et dum infirmatus esset ad mortem ita, quod nihil capere poterat, nec ipse medicinam requireret carnalem, per divinam clementiam a beatissima Virgine Maria meruit mirabiliter consolari. Unde die quadam solus iacens, et ad mortem cum se totis viribus praepararet, beata Maria cum magna multitudine angelorum et sanctarum virginum apparuit et cum magno lumine, ac ad lectulum infirmantis accessit; quam ille ut vidit, consolatus rogare eam coepit, ut apud Filium impetraret, quod de ergastulo carnis educeret eum; et dum hoc multis lacrymis postularet, respondit beata Virgo et vocans eum nomine proprio dixit: « Noli timere, fili, quoniam exaudita est oratio tua; vidi enim lacrymas tuas. Sed veni ad te, ut, antequam decedas, aliquantulum conforteris ». Cum beata Maria veniebant tres sanctae virgines, tres pyxides in manibus deferentes plenas electuarii tam miri odoris et suavitatis, quod verbis non posset effari. Et accipiens beata Maria unam de illis pyxidibus, statim ut aperuit, omnia implevit maximo odore. Accipiens etiam cochlear in manibus suis gloriosis, de caelesti electuario primo porrexit unum bolum dicto infirmo, quem cum infirmus gustasset, tantam gratiam et dulcedinem sentiebat, quod non videbatur, quod anima

(*a*) *Actus* pag. 161 *Mori.* — (*b*) Edd. *Brufortii;* est Brunforte. — (*c*) Edd. bene om. *non.*

[1] Cfr. supra pag. 276. — [2] Idem *Actus* c. 68 (*Fioretti* c. 47) et *Chron. 24 gen.* pag. 411, ubi pariter dicitur « frater quidam ». Postea (cfr. *Chron. cit.*, l. c. not. 4) ipsi nomen dederunt *B. Liberati de Lauro;* quonam fundamento innixi, nescimus. Certo bene distingui debet a fr. *Liberato de Macerata,* qui — fr. Angeli Clareni assecla — « obiit in conventu Sancti Angeli de Vena prope Viterbium »; cfr. Turchi, *Camerinum Sacrum* (Romae 1762), pag. 335 et *Acta SS.*, t. V aug. pag. 840-845.

posset stare in corpore; et Virgini dixit: « Non plus, o Mater Dei dilectissima, o Virgo benedicta, non plus; quoniam amplius tantam suavitatem sustinere non valeo ». Illa vero infirmum confortans et frequentius de Domino Iesu Christo loquebatur, et de illo electuario saepius porrigens totam primam pyxidem evacuavit. Et prima pyxide evacuata, beata Maria accepit secundam; quod cum cerneret infirmus, dixit: « O beata Dei Mater, si anima mea tota est liquefacta ad odorem et suavitatem primae pyxidis, quomodo potero sustinere secundam »? Cui respondit beata Maria: « Modicum, fili, de isto secundo gusta »; et accipiens aliquantulum de secundo electuario dedit ei dicens: « Amodo tantum habes, quod sufficere tibi potest. Confortare, fili, quia cito veniam, et ducam te ad Filium meum et ad regnum, quod semper anhelasti et optasti »; et valefaciens ab eius oculis elapsa est. Ipse autem remansit in tanta dulcedine spiritus propter illam confectionem de apotheca paradisi adductam et manibus beatae Mariae ministratam, quod totus fuit interius illuminatus; et oculi eius tanta serenitate divinae lucis aperti sunt, quod clare vidit in libro aeternae vitae omnes, qui salvari debebant usque ad diem iudicii. Et tanta fuit illo caelico electuario refectus satietate, quod per plures dies sine cibo corporis exstiterit vigoratus. Et in ultimo die vitae cum fratribus loquens et gaudens cum magna laetitia et corporis iubilo perrexit ad Dominum Iesum Christum.

De fratre Humili.

In dicto loco Suffiani conditus fuit, etsi translatus sit ad locum de Brofortio, quidam alius sanctus. Nam post mortem beati Francisci duo fratres fuerunt germani in ordine: unus vocabatur frater Humilis, alius frater Pacificus, quorum uno in loco Suffiani mortuo, alter longe in alio loco manens solitario et deserto, vidit germani sui animam sine retardatione caelum conscendere. Qui frater factus de familia in loco praedicto Suffiani, cum locus ipse Suffiani ad petitionem dominorum de Brofortio mutari deberet ac fratrum ossa ab inde portari, iste ossa fratris sui accepit, cum vino optimo lavit et in tobalea alba posuit, et cum lacrymis et devotione osculari non cessabat; de quo fratres fuerunt mirati, quia non sic faciebat ossibus aliorum sanctorum fratrum. Quibus ille respondit, quomodo eius animam viderat agens in remotis ad caelum ire; « et quia ista ossa debent esse in paradiso, ideo ista eis facio »; quod audientes fratres fuerunt bene aedificati [1].

Locus Moliani.

In loco Moliani iacet sanctus frater Iacobus de Fallerono. Hic visus est a fratre Ioanne de Alverna (*a*) cum beato Francisco totus speciosissimus et vestibus candidis renitens.

De isto fratre Iacobo, cum dubitaret, se non esse sacerdotem, et super hoc fratrem Ioannem de Alverna rogasset, ut de hoc scrupulo a Deo sciret veritatem, apparente sibi Christo, scilicet fratri Ioanni, dixit, quod frater Iacobus de Fallerono erat sacerdos secundum legem Dei; sic et beatus Laurentius apparens fratri Ioanni praedicto dixit [2]. Hic frater Iacobus ad mortem veniens iucunda facie et laeta

(*a*) As et cdd. om. *de Alverna*.

[1] Cfr. *Chron. 24 gen.* pag. 213 (cfr. *Actus* c. 75). — [2] Cfr. supra pag. 257.

migravit dicens devote: « O in pace, o in idipsum, o dormiam, et requiescam ». Qui post mortem apparuit fratri Ioanni iam dicto, comitantibus angelis, totus gloriosus et laetus (*a*) [1].

Locus Scotaneti.

In Scotaneto (*b*) [2] iacet quidam frater laicus, nomine, re et opere frater Sanctus. Qui multo tempore a pane abstinuit, herbas vel fructus comedens. Nunc infinitis coruscat miraculis, etsi etiam in vita claruerit (*c*).

Multi alii sancti fratres iacent in provincia Marchiae, qui perfectissimi fuerunt et miraculis gloriosi, de quibus non inveni, ubi iaceant; de quibus dicam aliqua. Infrascripti fratres fuerunt de Marchia, et ipsos in eadem provincia Marchiae credo sepultos (*d*).

De sancto fratre Paulo.

Frater Paulus hic vita sanctus post mortem multis claruit miraculis. Nam puellam septem annorum, nomine Rosa, quae daemoniaca credebatur pro eo, quod a tribus spiritibus nigerrimis, prout dixit, affligebatur et sic, ne eos videret, per loca diversa fugiebat et, cum ad ecclesias pluries duceretur, dixit, quod non nisi per sanctum fratrem Paulum liberaretur; ducta ad monasterium sancti Salvatoris, ubi quaedam erant reliquiae ipsius fratris Pauli, dum super eam ponerentur, continuo obtinuit pristinam sanitatem. Deoctama (*e*), soror praedicti monasterii sancti Salvatoris, cum dolores intolerabiles in manibus pateretur et pedibus, praefatis reliquiis positis super loca praedicta, plenam consecuta est sanitatem. Domina Blancafiore, cum vitio lapidis multo tempore et aliarum aegritudinum gravissime torqueretur, ad sepulchrum fratris Pauli ducta integram illico habuit salutem (*f*). Flora lumine oculorum multo tempore privata, per mulieres ad sepulchrum fratris Pauli ducta, lumen perditum reaccepit. Berta de Camerino, amissa loquela, ad sepulchrum sancti fratris Pauli veniens, subito loqui coepit et Deum laudare. Quidam habens manus et pedes paralysi dissolutos sic, quod nec manus ad os ponere nec ambulare poterat, ductus ad eius tumulum, per merita fratris Pauli est curatus. Ioannes quidam destitutus pedibus, ut nullo posset nec baculo ambulare, ad corpus fratris Pauli nondum sepultum super asinum deportatus, gratia postulata, dicti fratris meritis ad propria suis pedibus est reversus. Bonus Ioannis crure sinistro ab infantia contractus et morbo epilentico gravatus, ad fratris Pauli ductus sepulchrum, statim extenso crure, a morbo est liberatus [3].

De fratre Martino.

Frater Martinus hic, dum viveret, mulierem nomine Marsedam mente captam ad ipsum deductam aspersam aqua benedicta statim sanavit. Thomasina (*g*) de Urbino

(*a*) As et edd. *devotus*. — (*b*) Codex *Stocaneto*. — (*c*) As et edd. post haec habent *Locus Pennae. De sancto fratre Ioanne;* cfr. infra pag. 286. — (*d*) As et edd. *tamen aliqua de eis hic apponam. Et quia de illa fuerunt provincia, credo ipsos in eadem sepultos*. — (*e*) As *Die ottava;* edd. *domina Octavia*. — (*f*) As et edd. *sanitatem*. — (*g*) As et edd. *Thomasinam... reputatam... ductam*.

[1] Cfr. *Actus* c. 57 n. 3 et 11. — [2] Prope Montebaroccio. — [3] Cfr. *Dialogus* pag. 82 et 83; ubi nonnulla nomina propria aliter habentur.

paralytica et a multis daemoniaca reputata ad ipsum ducta, datis sibi uvis ab ipso signatis in cibum, ab utraque infirmitate curavit. Theobaldus (*a*) puer fistulam unam habens in crure et aliam in corpore ad eius sepulchrum pergens, et sancto fratre Martino invocato, illico fistula utraque coepit desiccari, et modico tempore interiecto, salutem obtinuit. Puer Guiductius (*b*) dissinteriam et febrem patiens per septem hebdomades, ad eius ductus sepulchrum, ab utraque infirmitate curatus est. Mulier, nomine Bonaspes, cum pluribus hebdomadis sanguinis fluxum per secessum pateretur, fratri Martino se devovens continuo liberata est. Mulier, nomine Talia, utriusque luminis officio longo tempore destituta, ad sepulchrum sancti vadens, voto facto, illuminata est. Alia mulier ex uno latere paralytica et alterius oculi lumine privata, a caris eius ducta ad sepulchrum fratris Martini, utramque gratiam habuit [1].

De fratre Lucido.

Frater Lucidus antiquior, vere lucens sanctitate et ardens gratia divina et caritate, cuius lingua gloriosa Spiritu sancto edocta fructus fecit mirabiles [2].

De fratre Matthaeo.

Frater Matthaeus de Monte Rubiano. Hic sanctitate praeclarus visus est a fratre Ioanne de Alverna inter choros angelorum et sanctorum cum beato Francisco gloria et claritate fulgere. Sic et fratrem Lucidum praefatum etiam vidit gloria singulari fulgere [3].

De fratre Peregrino de Fallerono.

Frater Peregrinus sanctus et nobilis de domo illorum de Fallerono. Hic cum audisset beatum Franciscum Bononiae praedicantem, cum esset ibi studens una cum fratre Riccerio de Muccia nobili de Marchia, [ambo] divino lumine inspirati, ad beatum Franciscum accedentes, facti sunt simul fratres Minores et cum gaudio ab ipso recepti. Et intelligens beatus Franciscus, cui et quali officio eorum quilibet se subderet, dixit eis beatus Franciscus: « Tu, Peregrine, teneas viam humilitatis, et tu, Ricceri, servias fratribus ». Et sic factum est. Nam frater Peregrinus nunquam voluit ire ut clericus, sed sicut laicus mansit, cum esset bonus et sufficiens litteratus et in decretalibus peroptime instructus. Propter quam humilitatem pervenit ad maximam perfectionem virtutum et specialiter ad gratiam compunctionis (*c*) et amoris Dei; nam Christi amore totus succensus et Matris (*d*), perrexit Ierosolymam ad visitandum loca illa sanctissima Salvatoris, portans secum volumen evangelicum. Et cum legeret loca sancta, unde (*e*) Deus et homo perrexerat, et eadem pedibus tangeret et oculis cerneret, se ibidem adorando Dominum inclinabat, et amplexabatur brachiis fidei illa loca sanctissima et labiis osculabatur amoris et lacrymis devotionis cuncta rigabat ita, quod cunctos cernentes ad devotionem maximam provocabat. Ordinante vero dispositione divina, reversus est ad Italiam. Et tanquam vere peregrinus mundi et civis regni caelestis suos nobiles consanguineos rarissime visitabat; confortabat semper eos ad mundi

(*a*) Edd. *Tebaldus*. — (*b*) As *Garducius*. — (*c*) As *gratiam et compunctionem*. — (*d*) As et edd. (et *Actus*) *martyrii*. — (*e*) As *ubi;* edd. *per quae* (*Actus unde*).

[1] Cfr. *Dialogus* pag. 86 et 87. — [2] Idem *Actus* c. 53 n. 2. — [3] Cfr. *Actus* c. 57 n. 4, et infra pag. 288.

contemptum, et sobrie loquens ad divinum eos incitabat amorem et expedite ac festinanter ab eis recedebat dicens, quod Dominus Iesus Christus non invenitur inter cognatos et notos.

De isto sancto fratre Peregrino dixit sanctus frater Bernardus de Quintavalle, sanctissimi patris nostri Francisci primogenitus benedictus, unum verbum valde mirabile, scilicet, quod iste frater Peregrinus erat unus de perfectioribus fratribus huius mundi. Vere enim fuit peregrinus huius mundi; nam amor Christi, qui in corde eius semper ardebat, non permittebat eum in re aliqua quiescere, nec affectum eius quiescere in aliquo temporali, sed semper ad patriam tendere et anhelare et de virtute in virtutem ascendere, donec in amatum transformaret amantem. Tandem plenus virtutibus ad Christum, quem semper dilexit toto corde, cum multis miraculis ante mortem et post mortem perrexit [1].

De fratre Riccerio de Muccia.

Frater autem Riccerius, dicti fratris Peregrini socius in terris et nunc concivis in caelis, per activam vitam, dum viveret, ambulans et Deo ac proximo fideliter serviens, factus est familiarissimus et carissimus beato Francisco; et multa a beato Francisco didicit et de pluribus agnovit veritatem et in agendis cognovit Domini voluntatem. Et secundum beati Francisci vaticinium frater Riccerius fratribus serviens factus est (*a*) minister provinciae Marchiae Anconitanae. Et propter zelum Dei, qui semper ardebat in corde suo, cum pace maxima et discretione ipsam provinciam regebat, sequens Christi exemplum, qui prius voluit facere, quam docere. Post vero multum temporis permisit Deus in lucrum animae suae tentationes gravissimas sibi evenire, ut probaretur tanquam aurum in fornace, propter quas tentationes se affligebat in abstinentia et disciplinis, lacrymis et orationibus; sed a tentatione liberari non poterat et multoties ducebatur ad desperationem; nam propter immanitatem tentationis credebat se a Deo derelictum. In ultima vero desolatione et desperatione positus cogitavit in corde suo dicens: « Surgam et ibo ad patrem meum beatum Franciscum et, si ostenderit mihi familiaritatem, credo, quod Deus propitius erit mihi peccatori; sin autem, signum erit, quod sum a Domino derelictus ». Et arripiens iter, ibat ad beatum Franciscum cum securitate maxima et affectu. Beatus autem Franciscus iacebat in palatio episcopi Assisinatis valde infirmus; et cogitanti de Domino Iesu Christo, revelatus fuit sibi a Deo ordo tentationis et adventus et propositum dicti fratris Riccerii. Et statim vocans socios suos, scilicet fratrem Massaeum et Leonem, dixit: « Ite velociter (*b*) in occursum filii mei fratris Riccerii, et ex parte mea ipsum amplexantes et osculantes et salutantes, dicite illi ex parte mea, quod inter omnes fratres, qui sunt in mundo, singulariter ipsum diligo ». Illi vero sicut obedientiae filii statim exierunt in occursum fratris Riccerii; et invenientes eum, sicut dixerat beatus Franciscus, amplexantes et recitantes (*c*) amicabilia et amabilia verba patris, ita animam illius consolationibus repleverunt, quod totus fuit quasi liquefactus ex gaudio. Quanto vero gaudio fuerit tunc plenus et laetitia et gratias Deo exhi-

(*a*) As om. a primo *factus est* usque huc. — (*b*) As et edd. om. *velociter*. — (*c*) As et edd. *recipientes*.

[1] Idem *Actus* c. 36.

buerit, non possum effari; quia Dominus prosperum iter fecerat suum. Perveniens vero ad locum, ubi iacebat beatus pater noster Franciscus, et licet esset graviter infirmus, surrexit et ivit in occursum illius, et amplexans eum dulcissime dixit: « Carissime fili, frater Ricceri, inter omnes fratres, qui sunt in mundo universo, te diligo »; et imprimens ei signum crucis in fronte et ipsum amantissime osculans in eodem loco dixit: « Fili mi carissime, frater Ricceri, (*a*) haec tentatio data tibi fuit ad maximum tuum lucrum; sed si non vis amplius istud lucrum, non habeas ». Mirabile dictu! Statim cessavit omnis illa diabolica tentatio, acsi in vita nunquam sensisset, et remansit in Domino consolatus [1].

Hic stans cum beato Francisco in dicto palatio episcopi et loquens cum beato Francisco de facto religionis et regulae observantia interrogavit beatum Franciscum dicens: « Dic mihi, pater, intentionem tuam, quam habuisti a principio, quando fratres habere incepisti, et quam habes nunc, et credis habere usque in diem (*b*) mortis tuae, ut valeam certificari de tua intentione et voluntate (*c*) prima et ultima, utrum scilicet nos fratres (*d*), qui tot libros habemus, possumus eos habere, licet dicamus, quod sint religionis »? Respondit beatus Franciscus dicens: « Dico tibi, frater, quod haec fuit et est prima et ultima mea intentio et voluntas, si fratres mihi credidissent, quod nullus fratrum deberet habere nisi vestimentum, sicut regula nostra nobis concedit, cum cingulo et femoralibus [2] ».

Hic tandem perfectus et sanctus ad Christum perrexit.

De fratre Pacifico.

Frater Pacificus, qui fuit primus minister in Francia, credo, quod de provincia fuerit Marchiae. Qui cum beatum Franciscum reperisset praedicantem in quodam monasterio apud castrum Sancti Severini de Marchia et, facta Domini super eum manu, beatum Franciscum duobus ensibus valde fulgentibus transversaliter in modum crucis consignatum vidisset, compunctus, cum esset rex versuum et laureatus ab imperatore Frederico, beato Francisco adhaerens et mundum relinquens, factus est frater Minor. Et quia a mundi strepitu ad Christi pacem erat conversus, beatus Franciscus eum fratrem Pacificum censuit appellandum [3].

Hic frater Pacificus, « antequam fieret minister in Francia, signum magnum thau in beati Francisci fronte meruit conspicere, quod mira colorum varietate distinctum eius faciem miro venustabat ornatu [4] ».

Qui frater Pacificus, dum semel iret cum beato Francisco et ad ecclesiam sancti Petri de Bovario iuxta castrum Trevii venisset, dixit beatus Franciscus socio, quod hospitari volebat in dicta ecclesia in illa nocte, et quod recederet et de mane ad eum veniret. Cumque frater Pacificus de mane, postquam fuerat hospitatus in hospitali leprosorum, ad ecclesiam venisset, invenit beatum Franciscum ante altare orantem, et ipse exspectans eum extra chorum posuit se ad orandum. Et dum oraret raptus in caelum, sive cum corpore sive extra, vidit multas sedes vacuas, sed unam

(*a*) As om. a primo *Carissime fili* usque huc. — (*b*) As *finem*. — (*c*) As et edd. om. *et voluntate*. — (*d*) As et edd. addunt *clerici*.

[1] Idem *Actus* c. 37; cfr. I Cel. 49 et 50 ac Bonav. l. c. c. 11 n. 9. — [2] Cfr. Fr. Leo, *Sanctissimi P. N. Francisci intentio regulae* (in Lemmens, Documenta ant. francisc., t. I), pag. 83. — [3] Idem II Cel. 3, 49 et Bonav. *Leg. mai.* c. 4 n. 9. — [4] Bonav. l. c.

ceteris eminentiorem. Et dum miraretur illius pulchritudinem et peteret, cuius esset, responsum est sibi, quod dicta sedes fuit luciferi, et loco illius in ea deberet sedere humilis (*a*) Franciscus. Et cum ad se rediisset et beatum Franciscum ab oratione surrexisse videret, se eidem ut iam regnanti in caelo recommendavit. Et cum iter coepisset, frater Pacificus memor visionis coepit quaerere a beato Francisco, quid sibi videretur esse, scilicet de se ipso (*b*). Respondit beatus Franciscus: « Mihi videtur, quod ego sim maior peccator, quam aliquis, qui sit in mundo ». Et statim dictum est animae fratris Pacifici: « Modo credere potes, visionem esse veram, quod humilis Franciscus sua humilitate debet in sede luciferi sedere [1] ».

Hic frater Pacificus plenus virtutibus et sanctitate notabilis perrexit ad Dominum [2].

De fratre Ioanne de Penna.

In loco PENNAE SANCTI IOANNIS [3] requiescit frater Ioannes de Penna, sanctitate singularissimus. Qui cum esset puerulus, quidam pulcherrimus puer vocavit eum de nocte dicens: « O Ioannes, vadas ad sanctum Stephanum, ubi praedicabit unus de fratribus meis, cuius doctrinae crede et verbis attende, cum ego miserim eum; tu autem habes facere magnam viam, et postea venies ad me ». Qui statim surrexit, et sensit in anima mirabilem mutationem (*c*). Et vadens ad locum nominatum, invenit ibi maximam multitudinem hominum et mulierum, qui ex diversis terris venerant ad audiendum verbum Dei. Ille autem, qui praedicare debebat, vocabatur frater Philippus, qui erat de primis fratribus, qui venerant in provinciam Marchiae de Ancona; qui surgens non in doctis humanae sapientiae verbis, sed in virtute Spiritus sancti annuntiavit verbum Dei. Finita praedicatione, frater (*d*) Ioannes ivit ad fratrem Philippum dicens, quod si placeret ei ipsum recipere (*e*) ad ordinem, quod libenter vellet poenitentiam facere et Domino Iesu Christo servire. Ille vero, cum esset sanctus homo et illuminatus a Deo, videns in dicto puero mirabilem innocentiam et aptitudinem voluntatis, dixit ad eum: « Venies ad me tali die in civitate Racaneti, et ego te faciam recipi »; debebat enim tunc temporis ibi capitulum celebrari. Iuvenis, ut erat purissimus, cogitavit in corde suo dicens: « Haec erit illa magna via mihi revelata, quam debeo facere et postea ad caelum transire ». Ivit ergo; et ibi fuit ad ordinem receptus, et statim credidit ad Deum (*f*) ire. Minister autem dixit in capitulo fratribus: « Quicumque vellet ire in provinciam Provinciae, in meritum obedientiae ego mittam eum ». Quo audito, frater Ioannes cupivit illuc ire dicens in corde suo, quod forte ipsa esset magna via, quam facere debebat. Sed propter verecundiam erubescebat alicui dicere, sed confidens in fratre Philippo, qui eum fecerat recipi, ad eum accedens dixit: « Pater, rogo te, quod mihi acquiras istam gratiam, quod possim ire in provinciam Provinciae ad morandum ». Frater autem Philippus videns eius puritatem et sanctam intentionem acquisivit sibi licentiam eundi illuc, scilicet ad provinciam Provinciae. Frater autem Ioannes credebat, quod, illa via completa, iret ad caelum. Stetit autem in dicta provincia viginti quinque annis, vivens

(*a*) As *beatus.* — (*b*) As et edd. om. *scilicet de se ipso.* — (*c*) As *invitationem.* — (*d*) As et edd. *dictus.* — (*e*) As *reciperet.* — (*f*) As et edd. *caelum.*

[1] Cfr. *Speculum* (ed. Sab.) c. 59 et 60; idem habent II Cel. 3, 63 et Bonav. l. c. c. 4 n. 6 neglectis nominibus fratris et ecclesiae; uterque ait: « Sedes ista unius de ruentibus fuit ». — [2] Cfr. *Acta SS.*, t. III iul. pag. 170-174. — [3] Penna San Giovanni.

in exemplari et maxima sanctitate, et omni die sperabat adimpleri promissum. Fuit autem iste frater Ioannes tantae honestatis, quod nunquam fuit visus, quod iret ad locum communem, ita quod fratres dubitabant, ne esset mulier; de qua re fratres fuerunt experti. Et fuit de primis fratribus, qui ivit in provinciam Provinciae ad capiendum loca. Ibi cum suis sociis stabat sicut peregrinus in multa paupertate et austeritate et semper in exemplo magnae sanctitatis apud homines.

Et vita erat eorum talis. Cum invitabantur ad comedendum ab aliquo saeculari, recipiebant cum gratiarum actione. In media nocte, quando ad matutinum pulsabatur, sive plueret sive ningeret, surgebant (*a*) et ibant ad ecclesiam episcopatus ad dicendum matutinum. Dicto vero matutino, stabant ibi in ecclesia in oratione usque ad horam tertiam. Si isto tempore recipiebantur (*b*) ab aliquo pro refectione, recipiebant; si vero non, ibant per terram ostiatim, et sic quaerebant ostiatim victum suum post tertiam, non ante. Et gentes videntes eorum vitam tam sanctam et tam honestae conversationis quaerebant, si vellent alios ad eorum vitam (*c*) recipere; et respondebant, quod sic. Et capiebant pro loco quoddam porticale (*d*), et de illo faciebant omnes officinas.

Iste frater Ioannes, cum de virtute in virtutem cresceret ad sanctitatem et omnibus esset carus in provincia illa, tam fratribus quam saecularibus, quadam die orans et lacrymans coram Domino, eo quod eius incolatus nimis esset prolongatus, et ecce, sibi apparuit Christus benedictus. Ad cuius conspectum (*e*) liquefacta est anima eius, et dixit ei Dominus: « Fili, frater Ioannes, pete a me quid vis ». Qui respondit: « Domine mi, nescio, quid dicam; nolo aliud, nisi te; sed hoc solum volo et rogo, ut parcas mihi omnia peccata mea et des mihi gratiam iterum te videre, quando mihi fuerit maior necessitas »; et Christus ad eum: « Exaudita est oratio tua » Et sic ab eius oculis elapsus est; et ipse remansit totaliter in Domino confortatus.

Sed fratres de Marchia audientes eius famam fecerunt cum generali ministro, ut reduceret eum ad provinciam Marchiae. Et cum vidisset obedientiam, cogitavit in corde suo dicens: « Haec est longa via, quam debeo facere, qua completa pergam ad Deum ». Reversus ad suam provinciam a nullo suorum fuit recognitus. Exspectabat tamen Dei misericordiam et promissionem sibi factam compleri, sed eius adhuc incolatus est prolongatus; nam stetit in provincia sua bene per triginta annos post reversionem suam a provincia Provinciae, et multo tempore officium guardianiae habuit. Et per eum Dominus est multa miracula operatus, et inter alia dona habuit spiritum prophetiae. Cum enim quendam haberet novitium, qui diabolica tentatione, ut ab ordine exiret, fuit tentatus, noluit tamen ante reversionem fratris Ioannis exire. Reversus frater Ioannes, dictum vocando novitium, dixit ei: « Volo, fili, quod confitearis »; et cum iret (*f*), frater Ioannes dixit dicto novitio totum ordinem suae tentationis et adiecit: « Et quia exspectasti me et noluisti recedere sine benedictione mea, Deus tibi fecit hanc gratiam, quod nunquam ab isto ordine exies et in isto ordine cum benedictione Domini morieris »; et tunc dictus novitius confirmatus est in omni bona voluntate et factus est sanctus frater [1].

(*a*) Codex *surgebat*. — (*b*) As et edd. *invitabantur*. — (*c*) As et edd. addunt *et consortium*. — (*d*) Codex *perticale*. — (*e*) As et edd. *contuitum*. — (*f*) As et edd. *annueret*.

---

[1] *Actus* pag. 200 addunt: « Et omnia praedicta retulit mihi Hugolino ipse frater Iohannes ».

Fuit frater Ioannes iste homo magnae orationis, et singulariter (*a*) post matutinum nunquam revertebatur ad cellam. Et quodam semel anxiatus et plenus taedio adhaesit cuidam arbori et rogabat Deum, ut acciperet spiritum eius; et vox venit ad eum dicens: « Surge, quia grandis tibi restat via ». Et ille dixit: « Domine, redde me securum de salute animae meae »; et Dominus: « Ego faciam te securum; salvaberis »; et ille: « Facias me pati purgatorium in hoc mundo »; et vox respondit: « Faciam ». Dum post tempus quadam nocte in oratione maneret, sibi apparuit angelus Domini dicens: « Frater Ioannes, completa est via tua, quam tam longo tempore fuisti praestolatus. Unde tibi annuntio ex parte Dei, ut petas, quamcumque gratiam cupis; insuper, quod tibi eligas vel unum diem in purgatorio vel septem dies afflictionis in hoc mundo ». Qui cum elegisset septem dies afflictionis, subito infirmatus est multiplici infirmitate, nunc febribus, nunc doloribus, nunc podagra, nunc chiragra, nunc tortionibus iliorum, nunc angustiis viscerum, et multis aliis languoribus torquebatur. Sed quod peius omnibus erat, quidam malignus spiritus ante faciem eius stabat, qui tenebat magnam chartam scriptam cum omnibus suis culpis et dixit: « Propter ista, quae cogitasti et dixisti et fecisti, damnatus es »; et ipse infirmus oblitus erat omnium bonorum, quae fecerat, nec recordabatur, quod esset vel fuisset in ordine, sed ita aestimabat se esse damnatum, sicut ille dixit. Unde, cum interrogaretur a quoquam, quomodo se haberet, respondebat: « Male, quia sum damnatus ». Fratres autem hoc videntes miserunt pro fratre Matthaeo de Monte Rubiano [1], qui homo fuit sanctus et hunc fratrem Ioannem intime diligebat. Venit autem ad eum die septima tribulationis, et salutans eum dixit: « Frater Ioannes carissime, qualiter est tibi »? Respondit: « Male; quia sum damnatus ». Dixit frater Matthaeus: « Non recordaris, frater Ioannes, quia multoties mihi confessus fuisti, et ego te absolvi integre? Non recordaris, quod in ordine Domino multo tempore servivisti? Praeterea, non recordaris, quod divina misericordia praecedit omnia peccata mundi et excedit, et Salvator Dominus noster Iesus Christus solvit pro nobis pretium infinitum? ideo non dubites, sed secure confidas; quia tu salvaberis ». Et tunc, quia completus erat purgationis terminus, recessit tentatio, et venit benedictio; et cum laetitia magna dixit: « Frater Matthaee, quia fatigatus es, et hora est quiescendi, rogo te, quod vadas pausatum ». Frater Matthaeus nolebat eum dimittere; frater Ioannes tantum institit, quod frater Matthaeus ivit pausatum. Et cum frater Ioannes remansisset solus cum servitore, et ecce, Christus sibi apparuit cum luce magna et suavitate odoris, sicut sibi promiserat, in tempore opportuno sibi apparere iterum. Et ille, manibus iunctis gratias illi agens, Christo capiti suo, quem semper optaverat, tanquam membrum electum aeternaliter est unitus, et sic laetificatus et certificatus et consolatus migravit ad Dominum [2].

Et requiescit in loco Pennae Sancti Ioannis.

Multi alii sancti fratres fuerunt in provincia Marchiae, sed de praefatis solum inveni.

(*a*) As *similiter*.

---

[1] Cfr. supra pag. 283. — [2] Pars maior eorum, quae hic de B. Ioanne dicuntur, habetur in *Actus* c. 69 et *Chron. 24 gen.* pag. 332; nonnulla Pisanus (praesertim pag. 287 lin. 1-16) addidit, quae apud alios non invenimus.

DE PROVINCIA IANUAE.

In provincia Ianuae, in loco de IANUA requiescit sanctus frater Belengerius de Monte Acuto (*a*), qui signis in vita et post mortem exstitit gloriosus.

Iacet ibidem frater Bonifacius de Riparolo, qui fuit minister magno tempore in provincia Ianuensi. Hic fuit in ordine per annos quinquaginta et ultra. In quo fulsit virginitas, quia virgo purissimus; humilitas, quia, licet esset minister, nec famulum habuit, et officium ministeriatus multoties renuntiavit (*b*) et coactus tenuit; paupertas, quia tunica sola indutus ibat, tempore etiam magni algoris. Praefatis virtutibus fulsit, nec non et carnis maceratione; nam nunquam ieiunium solvit, etiam in mortis articulo constitutus. Fuit etiam cunctis moribus adornatus, aspectu placidus, verboque dulcis et affabilis, dulcedinis et patientiae summae. Frater enim eius cum a quodam fuisset occisus, frater Bonifacius hoc sciens, non animatus ad fratris carnalis vindictam, sed ad indulgentiam inimico exhibendam, domum interfectoris fratris adiit, sibi devotissime pepercit, cum ipso comedit, et deinceps carissimum semper tenuit et habuit. Officium divinum semper cum summa devotione persolvit.

Hic primo fuit minister (*c*) Siciliae, ubi, etsi vitae activae deditus esset ex officio, non tamen a contemplativa discessit, sed ipsam semper tenuit et habuit, orationi instando, missas cum lacrymis et devote semper celebrando. Sed cum ministeriatum Siciliae optime administrasset, a fratribus provinciae Ianuae electus minister, duodecim annis cum omni exemplaritate (*d*), prudentia et iustitia ipsam rexit provinciam; socio tantum contentus, famulum habere noluit, et peditando semper provinciam visitavit. Quinquagesimo anno in ordine expleto, hora sui transitus imminente, quidam frater sanctitate praeclarus vidit angelos ad ipsum descendentes, eiusque animam in specie cuiusdam luminis ab ipsis in caelum deferri conspexit.

Hic post mortem signis claruit.

DE PROVINCIA PENNENSI.

De fratre Andrea.

In provincia Pennensi (*e*), in loco ADRIAE iacet frater Andreas, qui fuit homo devotionis et contemplationis. Hic, cum nocte quadam devotioni et orationi intentus esset, vocem audivit dicentem sibi: « Ut quid te, miser Andreas, vigiliis et ieiuniis et afflictionibus aliis sine causa confundis? Vere scias te damnandum, nec unquam poteris tantum laborare, ut salveris ». Turbatus non modicum ex talium auditu, coepit lacrymas ex cordis intimis emittere et diutius cogitare, quid hoc esset; dumque inter spem et metum constrictus (*f*), cogitatione sollicita fluctuaret, vox de caelo personuit dicens: « Ne timeas, frater Andrea, nec vox prima te terreat, quam audisti; quia vox diaboli mendacis fuit. Confortare ergo in Domino, cui fideliter adhaesisti, et in bono, quod coeperas, perseverare; quia salus tua in proximo est ventura, si permanseris; quinta die primae hebdomadae quadragesimae iam futurae de hac valle miseriae vocaberis ad coronam ». Adveniente tempore praedicto, fratribus dictam

(*a*) As *Montecato;* edd. *Montecuto.* — (*b*) As et edd. *renuit.* — (*c*) As et edd. addunt *provinciae.* — (*d*) Edd. *caritate.* — (*e*) As addit *sive sancti Bernardini.* — (*f*) As *conflictus.*

narrans visionem, diem suae mortis adesse praedixit. Facta igitur confessione generali et commendatione animae facta cum fratribus, debitum naturae coram eis persolvens, ad caelestia regna feliciter transmigravit [1].

Locus Aprutii.

In Aprutio iacet frater Franciscus. Iste dicendo missam reperit in sanguine Christi in calice araneam et, nolens araneam sanguine Christi intinctam extra proiicere, calicem cum aranea bibit; sed post frater ipse fricans crus et scalpens (*a*), ubi pruritum sentiebat, ipsa aranea sine fratris laesione aliqua a crure exivit [2].

Locus Blucani.

In Blucano [3] iacet frater Benedictus hydropicus (*b*). Iste propter peccatum unum invidiae tractus ad iudicium damnabatur, sed precibus beati Francisci et beati Antonii liberatus, ad vitam corporis restitutus, relicta ex tunc philosophia, mutatus est in virum alterum, et habuit scientiam infusam et sanctissimae vitae fuit [4].

Locus Aquilae.

In Aquila iacet frater Thomas Hibernicus. Hic pollicem sibi amputavit, ne ad sacerdotium cogeretur. Hic multas insidias perpessus diaboli, tandem miraculis claruit in vita et post mortem (*c*).

DE PROVINCIA TERRAE LABORIS.

Locus Neapoli.

In provincia Terrae Laboris, in Neapolim iacet frater Augustinus de Assisio, primus minister Terrae Laboris. Hic sanctitate famosus ad finem vitae perveniens hora, qua beatus Franciscus mortuus est, dum staret in transitu et diu loquelam amisisset, videns beatum Franciscum caelum conscendere gloriosum, clamavit dicens (*d*): « Exspecta me, pater, exspecta me, pater »; et cum a fratribus quaereretur, quem sic alloqueretur, respondit, beatum Franciscum mortuum caelum ascendere; quo dicto, et ipse in Domino feliciter obdormivit [5].

De fratre Philippo de Aqueriis.

In monasterio sanctae Clarae iacet sanctus frater Philippus de Aqueriis [6], de provincia Provinciae, qui nunc (*e*) magnis et assiduis claret miraculis. Hic de civitate Aquensi [7] fuit et genere nobilis, sed puer ordinem intravit. Qui, cum per tempus ste-

(*a*) Codex *scalpans;* deinde *nisi.* — (*b*) As *hypocritus.* — (*c*) Edd. addunt quaedam de S. Bernardino. — (*d*) As pauca verba omisit. — (*e*) As et edd. om. *nunc.*

[1] Idem *Dialogus* pag. 112. — [2] Idem *Cat. S. Fr. Min.* pag. 20 et Paul. Put., *Provinciale* pag. 51. — [3] Bucchianico. — [4] Idem *Cat. S. Fr. Min.* pag. 20 et Paul. Put., *Provinciale* pag. 51. — [5] II Cel. 3, 140 et Bonav. l. c. c. 14 n. 6. — [6] Vita fratris Philippi, quae habetur circa finem *Chron. 24 gen.* (Anal. Franc. t. III. pag. 566—572), in ordine rerum et pluries in verbis convenit vitae, quam hic exhibet Pisanus; ex nonnullis tamen differentiis, quas in notis indicavimus, elucet, Pisanum aliam vitam prae oculis habuisse; cfr. *Bibliotheca hagiographica latina*, t. II pag. 992. — [7] In *Chron. 24 gen.* l. c. « de castro Samoniae oriundus ».

tisset in provincia Provinciae, ab ipsa recedens, ad montem Alvernae accessit; ibique diu moratus, tandem ad morandum Assisium ivit ad locum de Carceribus. Sed eius fama sanctitatis crescente, ad petitionem domini regis Roberti et dominae Sanciae reginae, consortis suae, per generalem ministrum factus confessor sororum sanctae Clarae, Neapolim adiit, ubi degens paupertatis, humilitatis, pietatis, morum honestatis, gravitatis, austeritatis ceterarumque virtutum exemplar fuit.

Huius doctrina sanctum Elzearium (*a*), qui fuit de tertio Ordine (*b*) nunc sanctorum catalogo adscriptum [1], comitem Arriani, et sanctam Thalfinam, eius coniugem, ad Christum convertit, et virgines permanserunt.

Sorores de sancta Maria Aegyptiaca, quas ex lupanari ad clausuram regina Sancia perduxerat, diaboli instinctu ad vomitum redire optantes, missus ad ipsas a dicta regina frater Philippus, oratione et praedicatione sic in bono firmavit, ut plures ex eis in signum sanctitatis miraculis coruscarunt.

Hunc clarum miraculis Dominus in vita dedit et spiritu prophetico replevit. Ipse enim militem quendam in extremis positum liberavit, ac dicti militis uxorem graviter infirmantem, dum pro ea orasset, sanavit. Crus in duo scissum cuiusdam sibi devoti civis de Neapoli, hora, qua praedixit sanandum, oratione reintegravit. Praevidit regis Ludovici mortem et praedixit, dum ad petitionem reginae Ioannae pro dicto rege orasset [2]. Domino Iacobo, infanti Maioricarum, viro tertio dictae dominae Ioannae, quae sibi evenerunt, praedixit [3]. Cuidam dominae de Alamania de Neapoli recedenti cum intentione non revertendi, de suo iterato reditu praedixit, et sic contigit. Sacristae sanctae Clarae, quae claves sacristiae amiserat, praedixit, eas sibi cecidisse in tali parte horti et ibi esse, cum tamen hortum ob infirmitatem iam per sex annos (*c*) non intrasset. Dum (*d*) in choro esset et oraret, peccatum cuiusdam fratris vidit, ac praedicti fratris magistro revelans, confessione fratris [magister] sic esse invenit.

Inter alia, quae hic sanctus habebat, praecipuum fuit sanctae orationis studium, semper orando, omni die poenitentiales psalmos et officium mortuorum dicendo. Et quidem quia erat orationi et specialiter meditationi dominicae passionis intentus, Dominus de sua passione semel talem ei indidit dolorem. Nam, cum semel Domini passionem orans meditaretur, apparuit ei Dominus Iesus Christus uti cruci confixus, de cuius manibus, pedibus et latere sanguis copiose manabat; qui in corpore dicti fratris, scilicet manibus et pedibus et latere, tantum dolorem impressit, quod acerbitate passionis et doloris aculeatus fuit, et tantam in eo passionis memoriam reliquit, quod statim, dum recordaretur de Christi passione, cum clavo vel ligno suas manus, pedes et latus percutiebat. Volens ergo eum Dominus probare ut aurum in fornace per patientiae virtutem, per annos triginta maximas cicatrices, quae vermes et foetorem emittebant, in eius corpore impressit; et adeo cicatrices erant apertae et latae, ut manus clausa in eis infigi valeret; et tamen nunquam verbum querimoniae ab eius ore fuit auditum; et quod maius est, pluribus annis stetit, quod de lectulo minime surgere valuit. In dictis doloribus exsistens, a Domino et sanctis angelis est frequenter visitatus, sicut indicio manus ad Deum et ad angelos et per eius verba est probatum.

(*a*) Codex *Alziazium.* — (*b*) As et edd. om. *qui fuit de tertio ordine.* — (*c*) *Chron. 24 gen. diu.* — (*d*) As et edd. addunt *semel.*

[1] Anno 1369. — [2] Obiit 1362. — [3] Cfr. Anal. Franc., t. III pag. 569 not. 4.

Mortem suam adesse cognoscens, suas divitias, scilicet chordam, habitum (*a*) et femoralia, resignavit guardiano. Nocte, qua de mane decessit, duos daemones ad se venientes, sed nihil in eo de suo invenientes, oratione fugavit. Sacramentis perceptis, ad percipiendum pro laboribus praemium, anno circiter centesimo vitae suae ad Christum perrexit, anno Domini 1369, die 18 maii, die veneris, hora, qua corpus sacrum Domini in ecclesia sanctae Clarae elevabatur.

Quo mortuo, tria miracula in eius corpore apparuerunt: primum, nam plagae, quae in eius corpore, dum viveret, foetorem horribilem emittebant, fragrantia multa respersa sunt; secundum, quia corpus eius sic molle se praebebat palpantibus, ut non mortuus sed vivens videretur; tertium, quod, ungues de manibus cum prae devotione absciderentur, sanguis vivus exibat, acsi non esset mortuus.

Ipso sancto cum Domino iam beatificato, placuit Altissimo eius gloriae magnitudinem fidelibus miraculis declarare. Die, quo decessit, facta sunt haec miracula et alia plura, videlicet: cum enim a paucis de eius sciretur morte, statim per totam civitatem Neapolitanam vox insonuit, quod frater quidam sanctus de ordine Minorum in monasterio decesserat beatae Clarae, propter quod turmatim populus ad locum praefatum concurrit, ubi Deus ostendit signa magna. Filia (*b*) Constantini de Duratio, qui moratur (*c*) Neapolis, ab infantia pedibus contracta, tactu corporis gressum recuperavit. Gentili Gerardi (*d*) privato lumine dextri oculi, cum non posset appropinquare ad corpus, cum caputio corpus tangens et demum suum oculum, lucem reddidit. Buccia de Salmona (*e*) septemdecim annis passa dolorem capitis, manum ipsius ponendo super caput suum, exstitit illico liberata. Domina Ioanna habens filiam, nomine Katerinam, a nativitate contractam, ad corpus accedens, dum filiam super corpus posuisset, gressum recuperavit. Quaedam mulier infirmitatem patiens non nominandam, dum herbas iactatas super corpus posuisset in loco infirmitatis, sanata est. Domina Laversa privata luce in oculo dextro, dum de tunica sancti super oculum posuisset, lumen recepit. Thomas iudex, cum surditatem pateretur in auribus, posita tunicae petia sanguine, qui ab unguibus sancti incisis defluebat, intincta super aures (*f*), auditum recuperavit. Iacoba de Panormo (*g*) patiens infirmitatem incurabilem de herbis, iactatis super corpus acceptis et positis super locum infirmitatis, liberata est. Paulus nomine, lingua privatus, manu contractus et pede, tacto corpore, ipso die sanitatem recepit. Tomasa de tertio ordine beati Francisci, brachii contractione et ariditate per novem (*h*) annos infirma, corpore tacto, brachii beneficium habuit. Lyzardus infirmitate gravatus manuum, pedum et renum, ut ad ima incurvatus staret, alieno auxilio ad corpus sancti deductus, dum parum supra corpus orasset, mirifice est sanatus. Margarita, uxor domini Philippi (*i*) iudicis, capitis afflicta dolore, de tunica sancti ponens super caput suum, caput est illico curatum (*l*). Soror Ludovici (*m*) provincialis monasterii sanctae Clarae, habens brachium contractum, dum per cratem pedes sancti tetigisset, est liberata. Katerina, ancilla iudicis Ioannis, cum a daemonio vexaretur, visitando corpus, a daemone est liberata.

Multa mira fecit Deus et assidue facit meritis dicti fratris Philippi.

(*a*) As et edd. om. *habitum.* — (*b*) Codex *Filiam.* — (*c*) As et edd. *morabatur.* — (*d*) As et edd. *Gerardo.* — (*e*) *Chron. 24 gen. Sulmona.* — (*f*) As et edd. om. *super aures.* — (*g*) As *Panormico;* edd. *Panormio.* — (*h*) Edd. *decem.* — (*i*) As *Philippini.* — (*l*) As et edd. *caput illico est curata.* — (*m*) *Chron. 24 gen.* et edd. *Ludovica.*

DE PROVINCIA APULIAE.

Locus de Oria.

In provincia Apuliae, in Oria iacet frater Franciscus de Duratio, qui septem annis panem non comedit, et signis fuit inclytus [1].

Locus Andriae.

In Andria iacet frater Landus de Tarento, minister Apuliae, qui etiam signis claruit.

Locus Baruli.

In Barulo iacet frater Adam Rufus, qui multis coruscat miraculis. Puella, nomine Pasca, a daemonibus infestata, ducta a parentibus ad fratris Adae tumulum, fuit liberata. Maria de Rapolla (*a*) infestata a diabolo, ad sepulchrum ducta dicti fratris, curata fuit. Verdiana de Perusio duodecim annos dolores passa iliacos, ad sepulchrum accedens sancti, post tres dies fuit liberata. Magister Philippus dolorem anchae per annum passus, invocato sancto ad tumulum, in momento convaluit et sanitatem obtinuit. Matthaeus iudex Serviensis, cum visitasset limina beati Nicolai, antequam Barulum pervenisset, crus habens adeo (*b*) intumefactum, ut per se equum non posset ascendere nec ire, et cum non posset ad sepulchrum sancti ire, missa uxore ad sepulchrum cum pera sua, qua tangens tumulum, dum eam super crus posuisset mariti (*c*), in brevi liberatus fuit. Parisius de sancta Sophia medietate corporis paralysi resolutus, os habens distortum, et manus et brachium inutilia dependerent, ductus ad sancti sepulchrum ab alio, perfectam in membris corporis (*d*) obtinuit sanitatem. Quandam, Margaritam nomine a pressuris partus, suspenso annulo ad collum eius, qui sepulchrum sancti tetigerat, liberavit. Aliam, nomine Gemmam, per decem et octo annos infirmitatem, quae infeta (*e*) dicitur, passam et fluxum sanguinis per quatuor menses, ad eius sepulchrum per alios ductam liberavit. Unam mulierem, nomine Beneventanam, unius cruris (*f*) et brachii sinistri officio destitutam curavit. Quidam, nomine Giso (*g*), per quinque annos lumine oculorum viduatus, ad sepulchrum sancti vadens, confestim videre promeruit sancti fratris Adae meritis.

Multa alia miracula fecit et facit [2].

De fratre Gismundo.

In silva de Melfia, ubi antiquitus fuit locus fratrum, iacet frater Gismundus, sanctitate et miraculis famosus. Qui, dum in dicto loco a fratribus deserto esset sepultus, cuidam mulieri de provincia in somnis apparuit dicens: « Surge, et vade ad monasterium de Ripa, et dic monacho, nomine Rostagno (*h*), ut corpus meum de silva

---

(*a*) As *Rapalla;* edd. *Rapella.* — (*b*) As et edd. *crus adeo est sibi.* — (*c*) Codex *Maria.* — (*d*) As et edd. *et corpore.* — (*e*) *Dialogus infectam.* — (*f*) As et edd. (et *Dialogus*) *auris.* — (*g*) As *Giverso.* — (*h*) Edd. *Restagno* (*Dialogus Tristangno*).

---

[1] Cfr. *Acta SS.*, t. IV maii pag. 43-47 et VII maii pag. 802-804. — [2] Cfr. *Dialogus* pag. 96-98.

extrahat ». Quod audiens mulier facere omisit; sed nocte sequenti iterato apparens frater Gismundus dictae mulieri eadem mandavit, addens, quod, si omitteret dicere, quod eam sic aptaret, ut se de loco ad locum non posset movere. Sed ipsa dissimulante facere imperata, tertia nocte frater Gismundus cum quibusdam ad eam veniens fecit eam fortiter flagellari. Edocta mulier verberibus verba tulit ad monachum, quae mandavit. Qui ad fratres veniens petiit, ut sibi liceret corpus dicti fratris in alium locum transferre condecentem. Sed fratres minime permittentes, ne videlicet praesumptioni imputaretur, si fratris defuncti fimbrias magnificare curarent, vice quarta frater Gismundus dictae apparuit mulieri cum multis fratribus et mandavit, ut monacho Rostagno diceret, quod eius corpus omnino transferret; et in signum huius quoddam peccatum periurii ipsius monachi revelavit, de quo ipse nunquam fuerat confessus, mandans, ut confiteretur; aliter iret ad locum poenarum. Quae ad monachum accedens et sibi praedicta revelans, ipse monachus in confessione primo, et demum coram omnibus peccatum suum detexit, ad ostendendum fratris sanctitatem; et cum cogitaret cum fratribus ipsum in loco fratrum sepelire coram altari, vox de caelo audita est dicens: « Non vult frater Gismundus sepeliri, ubi foveam praeparastis, sed in ecclesia sancti Stephani de Ripa quiescere delectatur ». Quod audientes fratres pro monacho mittentes, ut translationem corporis facerent, concesserunt. Sed cum dictus monachus praeparasset amictum quendam, ut in eo corpus involveret, frater Gismundus dictae apparuit mulieri dicens, ut diceret fratri Rostagno, quod corpus eius non in panno, sed ad silvam pergens colligeret frondes lauri et mirti, et in eis corpus involutum transferret. Et cum fecisset, dum corpus eius exhumaretur, quidam socius fratris Gismundi, ob devotionem de eius corpore latenter accepit unum dentem et os unius digiti. Sed iterato frater Gismundus mulieri iam dictae apparens dixit: « Vade et dic monacho, quod corpus meum non portavit integrum; deficit dens unus et os unius digiti ». Quod cum monachus fratribus nuntiasset, obedientia data super hoc fratribus a guardiano, frater, qui praedicta tulerat, obedientia astrictus reddidit; quae monachus accipiens, gaudenter cum reliquo corpore praedicta adiunxit [1].

Locus Trani.

In Trano iacet sanctus frater Petrus, qui miraculis exstitit gloriosus. Puerum quendam, prae dolore livescentem et morti propinquum, ad eius delatum tumulum, ad sanitatem totaliter (*a*) promovit. Bartholomaeum, qui de quercu ceciderat alta, fracto ramo, et super acervum lapidum, confractum toto corpore, ad eius sepulchrum portatum statim sanavit. Filiam cuiusdam magistri, lateris ariditate percussam, facto voto ad hunc fratrem, illico liberavit. Puerum quendam natantem, cuius corpus sanguisuga intraverat, ac per os sanguinem sine quantitate (*b*) emittentem, cum morti esset propinquus, voto ad fratrem Petrum (*c*) facto, sanguisuga per secessum emissa, puerum sanavit. Quendam diaconem infirmitate gravatum, ut per se de lecto nequiret exsurgere, ad eius sepulchrum devectum, ad sanitatem perduxit; qui timens recidivam, balneum ingressus, pristinam infirmitatem incurrit; iterato ad fratris Petri sepulchrum reportatus, perfectam obtinuit sanitatem [2].

(*a*) As et edd. *totalem*. — (*b*) As et edd. *mensura*. — (*c*) Codex *Petro*.

[1] Cfr. *Dialogus* pag. 105. — [2] Cfr. *Dialogus* pag. 92 et 93.

DE PROVINCIA SANCTI ANGELI.

Locus Fogiae.

In provincia sancti Angeli, in Fogia requiescit sanctus frater Iacobus de Assisio, qui mira fecit post mortem. Nam mulierem habentem fistulae morbum, voto [ab ipsa] ad se emisso, statim curavit. Philippum campsorem magno tempore passum quartanam, nec medicorum arte curari valentem, facto voto fratri Iacobo, ad incolumitatem perduxit. Quandam (*a*) de civitate Troyae habentem cancrum in tibia frater Iacobus post votum sanavit. Sic et quendam de Fogia, nomine Matthaeum, cum morbum in crure pateretur gravissimum, voto emisso, hic sanctus liberavit [1].

Multa alia Deus est isto sancto fratre operatus [2].

Locus Corneti.

In Corneto iacet sanctus frater Benevenutus de Eugubio, vita sanctissimus et signis stupendus.

Hic fuit laicus, litteram (*b*) ignorans. Hic namque, spretis quae sunt mundi, beati Francisci vestigiis inhaesit toto nisu. Receptus ad ordinem, humilitatis suae experimenta declarans, de mandato beati Francisci ad serviendum leprosis accessit, quibus, omnibus ipsorum abominationibus postergatis, sine querela uti Christo servivit. Obedientiae culmen sic ascendere est conatus, ut ad omnia praelatorum mandata impiger et sine mora ac sine querela pareret. Sed in suis infirmitatibus, quibus a Domino fuit gravatus (*c*), patientiam supra modum et habere et ostendere est conatus. Amator fuit paupertatis sanctissimae et zelator, vix extrema victus et habitus requirens; silentii cultor, pietatis visceribus super afflictos affluens; orationi et contemplationi fuit dicatus (*d*) adeo, ut usque in horam tertiam in publicum nullatenus exiret, ne occupatione aliqua perceptas (*e*) delicias minui pateretur nec mutari. Honestatis adeo fulsit virtute, ut nec verbo nec facto aut signo inhonesti quid est deprehensum aliquando de eo. Sed vocatus a Deo, sanctitatem suam astruunt per ipsum miracula divinitus operata; de quibus signis non est haesitandum, cum, bulla apostolica directa a domino Gregorio papa IX 1236 (*f*), ab episcopis Melfiensi, Melfitiensi et Venesino sint collecta, examinata et authenticata [3]. Nam duos mortuos suscitavit; duos liberavit a faucibus mortis; epilenticos quatuor; leprosos duos; daemoniacos duos; contractos et aridos septem; tres caecos illuminavit; tribus surdis auditum praebuit; hydropicis et inflatis (*g*) duobus sanitatem indulsit; ab aliis infirmitatibus duos; a squinantia unum; mutum unum; mulierem ulceratam graviter in mammilla; guttosos et apostematicos quinque eripuit; fratri Ioanni de Alto Passu (*h*) pecuniam perditam, sibi apparendo, habentem demonstravit (*i*); fratrem Aegidium de ordine Minorum a carnis tentatione, sibi apparendo, cingulo suo cingendo, liberavit; a brucis campum cimino plenum eripuit sibi a quodam commendatum. Et alia (*l*) miracula hic sanctus peregit [4].

(*a*) As et edd. *quendam* (*Dialogus Civis quidam.* — (*b*) As et edd. *litteras.* — (*c*) As et edd. *probatus.* — (*d*) As et edd. *deditus.* — (*e*) As et edd. *perfectas.* — (*f*) As *1226.* — (*g*) As et edd. *ingratis.* — (*h*) As et edd. *Passo.* — (*i*) As et edd. *indicavit.* — (*l*) As addit *plura;* edd. *multa vel plura.*

[1] Cfr. *Dialogus* pag. 91 et 92. — [2] Cfr. *Tract. de miraculis,* n. 116. — [3] Bulla « Mirabilis Deus »; cfr. Sbaralea, *Bullarium franc.* t. I pag. 189. — [4] Cfr. *Dialogus* pag. 26-51 (et XX).

DE PROVINCIA CALABRIAE.

In provincia Calabriae iacet frater Petrus, dictae provinciae minister, vir sanctitate praeclarus [1].

De fratre Daniele cum sex sociis martyribus [2].

Frater Daniel, minister provinciae Calabriae, fuit homo sanctitate mirabilis et martyrio gloriosus. Qui anno 1227 (*a*), sexto idus octobris in civitate Cepta martyrium passus est cum sex aliis fratribus, videlicet: Samuele, Angelo, Dompno, Leone, Nicolao et Ugolino. Hi, obtenta licentia a fratre Elia, generali ministro sive beati Francisci vicario, de partibus Tusciae recedentes, Ceptam civitatem saracenorum devenerunt, et ibi cum mercatoribus Pisanis, Ianuensibus et Marsiliensibus verbum Dei praedicantes, manserunt tribus diebus in vico, qui erat extra civitatem concessus christianis mercatoribus et deputatus. Deinde die sabbati, facta confessione et celebrata missa, eucharistiam sumentes, et in sero fecerunt mandatum et laverunt pedes alter alterius, et verbis devotis se mutuo corroboraverunt. Mane autem facto diei dominicae, conspersis cinere capitibus, civitatem intraverunt, confitentes et Christum Iesum Dominum praedicantes et in eo solo esse salutem; et sic euntes per mediam civitatem eorum caecitatem arguebant, viam veritatis praedicantes (*b*). Sed capti a saracenis ad eorum regem deducti, percussi et flagellati, illusi et opprobriis et contumeliis sunt affecti. Videns vero eos rex tonsis capillis, et loqui ferventer, reputans eos fatuos, iussit eos ferreis vinculis mancipari et per octo dies affligi. Die autem octava ad se deductos interrogavit, si vellent quae dixerant retractare, Christum negare et ad saracenos converti. Sed ipsi, quod dixerant, potius affirmantes apertis rationibus, probationibus probaverunt, quod non poterant salvari, nisi baptizarentur et crederent Domino Iesu Christo. Insuper, sigillatim examinati, eis multis promissis, ac eis, si oppositum facerent, morte intentata puniri (*c*), firmi gratia Spiritus sancti in proposito sunt reperti. Quod cernens quidam iudex, nomine Archaldus (*d*), dixit fratri Danieli ministro: « Quare tu, fatue, cupis mori et perdere istam vitam et futuram »? Elevans oculos sanctus frater Daniel dixit ei: « Senex inveterate malorum (*e*), tu convertere [potius] ad Dominum Iesum Christum, Deum vivum et verum; quia huc usque deceptus fuisti errore diaboli et Maumeti maledicti prophetae tui ». Et cum fecisset contra eos gladios ad terrorem vibrari et omnino firmissimos invenisset, dedit sententiam, ut omnino decollarentur. Sex igitur fratres proiecerunt se ad pedes fratris Danielis ministri, osculantes manus et pedes eius et cum lacrymis dicentes (*f*): « Gratias agimus Deo et tibi, patri, qui nos ad coronam martyrii perduxisti. Benedic filios tuos ». Qui amplexans eos et osculans et benedicens et corroborans eos dixit: « Gaudeamus omnes in Domino, diem festum celebrantes; quia angeli nobis assistunt; ianua patet caeli; hodierna die omnes simul erimus inter coronas mar-

(*a*) Edd. *1221*. — (*b*) As et edd. *praedicando et ostendendo*. — (*c*) As et edd. *morte eis intentata*. — (*d*) Edd. *Arbaldus*; *Passio* cit. pag. 615 habet: « Iudex, qui Ascaldus lingua arabica dicitur ». — (*e*) As et edd. *in malis*. — (*f*) As et edd. *dicebant*.

[1] Cfr. *Cat. S. Fr. Min.* pag. 24. — [2] Cfr. *Passio sanctorum fratrum Danielis* etc., in Analecta Franciscana, t. III pag. 613-616, et *Acta SS.*, t. VI oct. pag. 389-391.

tyrum in gloria paradisi ». Tunc simul congregati et nudati educti sunt de aula (*a*) regis; ibantque gaudentes et Deum laudantes cum laetitia, quasi ad epulas invitati. Ducti igitur ad locum certaminis, inclinatis capitibus, et suas animas Domino commendantes, martyrio coronati sunt, capitibus amputatis. Capita eorum conquassata et corpora membratim per civitatem distracta a pueris et saracenis fuerunt; sed postea fuerunt a christianis collecta et honorifice apud fideles recondita in alfondega [1] Marsiliensium; et filius regis Portugalliae pro dono petiit et accepit et in Hispaniam transtulit.

Per quorum suffragia Deus multa mira operatur ad gloriam suam et honorem.

DE PROVINCIA SICILIAE.

Locus Siracusae.

In provincia Siciliae, in civitate Siracusa iacet frater Ioannes. Iste portavit lapidem ignitum et ardentissimum in manibus (*b*) sine laesione de coquina usque in infirmariam uni fratri infirmo; et multa (*c*) signa fecit miraculorum.

Locus Calatagironi.

In Calatagirono iacet frater Richardus, qui multos infirmos curavit post mortem.

Locus Polizii.

In Polizio iacet frater Gandolfus, qui plura fecit miracula [2].

Locus Messanae.

In Messana iacet frater Symon Aymonis, qui miracula fecit tam in vita quam post mortem.

Iacet etiam ibi frater Electus, filius domini Andreae; cui Christus in specie columbae apparuit in cella sua, invitans eum ad comedendum secum. Hic post mortem fecit miracula.

Locus Panormi.

In Panormo iacet frater Ioannes Buta (*d*), qui post mortem fecit (*e*) miracula.

De fratre Gerardo de Valentia.

In dicto loco Panormitano iacet sanctus frater Gerardus laicus, de Valentia Lombardiae, quem innumeris miraculis Deus diebus nostris clarum mundo reddidit [3].

Hic siquidem ortus de Valentia Lombardiae, decimo anno aetatis suae patre orbatus, matri laboranti infirmitate podagrarum et tysis per annos quatuordecim fideliter deservivit. Qua mortua, dum parentes eum ad suscipiendam (*f*) uxorem ratione parentelae suscipiendae cogerent, nequaquam assensit. Sed facultates paternas et maternas omnes tradens pauperibus sibique nihil retinens ac patriam parentesque relinquens, usque

---

(*a*) As *ad aulam.* — (*b*) As om. *in manibus.* — (*c*) Edd. addunt *alia.* — (*d*) As *Buca.* — (*e*) Edd. addunt *multa.* — (*f*) As et edd. *capiendam.*

---

[1] Alfondega=vicus sive horreum publicum. — [2] Est beatus *Gandolfus a Binasco;* cfr. *Acta SS.,* t. V sept. pag. 704 sqq. — [3] Vitam ipsius diffuse scripsit fr. Bartholomaeus domini Albisi de Pisis, quae exstat in Cod. Vat. 7660. Cfr. *Chron. 24 gen.* pag. 489-497.

ad annos quadraginta suae aetatis in diversis partibus orbis stans, videlicet primo Romae, deinde Neapoli, et demum in Sicilia in monte Ethneo in quodam eremitorio (*a*), et visitando sanctuaria ac poenitentiam exercendo, vitam suam peregit. Sed, postquam sic Domino ieiuniis, disciplinis et aliis rigiditatibus carnem subdendo spiritui militaverat, instigante Patre luminum, quadragesimo aetatis suae anno ordinem Minorum fratrum intravit; quo ingresso, beati Francisci vestigiis ut verus filius per omnia cohaesit.

Hic siquidem amator fuit praecipuus paupertatis evangelicae, nihil habens praeter tunicam habitualem, chordam cum femoralibus, et his usque ad mortem dives. Austeritatis fuit maximae, nunquam comedens nisi panem et aquam, et semel in die; lectus eius fuit nuda humus; sed postquam fuit Panormi, cum iaceret in sancti Ludovici capella, et hic (*b*) orando, lectum habuit tabulam unius brachii, in qua poplites reclinabat, dum orabat; nil portans in pedibus, sed nudis pedibus semper incessit. Et licet arctissimae in se esset vitae, in fratribus tamen totus erat liberalis et largus, gratum habens quidquid boni pro fratribus posset acquirere ad victum pertinens et vestitum. Dei gratia castissimus exstitit, utpote virgo purissimus. Sed obedientiae fuit mirae, utpote suis per omnia praelatis obediens non suam, sed praelatorum exsequens voluntatem.

Propter quae et alias virtutes, quibus refulsit, Dominus Iesus eum celebrem dedit mundo signis et spiritu prophetico et divinis condescensionibus. Cum enim ex humilitate ipse sanctus faceret fratribus coquinam, nam talia officia exercebat, utpote infirmariae, coquinae, refectorii, vel respondendo ad portam fratrum, in loco de Randazio dum esset et coquinam faceret, cum in resurrectione Domini sanctus frater Gerardus in quadam capella staret ad orandum de mane, et iam esset evangelium decantatum in missa conventus fratrum, procurator loci praedicti pergens ad coquinam, ipsam clausam reperit, nec adhuc ignis erat accensus; qui cum guardiano diceret, quid comederent fratres hoc mane, cum nihil paratum sit in coquina, quo audito, guardianus tristis et querulosus ad fratrem Gerardum accessit conquerens, quia nihil erat paratum adhuc pro fratribus. Cui sanctus frater Gerardus respondit: « Non timeas, pater; quia Dominus bene providebit pauperibus suis »; et corpore Domini elevato, ad coquinam perrexit, seque in orationem dedit, completaque missa, frater Gerardus pro mensa (*c*) fecit pulsari; et de duplici pulmento divinitus ministrato copiose fratres refecit et sapide adeo, quod similem coquinam fratres nunquam se comedisse professi sunt. Quod miraculum statim fratribus provinciae innotuit.

Et quia Panormi civitas caput est regni, et tunc multorum civium mercatorum et nobilium copiositate et generositate erat conferta, sanctus frater Gerardus ad morandum ibidem est a ministro directus; qui magno tempore ibidem portam custodiendo fratrum portarius fuit. Et notissimus fuit omnibus tam de civitate Panormi nativis quam forensibus ibidem degentibus. In civitate ergo residens Panormi, oratione sua sunt facta haec subsequentia miracula. Nam, cum frater Ioannes de Cathania esset graviter infirmus sic, quod iam per tres dies nullo modo urinam effundere valeret et, iam ventre et pectore tumescentibus, dubitaret de morte, visitatus a fratre Gerardo et interrogatus de infirmitate, cum ille eam expressisset ac diceret: « Pater, roga Deum pro me », et ipse annuisset, ingressus ecclesiam, statim quod genua flexit

(*a*) As *eremo*. — (*b*) As et edd. *hoc*. — (*c*) As et edd. *prandio*.

ante altare, frater mingere coepit, et sic a doloribus fuit et morte liberatus. Vice alia, dum frater Gerardus quoddam urinale vitreum lavaret, praesente guardiano Panormi, de eius manibus cadens super lateres, dum a guardiano fractum crederetur, sanum de terra levavit. Dominus Henricus de Abbatibus, iustitiarius regis in Panormo, infirmatus ad mortem et ab omnibus medicis desperatus, pro fratre Gerardo mittens, dum ad eum venisset, suis se orationibus commendans rogavit, ut pro sua vita ad Christum intercedere vellet; quod et promisit. Post completorium dum se orationi dedisset, surgens ab oratione vocavit guardianum dicens: « Vadatis ad dominum Henricum, quia sanatus est ». Ad quem veniens eum reperit liberatum, prout frater sanctus praedixerat. Idem fecit pro quadam domina, nomine Altadompna, in dicta civitate infirma; similiter pro domino Ioanne de Carvello (*a*) infirmo id ipsum (*b*) faciens, sanavit. Soror cuiusdam nostri fratris, nomine Comitissa, doloribus partus tribus occupata diebus, cum frater Gerardus a fratre (*c*) fuisset ad eam deductus, tangens eam cum ramusculo cypressi in nomine Domini, beati Francisci et beati Ludovici, dixit: « Cras hora nona foetum mortuum emittes et salva eris »; et sic evenit.

Dum iret beatus frater Gerardus quaerendo vinum tempore vindemiarum per civitatem Panormi, quendam civem invenit valde tristem; qui de causa quaerens (*d*), respondit, quod filius eius unicus et puer in extremis laborabat; per tres enim dies nec comederat, nec locutus fuerat. Ad quem sanctus Gerardus intrans dixit: « In nomine Dei, beati Francisci et beati Ludovici dic, puer, si aliquid vis ». Statim puer oculos aperuit et coepit loqui et petiit comedere panem, avellanas, lactucas et multa alia; et sibi de praefatis apportatis non potuit comedere. Tunc ait beatus Gerardus: « Vis, fili, de pane sancti Ludovici »? Respondit puer: « Volo ». Tunc sanctus Gerardus extraxit de manica panem albissimum et recentissimum, acsi fuisset tunc ex clibano extractus; immediate quod puer coepit de pane illo angelico comedere, ab omni fuit infirmitate liberatus. Vice quadam fratri Leonardo ampullas fractas pro sacrificio (*e*), dum serviret in capella sancti Ludovici Panormi, reintegravit. Item (*f*) frater Leonardus quaternarius (*g*), nec posset ab ipsa curari, cum lacrymis supplex factus fratri Gerardo, ab ipso frustrum accepit de cypresso, qui imaginem sancti tetigerat Ludovici; et cum eum signaverat, et eius mandato cypressum praedictum posuisset in vino et bibisset, statim fuit liberatus. Filium magistri Mansi (*h*) medici, iudicio medicorum morientem, cum ad patris instantiam visitasset, statim, ut eum tetigit, coepit alleviari a febribus, et die sequenti hora tertia domum exeuntem sanum reddidit, ut praedixerat. Domina regina Elisabeth, uxor regis Petri Trinacriae (*i*), cum septem haberet filias et nullum filium, rogavit beatum Gerardum, ut pro ea intercederet ad Dominum, quod precibus beati Francisci et beati Ludovici sibi filium masculum concedere dignaretur. Quod cum fecisset beatus Gerardus, reversus ad eam dixit, eam filium masculum parituram, quem vocaret Ludovicum; et sic evenit, et est factum.

Multa alia per ipsum Dominus in vita sua signa fecit. Hic sanctus, etsi alios sanctos omnes veneraretur, praecipue tamen ad beatum Ludovicum, tunc noviter canonizatum, praecipuam habuit devotionem; cum quo multoties est repertus loqui, sicut frater cum fratre et amicus cum amico, et quidquid operabatur, totum in Dei nomine faciebat, beati Francisci et beati Ludovici.

(*a*) As et edd. *Calvello*. — (*b*) As *ad ipsum venire*. — (*c*) As et edd. addunt *suo*. — (*d*) As et edd. *quaesitus*. — (*e*) As *sacerdotio*. — (*f*) As et edd. *idem*. — (*g*) Edd. *cum esset quartanarius*. — (*h*) Edd. *Masi*. — (*i*) Codex *Tynacie*.

Claruit hic sanctus etiam spiritu prophetico. Nam, ut dictum est, dominae reginae Elisabeth praedixit de filio masculo habituro; praedixit praedicto filio Mansi, quod sequenti die hora tertia iret sanus extra domum, et sic evenit; comitissae praedictae praedixit abortivum parituram hora nonae et liberandam, et sic contigit; domino Petro de Antiochia, cancellario regni Siciliae, cum timeret mori ob infirmitatem, quam patiebatur, supplex eidem factus, per quendam misit dicendo, quod non moreretur, sed liberaretur, et quod esset Dei amicus; et sic evenit. Vice alia dictus dominus Petrus infirmatus Mazariae misit ad sanctum Gerardum, ut pro se oraret; cui respondit, quod se disponeret, quia moreretur; et sic est factum. De exercitu regis Roberti exsistente in Sicilia et Termas (*a*) obsidente praedixit, quod non prosperaretur, sed cito recederet et subito; et sic evenit. Domino Guielmo de monte Cataro, comiti Augustae, congratulanti de castro Augustae, quod credebat statim obtinere, frater Gerardus dixit, quod castrum non tunc, sed in mense septimo haberet; et sic accidit. Multis aliis indiciis et signis compertum est, beatum Gerardum spiritum propheticum habuisse.

Habuit etiam hic sanctus mirabilem adversus diabolum virtutem; a quibus ante mortem specialiter per tres annos in forma diversarum bestiarum apparentibus fuit multipliciter molestatus. Ductus quidam de monte sancti Iuliani daemoniacus ligatus ad ipsum, cum ramum cypressi accepisset et figuram sancti Ludovici eo tetigisset, ac in oleo lampadis, quae coram dicta imagine ardebat, intinxisset ac in ore daemoniaci posuisset, statim eum liberavit.

Postquam hic sanctus mirificus in ordine annis trigintaquinque in maxima austeritate vixerat, aetatis suae anno septuagesimo quinto infirmatus, venit ad mortem. Et die tertia ante eius exitum, scilicet in die sancti Ioannis evangelistae, et tunc fuit sexta feria, hora, qua Christus fuit exaltatus in cruce, apparuit ei beata Virgo Maria consolans eum et cum eo loquens per magnum temporis spatium, ut post Virginis recessum ipse suis secretariis revelavit. Et tunc agnovit suae animae a corpore recessum. Die vero dominico, in festo sancti Thomae martyris, cum venisset ad eum quidam suus devotus et dixisset: « Roga Deum, pater, pro me », respondit: « Faciam non hic, sed alibi »; sic dixit fratri Laurentio eius socio: « Vado enim ad paradisum ». Post modicum vero manus sanctus Gerardus iungens et orans, caput super manus inclinans parumper, dum caput elevasset, manibus iunctis, animam Deo reddidit. Quo mortuo, cum more solito campana maior pulsaretur, chorda iuxta manubrium est fracta; sed vidente et populo mirante, per magnum temporis spatium per manum angeli pulsata fuit.

Scita eius morte per civitatem, omnes confluunt ad locum, ut eum tangant, osculentur et de eius tunica habituali pro reliquiis sumant. Membra eius adeo mollia erant et tractabilia, acsi viveret. Per dies duos corpus sepulturae minime potuit tradi propter multitudinem populorum; die vero tertia, hora comestionis, ostia ecclesiae claudentes fratres corpus sepulturae dederunt. Sed minime cives latuit; nam tantus odor suavitatis de corpore fuit, quod subito tota civitas est repleta (*b*), et admirantes cognoverunt tandem, quod corpus sancti tunc traditum esset sepulturae.

Sed quam Deus eum acceptum haberet et magnum in gloria, mirandis signis (*c*) placuit mundo demonstrare. Nam a die transitus, qui fuit anno Domini 1345 (*d*), usque

(*a*) *Chron. 24 gen.* pag. 493 *turmas.* — (*b*) As et edd. *tanto odore suavitatis subito tota civitas est repleta.* — (*c*) As et edd. addunt *et innumeris.* — (*d*) Edd. *1315.*

in praesens maximis coruscat miraculis. Corpore eius nondum humato, mulier, nomine... (*a*), contracta, dum corpus tetigisset, liberata (*b*) est. Puer, nomine Orlandus, tussim maximam patiens, cum instinctu paterno sanctum Gerardum invocasset, statim sanatus est. Mulier, nomine Beatrix, febres patiens et dolores iliacos, posita petia de tunica sancti Gerardi super latus, a dolore et febre statim fuit curata. Frater Bartholomaeus de Castro Ioannis, dum staret ad matutinum, arreptus subito a dolore iliaco, invocatione sancti Gerardi statim exstitit curatus. Mulier, Bella nomine, dum casu brachium dislocatum haberet et dolores, fricando de tunica beati Gerardi super brachium ad locum dolentem (*c*), et ipsa a dolore liberata est. Quidam, Nicolaus nomine, malum stomachi patiens, de tunica beati Gerardi cum posuisset super stomachum, sanatus est. Comitissa (*d*) habens oculos depravatos, ut nihil quasi videret, cum manus sancti Gerardi duxisset super oculos, lumen recepit optatum. Matthaeus de Marsalia (*e*) habens in membro occulto cancrum, posita petia tunicae sancti Gerardi super locum, habuit sanitatem. Alius, qui magno tempore infirmitatem cancri fuerat perpessus, de tunica sancti Gerardi imponens super cancrum, statim est curatus. Et non solum in civitate Panormi, sed in aliis mundi locis per sancti Gerardi invocationem et mira (*f*) signa multa fiunt.

Et quia amicus singulariter exstitit Pisanorum in Panormo commorantium, in civitate Pisana prae aliis mundi locis Deus per ipsum signa ostendit. Centum et sexdecim daemoniacos a morte sua usque ad annum quinquagesimum quintum liberavit; sed a tempore illo usque in praesens, credo, quod bene ducenti et ultra sint liberati; et quotidie liberantur invocatione eius et suarum reliquiarum consignatione. Quinque liberavit a submersione; auditum octo reddidit; oculos tribus caecis restituit, et a diversis oculorum infirmitatibus decem liberavit; a diversis infirmitatibus brachiorum decem et octo curavit; a bullis decem et octo liberavit; contractos quinque extendit; a diversis infirmitatibus et doloribus capitis duodecim sanavit; a carceribus octo eripuit; a cruribus fractis et dolore undecim; casum patientes undecim; a doloribus corporis octo (*g*); a dolore dentium tres; mente captos tres; a febribus continuis septuaginta sex; a febre tertiana et quotidiana quinque; a febre quartana novem (*h*); ab iliorum dolore tres (*i*); a percussione gladiorum quinque; a lapide in virga duos; mutos quatuor; manus habentes perditas quinque; a maris periculo sexdecim; exsistentes in mortis articulo (*l*) quadraginta quinque; a morbo caduco septem; sterilibus partum concessit octodecim; a partus periculo novem; a paralysi et tremore quatuor; a podagra duodecim; ab infirmitate praeputii quinque; ab effusione sanguinis sex; a stomachi dolore sex (*m*); ab aegritudine ventris quinque liberavit; pacem quater posuit inter personas; ac animalia irrationabilia plura diversimode curavit.

Quod et quanta Deus operatus est per servum suum hunc beatum Gerardum in civitate Pisana, etsi praedicta [scripta] sint, tamen alia sunt innumera, quae nec modo (*n*) possent scribi; quanto magis illa, quae, ubi iacet, et alibi sunt facta. Ego ipse, qui haec scribo, miranda vidi, quae omitto propter brevitatem, quae Dominus per ipsum sanctum Gerardum operatus est. Et si miracula sanctum indicant magnum apud Dominum, credendum est, beatum Gerardum magni meriti esse apud Christum benedictum.

(*a*) Codex habet lacunam; As et edd. *mulier quaedam.* — (*b*) As et edd. addunt *statim.* — (*c*) As et edd. *brachium ad suum locum reversum est.* — (*d*) Edd. *Contissa.* — (*e*) As et edd. *Marsilia.* — (*f*) As et edd. *merita.* — (*g*) Edd. om. *casum—octo.* — (*h*) As *octo.* — (*i*) Edd. om. *a febre quartana—dolore tres.* — (*l*) As *periculo.* — (*m*) As om. *a stomachi dolore sex.* — (*n*) As *vix.*

DE PROVINCIA MEDIOLANI.

De fratre Leone.

In provincia Mediolani, in LEGNANO, in comitatu Mediolani, iacet frater Leo archiepiscopus Mediolani [1], vir strenuae sanctitatis [2].

Frater Petrus de Archagnano; qui fuit inquisitor; et quia noluit haereticos de libro inquisitionis abolere, in loco, qui dicitur Umbraida Guersii, ab eis martyrium recepit [3].

Frater Antonius de Rosate de comitatu Mediolani fuit pro fide a saracenis inter duos asseres secatus per medium [4].

DE PROVINCIA SCLAVONIAE (*a*).

In provincia Sclavoniae [5], in DURATIO iacet frater Antonius archiepiscopus Duratii [6]. Qui ultra mare pluribus annis praedicavit saracenis; demum obedientia factus est archiepiscopus Duratii. Hic mortem suam praedixit; sed mortuus, cum esset

(*a*) As et edd. hic et paulo post *Dalmatiae.*

[1] 1244-1263. — [2] Cfr. Bessa c. 1 (l. c. pag. 668) et *Cat. S. Fr. Min.* pag. 24. — [3] « Necis bonae memoriae fratris Petri de Arcaniaco ordinis Minorum » recordatur Innocentius IV in bulla « Ad audientiam nostram » de 5 apr. 1254 (cfr. Sbaralea, *Bullarium* t. I pag. 720). Vide de ipso Sbaralea, *Bullarium* t. I pag. 139 not. *d*, et Sbaralea, *Supplementum* pag. 584. — [4] Primam fratris Antonii, quem 1369 obiisse dicunt, mentionem invenimus in cod. Canon. Misc. 525 bibl. Oxoniensis pluries citato; cfr. *Cat. S. Fr. Min.* pag. 24 not. *a*. — [5] Codex praedictus, in conventu Tragurii 1384 et 1385 conscriptus, plures de fratribus provinciae Sclavoniae conservavit memorias. Dicit: « In *Duracio* frater *Antonius de Alexandria Paleae,* provinciae Ianuae, eiusdem Duracii archiepiscopus. Hic zelo fidei saracenis Deum praedicavit; demum archiepiscopus eiusdem Duracii factus, ibidem apud fratres hora, qua praedixit, vitam finivit. Et dum mortuus post magnum spatium iaceret in ecclesia dictorum fratrum Minorum, tantum sudavit, quod per indumenta ordinis atque archilectilia eius humor transivit ad terram; apparente tunc quadam ignota persona summo mane totam ipsius vitam a nativitate usque ad mortem lugubriter recitando, nunquam postea visa. (Quaedam alia de fr. Antonio ex eodem codice desumpta cfr. *Cat. S. Fr. Min.* pag. 47).

In *Catharo* frater *Adam* equitanicus, ipsius episcopi socius praedicti fratris Antonii in praedicatione praedicta; sanus praedicens suam mortem; magnae abstinentiae; sepultus in ipsius episcopatu.

Tragurii frater *Ioannes Bereta* Albanensis de Duracio; post longam austeritatem et ultramarinas peregrinationes sanus mortem et locum praedicens sancte quievit. Huius enim corpus post mortem choracia de rotulis ferreis repertum indutum, ipsius choraciae lotura potata multos a variis curavit languoribus.

In *Breborio* frater *Andreas* Albanensis de Duracio, qui post mortem duos publice de carceribus traxit captivos, ibidem carcere et compedibus illaesis remanentibus, nullo eos vidente...

In *Cherso* frater *Michael* Albanensis, praedicti fratris Ioannis socius familiaris.

Polae frater *Otto* Theutonicus caecos illuminavit et multis infirmitatibus sanavit.

In *Valle Iulianus* ibidem canonizatus.

Iustinopoli frater *Monaldus*, eiusdem provinciae minister ». — [6] 1349—1363.

indutus habitu et paramentis, et in ecclesia fratrum Minorum iaceret corpus eius, incepit sudare, et tam validus sudor fuit ille, quod habitum et paramenta penetravit; maneque sequenti super corpus eius quidam pulcherrimus (*a*) apparuit nunquam prius visus; qui coram populo stans eius vitam a die nativitatis usque ad mortem recitavit, et post disparuit, nunquam ab alio visus deinceps.

In CATHARA iacet frater Adam, socius dicti fratris Antonii, qui horam suae mortis praedixit, in qua et decessit.

In TRAGURIO[1] iacet frater Ioannes Bucca (*b*) de Albania, qui fuit magnae austeritatis, et mortem suam praedixit; ac eius corporis lotura potata multos a diversis infirmitatibus liberavit.

In BRIBERIO (*c*) iacet frater Andreas Albanensis, qui post mortem in meridie, nullo vidente, duos captivos a carcere liberavit, manentibus compedibus et carcere illaesis.

In CHERSI (*d*) iacet frater Michael Albanensis, socius in austeritate et peregrinatione dicti fratris Ioannis Albanensis.

In VALLE iacet frater Iulianus, de quo [fit] ibi festum[2].

In IUSTINOPOLIM[3] iacet sanctus frater Monaldus, qui fecit *summam monaldinam*.

In POLA est reconditus frater Otto (*e*), qui multis signis clarus est et fuit (*f*). Hic quendam, nomine Petrum, habentem apostema in gutture, ipsum invocantem, sibi apparens (*g*) liberavit. Ioannem priorem ecclesiae sanctae Mariae habentem brachium desiccatum et manum contractam, ad suum sepulchrum ad sanitatem perduxit. Puellam nobilem de Pola habentem crus contractum, nec valentem ambulare ad suum tumulum liberavit. Aliottum (*h*) habentem pedes retortos ad suum sepulchrum curavit. Martinum ab umbilico seu cingulo et infra paralyticum et contractum sanavit. Pueri os retortum usque ad aurem ad locum debitum et formam conduxit. Mariae oculorum lumine privatae visum restituit. Puerum caecum illuminavit. Mulieri cuidam mutae loquelam praestitit; et plures alios a diversis infirmitatibus clementer eripuit[4].

DE PROVINCIA ROMANIAE.

In provincia Romaniae, in NIGROPONTE iacet frater Petrus, homo mirae perfectionis; qui inter alia, quidam daemon dum ab incantatore vocatus venire tardasset, ultimo veniens, cum interrogatus fuisset, cur tantum distulisset, respondit: « Quia fratrem Petrum ab oratione volebam removere, sed non potui »; quo audito, incantator conversus vitae fuit perfectae (*i*).

Ibidem iacet frater Matthaeus, qui perfectionis fuit magnae, et claruit miraculis[5].

(*a*) Edd. addunt *iuvenis*. — (*b*) As *Butra*. — (*c*) As et edd. *Breberio;* est Bribir. — (*d*) As et edd. *Cherso*. — (*e*) As *Octo*. — (*f*) As et edd. *clarus extitit*. — (*g*) Codex *ac eidem apparente*. — (*h*) As et edd. *Alioctum*. — (*i*) As et edd. *fuit conversus et vitae postmodum perfectae*.

---

[1] *Traù*. — [2] De B. Iuliano Cesarello cfr. *Acta SS.*, t. II nov. pag. 517-519. — [3] Capo d'Istria; cfr. de fr. Monaldo infra, ubi de fratribus scientia praeclaris agitur. — [4] Cfr. *Dialogus* pag. 94 et 95. — [5] Fere eadem leguntur in cod. cit. Canon. Misc. 525; cfr. *Cat. S. Fr. Min.* pag. 42.

DE PROVINCIA TERRAE SANCTAE.

In provincia Terrae Sanctae iacent infrascripti fratres.

Frater Iacobus, custos Siriae et martyr; frater Ieremias, socius eius et martyr [1].

Et alii septem fratres nostri martyres, qui propter fidem a soldano Aegypti Melcasa [2] sunt decapitati. Frater Conradus de Allis (*a*) ob fidem decapitatus (*b*) est a saracenis; de quo dicitur, quod super corpus eius in mare proiectum in procellis stabant duo luminaria per triduum [3].

Fratres nostri duo alii, unus antiquus et alter iuvenis, decoriati sunt in capitibus a saracenis [4].

Frater Bartholomaeus Martinozi, de Monte Poliziano, de provincia Tusciae, apud Karum (*c*) de Babylonia pro fide a capite usque deorsum sectus fuit a saracenis [5].

Frater Ioannes de Ottheo (*d*), provinciae Castellae, confessor domini infantis Fernandi, fratris regis Aragoniae. Hic frater vitae et scientiae singularis ivit ad Hierusalem. Sed postmodum captus a soldano cum socio, nomine fratre Gunsalvo, laico de provincia sancti Iacobi, et positus in carceribus, socio ob poenas mortuo, ipse, permittente Deo, non valens poenas sustinere, fidem abnegavit et factus est saracenus; verum uxorem more eorum accipere noluit, et sic circa tres annos stetit. Verum, divino spiritu tactus, scripsit fratribus de Cypro, ut mitterent sibi duos fratres exsistenti in Karo Babyloniae, per quos volebat ad fidem redire; quod et factum est. Unus frater, qui accessit, fuit captus a saracenis, sed postea dimissus. Sed frater Ioannes post solemnem praedicationem et revocationem eorum, quae negaverat, captus a saracenis, primo verberibus crudelissime caesus, deinde sale et aceto plagis aspersis, demum sex clavis fuit crucifixus, scilicet duobus in manibus, duobus in brachiis in medio, scilicet in cubito, et duobus in pedibus. Et cum in principio facies eius pallida

---

(*a*) As *Aliis*. — (*b*) As et edd. *decollatus*. — (*c*) As et edd. *Cairum;* est *Cairo*. — (*d*) As *Catheo;* edd. *Etheo*.

---

[1] Ipsorum martyrium referunt ad annum 1266 Minorita Erphordiensis, Petrus Coral (*Chronica S. Martini Lemovicensis*), Martinus Sanutus (*Historia Hierosolymitana*, l. III part. 12 c. 8), Paulinus Puteolanus et alii; cfr. *Cat. S. Fr. Min.* pag. 25 et Golubovich, *Biblioteca bio-bibliografica* pag. 295 sqq. — [2] Melek-Saher-Bibars; regnavit 1260-1277. — [3] De ipsis agit Minorita Erphordiensis ad an. 1269 (apud Glassberger pag. 82); cfr. *Cat. S. Fr. Min.* pag. 26 not. 1. et Golubovich l. c. pag. 264. — [4] Idem *Cat. S. Fr. Min.* pag. 26. — [5] Errat Pisanus, confundendo fortasse nomina duorum fratrum ex eodem loco oriundorum. Mons Politiani (Montepulciano) est enim patria beati *Bartholomaei Puccii*, de quo supra pag. 261, et fr. *Ioannis* martyris, de quo hic est sermo, quem *Chron. 24 gen.* pag. 543 anno 1345 martyrium subiisse dicit. De ipso Sbaralea, *Supplementum* pag. 707 dicit: « Ioannes Martinus al. *Martinozzius* a Montepolitiano, per errorem dictus *Bartholomaeus* a Pisano Confor. VIII, cui adhaerens Waddingus ex uno duos Martyres fecit; ex monumentis mss. Montis Politiani an 1325 erat Senis, et an. 1328 Montis Politiani; in quadam donatione facta ab Angelo Martinozzi huius Martyris abnepote an. 1445 legitur: *ob devotionem... erga beatum Fratrem Ioannem Martinozzi Ordinis S. Francisci, qui fr. Ioannes propter sanctam apostolicam fidem martirizatus fuit, et, ut vulgariter dicitur, inciso ultra mare per medium sub annis Domini 1342 aut circa* »; cfr. etiam Benoffi, *Compendio di Storia Minoritica* (Pisauri 1829), pag. 130-132.

esset facta prae dolore, demum adeo rubicunda (*a*) et laeta, ut omnes mirarentur. Et sic vixit per tempus, semper fidem Christi affirmando et Maumeth detestando [1].

Frater Ioannes de Neapoli, diaconus, cum regi Gazzae (*b*) Christum praedicaret ac vellet eum ad fidem convertere, ab eodem captus et in frusta est concisus [2].

Fratres nostri alii sedecim, qui erant in terra promissionis tempore, quo rex Cypri Petrus Alexandriam cepit, capti positi sunt in carceribus in Damasco; per quinque annos stantes in ferris et sine indumentis et ieiuniis virtute fidei (*c*) probati, gloriosa morte confessionis perseverantia obierunt [3].

DE PROVINCIA BURGUNDIAE.

De fratre Bonaventura de Balneo Regio.

In provincia Burgundiae, in LUGDUNO iacet pater dominus frater Bonaventura de Balneo Regio, sanctae romanae ecclesiae cardinalis, episcopus Albanensis, provinciae Romanae.

Qui cum iuvenis, miraculo sibi facto per beatum Franciscum, utpote a mortis faucibus liberato [4], ordinem intrasset, tantae bonae indolis honestate pollebat, ut magister Alexander de Halis (*d*) diceret aliquando de ipso, quod in eo videbatur Adam non peccasse. Hic in septimo anno post ingressum ordinis legit sententias Parisius, et in decimo anno recepit cathedram magistralem; in decimo tertio anno ad regimen ordinis est assumptus, decem et octo annis ordinem rexit [5]. Hic in primo capitulo,

---

(*a*) As *iocunda.* — (*b*) As et edd. *Gaze.* — (*c*) As *Dei.* — (*d*) As et edd. *Ales.*

---

[1] Secundum cod. Canon. Misc. 525 bibl. Oxoniensis pluries citatum mortuus est « generalante fratre Marco » (1359-1366); cfr. *Cat. S. Fr. Min.* pag. 46. — [2] *Chron. 24 gen.* ipsius non facit mentionem; ast pag. 560 simile martyrium fr. *Gulielmi de Castromaris* (prope Neapolim) refert, quem 1364 in civitate Gazae occisum dicit; num unus idemque ac frater Ioannes de Neapoli sit, haud dicere possumus. — [3] Codex Oxon. cit. hic pariter addit: « generalante fratre Marco »; rex Petrus (1358-1368) cepit Alexandriam 1365; sec. *Chron. 24 gen.* (pag. 564) tempore fratris Thomae de Bononia (1367-1372) duodecim fratres iisdem sub circumstantiis, quas supra narrat Pisanus, a saracenis occisi sunt; unde de iisdem martyribus utrumque agere putamus. — [4] Bonav. *Leg. min.,* De transitu mortis lect. 8. — [5] Hanc chronologiam vitae S. Bonaventurae primus exhibuit *Catalogus generalium ministrorum* (Analecta Franciscana, t. III) pag. 699; eamque repetunt *Cat. S. Fr. Min.* (pag. 27), Paulinus Put. (*Provinciale,* pag. 78), *Chron. 24 gen.* (pag. 324), Pisanus cum aliis. — Nota est differentia, quae inter scriptores hac de re habetur: alii chronologiam supra datam acceptant, alii ipsam in codicibus corruptam esse tenent. Secundum priores (ex. gr. Galesinius, Waddingus — cfr. Bonav., Opera omnia, t. X pag. 40) sanctus Bonaventura habitum ordinis sumpsit anno 1243; secundum alios vero (Sbaralea, Bonelli, Panfilo da Magliano, Ehrle, Felder, dissertationem in tomo X editionis Operum omnium D. Bonaventurae) S. Bonaventura in ordinem intravit anno 1238. Priori sententiae testimonium favet Salimbene, qui in sua *Chronica* (pag. 129) refert: « Frater Ioannes de Parma dedit licentiam fratri Bonaventurae, ut Parisius legeret;... currebat tunc annus 1248 »; cum vero S. Bonaventura « in septimo anno post ingressum ordinis legit sententias Parisius », facile in annum 1243 istum ingressum remittere licet; favent pariter Glassberger (pag. 63) et Komorowo (*Memoriale ordinis fratrum Minorum,* pag. 101), qui ipsum sub generali *Haymone* (1240-1244) in ordinem intrasse dicunt. — Altera sententia testimonium praecipuum desumit ex verbis beati Francisci Fabrianensis,

quod tenuit Narbonae, constitutionibus ordinis formam dedit et ordinem. In capitulo Pisis provinciarum ordinis, ut modo sunt, facta est distinctio. Hic postmodum, rogatu capituli generalis, legendam maiorem et minorem beati Francisci composuit, quas modo tenet et habet totus ordo. Hic per dominum Gregorium X factus est cardinalis. Hic videns se indignum communione corporis Christi per multos dies abstinuit a celebratione missarum; sed Deus eius humilitatem aspiciens consolatus est eum mirabiliter; nam eo audiente missam devote, una de particulis hostiae consecratae iam divisae intravit in os eius, sacerdote nullatenus advertente. Hic in Lugduno tempore generalis concilii, ad sanctos patres appositus triumphantes, suo laetificavit consortio, papa cum cardinalibus exsequias super eius corpus celebrante [1]. Ipse fecit opera multa, ut inferius.

Huius corpus dum de sacristia esset positum in sepulchro novo, ubi nunc iacet, corpore redacto in cinere, lingua inventa est sana et integra, acsi nunquam fuisset sepulta. Quod fratres videntes, eam in pyxide eburnea ponentes, in sepulchro eius recondiderunt [2].

Locus Viennae.

In Vienna iacet frater Michael; iste aquam in vinum mutavit et plura miracula fecit.

Iacet ibidem frater Drodo; cui servivit angelus in missa et praeparavit ei omnia necessaria [pro Missa] in quadam ecclesia derelicta et deserta; et alius angelus ei equos praeparavit ad ambulandum [3].

Iacet ibi frater Gulielmus; hic habuit spiritum prophetiae; statim enim futura dicebat.

Locus de Avoniaco.

In Avoniaco (*a*) iacet frater Gulielmus; ad cuius preces navis distans, quia longe recesserat, ad portum rediit statim, sicut ipse frater optaverat.

(*a*) As *Anoniato*, edd. *Amoniaco*, est Annonay.

---

quod S. Bonaventura fuit « in sacra theologia licentiatus sub magistro Alexandro », qui anno 1245 mortuus est; « hinc sequitur — aiunt (ita Bonav., Opera omnia t. X pag. 42) — non tantum, Bonaventuram an. 1238 ordinem esse ingressum, sed etiam, cum iam an. 1245 Parisiis plures annos commoratum esse. Impossibile enim est, eum ab Alexandro ut baccalaureum universitati praesentatum fuisse, antequam studia passiva compleverit »; ex hoc vero deducunt, in chronologia supra data verba « in XIII anno » esse corrupta et « incuria amanuensis antiqui numerum V fuisse omissum » (l. c. pag. 48). Ast nihil impedire videtur, quominus dicamus, fratrem Bonaventuram iam ante ingressum ordinis sub fratre Alexandro licentiatum esse; ita *Analecta Bollandiana*, t. XXII (1903) pag. 362, ubi bene dicitur: « En admettant que Bonaventure quitta le monde en 1243-1244, toutes les autres données chronologiques du vieux Catalogue cadrent parfaitement avec cette date ». — [1] Hucusque idem in *Cat. S. Fr. Min.* pag. 27. Ex eodem *Catalogo* Pisanus alia — praeter translationem S. Bonaventurae — desumpsit, quae hic refert de provincia Burgundiae. — [2] Pisanus primus huius translationis facit mentionem, cuius annum non possumus indicare. Auctores posteriores (cfr. *Acta SS.*, t. III iulii pag. 820) eandem fere relationem habent de translatione quadam, quam 160 annis post mortem D. Bonaventurae (i. e. c. 1434) factam dicunt; propter has similes circumstantias non de alia translatione intelligendi videntur, sed potius tempus ab illis assignatum corrigendum. — [3] Cfr. de ipso Salimbene, *Chron.* pag. 149 et 319, et *Chron. 24 gen.*, pag. 244; quae omittit « Iacet ibidem fr. Gulielmus, hic habuit spiritum prophetiae », verba « statim futura praedicabat » de fr. Drodone refert ac *unum solum* fr. Gulielmum nominat.

Locus Valentiae.

In Valentia iacent frater Petrus martyr et frater Cathalanus martyr, qui ab haereticis propter officium inquisitionis sunt martyrizati. Qui post ipsorum mortem apparentes cuidam sanctimoniali infirmae, primo totaliter sanguinolenti, postea totaliter gloriosi, praemonentes eam, quod in crastino iret obviam corporibus eorum pro sanitate recuperanda; quod cum fecisset, statim est sanata [1].

[In conventu Diensi iacet frater Electus, homo sanctissimus valde].

DE PROVINCIA TURONIAE.

Locus Pictaviae.

In provincia Turoniae, in Pictavia iacet frater Gualterius, episcopus Pictaviensis [2]. Hic illuminavit caecos, et multa miracula fecit; iste sanctus habet specialem gratiam liberandi et curandi homines a quartana. Hic sanctus ad mortem veniens quandam scripsit cedulam, cum qua in manu decessit; et cum Pictavis esset Romana curia, scilicet dominus papa Clemens V [3], qui ipsum iniuste ab episcopatu Pictaviensi deposuerat [4], episcopi et cardinales et alii praelati adessent ad eius exsequias, nulli praedictam dare voluit cedulam; sed domino papa veniente, eidem statim mortuus tradidit. In cedula continebatur, quomodo ipse frater Gualterius, quia iniuste ab eo fuerat depositus, infra tot dies dominum papam citabat appariturum coram aeterno iudice. Et sic factum est; nam, die statuta, subita morte papa ipse decessit [5].

In dicto loco iacet frater Symon, minister Turoniae; ad cuius os Spiritus sanctus in specie columbae visus est.

Locus Rodomarum.

In Rodoniis (*a*) iacet frater Rodulfus sacerdos, cui angeli servierunt in missa.

Locus de Cenomannis.

In Cenomannis [6] iacet frater Electus; cui in extrema unctione et animae recommendatione, quando sancti nominabantur in litania, iidem sancti visibiliter apparebant eidem fratri; quibus ipse cum risu et laetitia magna reverentiam faciebat, et tamen (*b*) tribus diebus steterat, quibus non fuerat locutus [7].

(*a*) As et edd. *Rodomis;* est Rennes. — (*b*) As *cum.*

---

[1] Cfr. bullas Ioannis XXII « Vox sanguinis » de 20 nov. 1321 et 17 nov. 1322 (Eubel, *Bullarium franciscanum,* t. V pag. 453 et 485. — [2] 1279-1306. — [3] Obiit frater Gualterius die 21 ian. 1307; sec. *Chron. 24 gen.* pag. 456 « anno 1307 dominus papa cum tota curia ivit Pictavium et ibi fuit per annum et amplius commoratus ». — [4] Non proprie depositus, sed resignare coactus est ob « non modicam dissensionem de suis iuribus »; cfr. *Chron. 24 gen.* pag. 455. — [5] Cfr. *Cat. S. Fr. Min.* pag. 29, Paul. Put. (in *Provinciale* pag. 16), *Chron. 24 gen.* pag. 37! et 455 aliosque. — [6] Le Mans. — [7] Idem fere de provincia Turoniae in *Cat. S. Fr. Min.*, pag. 29 et *Chron. 24 gen.*, pag. 455; cfr. etiam Paul. Put. *(Provinciale),* pag. 15.

DE PROVINCIA AQUITANIAE.

In provincia Aquitaniae, in FIGIACO iacet frater Aldemarus (*a*) de Filsinio. Iste suscitavit mortuos, caecos illuminavit et vexatos a daemonibus curavit [1].

Locus Affricani.

In Sancto Affricano iacet frater Gulielmus, qui multis claruit miraculis.

Locus Aureliaci.

In Aureliaco iacet frater Rigaldus (*b*), qui multa fecit miranda.

Locus Tholosae.

In Tholosa iacet frater Stefanus; qui, cum esset prius abbas magnus, dimissa abbatia, factus est frater Minor. Hic, dum esset inquisitor in partibus Tholosanis, ab haereticis occisus, corona martyrii meruit sublimari.

Ibidem iacet frater Raymundus, eius socius, qui etiam martyrio cum eodem coronatus iuxta (*c*) est sepultus [2].

DE PROVINCIA FRANCIAE.

De fratre Iuliano Theotonico.

In provincia Franciae, in PARISIUS iacet frater Iulianus Theotonicus, vir mirae sanctitatis; qui fecit historias beati Francisci et beati Antonii et quoad cantum et quoad antiphonas, versus et responsoria, quibusdam antiphonis ad *Magnificat* et responsorio « Carnis spicam » exceptis [3]. Hic ante ordinis ingressum fuit magister cantus (*d*) in aula regis Francorum [4].

Iacet ibidem frater Venantius laicus; cum quo multae animae in suo obitu de purgatorio ad caelum evolarunt, sicut eadem die in Colonia exstitit revelatum.

De fratre Ioanne Vallensi.

Iacet ibidem frater Ioannes Vallensis (*e*), magister in theologia; qui summam valde utilem multorum tractatuum composuit [5]; hic (*f*) *Arbor vitae* vocatur. Hic in

(*a*) As et edd. *Aldemarius.* — (*b*) As *Gulielmus.* — (*c*) As addit *eum.* — (*d*) As om. *magister cantus.* — (*e*) As *Gallensis;* edd. *Gualensis.* — (*f*) Ita As et edd.; codex hoc loco: *haec arbor vitae vocatur;* paulo post, ubi agit de scriptoribus ordinis: *qui arbor vitae vocatur.*

[1] Cfr. *Chron. 24 gen.*, pag. 464-467. — [2] Fere idem Bessa c. 1 (l. c. pag. 669); cfr. *Chron. 24 gen.* pag. 248 et *Acta SS.*, t. VII maii pag. 180-183. In *Cat. S. Fr. Min.* (pag. 30) deest frater Raymundus; reliqua de provincia Aquitaniae ut supra. — [3] Cfr. Salimbene, *Chron.* pag. 194. — Nota est controversia, num fr. Iulianus sit etiam auctor *legendae* S. Francisci; testimonium Bernardi de Bessa dubium est; cod. I. VI. 33 Taurinensis habet: « Beati Francisci vitam scripsit... in Francia frater Iulianus, qui etiam nocturnale Sancti officium in littera et cantu posuit » (ita etiam editiones), ast codex Andegavensis 737 (saec. XV): « In Francia vero Iulianus nocturnale officium Sancti in littera et cantu composuit » (cfr. *Orbis Seraphicus*, De Missionibus Apostolicis, t. II (Appendice, pag. 707). — [4] Pisanus primus refert, quod fr. Iulianus « fuit magister cantus in aula regis »; *Chron. 24 gen.* (pag. 381) dicit, quod « fuit corrector Parisius multis annis ». Cfr. *Cat. S. Fr. Min.* pag. 31 not. *a.* — [5] *Summa de virtutibus et vitiis;* cfr. Sbaralea, *Supplementum* pag. 428.

fine constitutus, cum diu sine loquela permansisset, tandem loqui coepit totus gaudens et laetus ac dicere: « Iudicium meum factum est, ad patriam pergo », et sic diem clausit extremum [1].

De magistro Alexandro de Halis.

Iacet ibidem magister Alexander de Halis; qui fons vitae appellatur [2], qui summam maximam fecit in theologia, approbatam per dominum papam Alexandrum IV [3] et per sexaginta magistros in theologia Parisius [4], et multas postillas fecit super scripturam sacram et glossas ordinarias, ut dicitur. Hic miraculose ordinem fratrum Minorum intravit et miraculose remansit et gloriose obiit [5].

DE PROVINCIA PROVINCIAE.

De sancto Ludovico episcopo Tholosano.

In provincia Provinciae iacet sanctus frater Ludovicus, episcopus Tholosanus, primogenitus regis Caroli II. Cuius vitam succincte, prout potui invenire hinc inde, ponam [6].

De ipsius generis nobilitate.

Hic sanctus ex parte patris fuit de domo Franciae; pater enim suus, Carolus II, filius fuit Caroli I, dicti Martelli, qui Carolus I filius fuit Ludovici regis Francorum et frater sancti Ludovici regis Francorum. Ex parte matris, ut dicit papa Ioannes in bulla canonizationis ipsius, scilicet dominae Mariae (*a*), fuit de domo Ungariae, de qua domo sunt tres reges canonizati, scilicet sanctus Stephanus, sanctus Henricus (*b*) et sanctus Ladislaus, qui fuerunt fratres germani (*c*) dictae dominae Mariae; sanctus Bela (*d*), nondum canonizatus, nepos fuit dictae dominae; sancta Eli-

(*a*) Ita As, edd. cum legendis et documentis antiquis, codex *Ioannae*. — (*b*) Codex *Lymachus;* edd. addunt *dux*. — (*c*) As et edd. om. *germani*. — (*d*) As et edd. addunt *rex*.

[1] Idem Cod. Oxon. 525 (cfr. *Cat. S. Fr. Min.*, pag. 31 not. *b*). — [2] Primam huius tituli mentionem invenimus in Cod. Oxon. pluries citato (cfr. *Cat. S. Fr. Min.* pag. 31 nota *b*). — [3] Bulla « De fontibus Paradisi » de 28 iulii 1256; cfr. Sbaralea, *Bullarium franc.*, t. II pag. 151, et Denifle-Chatelain, *Chartularium Universitatis Parisiensis*, t. I (Paris 1889) pag. 328. — [4] Fructu XI Pisanus dicit: « Opus a 72 magistris scriptura propria ac sigillis est approbatum »; de hac utraque relatione Denifle-Chatelain dicit quidem l. c. pag. 329 in nota: « Meram fabulam vero esse opinamur traditionem, ‚opus Alexandri a 72 (vel 60) magistris scriptura propria ac sigillis esse approbatam', ut refert Bartholomaeus de Pisis »; ast nihil relationi obstare videtur, nec enim opus a tot magistris insimul esse approbatum asserit (uti secundum — Denifle l. c. t. II pag. 140 — quadraginta « experti » beati Raymundi *Artem brevem* approbaverunt), nec approbatio quaedam solemnis refertur. De magna fama Alexandri cfr. Salimbene, *Chron.* pag. 16, et Roger Bacon, *Opus minus* pag. 327 ac alibi. — [5] Cfr. *Chron. 24 gen.*, pag. 218 et 219; quae ibi dicuntur de ipsius ingressu in ordinem, eodem fere modo Eccleston refert de ingressu fratris Adae de Oxonia (*De adventu fratrum Minorum in Angliam*, Anal. Franc. t. I pag. 224). — [6] Pisanus pluries citat bullam canonizationis « Sol oriens mundo » de 19 aug. 1397 (Eubel, *Bullarium franc.*, t. V p. 111). Vitas S. Ludovici enumerat *Bibliotheca hagiographica latina*, t. II pag. 750 et 751.

sabeth canonizata eius fuit amita. Sic ergo ex utroque parente nobilissimis est ortus parentibus.

Hic siquidem Carolus II, etsi plures habuerit filios, primogenitus eius fuit hic sanctus iuvenis et frater Ludovicus, cui ut primogenito regnum Siciliae et Ierusalem debebatur [1]. Et quia mater eius unica fuit regis Ungariae filia, qui alios filios non habuit, nisi matrem ipsius dominam Mariam, ratione matris regnum Ungariae suum erat; quae, ut patebit, Christi amore despexit ac dimisit, factus humilis frater Minor; sed quo modo, est videndum. Carolus siquidem I coronatus rex per ecclesiam contra Manfredum regnum obtinuit, interfecto Manfredo, Siculorum rege. Verum de Manfredo filiae aliquae remanserunt; inter alias remansit Constantia, quae nupta fuit regi (*a*) Petro Aragoniae. Et quia Francigenae in insula Siciliae pessime se habebant, ordinatione Ioannis de Procida, interfectis per totam insulam Siciliae una die Francigenis, rex Carolus I insulam amisit Siciliae, quam illico Petrus rex Aragonum accipiens ob uxorem [2], filium suum secundum, scilicet Fredericum, in dicta insula regem posuit; propter quod bellum ortum est inter Carolum et Petrum. Sed idem Carolus, cum se praepararet ad invadendum Siciliam, diem clausit extremum, regno dimisso Carolo filio, qui, dum contra Siculos exercitum parasset, victus a Petro de Aragonia, captus est et ductus Barchinonam. Qui [Carolus], datis tribus filiis [suis] obsidibus, videlicet primogenito suo Ludovico et duobus aliis, ipse rex Carolus ad suum regnum est reversus [3]. Et cum pax per septennium non fuerit reformata, sanctus Ludovicus cum duobus fratribus suis per tantum (*b*) tempus Barchinonae obses fuit; qui in captivitate positus, non puerorum mores ac lascivorum, sed antiquorum et virtuosorum hominum statum et opera prosecutus, multis virtutibus coepit florere.

De eius exercitio in studio scientiarum.

Studio scientiarum cum fratribus suis tali in tempore sic se dedit, habendo magistros in scientiis fratres Minores, scilicet fratrem Pontium Carbonelli, hominem sufficientem et sanctum [4], et alios fratres Minores, quod infra septennium, quod ibi fuit, in grammatica, logica, scientia naturali, metaphysica et morali et sacra theologia adeo fuerit instructus, quod et disputare de praedictis sciret, docere ac praedicare clero et populo et Dei verba proponere; ut scientia magis sibi infusa putaretur divinitus, quam humanitus acquisita.

De corporis eius et animae puritate.

Hic sanctus, etsi pulcherrimus esset corpore adeo, ut audivi a fratre, qui vidit eum, quando primo episcopus Tholosam intravit, ut concorditer mulieres omnes et ho-

(*a*) As et edd. om. *regi*. — (*b*) As *totum*.

[1] Pisanus plures hic commisit errores: sanctus Ludovicus non fuit primogenitus; primus enim filius Caroli II erat Carolus † 1295; Ludovico « debebatur regnum, non quia primogenitus, sed quia primogenitus eius frater Carolus Martellus abierat e vivis » (*Acta SS.*, t. III augusti pag. 776). Non avus sancti Ludovici, sed frater ille natu maior cognominabatur Martellus. Dicti sancti reges minime fuerunt fratres germani suae matris, utpote longo ante tempore mortui. — [2] Constantia, filia regis Manfredi. — [3] Anno 1288. — [4] De quo infra pag. 324.

mines dicerent, se pulchriorem faciem nunquam vidisse, nec de eius facie (*a*) ad videndum poterant satiari, et de vico in vicum ibant [cuncti] ad eum videndum, ac in mundi deliciis enutritus, post carnis concupiscentias nullatenus abiit, sed a pueritia amor castitatis eius affecit mentem, ut non solum mulierum aspectus, colloquia et consortia vitaverit, sed et verba carnalia aut ad alia pertinentia nullus eum unquam loquentem audivit. Unde, Barchinonae dum esset obses, et homines nobiles illius regni, qui eum visitabant, verba dissoluta aliquando loquerentur et (*b*) ad malum eum incitarent, adducendo ad eum virgines, puellas et nobiles, ipse vir angelicus et purissimus quasi ribaldos a se abiiciebat; fratresque suos acutissime reprehendebat, cum se dabant aspectibus mulierum, nec audebant propter ipsius reverentiam et timorem aliquid agere inhonestum. Suae virginitatis testes fuerunt fratres, qui ipsum nutrierunt; qui in sua iacebant camera, et sibi a pueritia astiterunt et, ipsum angelicae puritatis fuisse, testimonium reddiderunt. Unde eius conversatio inter homines quoad hoc potius angelica fuit quam humana. Perhibuerunt etiam [testimonium] nobiles viri cum fratribus praedictis, quod nunquam, ex quo natus est, usque ad vigesimum quartum annum, quo decessit, ab eius ore exivit verbum, nec iocose nec seriose, unum lascivum aut declamans (*c*) seu importans aliquam inhonestatem; sed semper verba eius castissima fuerunt et honesta, et quod maius est, tam saecularis quam frater et episcopus omnem aspectum et omnem contuitum mulierum perpetuo evitavit. Dominus papa Ioannes in bulla canonizationis eius ponit, quod, excepta matre et sororibus, cum nulla muliere solus cum sola aliquando est locutus. Quoad hoc referam, quid hic sanctus circa sororem suam reginam egit Aragoniae (*d*); cum enim venisset ad eum visitandum, nullo modo potuit obtinere precibus quibuscumque, ut eam in faciem aspiceret, sed respondit, quod erat fatua hoc petens. Dominae Ioannae, reginae Franciae, cognatae suae, utpote filii duorum fratrum, roganti, ut in suo adventu more nobilium de Francia eam reciperet ad amplexum et osculum, nullatenus acquievit, etsi summa devotione ferretur ad ipsum. Non solum verba inhonesta unquam [fuit locutus], sed talia dicentes graviter arguebat. Oculos suos ab omni aspectu mulierum averterat, ut nullam aliquando aspiceret; nam dominus erat suorum oculorum. Tholosae quaedam domina, cum audisset, eum de hoc commendari, respondit: « Ego probabo »; cumque ad eum ivisset et ipsum, dum esset in ecclesia, diligenter considerasset, reversa ad domum dixit (*e*): « Vere, iste dominus sanctus est; nunquam vidi aliquem, qui suis dominaretur oculis, nisi istum ».

De studio sanctae orationis.

Sanctae orationis studium hic sanctus, nondum factus frater Minor, specialiter habuit in amicum. Nam, ut de hoc testabatur rex Robertus et eius frater ac domicelli sui nobilissimi, qui in sua iacebant camera, cum esset parvulus et tenellus, omni tempore, postquam servitores sui recesserant, surgebat de lecto et in oratione et lacrymis usque ad mediam noctem persistebat. Et a fratribus, qui eum in confessione audiebant, fuit multoties reprehensus propter eius delicationem. Unde in illis diebus, cum semel ad orationem surrexisset et staret usque ad mediam noctem pervigil in oratione, essetque lumen ardens in camera, sicut mos est nobilium, et do-

(*a*) As et edd. *nec de videndo eius faciem.* — (*b*) As et edd. *ut.* — (*c*) Edd. *declarans.* — (*d*) As et edd. in *Aragonia.* — (*e*) As et edd. addunt *vicinis.*

minus rex Robertus et frater eius dominus Raymundus in lecto eius (*a*) essent, cum omnes simul dormirent et actualiter vigilarent, viderunt sanctum Ludovicum ad orationem surrexisse; cumque inspicerent, conspexerunt unum gallum nigerrimum et magnum, sicut unus canis, saltantem super eum et praeliantem cum eo, quem ipse sacer iuvenis Ludovicus, signo crucis facto, a se abigebat; et cum pluribus vicibus super eum saltasset, exclamaverunt pueri, scilicet Robertus et frater, et statim disparuit gallus ille; quod advertens sanctus Ludovicus ab oratione surgens venit ad eos, et iuramento eos astrinxit, ut quamdiu viveret, nulli, quod viderant, reserarent.

De eius ad pauperes pietate.

Factus frater Minor, dormientibus sociis, surgens ad orationem devote orabat et in terra cubitabat. Hic sanctus tam ex gratia quam dono naturae hoc habebat praecipuum, ut ad pauperes et specialiter leprosos manus suas libenter extenderet et ipsos personaliter visitaret. Barchinonae dum esset obses, nec ipse adhuc 18 erat annorum, visitabat leprosos; suis manibus eburneis et pulcherrimis, quibus omnes alios excedebat, eorum lavabat membra, tangebat ulcera, educebat saniem, et in oscula devotissime proruebat; et hoc specialiter in hebdomada sancta et singulariter in Domini coena faciebat. Nam, ut testis fuit rex Robertus et alii, qui praesentes fuerunt, cum semel in coena Domini vocari fecisset omnes leprosos de civitate Barchinonae ad suum hospitium, ut eorum pedes lavaret et cibaria ministraret, memor Domini, cuius aspectus apparuit leprosus, percussus et humiliatus illis diebus, cumque omnes leprosi convenissent ad eius hospitium, affuit unus statura permaximus et in illa infirmitate horribilissimus ita, quod dominus rex Robertus et dominus [Raymundus] eius frater hoc videntes summe timuerunt; ad quem accedens vir Domini Ludovicus hunc diligentius lavit et devotius quam alios ac studiosius sibi servivit in mensa, necessaria ministrando. Sed cum in crastino in die parasceven in memoriam passionis Christi, qui apparuit leprosus in cruce, praefatum leprosum in suo voluisset hospitio habere, in tota civitate non est inventus diligentissime requisitus. Et cum fuissent ceteri leprosi interrogati, responderunt, quod nunquam aliquis talis affuit inter eos, nec unquam illum viderunt. Unde credendum est pie, ipsum fuisse Dominum Iesum Christum vel eius angelum, qui in specie leprosi horribilissimi se voluit exhibere beato viro, ut eius probaret virtutem et humilitatem.

Factus episcopus Tholosanus, cum mandasset inquiri de suorum quantitate redituum, de quadraginta millibus librarum, decem millibus pro suis retentis expensis, triginta millia distribuebat pauperibus. Omni die 25 pauperes in sua domo reficiebat, quibus aquam manibus infundebat, fercula apponebat, scindebat panem, poplite genuflexo, et serviebat. Aliis etiam pauperibus largas faciebat eleemosynas tam publicas quam privatas. Hospitalia etiam visitabat pauperum leprosorum. Semel eundo Parisius pauperi, quem reperit, propriam cappam dedit. Nullum, quantumcumque pauperem et despectum, dedignabatur. Quadam vice accidit, quod, ipso transeunte cum tota familia sua, quaedam mulier paupercula et antiqua, in quodam tugurio humili et despecto iacens, clamaret confessionem humiliter petendo; et cum aliqui de sacerdotibus vellent de equis descendere, ut eam audirent, respondit sanctus

(*a*) As om. *eius*.

Ludovicus: « Nequaquam, sed ego descendam, et audiam eam, quoniam ad me spectat ». Descendit, tugurium intravit, eam audivit ad confessionem, consolatus est eam et eleemosynam impendit. Egressus inde plenus fuit pediculis et immunditia, quod vir sanctus cum consolatione aspexit gaudenter et cum risu portavit; pediculos et huiusmodi gemmas pauperum vocabat.

De morum ipsius maturitate.

Qualis hic sanctus exsisteret et futurus esset, non solum praefata ostendebant, sed maturitas, quam habebat in gestu et affatu ac conversatione. Si spatiatum duceretur cum fratribus, illis solatiantibus et equis suis currentibus, iste semper maturissime et devotissime permanebat, nec aliquam lasciviam ostendebat, sed summam maturitatem. De ipso post eius mortem nobilissimi viri, qui eum agnoverant ab initio vitae suae usque ad finem, tactis sacrosanctis evangeliis, testimonium perhibuerunt, nunquam se audivisse ac vidisse aliquid de eo, unde posset notare quisquam peccatum mortale de eo, cum omnis actus vitae eius et secreta eis essent nota. Adeo fuit plenus mititate, suavitate, humilitate ac columbina simplicitate, ut ad eum accedere posset quilibet, quantumcumque modicus, pauper et despectus.

De ipsius ingressu ad ordinem fratrum Minorum.

Cernens vir Deo devotus, mundum transire velut umbram, ac amicum mundi Dei effici inimicum, dum adhuc Barchinonae in obsidione esset positus obses, videlicet patris sui, mundum abdicare proponens, ibidem effici frater Minor voluit; sed hoc non valens perficere, quia fratres de provincia Aragoniae timore eum non recepissent, tunc votum solemniter emisit de intrando ordinem fratrum Minorum. Sed cum Deo placuisset, quod post septennium, quo obses fuit, inter regem Aragonum et patrem suum pax esset facta, cum a regno Aragoniae abscessisset et venisset ad Montem Pessulanum, ibidem votum suum, quod de intrando ordinem fratrum Minorum fecerat, voluit adimplere; sed timore patris eum [fratres] recipere formidantes, iterato in dicto conventu solemniter votum fecit de intrando ordinem fratrum Minorum. Veniens vero Romam in praesentia domini papae Bonifacii VIII et regis Caroli patris sui, cum sibi introitum dissuaderent ordinis fratrum Minorum, et si intendebat mundum relinquere, quod provisioni de se factae ecclesiae Tholosanae intenderet, respondit, nullatenus tali provisioni se praebiturum assensum, nisi prius votum, quod fecerat de intrando religionem fratrum Minorum, perfecisset. Et sic, annuente papa praedicto, in sui praesentia ad ordinem receptus per fratrem Ioannem de Murro, tunc ordinis generalem ministrum, factus est frater Minor et filius beati Francisci pauperis concrucifixi (*a*).

O qualis fuit mundi contemptus istius sanctissimi iuvenis, qui regnum Siciliae et Ierusalem, quod sibi debebatur tanquam primogenito ratione patris [1], ac regnum Ungariae, quod sibi debebatur ex matre, comitatum Provinciae et Folquarquerii pro Christi amore reliquit, nihil omnino sibi de mundialibus reservans; nec ordinem aliquem habentium saltem in communi voluit intrare, sed ordinem beati Francisci pau-

(*a*) As et edd. *crucifixi.*

[1] Cfr. supra pag. 310, not. 1.

perrimum, qui nihil dat suis fratribus, nec in proprio nec in communi; nec in senectute, sed in iuventute, aetate videlicet 19 vel ad plus 20 annorum! Habitu igitur induto ordinis coram papa et cardinalibus, statim dispensatione apostolica in manibus dicti generalis et coram praefatis fecit professionem de perpetuo servanda regula fratrum Minorum. Verum etsi intentio sancti esset stare in ordine et vivere sicut unus simplex frater Minor, quia tamen ex regula quilibet frater Minor mandatis apostolicis debet obedire, quare mandante sibi papa, quod assensum praeberet provisioni de se factae ecclesiae Tholosanae, ut verus obediens mandatis apostolicis, ut dicit papa Ioannes in bulla, obedivit.

De eius vitae austeritate.

Factus igitur episcopus Tholosanus, de perfecto tendens ad perfectius et de bono pertingens ad melius, quae ante acquisierat virtutum, positus super candelabrum, suum lumen coepit plenissime refulgere, exemplar se ostendens tam subditis quam praelatis, tam saecularibus quam aliis vitae et perfectionis. Coepit enim carnem suam crucifigere cum vitiis, disciplinis ferreis aliquando per se ipsum, quandoque per socios se fortiter disciplinans, deferendo pro camisia rudem stamineam et chordam grossam ad carnem; multoties lectum declinando dormiebat in terra; et sic carnem spiritui servire coegit; et licet in eius mensa de duplici ferculo daretur, de uno solo et parum comedebat. Et quia nihil quaerebat mundi, hinc est, ut dictum est, quod de suis redditibus, quarta parte retenta, tres alias partes erogabat pauperibus.

De eius devotione.

Hic vir sanctus devotione praecipua ferebatur ad crucem et Domini passionem; unde ob reverentiam passionis Christi officium passionis manibus protensis in modum crucis, omni die persolvebat. Factus sacerdos omni quasi die celebrabat, confessione praemissa; omni die confitebatur; et quando ibat per viam, quantumcumque esset fessus aut calidus, nihilominus celebrabat; et si non inveniebat capellam, faciebat in aliquo pulchro loco tentorium erigi, et in altari portatili celebrabat. Orationi assidue incumbebat et in eadem cubando in terra pernoctabat.

De eius humilitate.

Humilitatem iste sanctus non solum ostendit serviendo pauperibus in mensa et hospitalia visitando leprosorum, ut supra est dictum, sed in aliis ipsam sibi placentem ostendit. Veste enim semper humili, ut dicit papa Ioannes in bulla, fuit usus tam in habitu quam cortinis et lecti coopertorio, de colore bruno praedicta habendo. Nolebat hic sanctus ex humilitate, cum declinabat ad loca fratrum, quod fratres facerent apparatum pro ipso. Unde semel ad quendam locum fratrum declinantem cum fratres eum excepissent et cameram pannis acquisitis cum armis Franciae et Siciliae ornassent, indignatus omnia fecit amoveri dicens: « Carissimi fratres, iste lectus non est fratris Minoris », et per totam [noctem] non dormivit in lecto, sed in terra.

In signum profundissimae humilitatis frater Minor esse voluit, et nil aliud optabat, nisi episcopatui renuntiare, ut frater Minor et simplex remaneret. Hac de causa ibat Romam, quando in itinere mortuus est, ut renuntiaret episcopatui et frater Minor remaneret. Semel dormitorium fratrum Tholosae dum intrasset, « Heu, inquit,

quando videbo me esse sine episcopatu, ut sim in uno loco dormitorii, sicut unus pauper et simplex frater ». In capitulo dum semel esset, et quidam frater sibi diceret, quod multum ordinem honoraverat de sua persona insigni, respondit impatiens ex humilitate et quodammodo indigne ferens: « Male dicitis, frater (*a*), male dicitis, immo ordo multum me honoravit, quando mihi dedit habitum suum ».

De eius severitate.

Et licet esset hic sanctus mitis et humilis ac gravissimae conversationis, erat tamen vitiorum (*b*) obiurgator. In eius mensa non erant verba garrula et iocosa, sed continue divina lectio ante eum legebatur de biblia, quam omnes cum diligentia et silentio auscultabant. Ordinandos de vita examinabat et sufficientia, et similiter ad beneficia promovendos. Ordinationes clericorum cum maxima celebrabat devotione, ac clericos comam nutrientes manu propria tondebat.

De eius praedicatione.

Praedicabat populo et clero multoties; nam praedicavit Romae in consistorio, Parisius, Tholosae, in Monte Pessulano et aliis locis. Nec volebat unquam, quod pulpitus (*c*) adornaretur, immo si erat, faciebat removeri; nec cappam tenebat in dorso, sed ipsam exuendo, ut frater Minor manens, sic praedicabat et sermocinabatur. Et adeo eius praedicatio fuit utilis et fructuosa, quod nonnulli iudaei ad fidem conversi sunt, quos sacro fonte baptismatis innovavit. Et quia non sufficit incipere, nisi perseveret homo, hic sanctus, sicut feliciter incepit, sic et gloriose consummavit. Unde dicentibus sibi fratribus sociis, quod quidam saeculares dicebant, se habere meliorem et sanctiorem et nobiliorem episcopum de mundo, sed timebant, ne sicut ceteri ab huiusmodi sanctitate eum mutari, respondit cum lacrymis et eiulatu: « Ante me subtrahat Deus de hac vita ». Hic sanctus, cum audiret loqui de gloria caelesti aut de aliqua devota materia, statim provocabatur ad lacrymas.

De eius in vita miraculis.

Et quia virtutibus eius vita fuit mundo insignis, placuit Deo, ut mundo etiam esset signis clarus et miraculis. Mulier quaedam nobilis de Tholosa 14 annis fluxu sanguinis fatigata, cum nullo modo posset curari beneficio medicinae, ad hunc sanctum devotionem concipiens dixit intra se: « O! si possem tangere fimbriam vestimenti eius, salva essem »; et dum sanctus equum ascenderet, impulit se in pressuram, et tangens eius habitum statim est sanata. In Monte Pessulano, dum praedicasset, quaedam mulier habens dolorem vehementissimum capitis, cum manum eius posuisset super caput suum, statim liberata est. Quidam frater febrem continuam patiens, dum rogasset eum, quod ipsum signaret, signo crucis facto, statim liberatus est (*d*). Multa alia signa fecit, quae minime (*e*) reperi.

De eius morte gloriosa.

Hic pontifex benedictus, etsi ea, quae ad episcopum pertinent, ageret sine querela, tamen in tali esse pontificali statu, animus eius molestabatur; aspirabat enim

---

(*a*) As *fratres.* — (*b*) Codex *minorum.* — (*c*) As et edd. addunt *pannis.* — (*d*) As om. *Quidam frater—liberatus est.* — (*e*) As et edd. *non.*

totis praecordiis cum aliis fratribus Minoribus subditus et non praelatus Deo servire. Unde semel ob hoc suspiranti, [cum] socii fratres dixissent, quod saluti animarum subiecti populi utilis erat, quod esset pontifex, etsi ex hoc aliqualiter consolaretur, tamen, ut subditus remaneret frater Minor, ad hoc suus totus inducebatur affectus; volensque, quod pie gerebat in pectore, effectui demandare, videlicet de renuntiatione ecclesiae Tholosanae in manibus domini papae Bonifacii, ut maneret deinceps simplex frater Minor, de Tholosa recessit, ut Romam adiret. Et veniens ad comitatum provinciae castrum de Brignola, ubi, ut dicitur, fuerat ortus, graviter coepit infirmari. Et sentiens se a Domino vocari, in tali positus infirmitate devotissime confessus est ac Domini corpus percepit, cui ivit in occursum, etsi debilis esset valde; cruce etiam sibi data per quendam ex sociis, in lecto genuflexit, ut potuit, ac in oratione devota et silentio postmodum diu mansit. Cunctis tandem ministeriis (*a*) in eo expletis, anno Domini 1297 sexto kalendas septembris, morte adveniente, ad Deum fontem vivum, quem semper sitierat, perrexit. Et quia se sepeliendum in Marsilia in loco fratrum Minorum dimiserat, dum de Brignola corpus eius Marsiliam duceretur, apparebant nobilibus, qui comitabantur sanctum corpus, quasi lanceae radiosae super ipsum corpus de caelo descendentes. Cum autem pervenissent ad quandam planitiem prope Marsiliam, cerei, qui erant exstincti, subito caelesti lumine sunt accensi. In ecclesia igitur fratrum Minorum ipso solemniter tumulato, sicut vidit quidam baro et multi, qui aderant, hic sanctus super altare apparuit, indutus pontificalibus cum mitra et baculo pastorali, faciens signum (*b*) crucis, sicut consueverat, populum benedicens.

Quot vero per ipsum Deus facit et fecerit miracula, longum foret enarrare. De sex mortuis et novem aliis a diversis infirmitatibus liberatis ponit bulla domini papae Ioannis, sed multos alios suscitavit a praedictis. Marsiliae duo erant fratres carnales, quorum unus alium occidendo captus fuit ex hoc et decapitatus; sed cum amborum corpora in ecclesia sancti Ludovici essent, invocatione sancti Ludovici facta a matre, caput unius se corpori adiungendo, ambo sunt a mortuis suscitati. In civitate Aretii puer natus mortuus, invocatione sancti Ludovici suscitatus, vocatus est Ludovicus, qui fuit postea frater Minor. Alium puerum oppressum ab equo currente et mortuum, invocatione sancti Ludovici facta a matre, a mortuis et omni laesione curavit. Multis etiam fecit et facit gratias speciales; nam quendam de Cibottolo, comitatus Perusii, iniuste (*c*) de homicidio inculpatus et equulei poena confessus, cum decapitari deberet de mane et suam innocentiam sancto Ludovico commendasset, de nocte sanctus Ludovicus accepit eum dormientem cum compedibus et catenis de carceribus, salvo ostio carceris, et per 12 milliaria in loco fratrum de Cibottolo ad pedes altaris sic dormientem posuit; et cum sic repertus esset a fratribus, recitata visione sancti Ludovici, ad se sic compeditum et liberatum potestatem Perusii et alios cives attraxit, qui hoc videntes Deum in suo sancto Ludovico laudaverunt. Quicumque tres *Pater noster* ad honorem Trinitatis et ipsius sancti Ludovici dixerit, quamcumque gratiam petierit a Domino, meritis beati Ludovici impetrabit, sicut ipse sanctus cuidam civi Pisis (*d*) naufraganti, eidem apparendo, praedixit; quae cum dixisset, ab omni maris periculo fuit statim (*e*) liberatus. Frater Franciscus Formica de Senis, in Monte Politiano dum staret et quoddam lignum, super quod fuerat aliquando horologium,

(*a*) Edd. *misteriis*. — (*b*) As et edd. *facto signo*. — (*c*) As et edd. *qui erat iniuste*. — (*d*) As et edd. *Pisano*. — (*e*) As om. *statim*.

de muro vi vellet extrahere, subito cum dicto ligno et capite reflexo ad inferius super gradus cecidit, qui sunt super (*a*) capellas, et dictis gradibus caput allidens cum renibus, cum debuisset statim vel mori vel comminui, invocatione beati Ludovici pro suo auxilio, dum caderet, nihil mali est passus.

Multa per diversas orbis provincias precibus et meritis huius confessoris Deus signa et mira stupenda facit, quae causa brevitatis omitto.

In eodem Marsiliae loco iacet frater Ugo [1]; qui plenus fuit spiritu sapientiae et intellectus, vita sublimis et efficacissimae doctrinae. Hic composuit libellum *De triplici via in sapientiam perveniendi* [2] et regulam mirabiliter exposuit. Hic signis suam astruit sanctitatem.

Locus Narbonae.

In Narbona iacet frater Electus laicus, qui una die septem fratres a diversis languoribus curavit.

Locus de Arelate.

In Arelate iacet frater Monaldus, qui vidit beatum Franciscum in aere ad ostium capituli, dum beatus Antonius praedicaret ibidem de titulo crucis, fratres consignantem atque benedicentem [3].

In eodem loco iacet frater Bertrandus de Bollega (*b*), vir magnae sanctitatis et perfectionis [4].

De sanctissimo fratre Rogerio, de provincia Provinciae [5].

Frater Rogerius, qui fuit de provincia Provinciae, ubi iaceat, non reperi [6].

Hic fuit homo sanctissimus et totus in divino amore ignitus. Hic in tota vita nunquam habuit vanam gloriam de aliquo actu virtuoso. Ad ordinem Minorum venit divina revelatione, et habitu accepto, totus mutatus est in virum alterum. Saepe magna

(*a*) As et edd. *ante*. — (*b*) As *Bollegii;* codex hic *Beltrandus*, paulo post *Bertrandus*.

[1] Est frater *Hugo de Digna,* de quo passim loquitur Salimbene in sua *Chronica;* verba Pisani de fr. Hugone (exceptis *Hic composuit—exposuit*) sunt ex Bessa c. 1 (l. c. pag. 669). — [2] Alii inter opera fr. Hugonis hunc librum non nominant; notamus librum sancti Bonaventurae *Incendium amoris* a codicibus saepius exhiberi sub titulo *De triplici via in sapientiam perveniendi.* — Expositio regulae, de qua Pisanus paulo post dicit, exstat in *Monumenta ordinis Minorum,* tr. II fol. 46 v seq. et *Firmamenta ordinis Minorum,* p. IV fol. 34 v seq. — [3] Cfr. 1 Cel. 48. — [4] *Cat. S. Fr. Min.,* ex quo Pisanus tria ultima nomina assumpsit, omittit (pag. 32) « in eodem loco iacet »; *Chron. 24 gen.* pag. 406 dicit: « In Montepessulano frater Bertrandus Bollega, lector et omni sanctitate conspicuus, qui obiit anno Domini 1306 ». Cfr. de ipso *Chron.* cit. pag. 390 et *Pisanus* infra pag. 320. — [5] Pisanus sequitur vitam, quam (ex cod. Bruxell. 2864-2871) ediderunt Bollandiani in *Catalogus codicum hagiographicorum bibliothecae regiae Bruxellensis,* t. I (Brux. 1886) pag. 347-362; cfr. *Chron. 24 gen.* pag. 383-392. — [6] Secundum vitam supra citatam (n. 21) et *Chron. 24 gen.* (pag. 404) iacet in conventu Useciae (Uzès). Auctores posteriores ipsum 1287 obiisse dicunt; cui opinioni ansam fortasse dedit *Chron. 24 gen.,* quae de ipso agit sub temporibus fratris Athloti (1285-1286): « Vivebat tunc »; ast non dicit, eum tunc mortuum esse. *Chron.* illa indicat annum mortis pag. 390 dicens: « Illo anno, quo mortuus est, apparuit sibi frater Bertrandus, qui ante bene per tres vel quatuor annos decesserat »; secundum eandem *Chron.* (pag. 406) fr. Bertrandus obiit 1306; hinc fr. Rogerius obiit c. 1310.

tentatione vexatus, superata tentatione, in tanta copia est sibi gratia collata, quod, quam cito tentationem videbat (*a*), tam cito exstinguebatur. Quadam vice tantum habuit de suis peccatis dolorem, quod post illum dolorem certissime novit a Deo omnia peccata sibi esse dimissa. Confitebatur omni die viginti (*b*), novem vel decem vicibus. Oculos summa custodia observabat, nec mulierem facie attendebat, omnem occasionem peccati fugiens, ne Deus eius incuria desereret mentem. Nam semel cum socio cuidam mulieri cum (*c*) obviasset, et petisset a socio, si illa esset talis mulier, et ille dixisset, quod sic, adiecit socius: « Non vidistis eam, in cuius domo toties eam visitastis, et in porta ecclesiae locutus fuistis »? respondit, quod nunquam in facie vidit nec etiam matrem suam. Et cum a socio interrogaretur, cum ipse in facto mulierum esset securus, cur tantum timeret eas aspicere, respondit: « Frater, inquit, in potestate hominis est vitare occasiones peccandi, et ideo, quamdiu homo facit, quod suum est, et Dominus facit, quod in se est, tuendo hominem a peccato. Impossibile est, quod Deus unquam deserat mentem, quam possidet, nisi homo habeat culpam, dum non vitat omnem occasionem peccandi. Ex quo tu exponis te periculo per occasionem, quam poteras vitare, et maxime in tali tentatione, ad quam homo multum declinat ex corruptione naturae, confidens de viribus tuis, iam non obligatur te defendere; sed potest sine omni iniustitia tuis viribus, in quibus confidisti, te dimittere ».

Et dixit, quod mens, quae Deum diligeret, ita tarde scienter declinaret ad venialissimum peccatum de mundo, sicut ad mortalissimum. Verbum iocosum (*d*) summe vitavit, immo cuidam fratri sibi valde familiari imposuit pro quolibet verbo iocoso, ut semper et statim diceret flexis genibus *Miserere* totum, *Credo in Deum, Pater noster, Salve regina* et *Ave Maria;* nec ipsum voluit absolvere, nisi quod non statim teneretur dicere, nec (*e*) flexis genibus. Et ne falsitas in suis verbis posset reperiri, vix dicebat aliquid, quod ibi non apponeret « forte ». In cibo autem et vigiliis, lecto et vestimento satis communis erat secundum exteriorem hominem. Fuit autem alta devotio eius et profunda cognitio et contemplatio de Deo; unde, cum sibi fieret mentio de raptu fratris Aegidii, respondit, quod facillimum erat rapi menti elevatae. « Scio, inquit, hominem, qui pluries in uno matutino fuit raptus ad altissimos intellectus divinorum, et ille homo infinities (*f*) restitit raptui, et aliquando tantam vim oportuit eum facere, ut recedat a Deo suo et fugiat, quantam aliquis facit, ut appropinquet ei ». Et cum frater, cui dicebat, miraretur et peteret: « Quare »? respondit: « Quia adeo Deus aperit illi homini sinum gratiae suae et bonitatis, quod certissimo lumine cognoscit, quod, si figeret oculum in his, quae videt, in perpetuum non rediret ». Ac cum iterum frater ille, scilicet frater Raymundus confessor suus, cum admiratione quaereret, quod periculum esset, si nunquam rediret, respondit: « Sicut, inquit, ille status est securior status, qui possit esse in mundo, ita est periculosior, qui possit esse, nisi tantum crescat discretio, quantum devotio. Est ergo discretio, quod servus vilissimus accedat ad amplexus et oscula tanti Regis, quantumcumque vocatus. Ponat me cum filiis, inquit, et tunc securus accedam. Quamdiu enim servus sum et in statu, in quo possum separari ab eo, debeo fugere eius amplexus et oscula, quantum possum ».

Dixit confessori suo, quod semel in missa adeo fuit raptus alte et Deo unitus, quod videbatur sibi, quod esset Deus. In hebdomada sancta quadam vice pluries in die

(*a*) As et edd. *sentiebat.* — (*b*) Ita codex et vitae cit., As VIII, edd. om. — (*c*) As et ed. 2 om. *cum.* — (*d*) As *otiosum;* ed. 1 *occisum.* — (*e*) As *quod statim teneretur dicere et.* — (*f*) Codex *infitiens.*

dixit illum versum [1]: *Infirmata est in paupertate virtus mea;* et cum a suo confessore super hoc interrogaretur, quare sic diceret, respondit: « Nonne bene *infirma est virtus* animae meae, quae non potest sustinere Deum suum? Adeo enim se communicat, quod prae nimietate dulcedinis non valens sustinere, oportet eam clamare et dicere: ‚Domine, recede a me; quia non possum sustinere abundantiam dulcedinis tuae' ».

Illo anno, quo mortuus est, in hebdomada sancta ibat per hortum (*a*) dicendo voce submissa: « Quando moriar, Domine, quando moriar »? Et cum confessor eius hoc audiret et diceret sibi: « Pater, vos vivendo quotidie additis ad coronam vestram et magis meremini », ipse tanquam iratus dixit: « Nullo modo possum sustinere, quod tantus ignis ardeat in tam vili materia, et animam Deo coniunctam habitare in tam vili loco. Sed quare vivet amplius homo, ex quo venit ad talem statum, quod omni motu cordis fertur in Deum, quod non videt nisi Deum, non cogitat nisi Deum, non sentit nisi Deum »? Et recedens a dicto fratre ibat clamando: « Quando moriar »? Signa sui fervoris erant rubor maximus in facie, geminata suspiria cum corporis et capitis inclinatione, supplicatione, et hoc publice sine verecundia; nam dixit, quod non erat verus amor cum verecundia. Devotio eius erat sine lacrymis, sine multis verbis et sine absconsione, sine abstinentia; et si desideraret eam facere, non tamen erat ausus, eo quod per abstinentiam cognoscebat remitti devotionem suam, et debilius mentem in Deum surgere.

Iste frater Rogerius nunquam habebat vanam gloriam, immo dixit, quod, si esset verum, quod ipse esset melior homo de mundo, ipse vellet, quod totus mundus sciret et clamaret hoc; et rationem dixit: « Certissimum est, nullum hominem quidquam boni habere a se nec suis meritis; abscondam, inquit, ego in me dona Dei et laudem eius, qui sic vilissimum vermem voluit nobilitare »? Unde cum vice quadam commendaret quendam de humilitate, et ille negaret, se esse humilem, frater Rogerius valde de hoc arguit eum dicens: « Vide, miser, quare negas donum Dei in te? Nonne omnes sciunt, quod a te nihil potes habere? Non facias ergo sic, sed fac, ut omnes sciant et Deum in te laudent ». Quodam fratre Berengario Bertrandi sibi apparente, a Deo, fratre ipso Berengario docente, accepit (*b*) notitiam sciendi, quando homo est in statu salutis, signo quodam sibi tradito; et dum a confessore requireretur de tali signo, respondit, quod erat quid spirituale, non poterat aliis ipsum insinuare. Cum a fratre Raymundo suo confessore interrogaretur, unde erat, quod sua verba tantam haberent efficaciam in audientibus, respondit, quod homo, qui in omni sua actione praemittit mentis elevationem ad Deum et omnia ordinat ad Deum, in omnibus invenit Deum suum. Et cum interrogaret idem frater, quomodo fieri debebat ista mentis elevatio, et ordinatio ad Deum, respondit: « Quando tu vis legere, antequam librum aperias, debes cor tuum ad Deum dirigere et dicere: ‚Domine, iste vilissimus servus tuus, indignus omni bono tuo, vult ingredi ad videndum thesauros tuos; placeat tibi, ut tu eum introducas et des ei in his verbis sanctissimis te cognoscere, ut te diligat, et tantum des ei diligere, quantum dabis ei cognoscere, nec des sibi amplius cognoscere, quam diligere, quia non vult te cognoscere, nisi ut te (*c*) diligat' »; talis, inquit, mens in prima libri apertione statim invenit Deum suum.

(*a*) As *montem.* — (*b*) As et cdd. addunt *normam et.* — (*c*) As om. *te.*

---

[1] Ps. 30, 11.

Vice quadam, dum oraret, vidit in visione Dominum Iesum Christum, et indicibili gaudio clamavit dicens: « Domine, quis es »? Et Dominus Iesus: « Ego sum qui sum », et addidit: « Bene veneris, fili »; et signavit eum et dixit: « Dimittuntur tibi peccata tua, persevera in gratia mea, et eris mecum in aeternum ». Tunc frater Rogerius sumpsit audaciam et cum magna violentia vix unico ictu oculi respexit Christum in facie; in quo aspectu ita facies Christi fuit in mente et in imaginatione eius impressa, quod, quandocumque recordabatur, semper quasi videbatur sibi eum habere praesentem.

In matutino, dum staret raptus (*a*), cum diceretur psalmus: *Benedicam Dominum,* et veniretur ad illum versum: *Immittit angelus Domini* etc., apparuit quaedam lux ante eum clara sicut lunae splendidae valde et duravit, quantum potuit dici sequens versus: *Gustate et videte* etc.; et interrogatus a confessore de luce hac respondit, quod angelus Domini fuit. Illo anno, quo mortuus est, apparuit sibi frater Bertrandus, quondam lector Montis Pessulani, qui iam ante mortuus erat, et dixit fratri Rogerio, quod illo anno ante festum sancti Silvestri moreretur, addens, quod communi sanctorum consilio definitum erat, ipsum esse salvandum et vita aeterna dignum. Post hanc apparitionem fuit raptus in paradisum et vidit, Dominum omnes sanctos communicare per ordinem; et quidam sanctus, cuius professionis esset, cum quaesisset ab eo, et ipse dixisset, quod esset frater Minor, tunc ille accepit unam hostiam consecratam de altari admirabili et legit superscriptionem et dixit ei, ipsa lecta: « Ista est pro te », et communicavit eum et dixit ei, quod iret ad praedicandum quibusdam monialibus, quae erant infirmae in Christo; quod et fecit. Habita revelatione de sua morte, dixit confessori suo: « Credis tu, quod homo ille, qui scit se moriturum hoc anno, conetur ex hoc melius vivere? certe non; ex quo, inquit, agnovi Deum, feci semper quidquid mihi videbatur, quod magis placeret Deo ». Iterato in Domini resurrectione sibi apparuit frater Bertrandus praefatus in habitu glorioso; prius enim sibi in habitu fratris Minoris apparuerat. A quo petiit, si verum erat, quod sibi dixerat de morte sua; respondit, quod verum erat; et cum frater Rogerius valde anxius peteret: « Quando »? respondit: « Cito ». Postea frater Rogerius quaesivit ab eo de aliquibus fratribus, si salvi erant, et respondit, quod sic, dicens: « Quid quaeris de fratribus? Fratres omnes salvantur, qui moriuntur in ordine et sub regula beati Francisci ». Et post hanc visionem ad duos menses migravit ad Dominum; valde enim sibi grave erat vivere, totis desideriis anhelans caelum adire.

Post cuius mortem apparuit cuidam sanctae mulieri ut exiens de quodam pelago et abysso ineffabilis gloriae, et erat indutus veste quadam in media parte rubea et in alia parte alba, et per medium transibat quaedam lista in latitudine palmi tota plena linguis aureis; et ipsa ei confessa est omnia peccata sua, et ipse absolvit eam.

Hic frater Rogerius sacras post suam mortem de multis pertinentibus ad viam spiritus et perfectionem informationes dimisit, quas non scribo, quia imperfectas reperi [1].

(*a*) As et cdd. om. *raptus.*

[1] *Meditationes fratris Rogerii* habentur in *Chron. 24 gen.* pag. 393-404; fragmentum exhibet Alvarus Pelagius, *De planctu ecclesiae,* l. II art. 92; de codicibus, in quibus inveniuntur, cfr. Little in *Opuscules de critique historique,* t. I pag. 284 not. 3.

DE PROVINCIA SANCTI IACOBI.

De fratre Benencasa de Tuderto.

In provincia sancti Iacobi iacet frater Benencasa (*a*) de Tuderto. Hic cum ex obedientia fratribus necessaria ministraret, ova pro ipsis acquisivit; sed cum montem altum et declivum ascenderet cum praefatis, fatigatus ova incaute collocans cum canistro, subito canistrum cum ovis coepit ad ima montis descendere; quod frater Benencasa videns et dolens, quod eleemosyna sic perderetur, mandavit canistro, ut immobiliter staret; et sic est factum, nec ovum aliquod fractum reperit in tanto et tali casu [1].

In ASTORICA [2] iacet sanctus frater Ioannes (*b*), qui miracula est operatus.

In VILLAFRANCA iacet alius sanctus frater (*c*), per quem miracula (*d*) ad consolationem fidelium dignatus est operari Altissimus.

In THAURO [3] iacet quidam alius sanctus frater (*e*), qui dum esset sacrista et crucifixum vellet aptare, dum esset in scalis, diabolus ei adversari cupiens, scalis amotis, frater ipse cadendo crus habuit fractum et cum dolore; verum (*f*) cum missam celebraret, nec crus fractum pro tunc apparebat, nec ullum sentiebat dolorem [4].

In AURIA [5] iacet frater Gonsalvus Santii; qui fuit nobilis genere, sed pessimus latro et homicida. Sed ad Dominum conversus, factus frater Minor, tantae fuit humilitatis, quod serviebat leprosis, eorum lavando ulcera, aquam bibebat; qui in virtutibus crescens, Deus per eum signa ostendit in vita et post mortem [6].

In monte de VALDEARO (*g*) iacet frater Rodericus Rabiccii (*h*). Hic fuit homo poenitentiae mirabilis, paupertatis amator, mundum fugiens et spiritu prophetico perlustratus. Ad hunc cum regina Castellae, uxor regis Henrici et mater istius regis Castellae, fratres misisset, ut sibi infirmae diceret, quid acturus esset eius filius rex Ioannes [7] quoad haerentiam pontificum, qui nunc sunt, an adhaereret domino papae Urbano vel alteri, cum fratres ad ipsum venissent, antequam eidem intimarent aliquid, propter quod missi essent, ipse eis dixit: « Sciatis, dominam reginam, quae vos misit, mortuam, dominum Ioannem, regem Castellae, se pro alio a domino Urbano determinaturum, et male eveniet sibi (*i*), ac regem Carolum, Francorum regem [8], nuper mortuum sepultum me vidisse in profundo inferni propter schisma, quod posuit et tenuit in ecclesia sancta Dei »; quae fratres audientes, sicut praedixit, sic et invenerunt.

(*a*) Edd. *Bencasa.* — (*b*) Codex hic omittit nomen; infra fr. XI ipsum nominat *Ioannem,* sicut edd.; As *Ferrandus.* — (*c*) Edd. *frater Sanctus.* — (*d*) Codex *qui etiam miracula per eum.* — (*e*) As om. *In Thauro—frater.* — (*f*) As et edd. *unde.* — (*g*) Edd. *Valdearogo;* est mons de Valderrago. — (*h*) Edd. hic *Robicii;* fr. XI *Cabiccii.* — (*i*) Alia manus in Codice addidit ad marginem: « Et sic accidit; quia equitans et currens super equum sibi noviter largitum equus cecidit, et rex Ioannes mox exspiravit anno 1390 mensis octobris ».

---

[1] Cfr. *Dialogus* pag. 116. *Cat. S. Fr. Min.* (pag. 40) inter fratres provinciarum Hispaniae solum hunc nominat. — [2] Astorga. — [3] Toro. — [4] Est frater Stephanus, de quo plura in *Chron. 24 gen.*, pag. 345-347. — [5] Orense. — [6] Cfr. *Chron. 24 gen.* pag. 549. — [7] Ioannes I, 1379-1390. — [8] Carolus V, 1364-1380.

De quinque fratribus martyrizatis in Marrochio [1].

In terminis provinciae sancti Iacobi, videlicet in Marrochio, passi sunt tempore beati Francisci, dum scilicet viveret, quinque fratres Minores, videlicet frater Berardus (*a*), Ottonus (*b*) sacerdos, Petrus, Accursus (*c*) et Adiutus. Frater enim Vitalis, quem beatus Franciscus eis praefecerat, in regno Aragoniae remansit infirmus.

Hi quinque iverunt Sibiliam, idest ad civitatem Hyspalensem, quae tunc a saracenis tenebatur; ad quam intrantes post biduum mori pro Christo optantes, ad mesquitam, id est ecclesiam saracenorum, ubi Maumeth colitur, accesserunt. Volentes ipsam intrare, a saracenis cum maximo impetu repulsi sunt, alapis videlicet et fustibus. Deinde ad regem accedentes, coram ipso fidem coeperunt praedicare constanter sanctam et veram, et Maumeth non prophetam sed seductorem dicere, ac legem eorum malam et falsam declarare. Quos rex ira accensus voluit decapitari; sed mitigatus a filio in quadam turri iussit eos claudi; qui stantes in turris summitate cum clamore magno Christum Deum verum praedicabant et legem eorum falsam declarabant. Quod sciens rex iussit educi eos de illo carcere et in alio carcere poni. In quo positi carceratis fidem Domini praedicabant. Post multos dies ante regem adducti et vituperati de fide, quam tenebant, per regem ad tenendam fidem Maurorum invitati sunt. Cum sancti eum deriderent, rex iratus eos fatuos reputans de regno suo expulit et emisit.

Qui iter versus Marrochium arripientes cum multis tribulationibus tandem illuc devenerunt, semper orationibus et ieiuniis insistentes. Quo pervenientes in domo domini infantis Petri de Portugallia, qui tunc ibidem erat, sunt recepti. Sed post multos (*d*) dies rex audiens eorum adventum iussit eos statim ad se venire. Qui sibi signum crucis imprimentes, sine mora ad eum pervenerunt, et tunc rex eos fecit in carcere poni. Sequenti die alapis et verberibus macerati in peiori carcere sunt reclusi, ubi biduo permanentes carceratis Christum Dominum evangelizabant. Post (*e*) duos vero dies nudati, manibus ad tergum ligatis, ac durissime verberati, statuti sunt coram quodam principe regis, nomine Abozaida. Cui cum frater Ottonus fidem praedicaret, respondit princeps ipse, quod ipsi pleni essent spiritu diabolico, et si ad fidem Maurorum vellent converti, quod multa bona haberent. Sed sancti fidem constanter affirmantes, coram ipso iussit eos manibus ac pedibus ligari ac flagellari durissime et divisim ac sigillatim includi. Tunc carnifices et populi furibundi funem in colla eorum innectentes et hinc inde trahentes, verberaverunt eos usque ad sanguinis effusionem, acetum cum sale eorum verberibus et plagis immittentes, in obscuris stramentis ac obscuris carceribus nudos ipsa nocte locantes. Sed die sequenti iussit eos rex sibi praesentari. Qui ligati, crudeliter caesi, alapis et flagellis afflicti, cum ducerentur ad regem, cuidam magno principi saraceno obviaverunt; qui eos ad fidem Maurorum inducens, plurima bona promittebat. Sed fratre Ottono respondente, quod rex eorum mortalis erat et Christus immortalis, qui daret eis vitam aeternam, et suadente, quod ad Christi fidem converteretur, aliter in in-

(*a*) Edd. *Bernardus*. — (*b*) As et edd. *Octonus*. — (*c*) In As corr. *Accursius*. — (*d*) As et edd. *non multos*. — (*e*) As *Per*.

[1] Cfr. *Passio sanctorum Martyrum fratrum Beraldi* etc., in Anal. Franc. t. III pag. 579-596.

fernum iret, praedictus baro ipsum fratrem Ottonum graviter percussit in maxillam, cui statim iuxta evangelium praebuit frater Ottonus et aliam. Ducti coram rege, et fidem viriliter praedicantes et defendentes ac regis minas contemnentes, rex turbatus contra eos insiliens dixit: « Nunc adiuvet vos Deus vester et liberet, si potest, de manibus meis », et accepit ensem. Quod cernentes sancti viri, Christo, ut eos iuvaret contra diabolum, semetipsos commendantes ac, manibus ad caelum expansis, Deo gratias agentes (*a*), qui eos in numero martyrum adnumerasset. Quos ab invicem separatos rex sua manu propria decollavit, tres enses in feriendo confringens, praecepitque, ut eorum corpora canibus darentur et capita comburerentur. Saraceni funes ad corpora ponentes, hinc inde ab eis pertracta, tandem per murum proiecerunt; capita ipsorum igni superposita in nullo tacta sunt, nec capillus aliquis tactus (*b*). Corpora vero et capita [eorum] christiani accipientes condiderunt aromatibus.

Rex vero eodem anno manum, brachio cum (*c*) tota parte corporis dextra et oculo desiccatis, amisit. In terra vero, ubi passi sunt hi martyres, usque hodie non pluit [1]. Passi sunt autem anno pontificatus domini Honorii III [2]. Dictus vero dominus Petrus infans, cum vellet redire ad Portugalliam, nec rex Marrochiorum [eum] permitteret, positis sanctorum praedictorum reliquiis super mulas, ipsasque sequendo cum familia sua, libere et sine periculo de terra saracenorum exivit; qui ad Portugalliam (*d*) perveniens, ipsas reliquias reverenter collocans et passionem eorum narrans, suamque liberationem eorum meritis omnibus divulgavit. Horum martyrium audiens beatus Antonius noster ordinem intravit Minorum, ut superius [3] est dictum.

DE PROVINCIA CASTELLAE.

De fratre Herveo.

In provincia Castellae, in TOLETO iacet frater Herveus (*e*), qui in vita et post multa fecit miracula et facit. Hic, cum quandam aquam haberet transire, socio forti et iuveni transeunte cum magno periculo, utpote aqua usque ad brachia pertingente, frater Herveus, qui erat antiquus, non sic valens transire aut navigium habere, posito mantello suo super aquam, et super eum ipso ascendente (*f*), statim in alia parte fluminis est repertus. Quodam tempore, cum ad domum cuiusdam mulieris habentis filium in cuna divertisset ob algorem, ut se calefaceret, ac cunam [quae erat prope ignem] credens esse bancam, se super eam posuit, et se calefaciebat ad ignem. Sed muliere (*g*) reversa, dum vidit fratrem Herveum super cunam sedentem, fortiter exclamavit dicens: « Vos statis (*h*) supra puerum »; et discooperiens puerum, eum mortuum reperiens, immensas coepit edere (*i*) voces. Quam frater Herveus comprimens, dixit: « Noli flere, dimitte mihi puerum, et vade ». Quae cum abiisset, se cum socio in orationem dedit; qua completa, puer statim revixit. Quo miraculo patrato tota terra est repleta, ac frater Herveus in summa reverentia est habitus et veneratione. Hic inter alia a febre tertiana liberat, si de pulvere eius sepulchri ponatur in petia et collo appendatur patientis [4].

(*a*) Edd. *egerunt*. — (*b*) As et edd. *diminutus*. — (*c*) Codex *manu brachio omni*. — (*d*) As et edd. *quo*. — (*e*) As *Herneus*. — (*f*) As et edd. *ascendens*. — (*g*) As et edd. *mulier*. — (*h*) As et edd. *sedetis*. — (*i*) As et edd. *emittere*.

[1] *Passio* cit. pag. 596: « de *tribus* etiam annis a passione Sanctorum non pluit in terra illa ». — [2] Ita codd.; edd. *tertio*. Passi sunt « Honorii III anno IV » (die 16 ian. 1220); cfr. *Passio* cit. pag. 590. — [3] Pag. 264. — [4] Idem breviter citatus codex Oxoniensis; cfr. *Cat. S. Fr. Min.*, appendix pag. 43.

De fratre Antonio laico.

In Toleto iacet etiam frater Antonius laicus, de Burgis Hispaniae. Hic cum esset cellerarius (*a*) fratrum de Burgis, et fratres principaliores de sero ad se ingurgitandum de (*b*) vino per maximum starent spatium, et hoc diu durasset, ac per hoc ipse frater Antonius impediretur, ne in suis esset orationibus et devotionibus, quodam sero de hoc conquestus est Crucifixo. Cui Christus respondit: « Habeas patientiam; quia in brevi vindictam de eis exercebo ». Et sic factum est; omnes enim praefatos ultio apprehendit divina; alius est mortuus, alius carceratus, alius apostatavit ab ordine, alius a dicto loco expulsus, et sic nullus ibidem remansit. Hic, ut quietius viveret, ad morandum Toletum accessit, faciens portam ibidem. Hic semel amphoram fractam plenam vino reintegravit, et hoc notum (*c*) fuit omnibus. Quandam puellam unicam parentibus (*d*) morientem, dum signum crucis super eam fecit, ad sanitatem perfectam reduxit.

Multa et alia fecit in vita et post mortem [1].

DE PROVINCIA ARAGONIAE.

In BARCHINONA iacet frater Pontius Carbonelli; homo sufficientiae magnae, qui totam bibliam dictis omnium doctorum postillavit. Qui ob vitam et sufficientiam magister fuit in moribus et scientia sancti Ludovici, episcopi Tholosani et filii regis Caroli Siciliae, fratris nostri. Hic post mortem signis claruit miraculorum [2].

In YLERDA [3] iacet sanctus frater Segrianus [4]; super cuius corpus post mortem visa sunt luminaria descendere de caelo. Hic in vita fecit miracula et post mortem.

In civitate VALENTIAE iacent duo fratres, martyrizati ibidem tempore generalatus fratris Eliae; qui praedicantes in dicta civitate, quae tunc erat saracenorum, contra Maumeth, a saracenis ob fidem sunt occisi [5].

DE PROVINCIA UNGARIAE.

In provincia Ungariae, in VILLA FRANCA [6] iacet frater Ioannes, minister Ungariae, qui multis coruscat miraculis. Huius corpus cum deberet transferri de uno loco ad alium per aquam profundam et cum navi, per se ipsum corpus ad dictum locum sine adiutorio navigii se transtulit et in loco praeparato se posuit [7].

(*a*) Edd. *cellarius*. — (*b*) As et edd. om. *de*. — (*c*) Codex *votum*. — (*d*) As addit *morientibus*.

---

[1] Codex Oxoniensis ea, quae Pisanus hic de fr. Antonio solo refert, inter duos distribuit dicens: « Caesaraugustae frater Bertrandus, qui Toleti amphoram fractam integravit et quandam puellam a gravi infirmitate sanavit. — Toleti.... frater Antonius laicus de Burgis, cui Christus locutus est in oratione »; cfr. *Cat. S. Fr. Min.*, appendix pag. 42 et 43. — [2] Cfr. cod. Oxon. l. c. pag. 43 et Sbaralea, *Supplementum* pag. 623. — [3] Lerida. — [4] Cod. Oxon. (cfr. l. c. pag. 43) habet *Gogianus*. — [5] Sunt beati Ioannes et Petrus, de quibus *Chron. 24 gen.*, pag. 186-188 et *Acta SS.*, t. III aug. pag. 837 sq. — [6] Est Mangyalos (cfr. *Provinciale* pag. 34). — [7] Plura de ipso *Speculum vitae*, fol. 204 v. — Eubel (*Provinciale*, pag. 34 not. 91) addit: « Quae tamen hic referuntur pertinere videntur ad locum *Budae*, ubi iacet (in ecclesia s. Ioh. Ev.) frater Ioannes dictus Beatus, secundus minister Hungariae ».

Locus Strigonii.

In Strigonio [1] iacet [frater] Gallus, lector devotissimus, qui adeo devotae fuit orationis et virtutis, ut pulvis suae sepulturae sanet infirmos, si modicum quid accipiatur de terra illa.

Locus Caravillae.

In Caravilla iacent frater Ioannes, custos, homo sanctus, et frater Henricus Theotonicus [2].

DE PROVINCIA COLONIAE.

In provincia Coloniae [3], in NUSSIA (*a*) iacet frater Nicolaus; per quem Deus in vita et post mortem multa miracula fecit (*b*); nam puellam submersam et mortuam suscitavit; caecos tres illuminavit; mutis loquelam reddidit, et multa alia miranda fecit et facit [4].

In eodem loco iacet frater Electus; qui frater tantae fuit virtutis, ut tactu suarum manuum sanaret infirmos.

In *Brabantia* iacet frater Petrus, qui celebrans et communicans visus est a puero vix loqui sciente, quod Christum comedit in specie parvuli pueri [5].

In MONASTERIO [6] iacet frater Henricus de Affrica et frater Ioannes de Peyrna, sancti homines, qui mira fecerunt.

In TURGONE iacet frater Hasso, homo sanctitatis et signis clarus [7].

In KYLONE iacet frater Adolfus, quondam comes Alsatiae [8]; cui ante mortem suam apparuit beata Virgo cum immenso lumine et multis sanctis, dicens: « Fili,

(*a*) As et edd. *Missia;* est Neuss. — (*b*) As *facit.*

[1] Gran. — [2] Fere idem de provincia Ungariae in *Cat. S. Fr. Min.*, pag. 33, apud Paul. Put. (*Provinciale*, pag. 33) et *Chron. 24 gen.*, pag. 530. — *Cat. S. Fr. Min.* l. c. non dicit fratrem Henricum iacere in Caravilla; secundum elenchum sanctorum fratrum Minorum, qui exstat in cod. lat. 3702 bibliothecae Monacensis (cfr. *Cat. S. Fr. Min.*, pag. 33 not. *c*), iacet « in civitate, quae dicitur Hermannstorf, in VII Castris ». — Cfr. *Chron. 24 gen.* l. c., ubi dicitur in nota 2: « Timemus, ne error irrepserit et auctor volens scribere ‚Francavilla' scripserit ‚Caravilla', cum locus vel conventus Caravillensis non inveniatur, et Ioannes Custos idem cum Ioanne Ministro sit ». — [3] Pisanus hic repetit ea, quae *Cat. S. Fr. Min.* dixit de provincia Coloniae pag. 34. — [4] Ipsum nominat Bessa c. I (l. c. pag. 669); de eius miraculis loquitur I Continuator *Minor. Erphord.* ad an. 1272 (cfr. Glassberger pag. 84 et *Cat. S. Fr. Min.*, pag. 34 not. 1). — [5] Cfr. Eccleston l. c. pag. 254, ubi frater Petrus de Theukesbury, qui fuit primo « Minister Alemaniae » et dein Angliae, sibi ipsi hoc accidisse refert. — [6] Münster. — [7] « Turgone » videtur esse Torgau, ubi fuit conventus provinciae Saxoniae; ad quam provinciam — non ad provinciam Coloniae — pertinebat etiam conventus in « Kylone » (Kiel). Idem error iam habetur in *Cat. S. Fr. Min.* (pag. 34) et *Chron. 24 gen.* (pag. 240). — [8] Est Adolfus Ioannes, comes Holsatiae; de quo *Chronica Principum Saxoniae* (Mon. Germ. Hist. t. 25 pag. 474) dicit: « Hic anno Domini 1240, relictis uxore iuvencula et duobus filiis tenellis, Iohanne et Gerardo, et divitiis mundi, ordinem fratrum Minorum est ingressus. In quo ordinem sacerdotii adeptus, laudabiliter per annos plurimos vixit et beato fine in Domino requievit ».

quare invite moreris? [quid trepidas?] Securus morere; quia Filius meus bene te remunerabit ».

In eodem loco iacet frater Electus; cui apparuit beata Maria, cum beata Agnete et beata Katherina, et ei mortem praedixit.

In eodem loco iacet alius frater Electus, cuius animam vidit alius frater in palafredo nimio decore fulgentem (*a*) a duobus angelis in caelum deduci.

In ANDRENACO (*b*) iacent sancti fratres: frater Theodoricus et frater Hagerus (*c*) Saxo [1], homines mirae sanctitatis.

DE PROVINCIA ARGENTINAE SIVE ALMANIAE SUPERIORIS [2].

In provincia Argentinae sive Almaniae superioris, in RATISBONA iacet frater Bertoldus, egregius praedicator, qui etiam in sua vita miracula faciebat [3].

In AUGUSTA iacet frater David, socius dicti fratris Bertoldi, vir in omni disciplina morum decentissimus [4].

In eodem loco iacet frater Tertericus, minister eiusdem provinciae, vir mirae perfectionis et sanctitatis.

In SPIRA iacet frater Colinus, minister olim Argentinae provinciae, qui multa miracula fecit (*d*).

In eodem loco iacet frater Ioannes, guardianus Spirensis [5]. Hic oriundus de civitate Steineal (*e*), provinciae Saxoniae, sed in civitate Maguntina enutritus et canonicus in ecclesia fuit sancti Petri et presbyter. Semper enim devote, pie, honeste, munde et caste cum gratia Dei vixit; sed zelo Spiritus sancti accensus ad perfectionem evangelicam, dimissis omnibus deliciis et honoribus, ordinem Minorum est ingressus, in quo laudabiliter multis annis fuit conversatus, in perfectione crescens altissimae paupertatis, in magnis etiam virtutibus, donis et gratiis, ita ut omnibus, Deo videlicet et hominibus, esset dilectus. Transiit autem ex hac vita 1245 (*f*), pridie kalendas iulii, in festo sancti Pauli.

Hic puerum in Brucella (*g*) in aqua necatum, voto emisso a parentibus de eius tumulo visitando in Spira, a mortuis suscitavit; decem et octo contractos erexit; duos caecos illuminavit; paralyticos duos curavit; mutis loquelam et aliis pluribus bene-

(*a*) As et edd. *fulgente.* — (*b*) As *Ardenaco;* edd. *Andernaco sive Andernado,* est Andernach. — (*c*) Codex fr. XI *Ogerus,* As et edd. *Hogerus;* om. *homines mirae sanctitatis.* — (*d*) As *iam facit.* — (*e*) As *Stemcal*, edd. *Stenical;* As et edd. om. *provinciae Saxoniae.* — (*f*) As *1246.* — (*g*) As *Bursella;* fortasse Bruchsal.

[1] Continuatio chronicae *Flores temporum* de ipso in nonnullis codicibus loquitur sub Alexandro IV eique dat nomen *Rogerius;* cfr. ex. gr. cod. 506 (saec. XIV) bibliothecae principis Fürstenberg in Donaueschingen et cod. V. 1. I. 219 (saec. XV) bibliothecae universitatis Salisburgensis (ex catalogo manuscriptorum P. Fidelis a Fanna O. F. M., qui exstat in hoc collegio ad Claras Aquas, t. II pag. 275 et t. XIII pag. 174); legitur l. c.: « Tunc floruit... fr. Iohannes guardianus Spirensis, et fr. Rogerius in Andernach et fr. Nicolaus in Nutzem... magnis et multis miraculis coruscantes »; cfr. etiam Schlager, *Beiträge zur Geschichte der Kölnischen Franziskanerordensprovinz im Mittelalter* (Coloniae 1904), pag. 249 not. 10. — [2] Eadem fere de provincia Argentinae — exceptis dictis de fr. Ioanne Spirensi — habentur in *Cat. S. Fr. Min.* pag. 35, Paul. Put., l. c. pag. 26, et *Chron. 24 gen.* pag. 238 seq. — [3] De ipso plura apud Salimbene, *Chron.* pag. 325 et multos saeculi XIII et XIV chronistas. — [4] Cfr. David ab Augusta, *De exterioris et interioris hominis compositione,* pag. IV seq. — [5] Cfr. Bessa c. 1 (l. c. pag. 669).

ficia sanitatis concessit. Lampas super eius sepulchrum pendens, decem et octo vicibus exstincta, sine humanis manibus est reaccensa [1].

In HUSSARIA [2] iacet frater Hudo, vita et signis praeclarus.

DE PROVINCIA SAXONIAE [3].

In provincia Saxoniae, in ERFORDIA iacet frater Benedictus, qui fuit pincerna beatae Virginis Mariae [4].

In KYRIS (*a*) iacent frater Conradus de Stogelem, (*b*) qui vivens coruscavit miraculis et post mortem; frater Electus guardianus; et frater Electus procurator in Lubech (*c*), qui cuidam fratri cum tam immenso lumine apparuerunt post mortem ac tres fratres quasi determinato tempore eodem anno praedixerunt morituros; et sic est factum [5].

In MADEBURCH (*d*) iacent frater Symon, primus lector in Theotonia [6]; frater Iacobus, primus custos Saxoniae [7]; frater Ludolfus (*e*). Hic frater sua lotura pedum mulierem a carnis superfluitate excrescente in pede curavit; et filium unius militis sex annorum omnibus membris destitutum liberavit; aliam mulierem a totius corporis cruciatu haustu vini, de quo ipse biberat, curavit et multa alia mira in vita fecit et post mortem.

In dicto loco iacent frater Iordanus de Italia [8]; frater Gilibertus (*f*); et frater Erethfridus (*g*), qui vidit angelum thurificantem fratres in choro cantantes cum thuribulo aureo, cui etiam beata Virgo multas consolationes tam corporales quam spirituales exhibuit.

In *Pruscia* iacent frater Conradus martyr et frater Voyslaus martyr, qui pro fidei praedicatione martyrium perceperunt.

In BREMA iacet frater Electus iuvenis, qui morte appropinquante coepit submisse cantare: « *Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum* [9] » etc., et secundo altius, et tertio voce perfecta et alta ita, quod omnes fratres convenerunt; et sic Deo spiritum reddidit [10].

In MISINA (*h*) iacet frater Theodoricus [11] Saxo, clarus vita et signis.

In VURIBURCH (*i*) iacet frater Ioannes, sanctitate famosus.

In OSEM [12] iacet frater Ioannes, quem Deus in vita et post mortem dedit miraculis gloriosum.

(*a*) As *Kura;* est Kyritz. — (*b*) Edd. *Stongelem.* — (*c*) As *Luberch,* edd. *Lunberch.* — (*d*) Edd. *Maderbuch;* est Magdeburg. — (*e*) Edd. *Lucolfus.* — (*f*) As et edd. *Gilbertus.* — (*g*) Edd. *Erethdus.* — (*h*) As et edd. *Misna;* est Meissen. — (*i*) As *Vuribinch*, edd. *Unributh;* infra fr. XI Codex *Lunenburch* (Lüneburg).

---

[1] Eadem leguntur in *Chronica anonyma* (Anal. Franc. t. I) pag. 290 et apud Glassberger pag. 70. — [2] Est Höxter, quod tamen fuit provinciae Coloniae. — [3] *Cat. S. Fr. Min.* (pag. 37) et *Chron. 24 gen.* (pag. 237) eosdem fratres — excepto fratre Ottone — nominant, ast nihil addunt de fr. Ludolfo et fr. Hermanno. — [4] *Chron. 24 gen.* l. c. dicit: « qui *in quadam visione* fuit pincerna beatae Virginis Mariae ». — [5] Fusius in *Chron. 24 gen.* pag. 236. — [6] Cfr. *Chronica fr. Iordani,* n. 52-58. — [7] Cfr. *Chronica fr. Iordani,* n. 33, 37 et 48. — [8] Est frater Iordanus a Iano, auctor Chronicae. — [9] Io. 20, 17. — [10] Nonnulla addit *Chron. 24 gen.*, pag. 237. — [11] Infra fr. XI ipsum Codex nominat *Odoricum.* — [12] Oschatz.

In HILDESEM (*a*) iacet frater Conradus, cognomine « Pater sancte », propter vitam et miracula praeclara [1].

In MULHUSEN (*b*) iacet frater Hermannus de Gerstaden (*c*). In quo, post susceptum ordinis Minorum habitum, resplenduit humilitas profundissima, paupertas arctissima et pietas largiflua circa animarum salutem; in quo prae aliis sancti Francisci filiis singulariter Deus praetulit effigiem (*d*) tanti patris. Humilitatem enim sui profundi cordis ostendit se semper ad obsequia despectiora et magis contemptibilia [studiose] ingerendo; paupertatem sic dilexit, ut nullius rei, nisi eius, quam (*e*) extrema necessitas sibi usum vel commodum requirebat, applicaret; tantum zelum habuit ad animas, ut ad loca, ad quae nullus ad praedicandum ibat, etsi cum multa incommoditate victus, scilicet aqua et pane contentus, accedebat, confessiones audiebat assidue et consilia pro animarum salute fideliter impendebat, in his pauperum curam gerens permaximam, eorum procurando salutem. Tandem anno Domini 1287 a Domino vocatus, etsi in vita prius, tandem post mortem magnis miraculis eum clarum reddere Dominus est dignatus.

Puerum submersum, alium puerum, quem mater peperit mortuum, et alium puerum necatum in fluvio, puellam duodecim annorum sub impetu aquae molendini submersam, filium quoque cuiusdam mulieris, quem mortuum pepererat, ac filium cuiusdam militis in partu mortuum suscitavit; a mortis periculo puerum, videlicet qui 15 diebus mammam non suxerat; mulierem, super cuius ventrem transierat currus, qui a sex equis ducebatur, ac mulierem ob partus periculum morti vicinam, et mulierem post partum quasi ad mortem deductam liberavit; caecos novem illuminavit et alios plures a maculis oculorum; tribus mutis loquelam restituit; duos surdos et mulierem habentem vermem in aure liberavit; sexdecim membris contractos erexit; quandam (*f*) a morbo caduco; ac duos paralyticos curavit; duos ab amentia et furia; a carceribus et praedonibus plures; a morbo (*g*) beatae Virginis quandam feminam; a sincopi aliam mulierem; quendam puerum gibbosum; a fluxu sanguinis iuvenem vulneratum; a partus dolore unam; aliam a tysi; a tentatione suspendii quendam; alium vagabundum, et plures alios a diversis infirmitatibus liberavit; vaccas furatas a latronibus restituit; sic et equum errantem suo domino reconcessit.

In civitate HALVERSTADENSI (*h*) iacet frater Otto (*i*). Qui cum esset canonicus saecularis et haberet magnam strumam in gutture, a beata Euphemia liberatus, mandatum est sibi, quod fieret frater Minor, et sic est peractum. Hic post mortem plura miracula fecit; nam fratrem habentem fistulam prope collum in scapula liberavit; alium habentem in natibus fistulam per quatuordecim annos, cum manu sua, qua tetigerat manus fratris Ottonis, locum fistulae tetigisset, statim fuit liberatus; unam mulierem graviter in mamilla vexatam, eidem apparendo et aspergendo aqua benedicta, sanavit; sic et aliam patientem in genu, ut ire non posset, voto facto ad se, liberavit.

(*a*) As *Hildeshem*, edd. *Hildisen*; est Hildesheim. — (*b*) Edd. *Mulusen*; est Mühlhausen. — (*c*) As et edd. *Gerstagen*. — (*d*) Edd. *effigies praefulsit*. — (*e*) As et edd. *quem*. — (*f*) As *quendam*. — (*g*) Ita codex et As; edd. addunt *meritis*. — (*h*) As *Alversteden*; est Halberstadt. — (*i*) As et edd. *Osto*.

---

[1] Auctores posteriores ipsum confuderunt cum fr. *Conrado de Caeli Porta*, ministro provinciae Argentinae. Cfr. de ipso Lemmens, *Niedersächsische Franziskanerklöster im Mittelalter* (Hildesheim 1896), pag. 13-16.

DE PROVINCIA AUSTRIAE.

In provincia Austriae, in CIVITATE NOVA iacet frater Conradus, vir sanctus et multorum patrator miraculorum; sed quia non erat sepultus apud fratres nostros, minister praecepit ei, ut amplius non faceret miracula; qui ad ministri praeceptum miracula de cetero non fecit [1].

DE PROVINCIA DACIAE [2].

In provincia Daciae, in loco (*a*) iacent frater Ioannes de Gadfordia, qui vivens (*b*) mortem suam praedixit, et frater Ioannes de Vafrordia (*c*), ad cuius sepulchrum curantur infirmi, ad vitam restituuntur occisi, et perfecte sanantur vulnerati.

DE PROVINCIA BOEMIAE [3].

In provincia Boemiae, in PRINCILAVIA (*d*), iacet frater Gerardus, qui in vita et post mortem miraculis claruit.

In VRANZLAVIA [4] iacet frater Marquardus, qui ibidem multis miraculis coruscavit [5].

DE PROVINCIA ANGLIAE.

De fratre Agnello de Pisis.

In provincia Angliae, in OXONIA iacet frater Agnellus de Pisis, primus in Anglia minister, vita et miraculis gloriosus. Hic primus fuit qui Parisiensem aedificavit conventum, exsistens ipse custos Parisiensis. Nec ipse, cum esset diaconus, ad presbyteratum voluit ascendere sine licentia capituli generalis. Denique a beato Francisco factus primus minister in Anglia, illuc missus est a beato Francisco cum quatuor fratribus; inter quos fuit frater Albertus de Pisis, qui post ipsum fratrem Agnellum fuit minister Angliae, et demum generalis minister tertius post beatum Franciscum.

Hic frater Agnellus cum praedictis sociis ad Angliam pergens, tertia Maii intravit, et Cantuariam devenientes (*e*) a fratribus Praedicatoribus, iam ibidem habitantibus, in visceribus sunt caritatis recepti. Demum versus (*f*) Oxoniam adire volentes, ad quandam grantiam monachorum monasterii de Ambidon [6] in nemore vastissimo inter

(*a*) Codex habet lacunam, As et edd. etiam om. nomen. — (*b*) As *iuvenis*. — (*c*) Edd. *Barfordia*. — (*d*) As *Princiliana;* est Prenzlau. — (*e*) As et edd. *Cantuariae devotissime*. — (*f*) As et edd. *Deinde*.

[1] Idem *Cat. S. Fr. Min.*, pag. 39 et Paul. Put. *(Provinciale)*, pag. 30. — [2] Quae Pisanus hic de *provincia Daciae* dicit, repetit infra, ubi agit de *provincia Hiberniae;* in fructu XI vero nihil de sanctis fratribus provinciae Daciae dicit et illos duos, de quibus hic, in provincia Hiberniae collocat; idem facit *Cat. S. Fr. Min.*, pag. 40 et Paul. Put. et cod. Oxon.; unde illos ad provinciam Hiberniae pertinere putamus. — [3] Idem dicunt *Cat. S. Fr. Min.*, pag. 39 et *Chron. 24 gen.*, pag. 243. Tam Prenzlau quam Breslau pertinebant ad provinciam Saxoniae. — [4] Est Vratislavia (Breslau). — [5] *Acta SS.*, t. VII maii pag. 183 agunt de beato *Marquardo,* qui Monachii requiescit (secundum Arturum l. c. pag. 230 est ille, de quo hic agit Pisanus). — [6] Abingdon.

Badon et Oxoniam exsistentem, circa horam vespertinam devenerunt; et pergere ultra propter aquarum multitudinem (*a*) non valentes, hospitium illo sero Dei amore a monachis in dicta grantia exsistentibus, ne fame et a bestiis in silva perirent, petierunt. Ianitor vero nuntiavit priori, qui ibi erat cum quatuor monachis, videlicet sacrista, cellerario et quodam iuvene: qui videns eos et ioculatores eos reputans, et non Dei servos, viliter abiecit et extra portam fecit expelli. Iuvenis ille monachus eis compassus dixit portanario: « Amore mei, postquam prior et monachi iverunt dormitum, mittatis illos pauperes in domum fenariam (*b*), et ego eis de aliis providebo ». Quo introductis et inter foenum morantibus, ille iuvenis portavit eis de pane et de cerevisia (*c*), commendans se devote eorum orationibus. Sed nocte ipsa sequenti, dum hic iuvenis monachus dormiret, habuit visionem. Videbat enim Iesum in oratorio in throno mirabili residentem, et omnes ante tribunal iudicis evocari. Cumque omnes adducti essent, veniebat quidam pauper, humilis et despectus in habitu illorum pauperum fratrum, et clamabat: « Iustissime (*d*) iudex, clamat ad te sanguis fratrum Minorum, qui effusus est ista nocte, negantibus cibum et hospitium huius loci patronis, cum isti omnia reliquerint tui amore, et nunc propter te veniebant quaerere animas, quas tuo sanguine redemisti, cum tamen ioculatoribus non negassent ». Tunc Christus vultu terribili dixit priori: « De quo ordine es, o prior »? Qui ait: « De ordine beati Benedicti ». Et Christus ad beatum Benedictum ait: « Benedicte, dicit iste verum »? respondit beatus Benedictus: « Destructor est ordinis mei et socii sui, qui secum sunt. Nam in regula praecepi, quod mensa abbatis semper sit cum hospitibus, nunc autem isti contra regulam meam victum et hospitium negaverunt ». Tunc iudex praecepit, ut suspenderentur in ulmo, qui erant in claustro illo; quibus, ut videbatur, suspensis, vertit se Christus ad illum, qui misericordiam fecerat pauperibus suis, eadem replicans, quae priori. Considerans autem ille, quomodo beatus Benedictus male suos culpaverat, intra se aliquantulum cogitans (*e*), tremebundus respondit: « Domine, ego de ordine pauperis huius sum ». Tunc Christus vocavit pauperem dicens: « Francisce, estne iste de ordine tuo »? Et beatus Franciscus respondit: « Domine, de ordine meo est, et ex nunc eum recipio ». Et cum eum amplexaretur et fortiter ad se stringeret, ille excitatus a somno et stupefactus visione, maxime, quia nomen Francisci in somno primo audiverat a Christo, cucurrit narrare priori, quae viderat; et cum aperuisset cameram eius, reperit eum strangulatum et deformatum totaliter, et exclamans cucurrit ad socios, quos eodem exterminio reperit exstinctos; et currens ad fratres invenit eos mane recessisse; nam ianitor timore prioris eos eiecerat. Concitus monachus ille ivit nuntiare abbati Ambidon; et cum haec vox omnibus nuntiaretur, et omnibus timorem incuteret, praedicti quatuor fratres Oxoniam venerunt.

Cumque regi Angliae Henrico se praesentassent, gloriose sunt ab eo recepti, quibus liberaliter locum Oxoniae concessit [1]. In tantum autem fama sanctitatis eorum et novitatis miraculi diffusa est per Angliam, ut non solum monachus ille, qui fuit primus, sed episcopus magnus Erfordiensis, dominus Rodulfus [2], et abbas [3] ordinem intraverunt,

(*a*) As et edd. *inundantiam*. — (*b*) Codex *ferrariam*. — (*c*) Edd. *cervigia*. — (*d*) As et edd. *Aequissime*. — (*e*) As et edd. addunt *tacitus*.

[1] Cfr. documenta XVII, XVIII, XIX apud Brewer, *Monumenta Franciscana* (London 1858), pag. 615-617. — [2] Cfr. Eccleston coll. XIV, l. c. pag. 249 et Bessa c. 7 (l. c. pag. 679). — [3] « Frater Ioannes de Redingia, abbas Osengyae » (Eccleston coll. III, l. c. pag. 225).

et tam humiliter vixerunt, ut aquam in baculo et barili ambo portarent et lapides ad praedicti loci constructionem [1].

Hic frater Agnellus Anglorum pueros ad ordinem recepit, et scholas humiles statuens sollicitus fuit de studio. De quo aliquando postea doluit, quando vidit, quod fratres studebant in vanis, necessariis praetermissis. Nam, cum die quadam vellet videre, quomodo fratres profecissent, intravit ad disputationem, et cum tumultuantes audiret quaerere inter se: « Utrum sit Deus », exclamavit: « Heu mihi, heu mihi! Fratres simplices caelos penetrant, et litterati disputant, utrum sit Deus ». Et ex tunc misit decem libras sterlingorum ad curiam pro emendis decretalibus, ut fratres studerent in eis, frivolis praetermissis [2].

Quodam etiam sero, dum fratres in completorio riderent nimium dissolute, crux lignea, quae stat supra ostium chori, fragore stupendo se vertit ad fratres et timorem maximum eis incussit, et plures eorum mortui sunt in brevi [3].

Hic frater Agnellus gratissimus per (*a*) Angliam discurrens plura loca fundavit. Tandem in crastino beati Gregorii papae Deo spiritum reddidit, in vita et post mortem multis miraculis coruscando. Sepultus est Oxoniae in capsa lignea; cuius corpus volentes fratres transferre ad sepulchrum pulchro lapide praeparatum, invenerunt capsam eius plenam liquore olei lucidi (*b*) et odoris balsami, et ossa carne resoluta supernatare suavissimo oleo, acsi aura tenui moverentur; cumque fratres minus caute vellent ossa eius cum capsa levare, fundus (*c*) capsae terrae adhaesit, et cum odore nimio liquor vel oleum fusum est, et ossa ad sepulchrum praedictum cum gloria transportata [4].

Locus Cantuariae.

In Cantuaria iacet in ecclesia sancti Thomae magister Ioannes Peccian, archiepiscopus Cantuariensis [5], vita et miraculis insignis et scientia praeclarissimus. Hunc non permiserunt canonici, immo monachi Cantuarienses catalogo sanctorum adscribi; quia ipsos sic corrigebat, sicut fratres faciebat, dum esset Angliae minister [6].

(*a*) As *et*. — (*b*) As om. *lucidi*. — (*c*) As et edd. *fundum*.

---

[1] Eodem modo et ordine habentur in cod. ms. (saec. XIV) Coll. S. Antonii fol. 55 v (de hoc codice, ex quo Pisanus plura desumpsisse videtur, cfr. Lemmens, *Documenta antiqua franciscana*, p. III pag. 72, et introductionem huius libri); fere eadem leguntur in *Chron. 24 gen.*, pag. 24. Uti iam advertit Brewer in *Monumenta Franciscana* pag. 631, non conveniunt relationi, quam frater Thomas de Eccleston de « primo adventu fratrum Minorum in Angliam » fecit. Secundum ipsum die 10 septembris primo advenerunt, et quidem novem, « quatuor scilicet clerici et quinque laici »; inter ipsos non fuit frater Albertus de Pisis. Cantuariae « apud prioratum sanctae Trinitatis manserunt per binos dies », unde quatuor profecti sunt Londoniam, deinde duo Oxoniam. Primus demum, qui in Anglia habitum sumpsit, non fuit monachus quidam, sed « bonae indolis adolescens et elegantia corporis admodum clarus, frater Salomon ». Hinc relationem supra datam, quae in se iam improbabilis apparet, vel alii tempori attribuendam vel omnino negligendam censemus. — [2] Hoc modo etiam refertur in dicto cod. Coll. S. Antonii; *Chron. 24 gen.* vero pag. 27 loco ultimae sententiae erronee habet: « Et ob hoc illud studium revocavit ». — [3] Idem in *Chron. 24 gen.* pag. 364, ubi dicitur « in quodam conventu »; alio modo refert Eccleston, coll. V (l. c. pag. 228). — [4] Cfr. Eccleston, coll. XIV (l. c. pag. 247). — [5] 1279-1292. — [6] Apud priores scriptores non invenimus.

DE PROVINCIA HIBERNIAE.

In provincia Hiberniae iacet frater Nicolaus (*a*) de Gadfordia (*b*); iste in vita sua fratribus praedixit diem suae mortis.

Ibidem sepultus (*c*) est frater Ioannes de Vasfordia (*d*) de custodia Casiliensi [1], qui magnis coruscavit (*e*) miraculis, ita quod ad eius sepulchrum curantur infirmi, occisi resuscitantur, et morbi fugantur [2].

DE VICARIA ORIENTIS.

In vicaria Orientis, in civitate *Arzenga* [3] tempore fratris Alexandri generalis [4] 1314 (*f*) martyrizati sunt pro fide a saracenis, frustatim videlicet incisi et mille vulneribus confossi, fratres Minores tres, scilicet frater Antonius de Mediolano, frater Monaldus et frater Franciscus de Marchia [5].

In *Salmastra* (*g*) *Persidis* [6] glorioso martyrio martyrizatus est frater Antonius, qui de sua morte prophetavit et multis miraculis post mortem claruit.

In praefata vicaria est passus martyrium frater Aldobrandinus de Ammonatis (*h*) de Florentia pro fide Christi.

DE VICARIA AQUILONARI.

De quatuor fratribus martyrizatis.

In vicaria Aquilonari, in civitate, quae dicitur *Tana* [7], tempore generalatus fratris Michaelis de Cesena [8], anno Domini 1321 feria quinta ante dominicam Palmarum, passi sunt pro fide et occisi quatuor fratres Minores, videlicet frater Thomas

---

(*a*) Edd. *Ioannes.* — (*b*) As *Guathfordia,* edd. *Gauthforda;* est Waterford. — (*c*) As et edd. om. *sepultus.* — (*d*) As denuo *Guathfordia,* edd. *Vafordia*; videtur etiam esse Waterford (ita Wadd. ad an. 1240 n. XXVII). — (*e*) As *coruscat.* — (*f*) As *13IX.* — (*g*) As *Salmistra.* — (*h*) As et edd. *Amannatis.*

---

[1] Cashel. — [2] Idem *Cat. S. Fr. Min.* pag. 40, Paul. Put. l. c. pag. 39 ac cod. Oxoniensis c. 29. — [3] Hodie Ersindjan, in Armenia, media via inter Siwas (Sebaste) et Erzerum. — [4] Alexander de Alexandria exstitit minister generalis 1313-1314. Auctores non conveniunt de tempore martyrii ipsorum; codex Oxon. convenit Pisano dicens « Generalante fratre Alexandro » (cfr. *Cat. S. Fr. Min.* pag. 45); pariter codex Monacensis 3702 iam citatus, qui dicit: « Item anno Domini MCCCXIV tempore quadragesimae » (cfr. *Cat. S. Fr. Min.* pag. 45 not. 2). *Memoriale ordinis Fratrum Minorum* econtra ipsos anno 1288 occisos esse dicit (cfr. *Monumenta ordinis Minorum,* tr. II fol. 229 v), fortasse innixum *Chron. 24 gen.,* quae (pag. 412) de ipsis agit sub temporibus fratris Matthaei de Aquasparta (1287-1289); ast non dicit, quod illis temporibus mortui sunt; ex aliis vero exemplis (cfr. supra pag. 317 not. 6) deducere licet, *Chronicam* dictam non ordine chronologico procedere. — [5] Cfr. *Relatio fratris Carlini de Grimaldis* in *Chron. 24 gen.* pag. 412-415 (exordium pag. 597), apud Wadd. ad an. 1314 n. IX et *Acta SS.*, t. II martii pag. 412-414. — [6] Salmastra est civitas Persiae prope mare Urmiae ad viam sita, quae a civitate Aleppi ducit ad Tauris, a quo quatuor dietas distat. — [7] Est error Pisani. In vicaria Aquilonari, quae partem meridionalem hodiernae Russiae comprehendit, erat quidem civitas Tana, quae hodie vocatur *Asow* et in qua erat colonia Iannensium et locus fratrum; ast fratres Thomas et socii non in hac civitate Tana occisi sunt, sed in civitate Tana, quae est *prope Bombay in Indiis orientalibus.* — [8] 1316-1328.

de Tolentino provinciae Marchiae, frater Iacobus de Padua, frater Petrus de Senis et frater Demetrius de Thefelio [1] Iurgianus (*a*). Quorum frater Iacobus positus primo cum habitu in igne, et postea sine habitu, atque oleo totus perunctus, ut facilius arderet, divina virtute ignis bis fuit exstinctus; et quia, hoc miraculo publice facto, fides Maumeth destruebatur, iussi sunt ad mortem duci, et frater Iacobus uno ictu fuit decapitatus, frater Thomas gladio in gutture immerso occisus, sed frater Demetrius decapitatus, membratim postea est concisus, frater Petrus de Senis, cum tunc non esset praesens, sed in hospitio res sociorum custodiret, captus, cum in confessione verae fidei immobilis permaneret, primo duobus diebus fortissime caesus, duobus aliis diebus in patibulo cum chorda in gutture suspensus, ubi vivens semper populo praedicabat, tandem decollatus est pro Christi nomine [2].

De fratre Stephano Ungaro.

In civitate *Saray* [3] imperii Tartarorum tempore fratris Gerardi Odonis generalis ministri [4], scilicet anno Domini 1334 vigesimasecunda die aprilis, passus est gloriosus martyr frater Stephanus de Ungaria, qui, cum esset vigintiquinque annorum et sacerdos, et propter adulterium (*b*) ab eo in dicta civitate cum quadam muliere commissum esset carceri mancipatus, humiliter poenitentiam sibi iniunctam faciebat. Verum diabolo sibi apparente, et quod exiret tam de carcere quam de ordine suggerente ac, ut ad saracenos fugeret et fidem negaret, eum pluries impellente, ipso haec omnia revelante et dicente fratribus, ut eum bene custodirent, tandem diabolus eum a carcere eduxit, et deducens ad saracenos abnegare fidem fecit. Hic postquam fidem negaverat, die tertia divina misericordia respectus, ad se reversus poenitudine ductus misit pro fratribus, et occulte fratri Michaeli exsistenti in dicta civitate Saray confessus est generaliter de peccatis suis et absolutus. Die solemni, congregatis bene decem millibus saracenorum, quae dixerat contra Christum et fidem, coram omnibus retractavit, asserens fidem catholicam veram et sanctam, et saracenicam pessimam et iniquam, et proiiciendo vestimenta saracenica, quibus erat indutus, in habitu ordinis, quem nunquam dimisit, ipse remansit. Quod audientes saraceni et videntes, eum pugnis, baculis et lapidibus percutientes, semineccm eum dimiserunt et ligatum fortiter ad cadi, id est episcopum ipsorum, perduxerunt; ubi, dum in confessione verae fidei immobilis persisteret, flagellis de corio arena plenis, usque ad mortem iussit eum (*c*) torqueri. Post haec in carcere fecit eum poni et mandavit, quod nihil daretur ei ad comedendum nec bibendum, et de nocte fecit eum suspendi per manum dextram et pedem dextrum, et in manu sinistra lapidem magnum appendit et unum lapidem in sinistro pede et alium in medio corpore, ut tali pondere totus distraheretur et deficeret; et sic stetit per totam noctem illam et diem sequentem usque ad noctem; quae (*d*) omnia Christi virtute confortatus patienter toleravit. Sed cadi, cum videret eum in fide firmum, fecit eum suspendi per ambas manus et saxum maximum ligari ad pedes suos, ut totus divideretur, et adeo fuit pondus magnum,

(*a*) As et edd. *virgianus.* — (*b*) As et edd. omisso *adulterium* habent *propter commissa.* — (*c*) Codex *eos.* — (*d*) As *qui.*

[1] Tiflis, urbs principalis Georgiae (Iberiae antiquorum). — [2] Plures relationes de eorum martyrio enumerat *Bibliotheca hagiographica latina,* t. II pag. 1194-1196. — [3] Sarai ad flumen Wolga prope hodiernam civitatem Zarew situm. — [4] 1329-1342.

ut brachium eius extra totum humerum esset positum, et corpus totum esset fractum. Ad quem cadi accedens et videns, quod eum a sua fide non posset removeri, fecit eum suspendi per gulam, primo tamen crudelissime flagellatum; et ut fumo suffocaretur, cito ad pedes eius ignis magnus est factus; et carcerem claudens abscessit. Sed carcere divino lumine radiato, a laqueo est depositus, et visus est a duabus mulieribus in carcerem respicientibus inter duas columbas albissimas flexis genibus orare. Sed tanto miraculo cadi ad credendum Christo minime incitatus, sequenti nocte fecit unam magnam fornacem incendi, et intus eum proiici et claudi; et sic stetit per totam noctem in ea incolumis, in nullo laesus ab igne. Mane vivens repertus est orans et sudans, ac si de balneo exiret. Sed a fornace eum extrahentes, ubi homines decollabantur, eum incluserunt. Demum ad eum, fractis ostiis carceris, saraceni furibunde accedentes, ipsumque fortissimum cernentes in fide, cum securi unus eum percussit in collo et fregit eum usque ad medium; alius vero percussit eum in ventre sic, quod viscera apparerent. Et cum sic esset atrociter vulneratus, ipsum ad caudam equi ligaverunt; sed Deo martyri suo vires impendente, equum semper ipse praecessit. Post hoc proiecerunt ipsum in domum lignis plenam et igne, prius tamen eius auricula amputata et in ignem proiecta; quae statim de igne exsaltavit (*a*). In domo praedicta positus, dum se vellet signare, manus ligatae solutae sunt. Ignem ingrediens statim fuit exstinctus. Quod videntes saraceni eum magnis lapidibus lapidarunt. Et facto iterato igne de calamis cum adipe equi, ligatum eum in ipsum proiecerunt; qui, dum sibi signum crucis vellet imprimere, manus sunt dissolutae, et de igne illaesus exivit. Quod cernentes saraceni super eum irruentes, cum lapidibus, securibus et gladiis ita eum percusserunt, quod nulla pars corporis remansit intacta; et sic spiritum Deo reddidit. Et plura miracula per eum Deus fecit post mortem et facit [1].

DE VICARIA CATHAY SIVE TARTARIAE [2].

In vicaria Cathay sive Tartariae, in civitate *Armalech* [3], quae est in *medio imperio Tartarorum*, anno Domini 1340 passi sunt pro fide fratres Minores, scilicet frater Richardus, episcopus Armalech, frater Franciscus de Alexandria, frater Paschalis de Hispania et frater Raymundus de Provincia; hi erant (*b*) sacerdotes; frater Laurentius de Alexandria et frater Petrus de Provincia laici, et magister Ioannes, niger corpore, de India, de tertio ordine beati Francisci, conversus ad fidem per fratres nostros.

Hi omnes, dum essent in dicto imperio et ab imperatore, qui tunc erat [4], quem frater Franciscus de Alexandria a cancro liberaverat, oratione potius quam medicamine — et ista de causa [imperator] fratrem istum suum vocabat patrem et me-

(*a*) As et edd. *exilivit*. — (*b*) As et edd. *omnes*.

[1] Cfr. *Chronicon* Ioannis Vitodurani (apud Eccard, *Corpus hist. medii aevi*, t. I) pag. 1837, et *Passio fratris Stephani* in *Chron. 24 gen.*, pag. 515-524. — [2] Cathay (Kathai) saec. XIV vocabatur totum imperium Sinarum. — [3] In hodierno Turkestan prope Kuldscha inter lacum Balschach et lacum Issyk sita, de quo loquitur frater Ioannes de Marignollis ordinis fratrum Minorum in suo *Chron. Boemorum*; cfr. Marcellino da Civezza, *Saggio di bibliografia sanfrancescana*, pag. 374. — [4] Imperator *Chansi*; cfr. Eubel, *Bullarium franc.* t. VI pag. 60.

dicum —, optime tractarentur, utpote datis terris et privilegiis et auctoritate praedicandi, ac suo filio fratribus dato, ut baptizaretur a fratribus, qui septennis tunc erat, vocato Ioanne, Deo permittente, ipse imperator, dum iret venatum, interiit veneno, et filii eius quatuor occisi sunt. Cuius imperium sumpsit quidam pessimus falcherius [1] saracenus (*a*) de sanguine imperiali, nomine Alisolda. Et quia fratres praedicatione multos converterant ad fidem, mandavit hic imperator, ut, trino praecepto facto, omnes christiani efficerentur saraceni et, qui non obedirent, occiderentur. Propter quod cum fratres praedicti suo mandato parere nollent, ligatis manibus ante, et omnes ad unum funem, a populis furentibus percussionibus, sputis, gladiorum puncturis, incisionibus nasi, auricularum et [aliorum] membrorum, demum gladiis trucidati feliciter migraverunt ad Dominum.

Dictus autem imperator post modicum tempus interfectus est, et domus eius igne combusta [2].

Passi sunt praedicti fratres anno praefato circa festum beati Ioannis Baptistae, tempore generalatus fratris Gerardi Odonis.

DE VICARIA RUSSIAE.

In vicaria Russiae, in *Livonia* [3], quae est vicina (*b*) Boemiae provinciae, in terra, quae vocatur *Voerbia* (*c*), ubi sunt homines idolatrae arbores adorantes, interfecti sunt quinque fratres Minores. Guardianus, amputatis manibus et pedibus et parte capitis, positus est in navicula sine gubernatione in fluvio [4]; qui divino nutu per ducenta milliaria almanica per dictum fluvium venit ad terram Cruciferorum (*d*) vivus, et ibidem tandem exspiravit. Alii vero fratres gladiis sunt praedicatione fidei occisi (*e*).

In *Cereth* (*f*) *Walachiae* [5] *minoris* a dictis infidelibus circa annum Domini 1378 duo fratres sunt martyrio coronati.

DE VICARIA BOSNAE.

In vicaria Bosnae et (*g*) regno Bulgarorum in terra, quae dicitur *Bidinium* [6], passi sunt frater Andreas Ungarus sacerdos, frater Gregorius de Iadra sacerdos, frater Nicolaus de Marchia, frater Benedictus de Regno et frater Thomas laicus de Fulgineo [7] a Collogeris (*h*) graecis. Cum enim, ad petitionem regis Ungariae Ludovici, ad reducendum ad fidem veram Bulgaros illuc accessissent et

(*a*) As om. *saracenus.* — (*b*) Ed. om. *quae est vicina.* — (*c*) As *Verdna*, edd. *Vulna;* est Wilna. — (*d*) As *Crucifixorum.* Sunt equites theutonici. — (*e*) As om. *Alii vero—occisi.* — (*f*) As *Cerech.* — (*g*) As et edd. *in.* — (*h*) Edd. *Calogeris.*

[1] Religiosi saraceni. — [2] Quae retulit fr. Ioannes de Marignollis, qui in fine anni 1338 legatus papae ad imperatorem Tartarorum missus, anno martyrium sequente in civitate Armalech commoratus est; cfr. *Chron. 24 gen.*, pag. 530-532 (ib. pag. 532-535 relatio fr. Paschalis de suo itinere), et Marcellino da Civezza, l. c. pag. 374. — [3] Livonia vel Litwania anno 1386, post baptismum principis Iagellonis, ad fidem catholicam est conversa. — [4] Prope Wilna fluit Wilija, qui in Njemen (Memel) transit. — [5] Hodie Sereth in Bukowina. — [6] Widdin. — [7] *Chron. 24 gen.*, pag. 564 alia nomina dat: « frater Antonius de Saxonia, frater Gregorius de Traguria, frater Nicolaus Hungarus, frater Thomas de Fulgineo, frater Ladislaus de Hungaria ». Convenit *Chronicae* codex Oxoniensis (cfr. *Cat. S. Fr. Min.*, pag. 47).

fructum maximum ibidem facerent, et hoc displiceret Collogeris graecis, capto Bidinio per Bulgaros, fratres praefati per frusta concisi martyrium compleverunt [1].

De fratre Electo martyre.

Beati Francisci tempore frater Electus laicus passus est martyrium; sed ubi, non reperi. Qui antequam martyrium reciperet, accepta regula in manu, dixit Deo suam culpam de omni offensione, quam contra ipsam regulam aliquando fecisset [2].

Ex supradictis ergo apparet primum, quod erat declarandum, videlicet, quod ordo Minorum est singularissimus sanctitate. Nam, ut patet ex superioribus, ultra trecentos fratres habuit hic ordo, per quos Deus signa est operatus et miracula, et ultra octogintaquinque sunt martyrio coronati, si diligenter superiora discutiantur. Et sic tam confessoribus sanctis fratribus quam martyribus declaratur huius ordinis sanctitas et sanctitudo (*a*).

Et sic patet primum declarandum.

Secundo, hic ordo prae aliis ordinibus institutis est singularissimus scientiae luciditate. Habuit enim hic ordo prae aliis ordinibus (*b*) fratres scientia singulares; in omni scientia tam divina quam humana fuerunt in hoc doctores excellentissimi [3].

Si loquamur de scientia divina quoad sacram scripturam et theologiam, hic ordo habuit plures, qui scripserunt in sacra scriptura, eam exponendo et postillando, ac libros *Sententiarum* quoad dubia declarando.

Nam frater Alexander de Halis, natione anglicus, qui magno tempore Parisius legit, fecit summam maximam in theologia in quatuor partes dividendo; et quia primus scripsit, mirum est in ipsa summa [4] non solum de profunditate et magnitudine suae scientiae, sed de inventione tot dubiorum et titulorum quaestionum, propter quod fons vitae Parisius est vocatus. Hic etiam magister quasi totam sacram scripturam postillavit et exposuit. Opus eius (*c*) in theologia approbatum est bulla domini Alexandri IV et sexaginta magistrorum Parisiensium [5].

(*a*) Edd. *celsitudo*. — (*b*) As et edd. om. *prae aliis ordinibus*. — (*c*) Codex *enim*.

---

[1] *Chron. 24 gen.* l. c. dicit: « unum ex eis in frusta divisum crudeliter peremerunt, aliis autem... caput amputarunt »; illorum martyrium remittit ad an. 1369. — [2] Cfr. II Cel. 3, 135 (*Speculum perfectionis*, ed. Sab., c. 76), ubi omittitur nomen; *Chron. 24 gen.* pag. 224 illum mortuum dicit « sub regimine » fratris Eliae et addit nomen *frater Electus;* cod. Oxoniensis vero addit, illum « in vicaria Tunisii in Marochio » mortuum esse (*Cat. S. Fr. Min.*, appendix pag. 45). — [3] Plura de hisce doctoribus inveniuntur apud Waddingum, *Scriptores ordinis Minorum*, Sbaralea, *Supplementum ad Scriptores ordinis Minorum*, *Chron. 24 gen.*, Denifle-Chatelain, *Chartularium Universitatis Parisiensis*, aliosque. Hic in notis solum ad corrigenda et explicanda quaedam dicta Pisani intendimus. — [4] Quo sensu haec summa Alexandri *prima* vocari possit, exponit Hil. Felder ord. Cap., *Geschichte der wissenschaftlichen Studien im Franziskanerorden bis um die Mitte des 13 Jahrhunderts* (Freiburg 1904), pag. 195 sqq. — [5] Cfr. supra pag. 309 not. 4.

Frater (*a*) Bonaventura de Balneoregio, qui postea fuit cardinalis primus ordinis et episcopus Albanensis, scripsit luculenter super libros quatuor *Sententiarum;* postillavit excellenter evangelium beati Lucae; scripsit apologiam pauperum, librum de operibus sex dierum, [librum de contemplatione] librum de sex alis Seraphim, regulam novitiorum; legendam maiorem et minorem composuit beati Francisci et multa alia, quibus sua doctrina, quam lata fuerit et alta, apparet.

Frater Ioannes Guallensis (*b*) de Anglia, doctor Parisiensis, qui Parisius arbor vitae inscribitur, composuit plures postillas, et specialiter super Apocalypsim; ac summam pulcherrimam cum 18 tractatibus de diversis composuit, quae omnibus volentibus praedicare et scire omnia, quae decent fieri, utilissima est, exemplis pulcherrimis et auctoritatibus philosophorum et sanctorum comprobata [1].

Frater Ioannes [2] Guarro anglicus, Scoti magister, scripsit super libros *Sententiarum,* et plura alia (*c*) fecit.

Frater Gulielmus de Lamarra (*d*) scripsit super *Sententias,* ad opus domini fratris Bonaventurae multa superaddendo, et multa quodlibeta faciendo, ac contra fratrem Thomam de Aquino correctionem (*e*) componendo, in quibus, quod magnae fuerit sufficientiae, declaratur.

Frater Ioannes de Rupella scripsit super *Sententias,* et famosissimus fuit doctor suo in tempore.

Frater Rigaldus, qui fuit postea archiepiscopus Remensis [3], magister magnus fuit in theologia et scripsit luculenter, et tam vita quam scientia fuit orbi praeclarus.

Frater Ioannes Scotus, qui doctor subtilis nominatur. Hic primo in Anglia Oxoniae *Sententias* legit, deinde in studio Parisiensi, ubi doctor factus est famosissimus et fuit. Hic in theologia scripsit luculenter, et praecipue super quartum librum, quem (*f*) ipse ordinavit; et quodlibeta etiam fecit; tractatus plures edidit; quaestiones super libros *Metaphysicae* fecit, et super scripturam sacram postillas ordinavit.

Frater Robertus de Bascia (*g*). Hic magnus fuit doctor in sacra pagina, et super *Sententias* scripsit, ac cum magistris Alexandro de Halis, Rigaldo, Ioanne de Rupella regulam declaratam fratri Aymoni (*h*) generali ministro transmisit.

Frater Aymo Anglicus fuit. Hic, ob sufficientiam et vitam in generalem ordinis electus, de mandato domini Alexandri IV breviarium ecclesiae correxit et rubricavit.

Frater Arlottus (*i*) de Prato magister fuit ac ordinis generalis, qui inter alia opera concordantias dicitur edidisse.

Frater Ioannes de Parma, qui fuit ordinis generalis minister, et nunc magnis, ubi iacet, in Camerino coruscat miraculis, in theologia et (*k*) super bibliam scripsit, et plura devota composuit, videlicet officium passionis, scilicet: *Regem Christum crucifixum,* et de beneficiis Creatoris.

(*a*) Edd. addunt *sanctus.* — (*b*) As et edd. *Gualensis.* — (*c*) As addit *pulchra opera.* — (*d*) As et edd. *Lamara.* — (*e*) As et edd. *correctorium.* — (*f*) Ed. 2 *super quatuor libros, quos.* — (*g*) Edd. *Bassia;* est Bastia. — (*h*) As et edd. *Simoni.* — (*i*) As *Arloctus.* — (*k*) Edd. addunt *et super Sententias.*

---

[1] Cfr. supra pag. 308 not. 5. — [2] Codices et ipse Scotus eum vocant Gulielmum; cfr. *Fr. Gulielmi Guarrae, fr. Ioannis Duns Scoti, fr. Petri Aureoli Quaestiones disputatae de Immaculata Conceptione B. M. V.* (ad Claras Aquas 1904), pag. XV. — [3] Odo Rigaldi fuit archiepiscopus Rothomagensis, non Rhemensis, 1248-1275.

Frater Hieronymus de Esculo magister fuit in theologia praeclarus, generalis ordinis, deinde cardinalis, et demum summus pontifex, vocatus Nicolaus IV. Hic etiam super *Sententias* scripsit et in scriptura sacra nonnulla.

Frater Iacobus de Esculo, in sacra theologia tempore suo singularis magister, composuit super *Sententias* opus et in sacra scriptura (*a*).

Frater Alexander de Alexandria, qui fuit ordinis generalis minister, magister fuit in theologia; scripsit super *Sententias*, fecit plures notabiles postillas, et super *Metaphysicam* et libros *de anima* nemo scripsit melior eo.

Frater Gualterus, episcopus Pictaviensis, magister magnus fuit et sanctus homo. Hic opus pulchrum super *Sententias* edidit, et quodlibeta plura; scripsit etiam in sacra scriptura, et ad petitionem domini Alexandri IV opus *sermonum ad status* composuit, quos idem papa approbavit [1].

[Sanctus] frater Antonius, etsi gradum magisterii non habuerit, fuit tamen lector Bononiae, Tholosae et Paduae, et a papa et a cardinalibus arca sacrae scripturae vocatus; fecit sermones subtiles, ac miraculis gloriosus canonizatus est ab ecclesia.

Frater Ioannes de Murro, qui fuit ordinis generalis minister et cardinalis episcopus Portuensis, doctor fuit in theologia, qui operibus, scientia et vita ad praedicta fuit assumptus.

Frater Matthaeus de Aquasparta doctor fuit in theologia; multa tam super *Sententias* quam super scripturam edidit, et luculentos sermones composuit; ac deinde ordinis generalis et episcopus cardinalis fuit.

Frater Gentilis de Monte Florum (*b*) fuit in theologia excellens magister, qui ob probitatem scientiae et opusculorum cardinalis factus est ecclesiae romanae.

Frater Bertrandus (*c*) de Turri fuit sacrae theologiae magister, sanctae romanae ecclesiae cardinalis; qui primo in theologia, deinde omnia evangelia et epistolas, quae per anni circulum in ecclesia leguntur tam in ferialibus quam dominicalibus et festivis diebus, postillavit, collationes et sermones de eisdem composuit, et multa alia fecit.

Frater Vitalis de Furno (*d*), doctor in theologia, multa etiam opera fecit, et sua scientia ad apicem cardinalatus fuit assumptus.

Frater Helias de Ambalis (*e*) fuit magister clarus in theologia; postillam, excepto opere super *Sententias*, super apocalypsim scripsit pulchram.

Frater Petrus Aureoli (*f*), facundus in theologia magister, in theologica facultate plura scripsit et bene; compendium sacrae scripturae edidit, et postillas ac tractatus, et specialiter de Virginis conceptione duos, edidit.

Frater Pastor Provincialis, magister Parisiensis valens, scripsit etiam plura, et deinde cardinalis est factus.

Frater Franciscus de Marchia, nominatissimus in theologia magister, luculenter in theologia deprompsit, et multos tractatus ac quaestiones in theologia et philosophia composuit.

(*a*) As et edd. om. *composuit—scriptura.* — (*b*) As et edd. *Flore.* — (*c*) Edd. *Beltrandus.* — (*d*) As *Firmo.* — (*e*) Edd. *Hanibalis;* alias *Nabinali;* cfr. Denifle-Chatelain l. c. t. II pag. 320 etc. — (*f*) As *Aurioli.*

---

[1] Est fr. Gilberti Tornacensis; cfr. Sbaralea l. c. pag. 308.

Frater Gulielmus Farinerii, ordinis generalis, in theologia magister, scripsit in theologia et plura in philosophia, et fuit cardinalis.

Frater Landulfus de Neapolim ornate multum et subtiliter, plura addendo, Scotum declaravit. Hic sermonibus et postillis editis clarus habetur.

Frater Petrus de Aquila, doctor, ut praefatus Landulfus, in theologia, opus, quod « Scotellum » dicitur, edidit, ac aliam lecturam super *Sententias* peregit multum pulchram.

Frater Richardus de Mediavilla magister fuit; scripsit super *Sententias* multum utiliter, et postillas cum aliis pluribus fecit.

Frater Gonsalvus de provincia sancti Iacobi praeclarus fuit in theologia doctor; hic tam in theologica facultate quam super scripturam sacram plura gessit, et fuit generalis ordinis.

Frater Gerardus Oddonis, in omni facultate sufficiens magister, in theologia fuit eximius; qui tam super bibliam, libros *Sententiarum*, *Ethicorum* quam *Logicae* scripsit accepte, ac stigmatum officium ipse digessit, et generalis ordinis fuit insignis.

Frater Fortonerius Vasalli, doctor in theologia, fecundus verbo et opere, in theologia et super scripturam ac libros *De civitate Dei* pulchra nonnulla peregit, et generalis fuit atque cardinalis.

Frater Michael de Cesena, ordinis generalis, magister fuit in theologia, scripsit super Ezechielem et *Sententias*, ac opera alia digessit.

Frater Franciscus de Marronis (*a*), doctor insignis in theologia, aperte (*b*) scripsit in eadem, et postillas cum sermonibus scientia copiosis reliquit.

Frater Petrus Ioannis[1]; hic bachalarius formatus Parisius fuit, qui opera praeclara super *Sententias* ac super totam scripturam faciendo et alia mundo sui famam perennem dimisit.

Frater Gulielmus Occham (*c*), bachalarius formatus Oxoniae, primo logicam pulcherrimam, secundo super philosophiam, tertio in theologia, quarto quendam dialogum et quaedam scripta in logica et philosophia, ac quosdam tractatus de corpore Christi [edendo], cum aliis notus est toti orbi.

Frater Rodulfus Rodimpton, (*d*) in sacra pagina magister, plura scriptitando in theologia et biblia, nomen laudabile tenet inter doctos (*e*).

Frater Rogerius Bachon, in omni facultate doctissimus, in eisdem scribendo mirabilis apparet scientiarum diversitate imbutus.

Frater Rodulfus, Erfordiensis episcopus, cum alio fratre Rodulfo[2], magistri in sacra pagina, orbi scientia praelucentes, ordinem ingrediendo, scientia et vita Anglicos imbuerunt.

Frater Gulielmus Almoych (*f*), frater Gualterus Cepton (*g*), frater Robertus Elifath (*h*), frater Adam Codam (*i*), cum pluribus Angliae magistris, de quibus esset longum narrare, opera in sacra pagina condentes, in orbe clara eorum memoria patet.

(*a*) As et edd. *Maironis.* — (*b*) As et edd. *apte.* — (*c*) As et edd. *Ocham.* — (*d*) As *Oroipton;* est Rodington. — (*e*) As et edd. *doctores.* — (*f*) As *Almorch;* edd. *Almoit;* est Gul. de Alnwick; cfr. Denifle-Chat. l. c. t. II pag. 277. — (*g*) As *Ceptori;* est Gual. de Chatun; cfr. Denifle-Chat. l. c. t. II pag. 419. — (*h*) Ed. 2 *Eiphat.* — (*i*) Alias (cfr. Anal. franc. t. I pag. 271) *Wodham.*

[1] Petrus Ioannis Olivi. — [2] Radulfus de Colebruge; cfr. Eccleston coll. XI (l. c. pag. 238).

Frater Pontius Carbonelli, sancti Ludovici, ordinis Minorum, magister et doctor, scribendo super totam sacram scripturam orbi non solum sanctitatis et vitae, sed scientiae exemplar reliquit.

Frater Nicolaus de Lyra, primus in theologia venerandus doctor, scribendo demum contra Iudaeos, et totam postillando scripturam divinam, celeber habetur in orbe.

Frater Iacobus de Spinello, inclytus in theologia doctor, compegendo super *Sententias* opus et bibliam, Parisius fuit excellens et singularis.

Frater Ascensius, doctor in theologia, scribendo super Apocalypsim et *Sententias*, ac faciendo sermones auditu placabiles, non parvum inter doctos nomen habet.

Frater Ioannes de Ripa, provinciae Marchiae, doctor in theologia nominatissimus, praeclarissime in theologica facultate disserendo, in saecula eius erit memoria.

Frater Gentilis de Cingulo, etsi caruit magisterio, transferendo de graeco in latinum Ioannem Climacum, dialogum Macarii et quendam librum Ioannis Chrysostomi, apud doctos [et] Christi amicos in memoriale erit perenne [1].

Frater Astesanus (*a*) de Ast, summam condendo praeclaram, tam in theologia quam legibus et decretalibus, se fecit mundo notum.

Frater Ioannes Saxo summam utriusque iuris, scilicet canonici et civilis, faciendo, se expertissimum docuit in talibus evidenter.

Frater Franciscus de sancto Symone de Pisis, dictus [de] Empolim, suis determinationibus Oxoniae factis se fuisse magistrum theologicae scientiae ostendit praeclare.

Plures fuerunt alii et sunt in theologia magistri in provinciis Angliae, Franciae, Aquitaniae et aliis ordinis provinciis, qui operibus super *Sententias* et in aliis facultatibus a se conditis, hunc ordinem reddiderunt et faciunt scientiae luciditate singularissimum.

Fuerunt etiam alii fratres, qui diversa opuscula ediderunt cum praefatis magistris. Et, ut succincte efferam, dimittendo facultatem theologicam, hoc est librum *Sententiarum*, si loquamur de sacra scriptura et de fratribus, qui ipsam totam postillarunt, hi sunt: videlicet magister Alexander de Halis, magister Nicolaus de Lyra; non magistri: frater Pontius Carbonelli et frater Petrus Ioannis.

Fuerunt etiam et alii fratres, qui super diversos libros scripturae fecerunt, etsi non super totam bibliam, ut de pluribus iam dictum est; et alios brevitatis causa omitto.

Si loquamur de summis et (*b*) sermonibus pro instructione populi et valentium: magister Ioannes Guallensis summam optimam edidit.

Sanctus Antonius noster festivos sermones et dominicales composuit.

Frater Lucas, eius discipulus, dominicales sermones edidit.

Dominus Bertrandus cardinalis omnes epistolas et evangelia anni postillavit.

(*a*) Codex *Ascensanus*. — (*b*) As om. *et*.

[1] Infra fr. XI eosdem libros attribuit fratri Angelo de Cingulo, quod cum aliis etiam facit B. Bernardinus Aquilanus in sua *Chronica fratrum Minorum observantiae* pag. 4; cfr. Sbaralea l. c. pag. 302, qui putat « Gentilem Cingulensem nuncupatum etiam fuisse ipsum Angelum Clarenum ».

Frater Philippus de Monte Callerio postillam super evangelia dominicalia edidit et quadragesimalia.

Magister Gualterus sermones ad omnem statum disposuit [1].

Et multi alii fratres ad praedicandum diversas postillas et sermones ac tractatus, qui enumerari non possent, compegerunt.

Summam de vitiis frater Ioannes Guallensis edidit, ut dictum est.

De vitiis et virtutibus luculentam summam edidit frater Servasan (*a*), de provincia Tusciae, ac de poenitentia et eius tribus partibus.

Quidam alius nostri ordinis edidit summam de virtutibus, quae iungitur cum summa de vitiis, qua omnes hodie communiter utuntur [2].

Tractatum meditationis super evangelia fecit frater Ioannes de Caulibus de sancto Geminiano.

Tractatum *Transfige* quidam lector Mediolani [3].

Tractatum devotum de triplici via sapientiae frater Hugo de Provincia [4].

Tractatum de sex alis Seraphim tractatumque de contemplatione frater Bonaventura de Balneoregio.

Sunt et alii editi tractatus devotissimi per alios fratres [ordinis], de quibus est silentio brevitatis causa pertranseundum.

Si homo vult videre summas in legibus et decretalibus: frater Monaldus ordine alphabeti fecit unam.

Summam utriusque iuris frater Ioannes Saxo.

Summam copiosam de praeceptis, de virtutibus, de contractibus, de sacramentis et de multis aliis frater Astesanus de Ast.

Summam pulchram et magnam de casibus conscientiae frater Durandus.

Directorium iuris, opus magnum, frater Petrus Casuel (*b*) de Anglia.

Summam Iohanninam fecit frater Ioannes lector.

Et multa alia sunt facta in decretalibus et legibus animae utilitatem cernentia.

Si de aliis scientiis, scilicet logica (*c*), physica, metaphysica: habes fratrem Gulielmum Occham, qui logicam edidit et partem philosophiae [et] fecit scripta in praefatis scientiis.

Frater Gerardus (*d*) Oddonis fecit logicam.

Sic et quidam alius frater G[erardus] (*e*) de Burgundia aliam fecit.

Frater Alexander de Alexandria scripsit plurima in philosophia.

In philosophia morali frater Gerardus praefatus scripsit luculenter.

Si in omnibus scientiis: habes fratrem Robertum [5] Bachon Anglicum, qui in omnibus scientiis tractatus fecit pulcherrimos.

(*a*) As et edd. *Servasancti.* — (*b*) As et edd. *Ioannes.* Cfr. Wadding et Sbaralea l. c. sub *Petrus Quesvel.* — (*c*) Codex hic et alias *loyca.* — (*d*) Hic Codex et As *Geraldus.* — (*e*) In Cod. et As solum littera *G,* edd. *Bernardus;* est frater Gerardus Burgundus, de quo cfr. Wadding et Sbaralea l. c.

---

[1] Cfr. supra pag. 388, not. 1. — [2] Fortasse « frater Guibertus, qui fecit Summam »; ita cod. Vict. 762 bibl. Nationalis Parisiensis, apud Quetif-Echard, *De script. ord. Praed.,* t. I pag. 386. Cfr. *Histoire lit. de la France,* t. XXVI pag. 441. — [3] Est *Stimulus amoris* fr. Iacobi Mediolanensis (ed. ad Claras Aquas 1905). — [4] Cfr. supra pag. 317 not. 2. — [5] Habetur quidem apud auctores (cfr. Wadd. ad an. 1266 num. XII) fr. Robertus Bachon, ast legendum hic videtur Rogerius Bachon.

Quibus et aliis possibilibus adduci comprobatur merito, quod iste ordo tam ratione doctorum nominatorum quam ex causa omissorum ac aliorum multorum fratrum valentium, qui scientia praediti fuerunt mirabiliter et insignes, est singularissimus s c i e n t i a e l u c i d i t a t e, quae erat secunda conditio, qua ordo Minorum inter alios extollebatur.

Quapropter sicut in prima conditione huius ordinis, quae fuit singularis sanctitatis, qua ipse insigniebatur et decorabatur, poterat dici verbum apostoli, Eph. 4, 11, videlicet, quod Deus aliquos huius fratres *dedit apostolos*, ut patuit in beato Francisco et primis sociis (*a*); *quosdam autem prophetas*, sicut in multis fratribus supra est ostensum; *alios vero evangelistas*, quia nonnulli fuerunt egregii verbi Dei praedicatores; *alios autem pastores et doctores*, quia plures fuerunt in ecclesia (*b*) praelati maximi et magistri praeclari; sic ratione huius secundae conditionis, videlicet scientiae et doctrinae, quo ipse ordo dignificatur, potest dicere ratione magistrorum et in diversis facultatibus doctorum illud Sapientiae 7, 17 seqq.: *Dedit mihi* quoque, videlicet ad membra, *omnium, quae sunt, scientiam veram, ut sciam dispositionem orbis terrarum*, etc. usque ibi: *Omnium enim artifex docuit me sapientiam* (*c*). Hic enim ordo quoad sua membra *repletus est quasi flumen sapientia, et terram retexit. Ad insulas longe divulgatum est nomen tuum, et dilectus es in pace tua. In cantilenis et in proverbiis et comparationibus et interpretationibus miratae sunt terrae, et in nomine Dei, cui cognomen est Israel*, scribitur Eccli. 47, 16 seqq. Quare non immerito in Domino ordo honoratur et honorabitur; *in medio populi gloriabitur; in ecclesiis Altissimi aperiet os suum; in medio populi exaltabitur; in multitudine electorum habebit laudem, et inter benedictos benedicetur*. Et ratio: quia, inquit, hic ordo, *quasi doctrinam antelucanum illumino omnibus, et enarrabo illam usque in longinquum, penetrabo omnes inferiores partes terrae, et inspiciam omnes dormientes, et illuminabo omnes sperantes in Domino; doctrinam quasi prophetiam effundam, et relinquam illam quaerentibus sapientiam, et non desinam in progenies illorum usque in aevum sanctum* (*d*), scribitur Eccli. 24, 1 seqq.

Sic ergo praefatis apparet secundum, quod erat declarandum.

Tertio, hic ordo dicebatur excellentissimus prae aliis ex n o b i l i t a t e; quia in ordine isto fuerunt personae insignissimae tam dignitate ecclesiastica quam saeculari.

Ubi est advertendum, quod, sicut nonnulli de dignitate ecclesiastica, ordinem intrantes, eum decorarunt, sic de isto ordine ad ecclesiae praelaturas assumpti ipsum nobilitant et decorant. Sed videndum est primo, qui magni in ecclesia hunc ordinem intrarunt, secundo, qui fuerunt de hoc ordine assumpti et subvecti ad ecclesiae dignitates.

Quantum ad primum, de ordine supremo, scilicet summi p o n t i f i c a t u s et papatus, primus, qui habitum induit ordinis et pluries vexit (*e*), fuit dominus G r e g o r i u s IX. Hic fuit primus nostri ordinis protector, vocatus dominus Ugo sive Ugolinus, episcopus Ostiensis, qui singularissime beatum Franciscum et ordinem di-

(*a*) As et edd. *aliis sociis suis primis*. — (*b*) As et edd. om. *in ecclesia*. — (*c*) Edd. cum Vulgata *sapientia*. — (*d*) Codex *aerum saeculum*. — (*e*) Edd. *detulit*.

lexit. Cui beatus Franciscus prophetavit, ipsum futurum summum pontificem, et semper eidem scribebat ante sublimationem ad pontificatum sic: « Venerabili in Christo patri totius mundi » etc. [1]. Institutus fuit iste protector ordinis per dominum Honorium III, petente beato Francisco ipsum ab eodem. Factus vero protector semper ordinem protexit contra praelatos et alios in principio contra ordinem insurgentes, et ordinem, quantum valuit, promovit et exaltavit. Iste est ille, qui interfuit capitulo generali Assisii celebrato, ubi fuerunt ultra quinque millia fratrum, ubi et missam celebravit et fratribus praedicavit. Hic est dominus Ostiensis, cui interroganti, si beato Francisco placebat, ut fratres ad dignitates ecclesiasticas promoverentur, respondit beatus Franciscus, quod non, ut dicetur infra fructu et conformitate [XVII] [2]. In huius mensa beatus Franciscus, invitatus ab eo ad prandium, frusta portavit eleemosynae, quas ostiatim mendicaverat; et cuilibet exsistenti in mensa unum bolum beatus Franciscus transmisit; redargutus ab eo, quare pro eleemosyna ierat comesturus cum eo, respondit, quod ipsum multum honoraverat, utpote Christum Dominum maiorem honorando [3]. Semel, cum hic intrasset dormitorium fratrum et vidisset, quomodo dormiebant, ploravit fortissime, se et suos dignos asserens inferni crucialibus, quia nullam poenitentiam exercebant [4]. Ad apostolicum apicem sublimatus, beatum Franciscum catalogo sanctorum ascripsit, Assisii ipso praesentialiter cum tota romana curia exsistente; primum lapidem ecclesiae de Assisio posuit, ac ipsam ecclesiam a cuiuscumque iurisdictione, excepta summi pontificis, exemit, et multa iocalia eidem ecclesiae dedit [5]. Dum hic gloriosus pontifex esset summus pontifex, ob devotionem praecipuam ad beatum Franciscum et ordinem in die Coenae Domini habitum ordinis assumebat, cum ipso faciebat mandatum, lavando pedes fratrum et pauperum, ac habitum per totam diem illam et sequentem, scilicet veneris sanctum (*a*), gerebat; insuper visitando sanctuaria urbis cum fratribus habitu ordinis ibat indutus semper, prout testatur frater Philippus de Perusio, qui hoc vidit, in littera directa de protectoribus fratri Gonsalvo, ordinis nostri generali ministro [6].

Secundus, qui habitum ordinis induit de summis pontificibus, fuit papa M a r t i n u s, qui in morte assumendo habitum ordinis, cum ipso voluit sepeliri et se humandum in ecclesia beati Francisci Assisii ob ipsius devotionem dimisit [7]. Et tempore, quo ecclesia regebat Perusium, cum ecclesia sancti Laurentii, ubi est sepultus, aliqualiter truncaretur, et consequenter eius sepultura destrueretur, corpus ipsius intactum inventum est habitu ordinis indutum, prout, qui viderunt, attestantur.

Isti ergo duo summi pontifices filii non sunt dedignati esse beati Francisci, eius habitum assumendo.

(*a*) As et edd. *sancti*.

---

[1] I Cel. 100. — [2] II Cel. 3, 86. — [3] II Cel. 3, 19. — [4] II Cel. 3, 9. — [5] Cfr. Celano, *Legenda ad usum chori* (ed. P. Eduardus Alenc., inter opera Celanensis), pag. 414. — [6] Ed. in Analecta franc. t. III pag. 708-712. Legimus ib. pag. 709: « Hic etiam papa, ut audivi, interdum aliqua pia loca in habitu fratrum et sociatus a fratribus infra Urbem ut incognitus vadens et rediens visitabat ». — [7] Cfr. bullam « Vestram non credimus » Honorii IV, 1 febr. 1286 clero perusino missam, qua dicit, « qualiter Martinus IV ob devotionis specialis affectum, quem gerebat erga beatum Franciscum, in ecclesia eiusdem sancti elegit sepulturam ». Quae voluntas ob plures difficultates a Perusinis motas et mortem Honorii IV executioni non fuit data.

De ordine cardinalatus etsi multi devotissimi fuerunt ordinis et beati Francisci, praecipue tamen fuit dominus Vicedominus Placentinus, qui, cum esset clericus saecularis, cardinalis et episcopus Praenestinus, de licentia domini Gregorii IX [1], ipso permanente cardinali, habitum ordinis assumpsit, tenuit, et cum ipso mortuus iacet in ecclesia nostra Viterbii [2].

De ordine episcopatus dominus Rodulfus, in theologia magister, episcopus Erfordiensis, visa visione de Christo iudicante orbem, et quod sub alis ipsius iudicis stabat beatus Franciscus cum suis, sibique dictum fuit, quod, si vellet salvari, deberet fieri frater Minor, ut posset stare sub alis iudicis, et audito miraculo de monachis divino iudicio iudicatis, qui fratrem Agnellum de Pisis, Angliae ministrum, cum suis noluerant recipere, annuente papa Gregorio IX, abrenuntians episcopatui et omnibus, factus est frater Minor humilis et devotus [3].

De ordine vero abbatiatus abbas de Ambidon in Anglia, abbatia dimissa, factus est frater Minor [4].

Frater Stefanus, inquisitor Tholosanus et martyr, cum esset abbas magnus in partibus Guasconiae, spreta abbatia, factus est frater Minor [5].

In civitate Antiochiae abbas quidam cum monachis omnibus, traditis patriarchae possessionibus, sed locum retinentes, factus est frater Minor [6].

De his et aliis in fructu sequenti et conformitate dicetur.

Multi alii praebendati pinguissime cuncta dimittentes, sub habitu beati Francisci Domino adhaeserunt, ut infra dicetur. Quia ergo tales fuerunt et multi, etsi non omnes posuerim, cum fuerint tam scientia et generis nobilitate, quam ecclesiasticis promotionibus praecipui, et hunc ordinem intravere, cum incunctanter insignierunt et nobilem (*a*) reddunt.

Sed non minus fratres assumpti de hoc ordine ad apices ecclesiae supremos et medios eum spectabilem reddunt orbi. Ad statum apostolicum, etsi duo praefati (*b*) possint dici summi pontifices fratres Minores, tamen, quia non sunt de ordine immediate assumpti et praesules romani effecti, illos non [computabo] (*c*).

Sed de ordine assumptus fuit frater Hieronymus de Esculo, qui primo generalis ordinis, deinde cardinalis romanae ecclesiae, demum concorditer in summum

(*a*) As et edd. *notabilem*. — (*b*) As et edd. addunt *videlicet papa Gregorius nonus et papa Martinus, ut est praedictum*. — (*c*) As et edd. om. *quia* et *illos non;* Codex post *illos non* habet lacunam.

[1] Non Gregorii IX, sed X; fuit cardinalis 1273-1276. — [2] Cfr. *Cat. gen. min.* (in Anal. franc. t. III) pag. 701. — [3] Cfr. Bessa c. 7 (l. c. pag. 679) et *Chron. 24 gen.* pag. 220, ubi deest mentio fr. Agnelli illiusque « miraculi »; cfr. supra pag. 331 not. 1. Resignavit 1239. — [4] In relatione Pisani de ingressu primorum fratrum in Angliam (cfr. supra pag. 329), sermo est tam de abbatia de *Ambidon* quam de abbate, qui factus est frater Minor; secundum Eccleston aliosque erat « Ioannes, abbas Osengyae ». Pisanus duos hic confundere videtur, cum abbatis Ambidonensis in ordinem ingressi non inveniatur mentio. — [5] Cfr. supra pag. 308. — [6] Est conventus in « Montana Nigra » prope Antiochiam, de cuius transitu ad ordinem Minorum retulerunt Iacobus et Raynerius de Monte Politiano; cfr. *Chron. 24 gen.*, pag. 281-283.

pontificem electus, vocatus est papa Nicolaus IV. Qui, prout narrabat quidam de Ferraria, qui fuit scutifer suus et decem summos pontifices agnoverat, praecipuus exstitit inter omnes.

Secundus frater assumptus ad papatum fuit Alexander IV (*a*).

Ad statum cardinalatus plures de hoc ordine sunt assumpti, videlicet:

Primus frater Bonaventura de Balneoregio, de quo dictum est supra, ubi dictum est de fratribus beatis provinciae Burgundiae [1]. Hic fuit magister in theologia praeclarissimus, sexdecim annis ordinis (*b*) generalis minister, et demum per dominum Gregorium X factus est episcopus cardinalis Albanensis. Qui tantae reputationis, dum esset generalis, fuit apud cardinales, ut, dum de electione summi pontificis in Perusio discordarent, libere omnes in eum vota sua compromiserunt, ut, si se vel alium in papam nominaret, illum ipsi eligerent; et ipse nominavit sanctissimum virum dominum Gregorium X, qui multis coruscavit miraculis et iacet Aretii in ecclesia maiori, [canonizatus] in dioecesi Aretina [2].

Secundus cardinalis fuit ipse frater Hieronymus factus per dominum Nicolaum papam III, qui fuit primo presbyter cardinalis sanctae Potentianae [3], demum episcopus Praenestinus (*c*), et ultimo papa Nicolaus IV.

Tertius cardinalis fuit Vicedominus Placentinus, episcopus cardinalis Praenestinus, qui habitum ordinis assumpsit et cum ipso decessit, ut dictum est.

Quartus cardinalis fuit frater Bentivenga de Tuderto, factus cardinalis per dominum Nicolaum III, et fuit episcopus Albanensis .

Quintus cardinalis fuit frater Matthaeus de Aquasparta, in theologia magister, qui fuit ordinis generalis, et per dominum Nicolaum IV factus cardinalis episcopus Portuensis [5].

Sextus cardinalis fuit frater Ioannes de Murro, magister in theologia et ordinis generalis, quem papa Bonifacius VIII fecit cardinalem et episcopum Portuensem [6].

Septimus cardinalis fuit frater Andreas de Anagnia, nepos domini papae Alexandri IV, quem in cardinalem instituit, ut puto, dominus papa Bonifacius VIII. Qui, pompam mundi cum iam totaliter abiecisset, cardinalatui renuntiavit, nec inter tales voluit reputari, et nunc in loco de Pilio in Campania innumeris coruscat miraculis [7].

Octavus cardinalis fuit frater Iacobus de Anagnia, nepos domini papae Bonifacii VIII, qui fuit presbyter cardinalis sancti Clementis [8].

Nonus cardinalis fuit frater Gentilis de Monte Florum, magister in theologia, quem papa Bonifacius fecit cardinalem presbyterum sancti Martini in Montibus [9].

Decimus cardinalis fuit frater Vitalis de Furno, in theologia magister, factus per dominum Clementem V cardinalis [10], et fuit episcopus Albanensis.

(*a*) As ipsum om.; edd. nonnulla de Alexandro IV addunt. — Alexander IV fuit protector et amicus specialis ordinis; ast membrum ipsius non exstitit. — (*b*) Edd. *praeclarissimus, octavus ordinis.* — (*c*) Codex et As *Penestinus.*

---

[1] Pag. 305. — [2] Electio fuit Viterbii, in qua facienda cardinales discordarunt a 29 nov. 1268 usque ad 1 sept. 1271. De illo actu sancti Bonaventurae apud auctores Pisano priores nihil legimus. — [3] Est titulus *sanctae Pudentianae.* — [4] 1278-1290. — [5] 1291-1302. — [6] 1302-1313. — [7] Cfr. supra pag. 249. — [8] 1295-1300. — [9] 1300-1312. — [10] 1312-1327.

Undecimus cardinalis fuit frater Bertrandus de Turri, in theologia magister, factus per dominum Ioannem XXII [1], et fuit episcopus Tusculanus.

Duodecimus cardinalis fuit frater Helias de Ambalis, in theologia magister, factus cardinalis per dominum Ioannem XXII [2].

Decimus tertius cardinalis fuit frater Pastor de Provincia, magister in theologia, factus per dominum Clementem VI presbyter cardinalis sanctorum Sergii et Bacchi [3].

Decimus quartus cardinalis fuit frater Gulielmus Farinerii, magister in theologia et ordinis generalis, factus cardinalis per dominum Innocentium VI [4].

Decimus quintus cardinalis fuit frater Fortonerius, magister in theologia et ordinis generalis, factus cardinalis per dominum Innocentium VI [5].

Decimus sextus cardinalis fuit frater Marcus de Viterbio, magister in theologia et ordinis generalis, factus cardinalis per dominum Urbanum V [6].

Decimus septimus cardinalis fuit frater Beltrandus de Figiaco, magister in theologia, factus cardinalis per dominum Gregorium XI [7] et episcopus Ostiensis.

Decimus octavus cardinalis fuit frater Thomas de Ferignano (*a*), magister in theologia et ordinis generalis, [deinde patriarcha fuit Gradensis, et demum] per dominum Urbanum VI factus cardinalis episcopus Tusculanus [8].

Decimus nonus fuit frater Leonardus de Giffono, ordinis generalis, factus cardinalis per dominum Urbanum VI; sed hic ob schisma noluit acceptare [9].

Vigesimus cardinalis fuit frater Ludovicus de Venetiis, magister in theologia et ordinis generalis, factus presbyter cardinalis per dominum Urbanum VI [10].

Vigesimus primus cardinalis fuit frater Bartholomaeus de Cucurno de Ianua, factus presbyter cardinalis sancti Laurentii in Damaso per dominum Urbanum VI [11].

Hi (*b*) sunt cardinales de ordine Minorum, qui, tribus exceptis, omnes fuerunt magistri in theologia excellentes; qui hunc ordinem eorum promotione venustant et commendant.

Ad statum vero patriarchatus, archiepiscopatus et episcopatus quot fuerunt et sint de isto ordine assumpti, nimis foret prolixum recitare (*c*). Nam, hic ordo omnes habuit patriarchatus, excepto Aquilegiensi. Archiepiscopatus habuit in Anglia Cantuariensem, magistrum Ioannem Peccian, et Eboracensem [12]; in Alamania Maguntinensem, Pragensem (*d*), in Francia Remensem, Atrabatensem (*e*), Auxitanum, et Tholosanum, in Italia Mediolanensem, Panormitanum, Montis Regalis; et sic de aliis [13].

(*a*) As et edd. *Frignano.* — (*b*) As et edd. addunt: *Vigesimus secundus cardinalis fuit frater Petrus de Candia, magister in theologia, deinde episcopus Novariensis, demum archiepiscopus Mediolanensis; postmodum fuit factus cardinalis per dominum Innocentium VI.* Edd. om. *VI* et addunt: *et ultimo fuit papa Alexander electus in concilio Pisano.* — (*c*) As et edd. *retexere.* — (*d*) As et edd. *Plagensem.* — (*e*) As om. *Atrabatensem.*

[1] 1320-1333. — [2] Elias creatus est cardinalis a Clemente VI (1342-1348). — [3] 1350-1356. — [4] 1356-1361. — [5] Creatus et mortuus 1361. — [6] 1366-1369. — [7] 1371-1392 — [8] 1378-1381. — [9] Leonardus de Giffono paulo post creatus est cardinalis a papa Clemente VII et acceptavit (1378-1407). — [10] 1382-1386. — [11] 1378-1386. — [12] Loqui videtur de sancto Bonaventura, qui a Clemente IV electus archiepiscopus Eboracensis renuit. — [13] Cfr. Eubel, *Hierarchia catholica medii aevi;* ubi tamen inter Archiepiscopos ecclesiae Pragensis, Atrebatensis (Arras) ac Auxitanae (Auch) non inveniuntur fratres ordinis Minorum.

Sed de episcopatibus non est numerus.

Quibus concluditur, quod ipsorum promotionibus hic ordo habet merito commendari.

Verum, quia apud plebeios dignitas ecclesiastica, quae omnes alias [dignitates] excedit, parvipenditur et nihil quasi reputatur, referendum est deinceps de saeculi principibus, qui filios esse beati Francisci non sunt dedignati, ipsius habitus assumptione.

Et si habeamus respectum primo ad dignitatem imperialem simul et regalem, rex Ierusalem Ioannes et imperator Constantinopolitanus fuit frater Minor, cuius filia [1] fuit uxor imperatoris Federici II. Hic, dum rogasset Deum, quod sibi ostenderet, quomodo et qualiter mori deberet, consideratis triumphis et gloria, quos et quam in mundo habuerat, apparente sibi beato Francisco, cui erat devotus, tribus vicibus, id est tribus noctibus successive, cum chorda, soleis et habitu, et dicente, quod voluntatis Dei erat, quod in praedicto habitu moreretur, etsi prima nocte et secunda non sine lacrymis horruerit ad tantam deiectionem pertingere, tertia tamen vice statim, ut de nocte apparuit, voluntatem Dei agnoscendo, accersito fratre Benedicto de Aretio, tunc Antiochiae et Romaniae ministro, cum maxima devotione factus est frater Minor, et sic finaliter decessit. Et adeo in summa vixit humilitate, ut ad Deum quasi conquerendo diceret, quare non dederat sibi fortitudinem, ut omnia humilitatis officia cum aliis fratribus ipse exercere valeret [2]. Hic sepultus est Assisii, etsi super sepulturam in habitu regali sit sculptus [3].

Si habeatur respectus secundo ad culmen et fastigium regale, multi sunt reges sive fuerunt, qui habitum ordinis assumentes filii sunt censendi beati Francisci [4]. Horum notitia patere poterit facilius, si ad domos, ex quibus orti sunt, attendamus diligenter.

Et primum ad domum prae aliis christianitatis domibus christianissimam, videlicet Francorum; de qua octo fuerunt Romanorum imperatores successive, videlicet Carolus magnus, Ludovicus eius filius, Lotharius, filius Ludovici, Ludovicus II, filius Lotharii, Carolus II, filius Ludovici II, Carolus III, filius Caroli II, Arnulfus, filius Caroli III, Ludovicus III, filius Arnulfi; reges vero domus praefatae ultra triginta, qui in Francia successive regnaverunt. De hac inclytissima progenie beatus Franciscus habuit filium in ordine et fratrem sui ordinis, scilicet dominum regem Robertum clarae memoriae; qui scientia (a) omnes principes orbis a magno tempore citra dicitur excessisse [5]. Hic multoties, dum viveret, ipso stante in monasterio de sancta Clara cum uxore domina regina Sancia, regina induente habitum sororum Minorissarum, ipse se habitu ordinis induebat. Ad fratres ibi morantes veniebat sic indutus, et eis cum summa devotione serviebat in mensa, sicut a fratre audivi, qui pluries hoc vidit. In castro suo novo et regali multoties ad matutinum surgebat cum fratribus, et habitum ordinis indutus cum eis divinum persolvebat officium; stabant enim in

(a) As et edd. addunt *et prudentia*.

[1] Isabella (vel Iolanta). — [2] Cfr. Bessa c. 7 (l. c. pag. 680) et Salimbene, *Chron.* pag. 15-17. — [3] Mortuus est 1237; cfr. Golubovich, *Vita et miracula B. Benedicti de Aretio,* pag. 14. — [4] Cfr. catalogum regum, qui habetur in Anal. franc. t. I. pag. 265; alium catalogum habemus in cod. Oxon. pluries citato pag. 207 v et 208 r. — [5] Cfr. *Litterae dominae Sanciae reginae,* in *Chron. 24 gen.*, pag. 509. Eius scripta enumerat Sbaralea, *Supplementum* pag. 640.

sua capella ultra (*a*) duodecim fratres. Demum, cum esset infirmus, per 18 dies ante obitum habitum ordinis de manu ministri suscipiens, fecit professionem in eius manibus; et moriens ut frater Minor sepultus est in monasterio sanctae Clarae, sicut patet cunctis intuentibus [1].

Si attendamus secundo ad domum Aragoniae inclytam inter christianos, rex Iacobus ante mortem habitum ordinis assumpsit cum proposito, si superviveret, frater in ordine remanendi; et tandem cum habitu mortuus iacet in conventu Barchinonae sepultus [2]. Rex Alphonsus [3], Aragoniae rex, in morte habitum sumpsit, et cum ipso decessit, sepultus in conventu fratrum Ylerdae.

Si attendamus tertio ad domum illustrem regum Castellae, habes regem Sancium, qui fuit per tempus frater Minor; et tandem ut frater decessit [4]. Sic rex (*b*) Fernandus, rex Castellae, cum iniuste quosdam nobiles necari mandasset, postea infirmatus in civitate Gehennensi [5] regni sui, ob devotionem ad beatum Franciscum ante mortem habitum sumpsit, et cum eo decessit; et cum habitu stat sepultus Toleti in ecclesia cathedrali. Ob cuius habitus assumptionem beatus Franciscus animam dicti regis de manibus diaboli liberavit, sicut fratris sui ordinis; sicut cuidam sanctae dominae moranti Toleti fuit a Domino revelatum.

Si aspiciamus quarto ad domum insignem regum de Portugallia, habes tres reges, videlicet regem Fernandum, qui nuper decessit, patrem eius regem Petrum, et eius avum, regem Alphonsum [6], qui omnes ante mortem, a ministris provinciae sancti Iacobi, habitum ordinis assumentes cum ipso obierunt, et sepulti sunt tam in conventu nostro Ulixbonae cum habitu, quam in ecclesia cathedrali.

Si habeamus intuitum ad domum regum Trinacriae, etsi sint de domo Aragoniae, habes regem Federicum [7], qui ante mortem habitum voluit per ministrum Siciliae indui, nec procerum [suorum] dictis ab hoc potuit divelli proposito; cum ipso decessit, sepultus cum habitu in conventu nostro Messana.

Si oculos flectamus sexto ad domum regum de Cypro, habes regem Henricum, qui fuit virgo purissimus. Hic habitum sumens cum ipso decessit, et Nicosiae in domo fratrum sepultus, miraculis coruscans (*c*) [8].

Si inspiciamus septimo ad domum regum Armeniae, quae hactenus fuit inclyta et excellens, habes regem Ioannem, qui tempore generalatus fratris Gonsalvi, regnum tradens suo nepoti Leoni, factus est frater Minor. Post cuius introitum saraceni regnum invadentes Armeniae, zelo fidei accensus, assumptis armis, cum esset bellicosissimus, facta strage hostium et suis data victoria, ipse in campo occisus fuit [9].

Sed attendendo octavo domum Ungariae, rex Ludovicus [10] ob devotionem ad ordinem, [semper in curia sua tenuit capellanos et confessores fratres nostros, et

---

(*a*) As et edd. om. *ultra*. — (*b*) Edd. *etiam*. — (*c*) As *coruscat*; edd. *coruscavit*.

---

[1] Obiit 16 ian. 1343. Cfr. Ioan. Vitod. l. c. pag. 1910 et *Chron. 24 gen.* pag. 537. — [2] Obiit 12 nov. 1327. Cfr. *Chron. 24 gen.* pag. 484. — [3] Alphonsus IV; obiit 28 ian. 1336. — [4] Obiit 25 apr. 1295. Cfr. *Chron. 24 gen.* pag. 483. — [5] Iaen. Ferdinandus IV obiit 1312. — [6] Alphonsus IV obiit 1357, Petrus I 1367, Ferdinandus I 1383. — [7] Federicus II; obiit 1337. — [8] Obiit 1324. Cfr. *Chron. 24 gen.* pag. 484. — [9] Est rex Ayto II, qui 1289 coepit regnare. Anno 1293, dimisso regno, habitum Minorum sumpsit sub nomine fratris *Ioannis*. Pluries ad regni negotia redire coactus 1308 a tartaris coniuratis prope Anazarbe occisus est. Cfr. Golubovich, *Biblioteca* pag. 328 seq. — [10] Ludovicus II; obiit 1382.

non alios. Et ante mortem, ut fertur, per aliquot menses dimittens regimen et tumultum exterius, soli Deo vacans, cum fratribus in dicendo officium et alias orationes], se sepeliendum cum habitu dimisit et tumulandum in monasterio sororum Minorissarum de Buda, quod sua illustris mater construxerat; sed pravitate (*a*) baronum et suae uxoris [reginae], nihil est factum iuxta ipsius dimissa (*b*).

Sed si habeatur respectus nono ad filiorum regum inclytam progeniem, reperies fratres Minores: de domo Franciae et Siciliae habes sanctum Ludovicum, primogenitum regis Karoli. Hic cum esset Calabriae dux, et ratione patris in Sicilia et ratione matris in Ungaria deberet regnare, contemptis utrisque regnis, factus est frater Minor, et demum episcopus Tholosanus [1]. Habes etiam de domo praefata inclytum ducem Calabriae dominum Karolum, primogenitum Roberti regis Siciliae etc. (*c*), qui infirmatus habitum sumpsit, et cum ipso obiit et sepultus est Neapolim apud fratres in ecclesia (*d*) corporis Christi [2]. De domo Castellae primogenitus regis N (*e*) Castellae iacet in conventu nostro Toleti, habitu ordinis indutus. De domo Aragoniae dux Gerundae, primogenitus regis Aragoniae, dominus Petrus iacet habitu ordinis indutus, in conventu fratrum Caesaraugustae. Frater Petrus de Aragonia, filius regis Iacobi, comes de Pratis, dimisso saeculo, factus est frater Minor, in quo ordine ultra viginti annos laudabiliter vixit [3]. Dominus Iacobus, filius regis Alphonsi Aragoniae, comes Urgelli, cum habitu voluit decedere et sepeliri Barchinonae in conventu fratrum nostrorum [4]. Dominus Berengarius de domo Aragoniae et filius regis, comes Empuriarum, iacet cum habitu ut frater [in conventu] Barchinonae. Dominus Fernandus, comes Lunae, frater regis Petri Aragoniae, cum habitu in conventu fratrum iacet sepultus Ylerdae. De domo regum Maioricarum, etsi de domo sit Aragoniae, filius primogenitus regis Maioricarum, ordinem intravit, et dictus est frater Iacobus de Maioricis [5]. Dominus frater Philippus frater fuit regis Maioricarum et filius, et frater fuit Minor, parum ante pestem maiorem decedens [6].

Multos alios filios regum puto fuisse in ordine; sic et duces, comites et barones et alios illustres homines tam de Anglia quam de Francia, tam de Alamania quam de Ungaria, tam de Aragonia quam de Hispania, tam de Graecia quam de Italia, et sic de aliis partibus mundi, qui habitum beati Francisci non sunt dedignati assumere et portare, et cum ipso in Domino feliciter obdormire; quorum ingressus in ordinem et permansio ipsum efferunt et extollunt laudibus.

Inter ordines omnes, et praecipue mendicantes, nemo de tot nobilibus, regibus et principibus gloriari, ut hic ordo, potest; nec gestatio [habitus] ordinis beati Francisci debet videri alicui abiectiva, immo sublimativa; nec onerosa, immo gloriosa, quam tot reges, pro summo habentes honore et devotione, gestare voluerunt. Nulla est domus nobilium fere in christianitate, de qua non fuerit aliquis frater Minor, ut satis clare posset deduci, et de (*f*) vita, saltem quod in morte, clare patet considerando sepulturas

(*a*) As et edd. *incuria et negligentia.* — (*b*) As et edd. *legata.* — (c) As et edd. om. *Siciliae etc.* — (*d*) As *cappella.* — (*e*) Ita Codex et As; edd. om. *N.* — (*f*) Edd. *in.*

[1] Cfr. supra pag. 309 seq. — [2] Cfr. Wadd. ad an. 1328, n. XXVIII et XXIX. — [3] Intravit in ordinem 1358 (cfr. *Chron. 24 gen.* pag. 556) et vixit adhuc 1380 (Wadd. ad an. 1380 n. XXVII). Cfr. *Cat. S. Fr. Min.*, pag. 14 not. *a* et Eubel, *Bullarium franc.* t. VI. — [4] Filius Alphonsi IV; obiit 1347. — [5] Cfr. *Litterae dominae Sanciae* l. c. pag. 508. — [6] Cfr. de ipso catalogum cit. in Anal. franc. t. I pag. 265.

excellentium virorum apud fratres Minores per orbem depositorum, qui pro maiori parte ob devotionem habitum assumentes cum ipso voluerunt humiliter sepeliri.

Quibus omnibus patet, quod hic ordo est singularissimus ex nobilitate et dignitate, tam ecclesiastica quam saeculari, quae erat tertia conditio, qua iste ordo decorabatur. Unde in isto ordine videtur impletum illud Isaiae 55, 4 seq. dicentis ex persona Domini: *Ecce, testem populis dedi eum, ducem ac praeceptorem gentibus. Ecce, gentes, quas nesciebas, vocabis, et gentes, quae te non cognoverunt, ad te current, propter Dominum Deum tuum, et sanctum Israel, qui* [*glorificavit et*] *elegit te.* Et cap. 60, 3: *Ambulabunt gentes in lumine tuo, et reges in splendore vultus* [vel *ortus*] *tui. Erunt* enim *reges nutritii tui et reginae nutrices tuae,* Isaiae 49, 23.

Quartum, de quo hic ordo prae aliis dignificatur, est de fratrum numerositate. Nam in beato Francisco impletum est illud dictum Abrahae, Gen. 28, 14: *Dilataberis ad orientem* et *occidentem, meridiem* et septentrionem. *Si quis potest dinumerare pulverem terrae, semen tuum dinumerare poterit,* Gen. 13, 16. Ut enim diabolus praedixit per os cuiusdam mulieris cuidam baroni de tertio ordine beati Francisci exsistenti, qui morabatur in alpibus iuxta Eugubium, inquit: « Ordo Minorum, etsi parvulus sit, super omnes ordines multiplicabitur [1] ». Et sic factum esse attestantur loca fratrum per orbem diffusa, quae ad numerum mille quingentorum et septuaginta ascendunt et ultra. Ut enim dixit psalmista: *Extendit palmites suos usque ad mare,* non solum mediterraneum et oceanum, sed usque indicum, *et a flumine usque ad terminos orbis terrarum,* Ps. 71, 8. In India enim habet hic [ordo] plura loca et habuit, ut fructu XI et conformitate dicetur. Impletum vidit pater Franciscus, quod ipse, cum sex fratres haberet, praedixerat eos confortando dicens: « Nolite timere », et sequitur: « Quoniam non post multum tempus venient ad vos multi sapientes et nobiles, eruntque vobiscum praedicantes regibus et principibus et populis multis; multi vero convertentur ad Dominum, et per universum mundum Deus multiplicabit familiam suam, et augebit »; et dixit: « Plenas vidi ad vos venientium vias; veniunt Francigenae, festinant Hispani, Theotonici et Anglici currunt, et aliarum diversarum linguarum accelerat maxima multitudo [2] ». Et ideo Ioannes evangelista, postquam Apocalypsis 6 et 7 descripsit tempus missionis beati Francisci, scilicet sub apertione sexti sigilli, et quomodo est missus, quia ut angelus *habens signum Dei vivi,* subdit de multitudine, Francisci praedicatione, vita, exemplo et suorum sociorum, ad Christum conversa et convertenda, cum dicit, quod vidit *numerum signatorum centum quadraginta quatuor millia ex omni tribu filiorum Israel.* Hoc potest exponi, quod in hoc ordine tot essent futuri fratres sive convertendi per fratres de dicto populo ad Dominum, et hoc in ordinis processu vel tempore antichristi, quando hic ordo, destructis aliis ordinibus, praedicabit contra antichristum; et tunc iuxta dictum apostoli, Rom. 11, 26, et scripturae et Apoc. cap. 8, reliquiae Israel ad Dominum convertentur; vel potest dici, quod per numerum certum iuxta modum loquendi scripturae accipitur incertum, ut non solum sint signati, scilicet habitu Francisci et Crucifixi, *centum quadraginta quatuor millia,* sed infiniti alii. Et hoc videtur Ioannes innuere, cum subdit, quod vidit post praedicta *turbam magnam, quam dinumerare*

---

[1] Cfr. *Legenda antiqua* (ed. Minocchi) c. 22 et *Chron. 24 gen.* pag. 27. — [2] I Cel. 27.

nemo poterat, ex omnibus tribubus, populis et linguis etc. Et sic esse, considerato (*a*) ipso ordine Minorum, cum duobus ordinibus aliis a beato Francisco institutis ac praedicatione beati Francisci et fratrum ad Christum conversorum (*b*), nullus habet ambigere seu haesitare sic esse; sicut pluribus visionibus est visum, videlicet, beatum Franciscum cum vexillo crucis euntem per caelum, [et] infinita multitudo trium ordinum et aliorum per beatum Franciscum et fratres conversorum ad Christum post ipsum ibant (*c*) [1].

Sic ergo multitudine locorum per angulos mundi diffusorum apparet multitudo fratrum, quae fuit istius ordinis et beati Francisci. Et quia tanta multitudo locorum, nec in eisdem residentium in aliis habetur ordinibus, concluditur merito, quod ordo non solum extollitur, Christo faciente et ordinante, fratrum sanctitate, scientiae luciditate et nobilitate, sed etiam multitudine ac numerositate prae aliis ordinibus.

Et sic succincte apparet declarata secunda pars istius VIII fructus et conformitatis, videlicet *Franciscus fecundatur.* Et hoc est declaratum esse verum de ordine ipso primo beati Francisci, videlicet de ordine Minorum.

DE ORDINE SANCTAE CLARAE.

Restat nunc consequenter ostendendum de secundo ordine, videlicet Sororum pauperum, quem ordinem beatus Franciscus instituit, beatam Claram cum aliis ad Christi vestigia insequenda convertendo. Et de isto ordine, quia mihi non sic late patet, sicut de primo, ideo succincte aliqua pandam de eo, qualis sit et fuerit, ostendendo. Verum, si mihi aliqua occurrerint in temporis processu, in fine huius operis in tractatu per se edisseram.

De isto ordine aliqua dicendo et scribendo, videtur mihi, quod iste ordo, institutus a beato Francisco anno sexto a sua conversione, a tribus possit commendari, videlicet: primo de sanctimonia vitae et perfectione. Habuit et habet hic ordo in sanctitate et perfectione dominas et sorores singularissimas.

Si enim quaeris scire, quis et qualis fuerit lapis primarius ipsius ordinis, etsi possit dici beatus Franciscus ipsius ordinis institutor, inter mulieres tamen fuit ipsa beata Clara; quae inter filias Ierusalem sanctitate, vita et meritis dignissima et maxima reperitur; cuius siquidem si cupis agnoscere magnifica facta, subsequentia sunt adnotanda [2].

Et primum, quomodo fuit, qualis (*d*) esset futura, a Deo declarata. Nam, cum in utero materno esset ipsa, et mater ante Crucifixum oraret attente, ut eam a partus periculo feliciter liberaret, responsum habuit a Crucifixo, ut non dubitaret: « Quia salva parturies lumen quoddam, quod ipsum mundum totum clarius illustrabit ». Quo veritatis testimonio Clara censetur lumen, et quod sua vita et propagatione sororum mundum illuminaret.

(*a*) Edd. *considerato etiam.* — (*b*) As et edd. *conversis.* — (*c*) Edd. *multitudinem...ire.* — (*d*) Codex *et qualis.*

---

[1] Cfr. *Actus* c. 22. — [2] Pisanus sequitur legendam S. Clarae scriptam a fratre Thoma de Celano; cfr. *Acta SS.*, t. II aug. pag. 754 seq., et alibi.

Secundum, quibus parentibus est propagata et qualibus. Occurrit quoad hoc, quod nobilibus est orta parentibus: pater eius et fratres eius fuerunt milites nobiliores civitatis Assisii; mater etiam ipsius, nomine Ortulana, nobilis fuit etiam genere, sed nobilior vitae sanctitate; quae antequam Claram conciperet, personaliter sepulchrum Domini visitavit et Romam et alia loca devota. Quibus, simul cum Christi crucifixi responso sibi facto, constat, eam fuisse mulierem virtutis et probitatis; quae post conversionem Clarae et eius sororis Agnetis, filiarum eius, mundum relinquens, sub habitu filiae Christo mancipata, adeo exstitit perfecta, ut et miracula effecerit. Talibus parentibus et quoad Deum et mundum insignibus est beata Clara originata.

Tertium, qualiter est in puerili aetate in domo paterna conversata. Nata enim, a matre de fide edocta et aliis virtutibus, tribus prae aliis parvula exsistens coepit florere virtutibus: prima pietatis, quia cibaria sibi subtrahebat delicata et pauperibus transmittebat; secunda orationis, quia habuit sanctae orationis studium in amicum, ubi a Deo saepe consolationibus est refecta divinis; tertia vitae austeritatis, quia sub pannis delicatis et mollibus ad carnem ciliciolum gerebat. Unde praefatis adornata cum aliis virtutibus, coepit eius fama in populo divulgari.

Quartum videndum, quomodo fuit ad Christi vestigia insequenda inclinata. Patre enim Francisco, ad quem pro consilio accessit, suadente ei mundi contemptum ac de castitate et Christo sponso miranda effante, Clara non trahit ad praefata exequenda in longum consensum, immo se ad talia peragenda promptam exhibet et volentem; quam probare volens, si sic esset, eidem beatus Franciscus mandavit et dixit: « Si vis, ut credam tibi, indue te sacco, et vade pro pane per totam civitatem Assisii »; quod et fecit, sed non fuit agnita [1].

Quintum, quomodo fuit Christo dedicata et consecrata. Ipsa enim sequenti nocte post diem Palmarum, cum comitiva honesta civitatem relinquens Assisii, ad locum fratrum de sancta Maria de Angelis, ubi beatus Franciscus cum sociis eam exspectabant, perrexit; ubi a beato Francisco et sociis reverenter suscepta, ante altare Mariae Virginis ducta, ibi primo tonsorata, deinde pannis exuta mundialibus, habitu ordinis est vestita; et per beatum Franciscum et socios ad monasterium de Panzo, quod nunc est ordinis ipsius, tunc autem [erat] sancti Benedicti, est deducta.

Sextum videndum, qua vexatione fuit comprobata. Et quia homo tentatione probatur a Deo, hinc est, quod Dominus propositum beatae Clarae volens probare, eam permisit a diabolo, statim ad Christum conversa, fatigari. Nam graviter ipsius conversionem ad Christum ferentes propinqui ipsam omni modo et via a proposito conati sunt revocare, persecutionibus multimodis lacessitam; quae omnia, Christo eam auxiliante, divertit et in incepto permansit.

Septimum videndum, quomodo est filiabus et sororibus fecundata et multiplicata. Clara enim ad Dominum conversa, soror eius, Agnes nomine, beata nunc in caelis cum ipsa, divino spiritu inflammata, etsi puella esset, ad ipsam perrexit, seque cum ea velle Christo servire indicans, fuit habitu religionis induta. Quod audientes parentes, ira praecipites ad locum, ubi manebant, perrexerunt, et per capillos eam capientes de monasterio extraxerunt; quae dum abiret, beatam Claram sororem suam rogavit, ut sibi operam ferret, ne sic abiret. Beata Clara protinus se dante orationi, sic eam gravem reddidit et ponderosam, ut eam nullatenus ducere

[1] Quae apud Celano et alios antiquos scriptores non invenimus. Cfr. *Acta SS.*, l. c. pag. 745.

possent; quod ut perpenderunt trahentes ipsam, fatigati dimiserunt; ipsa vero sic dimissa, concito gressu ad sororem est reversa. Ambae ergo per beatum Franciscum ad ecclesiam sancti Damiani deductae, in dicto loco beata Clara clausa per quadraginta duos annos remansit. In quo loco, dum cunctis clara niteret virtutibus, eius exemplo tam virgines quam aliae attractae, relicto saeculo, et nihil penitus, quae sunt mundi, reservantes, ad Christo famulandum ad numerum quinquaginta eidem sunt habitu et professione adiunctae; inter quas fuit eius mater, quae sic Christo cohaesit, ut nec dissimilis filiabus inveniretur, et per ipsam signa Christus operari est dignatus.

Octavum videndum, quibus virtutibus fuit reserata. Ubi sciendum, quod beata Clara, postquam perfecte Christo haesit, pluribus virtutibus divina gratia fulsit. Et prima fuit [virtus] profundissimae humilitatis, quam ostendit: primo obedientiam beato Francisco promittendo et servando; secundo invite officium abbatiatus suscipiendo et tenendo; tertio sororibus assidue serviendo, mensam parando et aquam manibus infundendo et in mensa serviendo; quarto infirmis et earum servituti se mancipando, earum lavando sedilia et tunicas, nihil de eis abhorrendo; quinto pedes ancillarum et sororum, quando a foris redibant, devotissime lavando. — Secunda virtute fulsit, scilicet paupertatis. Ipsa enim hereditatem paternam totam dedit pauperibus, sibi nihil reservando; ordinem pauperum Dominarum incepit et fecit, nihil nec in proprio nec in communi habere voluit, nec aliquam sororem aliquid habere permisit. A domino Innocentio III regulam pauperum Dominarum petiit et obtinuit, cuius principium, ipso pontifice plorante ex devotione, conscripsit (*a*) [1]. Domino Alexandro IV dispensare volendo quoad ipsam paupertatem, respondit ei, se a peccatis velle absolvi, non ab observantia consilii Iesu Christi. Et quia nihil pro Christi amore terrenum habere voluit, ipse Christus sibi de opportunis subvenit, sicut patuit de pane unico multiplicato suis meritis, cuius medietatem habentes fratres, et alia medietas in quinquaginta divisa (*b*) partes, iuxta numerum sororum, Deus sic multiplicavit, ut copiose pro prandio cuilibet fratri et sorori pars sua sufficeret. Patenter eidem Christus se ostendit subvenire, cum (*c*) vasculum oleo, ipsa orante, Christus implevit. — Tertia virtus, qua fulsit, fuit poenitentiae et austeritatis. Ipsa enim quoad vestitum primo veste simplici et hispida fuit vestita et rudi mantello; vidi tunicam eius et beati Francisci; rudior et grossior erat tunica sanctae Clarae. Calceamenta nunquam portavit in pedibus, sed nudis pedibus semper incessit. Lectulus lassato corpusculo fuit terra ipsa, sarmenta vel sextorium; sed postquam fuit infirma, mandato beati Francisci habuit sacconem plenum paleis; cervical fuit lignum vel lapis. Cibus vero tenuis fuit, nam duas quadragesimas, maiorem scilicet et sancti Martini, in pane et aqua ieiunabat, exceptis diebus dominicis, in quibus paulisper sumebat de vino, sed secunda, quarta et sexta feria nihil sumebat; quod beatus Franciscus fieri prohibuit, mandans [sibi],

(*a*) As et edd. addunt *manu sua;* edd. *ipse pontifex plorando.* — (*b*) As et edd. *medietatem aliam divisam.* — (*c*) As et edd. addunt *vacuum.*

[1] Pisanus male intellexit verba Celanensis, qui refert: « A Innocentio III paupertatis privilegium postulavit... Et pontifex ipse cum hilaritate magna petiti privilegii primam novellam sua manu conscripsit ». Innocentius III minime regulam sororibus sanctae Clarae dedit vel approbavit. Cfr. Lemmens, *Anfänge des Clarissenordens,* in *Römische Quartalschrift,* t. XVI pag. 97.

ut saltem unciam panis cum dimidia acciperet omni die. Sic ergo carnem virgineam crucifixit. Multis etiam aliis virtutibus praefulsit, de quibus longum foret enarrare.

Nonum videndum est, quomodo in orationis studio fuit exercitata. Nam ipsum habebat amicum; semper de sero post alias in oratione persistebat. Suaque oratione civitatem liberavit Assisii ac suum monasterium de manibus saracenorum, qui iam ipsum introierant; sororem [suam], scilicet Agnetem, convertit et defendit, ut dictum est; diabolum in oratione eam perturbantem oratione vicit et fugavit; mulierem Pisis a diabolo arreptam liberavit; eiusque sacris orationibus, Deo acceptis, papa Gregorius IX se humiliter recommendavit, Christusque in sua nativitate, officio divino, ipsa eum deprecante, ut interesset, gratiam de hoc concessit.

Decimum videndum est, quomodo Christi passionem fuit meditata. Cum enim ipsa filia fuerit beati Francisci, sicut ipse pater totum suum studium circa Christi passionem posuit, sic fecit et ipsa. Iugiter enim passionem Domini deplorabat et adeo, ut diabolus eidem diceret, quod lumen oculorum amitteret; cui cum diceret illa, quod lumen non perdit, qui lumen vitae sequitur, fugit statim malignus. Officium Crucis [1] cum summa devotione dicebat. De Crucifixo libenter praedicationem audiebat; unde, cum semel audiret beatum Franciscum praedicantem et nominantem hoc nomen Iesus, tantam virtutem Christus in suo corde posuit, quod ex tunc in antea nulla tribulatio, nulla adversitas difficilis ei fuit. Meditando ipsa Domini passionem rapta stetit a die Iovis sancta post vesperas (*a*) usque ad tertiam sabbati sancti nihil perpendendo, sed immobilis persistendo. Et quia sic amica Crucifixi exstitit, per ipsius Crucifixi virtutem et signum multa miracula peregit. Soror enim Benevenuta per duodecim annos habens fistulam in mammilla, signata ab ea, liberata est; frater Stephanus in furiam [versus], missus a beato Francisco ad ipsam, cum eum signasset, sanavit; quendam puerum de Spoleto lapillum habentem in nare, facto sibi ab ea crucis signo, liberatus fuit; sororem Amatam hydropicam, tussim patientem et malum lateris per tredecim menses, mulierem de Perusio voce destitutam, et sororem Christinam (*b*) in aure surditatem habentem, dum signasset, ad sanitatem optatam perduxit; multitudinem sororum languentium, dum quinquies signasset, quinque ex eis sanitati perfecte restituit. Dum dominus papa monasterium ipsius beatae Clarae ad ipsam visitandam intrasset, praeparari fecit mensam sororum, ut ipse summus pontifex eam ante suum recessum benediceret; et cum super hoc ipsum pontificem beata Clara rogasset, ipse versa vice mandavit eidem, ut ipsa mensam (*c*) benediceret; quod, cum ipsa, ut obedientiae filia, peregisset, videntibus papa, cardinalibus et aliis, in panibus statim apparuit crucis signum, scilicet in quolibet, et quilibet panis in crucis modum in quatuor partes se divisit; quo miraculo stupefacti adstantes, cum magna devotione de praedictis panibus quilibet partem suam accepit [2].

Undecimum (*d*), ad quem gradum contemplationis fuit sublevata. Certe ad altissimum; patuit, ut dictum est, cum per duos dies immobilis stetit, oculis elevatis in

(*a*) As om. *post vesperas*. — (*b*) As et edd. *Christianam*. — (*c*) Edd. addunt *coram eo*. — (*d*) As et edd. hic et deinde addunt *videndum est*.

[1] Celanensis addit: « prout Crucis amator Franciscus instituerat »; est *Officium passionis Domini*; cfr. Opuscula S. P. Francisci (ed. ad Claras Aquas), pag. 126 seqq. — [2] Cfr. *Acta SS.*, l. c. Comment. praevius n. 38-39. Celanensis refert illud factum, ast non facit verbum de pane in quatuor partes diviso.

caelum. Vice alia cum beatum Franciscum rogasset, ut comederet cum ea, et beatus Franciscus nullo modo acquiesceret, reprehensus de hoc a sociis (*a*) acquievit, et ipsa de sancto Damiano cum una socia duobus sociis comitata beati Francisci ad sanctam Mariam de Angelis venit, ibique, facta reverentia coram Virginis altari, ubi Christo fuerat in sponsam tradita, ad prandium devenientes, beatus Franciscus mensam fecit parari in terra; pro primo autem ferculo beatus Franciscus coepit de Deo loqui tam suaviter et sancte, tam altissime et divine, quod ipse sanctus frater (*b*), sancta Clara cum socia et aliis fratribus fuerunt rapti. Et subito, ipsis sic stantibus, oculis ac manibus in caelum directis, ignis maximus apparuit super locum fratrum, et videbatur totus locus cum silva ardere; propter quod Assisinates festinanter, ut ignem extinguerent, accedentes ad locum, intacta cuncta cernentes et fratres raptos cum beata Clara, cognoverunt, quod ille ignis divinus fuit, qui ad sanctificandum praedictos visibiliter apparere dignatus est; unde ipsi de hoc fuerunt multum aedificati. In se reversi de alio cibo non curantes, beata Clara cum socia ad monasterium est reversa (*c*). Talibus dedita virgo devota, quod scire a Christo optabat, sine mora revelabatur eidem; nam, cum beatus Franciscus haesitaret, an ad praedicandum vel ad loca solitaria se deberet conferre, et super hoc cum vellet scire Domini beneplacitum, fratrem Massaeum ad fratrem Silvestrum misisset et ad beatam Claram, ut de hoc Domini voluntatem scirent, statim fratri Silvestro et beatae Clarae eadem responsio facta est a Deo, quod ad praedicandum beatus Franciscus iret, quia ad hoc erat a Deo in mundum directus [1]; et sic beatus Franciscus egit. Et quia contemplatio verbis nutritur divinis, beata Clara verbum Dei devotissime audiebat; quare et fratres saepe ad praedicandum ad se venire faciebat. Verum, cum papa constitutionem fecisset de non accedendo ad monasterium (*d*), beata Clara, hoc audito, fratres, qui stabant in monasterio ad petendum eleemosynam pro ipsa et sororibus, emisit dicens: « Ex quo sum verbo vitae privata, nolo, quod mihi cibus procuretur corporalis »; propter quod dominus papa sibi concessit, quod convocare fratres posset ad praedicandum Dei verbum, quandocumque ipsa vellet. Et quia cum Deo loquebatur frequenter, hinc est, quod ipsa in verbo exhortando efficacissima fuit; nam sorores, quae videbantur de religione male contentari, suo mirabili eloquio confortabat. Insuper ipsa pietate et caritate plena, ut mater, in nocte sorores cooperiebat ac fovebat ut filias proprias.

Duodecimum, quomodo fuit a Domino comprobata. Nam tam abstinentia quam disciplinis et cilicii ad carnem assidua baiulatione, in infirmitatem incidit gravissimam adeo, ut vix per (*e*) viginti octo annos de lectulo surgere nequivisset. In qua infirmitate nullus seu nulla ipsam conquerentem aliquando audivit, sed semper Deum laudantem. Insuper, dum sic esset infirma, ne otio esset dedita, quinquaginta paria corporalium manu propria nevit, ob devotionem etiam praecipuam ad sacramentum altaris; quae corporalia per fratres ad diversas ecclesias ipsa direxit. Dum sic infirma iaceret, a multis et magnis visitabatur, inter alios ipsam visitavit dominus (*f*) Gregorius IX et dominus Alexander IV [2], qui sibi pedem ad osculandum tradidit, et eam a suis peccatis absolvit.

(*a*) As et edd. addunt *tandem*. — (*b*) Edd. *sanctus Franciscus*. — (*c*) As et edd. *sunt reversae*. — (*d*) As et edd. *monasteria*. — (*e*) Edd. *ut quasi*. — (*f*) As et edd. addunt hic et postea *papa*.

[1] Cfr. Bonav., *Leg. mai.* c. 12 n. 2., et *Actus* c. 16. — [2] Secundum Celanensem aliosque papa Innocentius IV et cardinalis Raynaldus, qui postea fuit papa Alexander IV, aegrotantem virginem visitarunt. Pisanus hic et paulo post (pag. 356 lin. 8) confundit Innocentium IV et Alexandrum IV, qui nonnisi anno post mortem sanctae Clarae ad pontificatum ascendit.

Decimum tertium, quomodo fuit ad caelestia evocata. Termino vitae appropinquante, cum per decem et octo dies stetisset nullo cibo sumpto, et omnes confortaret ad se venientes de suo recessu sorores, apparente sibi prius beata Virgine cum exercitu virginum et ad caelestia invitante, fratre Iunipero, ioculatore Christi, de ipso Domino Iesu melliflua eructante, felicissima eius anima, carne dimissa, cum sponso suo Christo ad gaudia caeli ipsis aeternaliter potitura ascendit.

Decimum quartum, quomodo exstitit canonizata. Morte sanctae Clarae audita, dominus Alexander papa IV una cum cardinalibus ad monasterium sanctae Clarae pergens, ex prius ab ipso visis ac miraculis ibidem, ea mortua, divina virtute patratis, voluit eam catalogo sanctorum adscribere; sed prohibente domino Ostiensi, missa de mortuis cantata, ipse papa cum cardinalibus et aliis praelatis exsequias ipsius celebrarunt. Verum post duos annos miraculis maximis patratis ab ipsa, ut ipse papa in bulla ponit suae canonizationis, [eam] sanctorum catalogo adscripsit [1].

Et licet innumera sunt ipsius beatae Clarae miracula, unum referam, quod audivi ab illo, cui evenit. Cum nonnulli de civitate Pisana irent Sardiniam, superveniente horribili maris tempestate cum tenebrosa noctis obscuritate, ac vi tempestatis navi aperta in fundo, omnes in navi exsistentes videntes sibi mortem adesse, coeperunt suffragia Virginis et sanctorum cum lacrymis flagitare; sed cum minime exaudirentur, beatam Claram coeperunt invocare, promittentes, quod pro liberatione sua discalceati et in camisia cum corrigia ad collum ac uno cereo unius librae in manibus, ipsius de Pisis ecclesiam visitarent; statim, facto voto, tria lumina de caelo descenderunt; unum se posuit in prora navis, aliud in puppi, tertium ad sentinam descendit navis et foramen clausit, per quod aqua maris intrabat; et facta est tranquillitas in mari, et cum vento prospero ista tria lumina nunquam eos dimittendo, usque Arestanum ipsa nocte ierunt. In cuius portu cum essent omnes homines in terra, et mercantiae de navi amotae, videntibus omnibus, lumina illa tria disparuerunt, et navis absorpta est ab aquis; ipsi vero homines, Pisas reversi, votum perfecerunt.

Aliud narro miraculum, quod patens est toti civitati Florentinae. Nam, cum soror beatae Clarae, Agnes dicta, abbatissa fuerit sororum monasterii de Monticellis (*a*) de prope Florentiam, prima ipsa a dicto monasterio recedente et Assisium reversa ante mortem sanctae Clarae — nam ipsa eius interfuit morti, et beata Clara, eam in brevi sequendam per mortem, tunc praedixit; quod et factum est; non enim multo post mortem beatae Clarae et ipsa [beata Agnes eius soror] feliciter in Domino obdormivit — haec siquidem post mortem beatae Clarae velum, quod sancta Clara in capite [dum viveret] deferebat, scilicet velum nigrum, dictis sororibus [de Monticellis ex caritate et dilectione, quam ad easdem conceperat, et in memoriam sui et ipsarum devotionem] destinavit. Hoc siquidem velum in dicto monasterio habetur, et ita integrum sine defectu [aliquo] hodie (*b*) perseverat, acsi noviter esset factum, cum vela aliarum propter tincturam de nigro statim corrumpantur et tabescant. Illud siquidem velum cum mantello beati Francisci, qui ibi etiam habetur, impositum pueris patientibus litargicam passionem super caput, curantur; et adeo hoc est notum, ut omnes infantes

(*a*) Edd. *Montecellis*. — (*b*) As et edd. om. *hodie*.

[1] Cfr. bullam Alexandri IV de 19 oct. 1255 « Clara claris praeclara ».

de comitatu Florentino illuc perducantur et curentur; et non est annus, in quo ultra ducenti (*a*) pueri illuc non deferantur et (*b*) curentur. Nec est hoc novum; cum hoc plus quam per centum triginta annos et ultra duraverit (*c*).

Multa alia per orbem miracula per sanctae Clarae suffragia fiunt, quae ad praesens omitto.

De beata Agnete, sorore sanctae Clarae.

Fuit alia in ordine [sanctae] Clarae domina sanctitatis et virtutis ac miraculis insignis, eius videlicet sanctae Clarae soror, Agnes vocata, quae, sicut carne fuit sanctae Clarae soror, sic et perfectione; quae non post multum temporis a morte sanctae Clarae supervivens et ipsa ad Christum pergens, in argumentum sanctitatis, etsi non sit canonizata in terris, signis tamen innotuit mundo gloriosis [1]. Haec iacet Assisii in ecclesia sanctae Clarae.

De beata Ortolana, matre sanctae Clarae.

Fuit in hoc ordine alia sancta soror, videlicet soror Ortolana, mater sanctae Clarae et Agnetis [supradictarum], quae in perfectione et signis in vita et post mortem consimilis fuit filiabus.

De beata Agnete, filia regis Boemiae [2].

Fuit alia in hoc ordine insignissima genere et sanctitate, scilicet sancta Agnes de Boemia, filia Otherchi (*d*) regis Boemiae, nupta [3] imperatori Frederico II, etsi non ab eo traducta. Haec siquidem Agnes, audita fama sanctae Clarae, quae adhuc vivebat, per venientes (*e*) de Roma et Assisio, caelesti afflata spiritu patrem [4] dulciter alloquens, deprecata est, ut ipsam Sponso caelesti et non terreno permitteret famulari. Sed patre differente propter timorem imperatoris, cui erat in sponsam promissa, dare assensum, Dei famula patri promisit, quod secure daret assensum, quia Iesus Christus in hoc ipsum iuvaret. Tandem habito consensu patris, virgo Dei Agnes pro fratribus Minoribus, qui iam in Maguntia erant, misit [5]; qui ad eam accedentes ipsam cum multis aliis principissis et insignibus dominabus Domino consecrantes, habitum religionis imposuerunt et iuxta regulam a sede apostolica sanctae Clarae et suis datam degere instruxerunt. Et cum pater eius rex Otherchus vellet sibi magnos redditus et sororibus deputare, noluit, sed de eleemosynis, quas fratres pro ipsis acquirebant, voluit, quamdiu advixit, victitare. Et sic usque hodie in civitate Pragensi (*f*), ubi dicta Agnes fuit monialis, sorores illac, etsi nobilissimae sint et multae in numero, nihil possessionis seu redditus habent; sed de simplici eleemosyna vivunt eis per fratres

---

(*a*) As *centum vel ducenti.* — (*b*) As et edd. addunt *quasi omnes.* — (*c*) As et edd. addunt *et durat continue.* — (*d*) Edd. *Orechi;* est rex Ottocarus (1197-1230). — (*e*) As et edd. *et hoc ab illis, qui veniebant.* — (*f*) Edd. *Plagensi.*

---

[1] Cfr. *Vita sororis Agnetis* in *Chron. 24 gen.*, pag. 173 seqq. — [2] Cfr. *Acta SS.*, t. I martii, pag. 502 seqq. — [3] Id est: desponsata. — [4] *Acta SS.*, l. c. n. 26 advertunt: « Fratrem Wenceslaum regem, patre defuncto, in sequentibus substituendum esse ex aliis Actis constat ». — [5] Secundum Iordanum (*Chron.* n. 55) fr. Ioannes de Plano Carpinis anno 1228 electus minister Theutoniae « in Bohemiam fratres misit ». Glassberger l. c. pag. 48 addit « cum secundario minister exsisteret »; reelectus est fr. Ioannes anno 1232.

acquisita. Mundi abdicatione facta ab ista Agnete sancta, sponsus Fredericus imperator, dum audivit, paulisper turbabatur, sed ipsam agnoscens Christo desponsatam, consolatus est dicens, quod, ex quo non terreno homini sed Domino Deo erat nupta, sibi erat placitum et acceptum; quia ab ea non erat contemptus propter hominem sed propter Deum.

Huius beatae Agnetis famam beata Clara cum audisset, per nuntios, quos ipsa sanctae Clarae direxerat, Dominum Deum laudavit, et dictae sanctae Agneti aliqua misit, [videlicet] Pater noster, velum, scutellam, in qua sancta Clara comedebat, et cyphum et nonnulla alia, quae cum summa devotione ab ipsa sancta Agnete sunt suscepta; per quae Deus multa signa fecit meritis beatae Clarae; quae omnia auro et gemmis ornata, in dicto monasterio reservantur.

Huius fama reboante per Alamaniam, multiplicari coeperunt monasteria per Alamaniam (*a*), et multae filiae ducum, comitum, baronum et aliorum nobilium (*b*) mundum deserentes, exemplo beatae Clarae et Agnetis, sponso caelesti sunt iunctae, ipsi sine crimine famulando.

Ista siquidem Agnes vita clara et signis, postquam multas in suo monasterio sorores congregaverat ac vitam caelibem in praesenti peregerat, ad sponsum suum Christum pergens, per ipsum Christum pluribus est signis mirificata; usque enim in hunc diem miraculis coruscat maximis. Imperatorem Carolum IV, Romanorum et Boemiae regem, bis a mortis faucibus liberavit; et dimisit iste filio, regi Romanorum et Boemiae, domino Wincelao (*c*), ut totis viribus pro eius laboraret canonizatione; qui aliis intentus, nondum velle haec agere incepit (*d*).

De beata Salome [1].

Fuit etiam alia soror sancta in hoc ordine de domo regali Poloniae, sancta (*e*) Salome; quae, qualis fuerit in vita, miracula facta eius meritis, tam in vita quam post mortem, ostendunt. Haec siquidem mortuos suscitavit, pavonem a cane interfectum ad vitam reduxit, vulneratis ad mortem dedit sanitatem, caecos illuminavit, contractos erexit et a partus periculo mulieres liberavit.

De beata Helena [2].

Fuit etiam alia in isto ordine soror, sancta Helena de Padua; quae fuit monialis in monasterio exteriori de Arcello (*f*), quod monasterium beatus Franciscus aedificavit, et in dicto monasterio sanctus Antonius noster Deo spiritum reddidit. In dicto monasterio fuit soror et monialis praedicta Helena, quae maximis florens virtutibus a Domino velut aurum per patientiam fuit comprobata. Iacuit enim privata omni virtute corporis et lingua (*g*) bene per annos sexdecim; quae gestu corporis et signis maximam in talibus patientiam (*h*) praetendebat. Huic Deus multa revelavit, quae ipsa

(*a*) As et edd. om. *per Alamaniam.* — (*b*) As et edd. addunt *de Alamania.* — (*c*) As *Wencellao.* — (*d*) As et edd. *intentus et praepeditus hoc suum velle non adimplerit.* — (*e*) As et edd. *beata.* — (*f*) As et edd. *Arcella.* — (*g*) Edd. *linguae.* — (*h*) As et edd. *hilaritatem.*

[1] Vitam scripsit Fr. Stanislaus O. F. M.; cfr. *Monumenta Polon. hist.*, t. IV (1884) pag. 770-796 et t. V (1888) pag. 1014-1017. — [2] Cfr. *Acta SS.*, t. II nov. pag. 509 seqq.; ibi pag. 509: « Bartholomaeus de Pisis primum de B. Helena documentum tradidit ».

sororibus enarravit, et ea scripta, Paduae dum essem lector, vidi (*a*). Verum cum petiissem a sororibus, quomodo talia sine lingua potuit revelare (*b*), responderunt, quod sorores hactenus ob silentium observandum non lingua, sed nutibus loquebantur; et talibus nutibus (*c*) omnia exprimebant, quae loqui volebant; et sic faciebat praedicta beata soror. Huius corpus ostendunt sorores praedictae integrum illuc pergentibus, cum sit longum tempus, quod mortua est; et ita sibi crescunt capilli et ungues, quod maius est, acsi ipsa viveret; tondent sorores, et praefata prae devotione petentibus largiuntur.

Ista claruit et claret multis miraculis. Ipsa enim quemdam nobilem marchionem de Lupis de Parma, dominum Bonifatium, in articulo mortis positum, emisso voto ab eius uxore pro eo, ad sanitatem perfectam deduxit. Et plura alia miracula fecit (*d*).

Fuit alia soror sancta, nomine Clara, in monasterio de Viterbio, quae magnis claret signis. Cuius corpus est integrum, et capilli capitis et ungues ita crescunt sibi, acsi ipsa viveret [1].

In pluribus aliis monasteriis eiusdem ordinis fuerunt sorores sanctitate et miraculis clarae; de quibus longum esset narrare, praesertim cum ad facta nostri ordinis et beati Francisci principaliter tendam. Quibus patet, quod sanctimonia hic ordo decoratur.

Secundo, hic ordo de excellentia in (*e*) nobilitate insignitur. In hoc siquidem ordine multae fuerunt illustrissimae dominae (*f*).

Nam de domo Franciae plures fuerunt, et specialiter tempore nostro domina soror Blanca, filia regis Philippi Pulchri, regis Francorum, primogenita, cui de iure [Francorum] regnum debebatur [2].

De domo imperiali, scilicet Austriae, dominus Rodulfus, rex Romanorum, tempore fratris Hieronymi, tunc ordinis generalis ministri et demum summi pontificis, filiam suam dedit et posuit in ordine sanctae Clarae [3].

Domina soror Agnes, [de qua dictum est supra] [4] nupta imperatori Frederico II, mundo relicto, facta est soror sanctae Clarae.

Domina Constantia, neptis imperatoris Frederici et uxor regis Petri Aragoniae, habitum sumpsit beatae Clarae [5].

Domina regina Sancia, uxor regis Roberti, post eius mortem statim facta est soror sanctae Clarae [6].

(*a*) As *Paduae habentur; quae, dum essem ibidem lector, vidi;* edd. *essem in eodem loco.* — (*b*) As *enarrare.* — (*c*) As et edd. addunt *et signis.* — (*d*) As *fecit et facit.* — (*e*) Edd. *et.* — (*f*) As et edd. addunt *insignissimae et.*

[1] Bene Waddingus ad an. 1252 (n. XVII) dicit: « Circa virginis nomen deceptus est Bartholomaeus Pisanus, dum Claram vocat eamque Viterbii iacentem integram adhuc videri, crescentibus continuo capillis et unguibus, referat, quae de sola Rosa vera esse dignoscuntur, praeter quam aliam nullam sanctioris notae ibi requiescere compertum est ». Pisanum secuti alii (cfr. Huber, *Menologium S. Francisci,* pag. 1995 ad diem 19 oct.) perperam duas sanctas virgines, Rosam et Claram, Viterbii vixisse dixerunt. — De S. Rosa cfr. *Acta SS.*, t. II sept. 414-479. Fuit soror tertii ordinis, sepulta vero apud moniales sanctae Clarae. — [2] Fuit filia Philippi V Longi; cfr. *Chron. 24 gen.*, pag. 472 et 483. — [3] Vocabatur Euphemia. — Cfr. *Chron. 24 gen.*, pag. 360. — [4] Pag. 357. — [5] Cfr. bullam Nicolai IV de 25 aug. 1291 « Ad augmentum catholicae fidei » (Sbaralea, *Bullarium* t. IV pag. 285). — [6] Cfr. *Chron. 24 gen.*, pag. 539.

Rex Petrus Trinacriae (*a*) in monasterio sanctae Clarae de Messana duas habuit filias [1].

Domina Ioanna, soror (*b*) regis Navarrae, est (*c*) soror sanctae Clarae in monasterio de Parisius [2].

Domina regina Elionora Portugalliae est nunc soror sanctae Clarae in Castella (*d*) [3].

Quot vero aliae fuerunt et sint filiae ducum, comitum, principum, baronum et nobilium patet: de monasterio de Buda in Ungaria [4]; de monasterio Campi regii de (*e*) Austria [5]; de monasterio Pragensi in civitate Pragae de Boemia [6]; de monasterio sanctae Clarae in Neapolim [7]; de monasterio de Parisius in Francia [8]; de monasterio de Petris albis in Aragonia [9]; et sic de aliis monasteriis non posset effari.

Quare de nobilitate potest hic ordo et excellentia commendari.

Tertio hic ordo potest commendari de multitudine sororum et affluentia. Per Dei gratiam per omnes partes christianitatis hic ordo diffusus reperitur, et multitudine sororum copiosa invenitur dilatatus, ut patet cuilibet clare hoc intuenti. [Potest ergo dici de beata Clara illud Sapientiae [10]:] O beata Clara! *multae filiae,* id est sanctae dominae, *congregaverunt divitias,* id est coenobia, *sed tu supergressa es universas.*

Sicut ordo a Christo fuit mittendus expetitus a Patre (*f*), scilicet ordo Minorum, sic a Filio per beatam Virginem fuit expetitus [ordo] sanctae Clarae. Et sicut ordo Minorum in principio parvulus super omnes alios divina gratia excrevit, sic et ordo sanctae Clarae est nunc multitudine copiosa per orbem diffusus.

Quibus succincte apparet gloria beati Francisci, hunc ordinem sic dispositum instituentis, et quomodo fecundatus fuit praefatis.

DE TERTIO ORDINE BEATI FRANCISCI.

Tertius beati Francisci ordo dicitur Fratrum de poenitentia, ut sicut poenitentia omnes complectitur, sic ordo omnibus generibus hominum, videlicet virginum, viduarum et coniugatorum, disponitur iste et ordinatur, qui a beato Francisco

(*a*) Codex *Tynacriae.* — (*b*) As *filia,* edd. *uxor.* — (*c*) As et edd. *fuit.* — (*d*) As et edd. *est soror in Castella sanctae Clarae.* — (*e*) As *in.* — (*f*) As *tempore.*

[1] Est rex Petrus II, mortuus 1342. Una ex hisce filiabus — Constantia — postea electa est abbatissa, ad quam Clemens VI die 17 aug. 1352 misit epistolam; cfr. Eubel, *Bullarium franciscanum,* t. VI n. 626. — [2] Fuit soror Caroli II, mortui 1387. — [3] Uxor Ferdinandi I, mortui 1383. — [4] Fundatum a regina Elisabetha 1334; cfr. bullam Ioannis XXII « Eximiae devotionis » de 15 iulii 1334 (Eubel, l. c. t. V n. 1067). — [5] Königsfelden, ubi rex Romanorum Albertus « manibus impiorum occubuit »; cfr. bullam Clementis V « Religionis vestrae » de 18 iunii 1310 (Eubel, l. c. t. V n. 165). — [6] Fundatum a beata Agnete eiusque fratre, rege Wenceslao, 1234; cfr. bullam Gregorii IX « Sincerum animi » de 30 aug. 1234 (Sbaralea, l. c. t. I pag. 134). — [7] Fundatum a regina Sancia 1312; cfr. bullam Clementis V « Eximiae devotionis » de 20 iunii 1312 (Eubel, l. c. t. V n. 200). — [8] In Campolongo (Longchamps); fundatum 1259 a beata Isabella, sorore S. Ludovici regis. — [9] In dioecesi Barcinonensi; cfr. Eubel, l. c. t. V n. 600 et 679-681. — [10] Prov. 31, 29.

circa tempora quarti decimi anni a sua conversione est institutus et ordinatus. De quo pauca sunt enarranda.

In hoc siquidem ordine fuerunt [viri] et mulieres sanctitate conspicuae (*a*).

Patet de mulieribus; de sancta Helisabeth, filia regis Ungariae, per ecclesiam canonizata; haec siquidem quam vitae fuerit sanctissimae, Salvator miraculis pluribus, cum multorum suscitatione mortuorum, ostendere est dignatus.

De isto tertio ordine fuit alia sancta domina, nomine Humiliana, nobilis domina de domo Circulorum de Florentia, sepulta Florentiae in nostro conventu; cuius sanctitatem miracula multa per ipsam facta ostendunt [1].

Sancta Michelina de Pensauro (*b*) [2], quae magnis claruit et coruscat assidue miraculis, de tertio ordine beati Francisci soror fuit (*c*).

Plures aliae [sanctae] dominae fuerunt de isto ordine miraculis coruscantes: sicut sancta Rosa de Viterbio [3]; domina Angela de Fulgineo, quae librum composuit, qui fuit approbatus per dominum cardinalem de.... [4]; beata Mea de Senis, quae mirabiliter spiritum prophetiae habuit et sepulta est Senis in ecclesia Servorum, ex pigritia fratrum nostrorum; domina Lucia de Venetiis, sepulta ibidem in ecclesia sancti Raphaelis, quae in vita et morte miraculis claruit; sic et beata Margarita de Cortonio et quamplures aliae.

Fuerunt etiam de isto ordine plures sancti viri, sicut sanctus Elzearius, canonizatus ab ecclesia [5], et plures alii (*d*), etsi nondum canonizati, scilicet sanctus frater Petrus Pectinarius de Senis [6]; sanctus frater Lucensis de Podio Bonizi [7]; Volterris (*e*) iacet alius sanctus frater [8], sic Florentiae alius in nostra ecclesia iacet; Senis iuxta sanctum Petrum Pectinarium sepultus est sanctus frater Nicolutius de Senis et sanctificavit in Bemardenga (*f*). In Marchia sunt plures de isto ordine miraculis corruscantes.

Unde praefatis et aliis hic ordo cum praefatis potest commendari de sanctitate.

Potest [etiam] commendari hic ordo de nobilitate. Nam multi magni homines de diversis regnis christianitatis, comites, duces, principes, barones et nobiles fuerunt de isto ordine beati Francisci.

(*a*) As et edd. *conspicui.* — (*b*) Edd. *Pisauro.* — (*c*) As et edd. pergunt *Sancta etiam Margarita de Cortona, quae multis claruit et claret signis, soror de tertio ordine fuit. Plures aliae sanctae dominae fuerunt de isto ordine miraculis coruscantes. Fuerunt etiam* etc. ut supra lin. 19. — (*d*) As et edd. om. *sicut sanctus—plures alii.* — (*e*) As *Ulterius;* edd. *Viterbii.* — (*f*) Ita Codex; est Berardenga prope Senas. As et edd. om. *Senis iuxta—Bemardenga.*

---

[1] Cfr. *Acta SS.,* t. IV maii pag. 385 seqq. — [2] Cfr. *Acta SS.,* t. III iunii pag. 925 seqq. — [3] Cfr. supra pag. 359 not. 1. — [4] De beata Angela cfr. *Acta SS.,* t. I ian. pag. 186 seqq. Liber, de quo dicit Pisanus, est *libellus spiritualis doctrinae visionum et consolationum divinarum,* saepius editus (cfr. Faloci, *Saggio bibliografico della vita e degli opusculi della beata Angela* in Miscellanea Franciscana, t. III pag. 173-187). Cardinalis ille videtur esse « Iacobus de Columpna », de quo loquitur codex Sublacensis l. c. pag. 187. — [5] Cfr. *Acta SS.,* t. VII sept. pag. 494 seqq. — [6] Vitam beati Petri, quem Ubertinus de Casali (*Arbor vitae crucifixae Iesu,* Prologus) vocat « virum Deo plenum », cuiusque « sanctas orationes » celebrat Dantes Aligherius (*Purgat.,* cant. XIII), scripsit (sec. Waddingum ad an. 1289 n. XLIII) frater Petrus de Monterone « eidem coaevus et familiaris ». — [7] Cfr. *Acta SS.,* t. III apr. pag. 594 seqq. — [8] Probabiliter frater Bonamicus, de quo Melissanus, *Supplementum* ad an. 1220 n. IX, et alii.

Sancta E l i s a b e t h, filia regis Ungariae, fuit de isto ordine. Regina Ungariae, quae fecit monasterium Campi regis in Austria, fuit de tertio ordine [1]. Regina Ungariae, mater regis Ludovici, fuit de tertio ordine [2]. Imperatrix Romanorum, quae nunc est (*a*), domina E l i s a b e t h [3], uxor imperatoris mortui (*b*) Karoli IV, est (*c*) de tertio ordine beati Francisci.

Multae sunt (*d*) aliae per christianitatem dominae singularissimae, sub habitu istius tertii ordinis Domino famulantes.

Est etiam hic ordo magnus quoad n u m e r u m hominum et mulierum, etsi hactenus maior fuerit. Insuper hic ordo, ut rectus, bonus et sanctus per romanam ecclesiam est approbatus, et regulam habuerunt a papa Nicolao IV [4], et plurium summorum pontificum gaudent privilegiis.

Praefatis igitur de ordine primo Minorum, de secundo ordine Sororum, et nunc de tertio ordine fratrum et sororum de poenitentia, apparet declarata secunda pars istius VIII fructus et conformitatis, videlicet FRANCISCUS FECUNDATUR, scilicet filiis, fratribus, discipulis et sociis. Et quia fecunditate in imitatoribus, quam habuit in terris singularissimam, quoad ordines omnium beatorum sublimatus est in ecclesia militanti, sic ipsorum associatione, a sanctis et beatis laudibus talium glorificatione extollitur et commendatur in ecclesia triumphanti.

Ut enim patet ex praedictis, de primo ordine, scilicet Minorum, et de duobus aliis, beatus Franciscus habuit quosdam in ordine patriarcharum: primi patriarchae tres, ad instar Abraham, Isaac et Iacob, sunt ipse beatus Franciscus, beatus Antonius et frater (*e*) Bernardus de Quintavalle, quorum verbis, vita et exemplis generatus est et progenitus ordo Minorum: duodecim patriarchae sunt duodecim primi fratres, videlicet Petrus Cathanii, Aegidius, Sabbatinus, Moricus, Philippus Longus, Silvester, Rufinus, Ioannes de sancto Constantio, Barbarus, Bernardus de Viridante (*f*), Gulielmus Anglicus et Massaeus de Marignano; per istos enim, velut beati Francisci patriarchae filios, caeteri fratres ortum habuerunt et vitae sanctitate, regimine et exemplaritate [5].

In ordine prophetarum plures fuerunt, videlicet frater Aegidius, Leo, Electus [6], Guido de Senis [7], Tobias [8], Guido de Bolsena [9], Ioannes de Alverna, Donatus de Ferraria [10], Nicolaus de Monte Iorii (*g*), Gerardus de Valentia [11], Philippus Aquerii [12], Ro-

(*a*) As et edd. om. *quae nunc est.* — (*b*) As et edd. om. *mortui.* — (*c*) As et edd. *fuit.* — (*d*) As et edd. addunt *fuerunt et.* — (*e*) As *sanctus.* — (*f*) Edd. *Barbarus de Viridante, Bernardus.* — (*g*) As *Ovis,* edd. *Iovis;* videtur esse ille, de quo supra pag. 235.

[1] Est regina Elisabeth, uxor Alberti regis Romanorum; cfr. supra pag. 360 not. 5. — [2] Regina Elisabetha, uxor regis Caroli Roberti; cfr. supra pag. 360 not. 4. — [3] Quarta uxor Caroli IV, mortui 1378. — [4] Bulla « Supra montem » de 20 sept. 1291 (cfr. Sbaralea, *Bullarium,* t. IV pag. 293). — [5] « Duodecim primi fratres », quorum nomina Pisanus hoc loco ponit, non conveniunt illis, quos in initio huius fructus (pag. 177) enumeravit; desunt ex. gr. fr. Bernardus de Quintavalle, quem paulo ante inter « tres patriarchas » nominavit, et fr. Ioannes de Cappella, quem ex ordine exivisse notum est. Verbis ultimis Pisani apparet, ipsum hic non duodecim primos fratres sensu stricto enumerare voluisse, sed duodecim ex primis praeclaros « vitae sanctitate ». — [6] Cfr. pag. 188. — [7] Cfr. pag. 202. — [8] Cfr. pag. 251. — [9] Cfr. pag. 261. — [10] Cfr. pag. 254. — [11] Cfr. pag. 297. — [12] Cfr. pag. 290.

dericus de Hispania [1], Gulielmus de Burgundia [2], et sic de multis aliis, ut supra dictum est; qui spiritum propheticum habuerunt, sicut probatum est evidentia speciali.

In ordine apostolorum duodecim apostoli fuerunt duodecim primi beati Francisci socii evangelicam assumentes vitam, tenentes et servantes, nec apicem de observantia evangelii dimittendo.

Septuaginta duo, immo ultra tercentos, sunt sancti fratres superius memorati per omnia Iesu Christi vitam prosequentes et doctrinam, ut ipsorum patet gestis.

In ordine martyrum multi sunt, et ultra septuaginta (*a*) superius memorantur, cum innumeri sint alii martyrio, non gladio solo, sed crucis baiulatione in suis corporibus, digni a Deo habiti et ut martyres coronati.

In ordine pontificum multi habentur sancti fratres, ut patet de sancto Ludovico, episcopo Tholosano, de sancto fratre Ioanne Peccian, archiepiscopo Cantuariensi, de sancto Leone, archiepiscopo Mediolanensi, de sancto fratre Gualterio, episcopo Pictaviensi, de sancto fratre Antonio, archiepiscopo Duratii [3], de sancto fratre Richardo, episcopo Armalech [4], et sic de aliis.

In ordine confessorum non pontificum habentur ultra CCC, ut superiora ostendunt.

In ordine anachoritarum, sunt fratres Lucidus [5], Iuniperus, Petrus de Monticulo [6], Sensus [7], et sic de aliis.

In ordine doctorum sunt et fuerunt fratres sancti, scilicet magister Alexander de Halis, magister Ioannes Guallensis, beatus Antonius, Lucas eius socius; et sic de aliis.

In ordine virginum multi fuerunt sancti, qui fuerunt virgines purissimi, sicut beatus Antonius, frater Rufinus, frater Ioannes de Alverna; et sic de aliis. Et specialiter in secundo ordine Sororum et tertio multi sunt et fuerunt, carnis immunditias omnino nescientes.

In ordine coniugatorum et matrimonii cum continentia singulari sunt illi de tertio ordine, qui, licet nonnulli ipsorum uxorati permaneant, continenter vivunt, et sic ipsorum praedecessores fuere.

In ordine electorum, meritis beati Francisci et suorum fratrum et aliorum suorum ordinum, praedicatione, vita et exemplo, infiniti quasi sunt salvati, prout pluribus visionibus est conspectum.

Quibus patet, beatum Franciscum esse et fuisse tam in caelo quam in terra fecundatum gradibus cunctis sanctorum et statibus, ut in suo ordine et aliis duobus ordinibus sit verificatum, ut supra dictum est, verbum (*b*) apostoli, Eph. 4, 11: *Ipse*, scilicet Christus, *dedit* beato Francisco *quosdam apostolos, quosdam prophetas, alios evangelistas, alios pastores et doctores.* Et sic etiam clare lucet ex supradictis. Et quod de toto gremio ecclesiae est dictum per apostolum, I Cor. 12, 8 sqq.: *Alii datur sermo sapientiae, alii sermo scientiae, alii fides, alii gratia sanitatum, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum*, in ordinibus beati Francisci praefatis est impletum.

(*a*) As et edd. *octoginta*, cfr. supra pag. 336 lin. 11. — (*b*) Codex *per verbum*.

---

[1] Cfr. pag. 321. — [2] Cfr. pag. 306. — [3] Cfr. pag. 302. — [4] Cfr. pag. 334. — [5] Cfr. pag. 283. — [6] Cfr. pag. 276. — [7] Cfr. pag. 235.

Ex dictis supra apparet, quod, si gloria patris est *filius sapiens* [1], ad gloriam est beati Francisci, tot habuisse et habere filios et filias sapientia et sanctitate conspicuos et ornatos. Apparet etiam declaratio istius VIII fructus et conformitatis, quoad ambas partes, scilicet *Iesum coetus prosequitur, Franciscus fecundatur.*

Ad laudem Iesu et beati Francisci. Amen.

NONUS FRUCTUS ET CONFORMITAS:

Iesus Legem Dat Populis — Franciscus Regulator.

Expositio primae partis, videlicet: **Iesus legem dat populis.**

1. Rector, conditor et gubernator omnium creaturarum supercaelestium, terrestrium et infernorum Iesus Christus cum sit, et lege eius sic omnia moderantur et ordinantur adeo, quod nihil in toto potest esse inordinatum, scilicet in ordine universi, et si talia divina gubernantur lege, utpote insensibilia et sensibilia ratione carentia, a fortiori ipse angelus et homo prae ceteris conditis digniores. Sed quomodo ipsi spiritus angelici divina lege gubernantur, quia non est praesentis speculationis, nihil ad praesens est dicendum. Sed de divina lege circa homines, qualiter et quomodo se habeant, est breviter videndum; quia hic fructus quoad primam partem hoc asserit dicens, quod *Dominus Iesus legem dat populis.* Et pro eius evidentia est sciendum, quod Salvatori nostro a Patre cum sit tradita *omnis potestas in caelo et in terra* [2], et consequenter, nihil eius imperium subterfugit (*a*) cum lege, nam *attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter* [3]; circa tamen hominem et eius salutem, cum propter hoc incarnari complacuit et passionari, eius principaliter consistit ordinatio et regulatio (*b*), ut suis praeceptis homo se voluntarie subdendo et legibus optatam percipiat aliquando salutem. Quapropter ipse *Rex regum et Dominus dominantium* [4], Salvator noster, homini volenti ire per viam, quae ducit ad vitam [5], in sacro evangelio leges promulgavit, quasdam generaliter, et alias diversis conditionibus et statibus tradendo specialiter. Hinc est, quod ut praedicta videantur de eius legibus, primo videndum erit in generali, secundo in particulari. Quibus visis, declaratio patebit istius IX fructus et conformitatis, videlicet: *Iesus legem dat populis.*

2. Et pro primi evidentia est advertendum, quod Salvator noster, etsi multas in evangelio ponat leges, prout sancti referunt evangelistae, principaliter tamen evangelista Matthaeus in suo evangelio, a capitulo quinto usque ad septimum inclusive, nonnullas recitat, per quarum observantiam ad gloriam pertingit homo aeternam.

Et legum a summa sapientia Christo pro salute nostra promulgatarum lex prima est de abdicatione voluntaria et mentali terrenorum, dicens, Matth. 5, 3: *Beati pauperes spiritu,* non necessitate, sed sponte, et propter Christum; *quoniam ipsorum est regnum caelorum.*

Secunda [lex est] de tranquilla conversatione, ut sit mitis conversatione, ut ipse Christus, Matth. 11, 29, et Moyses, de quo habetur Num. 12, 3; et ideo istam legem promulgando dixit: *Beati mites;* fructum, sicut in prima, ponit [et praemium], dicens: *Quoniam ipsi possidebunt terram* [6], scilicet *viventium,* ut dicit psalmus 141, 6.

(*a*) Edd. *praeterfugit.* — (*b*) As *gubernatio.*

[1] Prov. 10, 1. — [2] Matth. 28, 18. — [3] Sap. 8, 1. — [4] Apoc. 19, 16. — [5] Matth. 7, 14. — [6] Matth. 5, 4.

Tertia [lex] est de habenda tristitia pro elongatione a patria caelesti, dicendo cum psalmo 119, 5: *Heu mihi; quia incolatus meus prolongatus est;* et ipsius patriae desiderio et anhelatione dicit (*a*): *Beati, qui lugent;* praemium observantibus est: *ipsi consolabuntur.*

Quarta lex est de in vera iustitia permansione et exercitatione, dicens: *Beati, qui esuriunt et sitiunt iustitiam,* id est ut Deo, sibi et proximo, quod decet, fiat; praemium subiungit: quod tales *saturabuntur,* de qua dicit psalmus 16, 15: *Satiabor, cum apparuerit gloria tua.*

Quinta lex est de miseratione, dicens: *Beati misericordes;* subdit praemium: *quoniam ipsi misericordiam consequentur.*

Sexta lex est de pacis procuratione et in se pacis retentione, dicens: *Beati pacifici,* id est, qui pacem habent in se, et ut alii habeant, totis viribus faciunt; praemium eorum est: *quoniam filii Dei vocabuntur.*

Septima lex est de interna munditia et sui a peccato praeservatione, dicens: *Beati mundo corde;* praemium est: *quoniam ipsi Deum videbunt.*

Octava lex est de adversorum supportatione, dicens: *Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam;* praemium subdit: [*quoniam*] *ipsorum est regnum caelorum.* Et adverte, quod in praefatis ad observantiam legum dictarum cuilibet praemium annectit in generali, dicens observatores beatos, et deinde exprimit in particulari, dicens praemium competens cuilibet eorum, ut patet intuenti, ut ostendat, quod *in custodiendis illis retributio multa,* ut dicit psalmus 18, 12, ut praemio considerato ad observandum quilibet animetur.

Nona lex est de exempli exhibitione, ut videlicet: *Luceat lux vestra,* scilicet per operis virtuositatem; [coram] quibus? *coram hominibus;* quo fine? *ut glorificent Patrem,* qui scilicet fecit vos virtuosos.

Decima lex est de proximi informatione, [et hoc] dupliciter: primo opere, secundo verbo: *Qui fecerit sic,* inquit, *et docuerit, magnus vocabitur in regno caelorum.*

Undecima lex est de proximi dilectione, ut non solum non occidat, sed nec corde irascatur aut voce, dicendo *racha* seu fatue, eum turbet.

Duodecima lex est de fraterna reconciliatione, dicens: *Si offers munus tuum ad altare,* et sequitur: *Vade* [*prius*] *reconciliari fratri tuo* etc. Ratio, quia tale *sacrificium Deo* non placet, sed *cor humiliatum,* ut dicit psalmus 50, 19.

Decima tertia lex est de peccati vitatione, ut non solum opere, sed nec visu, respiciendo mulierem, ad eam concupiscendam homo inclinetur.

Decima quarta lex est de vitae ordinatione, dicens, quod, *si oculus scandalizat te vel manus,* et sic de aliis membris, amoveantur debita correctione.

Decima quinta lex est de verborum modesta et circumcisa locutione, dicens non solum: *Non iurare,* sed nec sermonem ultra *est, est: non, non* protelare (*b*).

Decima sexta lex est de debita iuratione; quia, cum aliquando liceat, ut Salvator dicit, tamen vane et sine causa non est faciendum.

Decima septima lex est de animi imperturbatione, ut, si inferantur adversa, non reddatur malum pro malo; et qui cum *in unam percusserit maxillam,* imperturbatus animo, *praebeat ei et alteram.*

Decima octava lex est de litis declinatione; ut *tunicam* det *et pallium dimittat,* ut a malo scilicet declinet, et angarianti eum per passus libenter eum concomitetur per iter.

Decima nona lex est de inimicorum adamatione; ut ipsos diligat corde, ore et opere, ut filius exsistat Patris caelestis.

Vigesima lex est de recta habenda intentione, dicens, ne faciat *iustitiam* suam *coram hominibus, ut videatur ab eis,* et eleemosynam et alia. — Supradicta habentur Matth. 5, 5 sqq. (*c*).

Vigesima prima lex est de oratione: quid cavendum? quia multiloquium; quid dicendum? *Pater noster, qui es in caelis,* ut habetur Matth. 6, 9.

(*a*) Edd. *dicens.* — (*b*) As *procelare.* — (*c*) As et edd. haec addunt paulo post.

Vigesima secunda lex est de totali affectione in caelo ponenda; quia *thesaurizate vobis in caelo;* et *ubi est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum,* Matth. 6, 20 sq.

Vigesima tertia lex est de tota fiducia in Deum proiectione, dicens, *neminem posse duobus dominis servire,* Matth. 6, 24.

Vigesima quarta lex est de falsi iudicii evitatione, dicens Matth. 7, 1 sq.: *Nolite iudicare, et non iudicabimini;* et qualiter? ibidem ostendit causam et modum.

Vigesima quinta lex est de divinorum absconsione; quae Deus nobis revelat, canibus non sunt tradenda (*a*) et porcis (*b*); et rationem ibi dicit Salvator.

Vigesima sexta lex est de divinae gratiae et misericordiae impetratione, dicens: *Petite et accipietis, date et dabitur vobis, quaerite et invenietis.*

Vigesima septima lex est de singulari conversatione; ut omnia faciant aliis, quae sibi ab aliis volunt rependi et fieri.

Vigesima octava lex est de poenitentiae operatione et exsecutione; per *angustam portam,* id est poenitentiam, intrare debemus, ut per eam ad vitam intremus aeternam.

Vigesima nona lex est de sollicita sui custoditione; *attendendo a falsis prophetis,* id est coopertis pallio et colore quocumque, ipsum decipere nitentibus.

Trigesima lex est de fidei sinceritate et firma permansione, dicens omnem talem sapientem, *qui domum suam supra petram* Christum locavit. — Praedicta habentur Matth. 7.

Trigesima prima lex est de sui abnegatione, dicens Matth. 16, 24: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum* etc.

Trigesima secunda lex est de sui perfecta imitatione, Matth. 11, 29 dicens: *Tollite iugum meum super vos, et discite a me; quia mitis sum et humilis corde* etc.

Trigesima tertia lex est de fraterna correctione, Matth. 18, 15: *Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum solum* etc.

Trigesima quarta lex est [de] bonorum concessorum a Deo proximo grata diffusione, Matth. 10, 8: *Gratis accepistis, gratis date.*

Trigesima quinta lex est de corporali debita recreatione, Matth. 10, 10: *Dignus est operarius mercede sua* etc.

Trigesima sexta lex est de providentia in agendis et ordinatione, Matth. 10, 16: *Estote ergo prudentes sicut serpentes* etc.

Trigesima septima lex est de fuga et absconsione, Matth. 10, 23: *Si vos persequentur in una civitate, fugite in aliam* etc.

Trigesima octava lex est de inverecundia (*c*) boni operatione, Matth. 10, 32: *Omnis, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo.*

Trigesima nona lex est de animatione ad bonum, Matth. 10, 40: *Qui vos recipit, me recipit et recipit eum, qui misit me* etc.

Quadragesima lex est de sanctifica hominis perfectione, Matth. 22, 21: *Reddite, quae sunt caesaris, caesari, et quae sunt Dei, Deo.*

Multae aliae leges possunt accipi, quibus homo ad perfectionem tendens ordinatur debite et regulatur. Et sic patet de legibus Salvatoris in generali.

3. Videndum est nunc secundo, quomodo in speciali suis legibus homines regulat diversorum graduum et statuum. Ordinat enim suis legibus: primo principes; dans eis legem, Matth. 22, 21, dicit: *Reddite, quae sunt caesaris, caesari, et quae sunt Dei, Deo.*

Secundo praesides; dans legem eis dicit, Matth. 5, 20: *Nisi abundaverit iustitia vestra plus quam scribarum et pharisaeorum, non intrabitis in regnum caelorum:* et item Matth. 6, 1: *Attendite, ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis* etc.

(*a*) Codex *tractanda.* — (*b*) As et edd. *peccatoribus.* — (*c*) As et edd. *inverecunda.*

Tertio iudices; dans eis legem dicit, Matth. 5, 17: *Non veni legem solvere, sed adimplere,* et Lucae 6 [1]: *Nolite secundum faciem iudicare, sed vero iudicio iudicate* etc.

Quarto iurisperitos; dans eis legem dicit, Matth. 5, 19: *Qui fecerit et docuerit, magnus vocabitur in regno caelorum,* et Matth. 10, 19: *Nolite cogitare, quomodo aut quid loquamini; dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini.*

Quinto consiliarios; dans eis legem dicit eis illud Matth. 5, 40: *Qui vult tecum in iudicio contendere et tunicam tuam tollere, da ei [et pallium].*

Sexto thesaurarios; dans legem dicit eis, Matth. 5, 42: *Qui petit a te, da ei, et volenti mutuare a te ne avertaris,* et Luc. 6, 36: *Estote misericordes, sicut et Pater vester caelestis misericors est.*

Septimo curiales; dans eis legem dicit eis illud Matth. 5, 48: *Estote perfecti, sicut et Pater vester caelestis perfectus est,* et Luc. 6, 30: *Omni petenti te tribue.*

Octavo milites; dans eis legem dicit illud Matth. 5, 39: *Ego dico vobis, non resistere malo,* et Matth. 10, 28: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere* etc.

Nono populares et plebeios; dans eis legem dicit illud Matth. 5, 44: *Diligite inimicos vestros* etc., et Matth. 12, 50: *Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, qui in caelis est, meus frater et soror et mater est,* et Matth. 6, 14: *Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet et vobis Pater vester caelestis peccata vestra* etc.

Decimo dominos per respectum ad servos; dans eis legem dicit illud Matth. 18, 27: *Misertus dominus servi, dimisit eum, et debitum dimisit illi,* et Matth. 20, 25 et 27: *Principes gentium dominantur eorum,* et sequitur: *Qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus* etc.

Undecimo servos per respectum ad dominos; dans eis legem dicit eis illud Matth. 10, 25: *Sufficit servo, ut sit sicut dominus eius,* et illud Luc. 12, 42 sqq.: *Quis putas est fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam? Beatus ille [servus], quem, cum venerit Dominus eius, invenerit sic facientem; super omnia bona sua constituet eum.*

Duodecimo patres ad filios; dans eis legem dicit illud Matth. 10, 37: *Qui amat filium aut filiam plus quam me, non est me dignus.*

Decimo tertio filios ad patres; dans eis legem dicit Matth. 15, 4: *Honora patrem tuum et matrem tuam* etc., et Matth. 10, 37: *Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus,* et Luc. 14, 26: *Si quis venit ad me et non odit patrem suum* etc., *non potest meus esse discipulus.*

Decimo quarto fratres ad invicem; dans legem eis dixit illud Matth. 5, 24: *Vade reconciliari fratri tuo* etc., et Matth. 23, 8: *Omnes vos fratres estis, et patrem nolite vocare vobis super terram.*

Decimo quinto coniuges; dans legem eis dicit illud Matth. 5, 27 sq.: *Non moechaberis,* et: *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam moechatus est eam in corde suo,* et Matth. 19, 6: *Quos Deus coniunxit, homo non separet,* et Matth. 5, 32: *Qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam moechari.*

Decimo sexto fideles; dans eis legem dicit illud Luc. 11, 34: *Lucerna corporis tui est oculus tuus* etc., et Luc. 6, 31: *Prout vultis, ut faciant vobis homines, et vos facite eis,* et c. 17, 6: *Si habueritis fidem ut granum sinapis* etc., *fiet vobis.*

Decimo septimo concives; dans eis legem dicit eis illud Matth. 5, 25: *Esto consentiens adversario tuo, dum es in via cum illo,* et Luc. 11, 17: *Omne regnum in se ipsum divisum desolabitur* etc.

Decimo octavo amicos; dans eis legem dicit illud Matth. 7, 12: *Quaecumque vultis, ut faciant vobis homines, ita et vos facite illis.*

---

[1] Habetur ad litteram Ioan. 7, 24.

Decimo nono socios; dans eis legem dicit illud Matth. 18, 9: *Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quamcumque petierint, fiet eis a Patre meo.*

Vigesimo viros provectos; dans eis legem dicit illud Matth. 10, 5: *In viam gentium ne abieritis*, et Luc. 12, 15: *Videte et cavete vobis ab omni avaritia* etc., et Luc. 21, 34: *Cavete vobis* etc.

Vigesimo primo mulieres devotas; dans eis legem dicit illud Luc. 10, 42: *Optimam partem elegit sibi Maria, quae non auferetur ab ea.*

Vigesimo secundo aetates; dans eis legem dicit [illud] Matth. 20, 1, quod hos *paterfamilias operarios ducit in vineam suam;* sed prae aliis parvulos commendat, Matth. 19, 14 dicens: *Sinite parvulos venire ad me; talium enim est regnum caelorum.*

Vigesimo tertio nobiles; dans eis legem dicit illud Ioan. 8, 39: *Nolite dicere: patrem habemus Abraham* [1] etc., et Matth. 23, 9: *Unus est pater vester* (*a*), *qui est in caelis.*

Vigesimo quarto divites; dans eis legem dicit illud Matth. 6, 24: *Non potestis Deo servire et mammonae*, et Matth. 5, 7: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur*, et Matth. 19, 21: *Si vis perfectus esse, vade et vende omnia, quae habes, et da pauperibus* etc.

Vigesimo quinto pauperes; dans legem pauperibus dicit Matth. 5, 3: *Beati pauperes spiritu* etc., et Luc. 6, 20: *Beati pauperes, quoniam vestrum est regnum Dei;* et se habere paupertatem asserit, Matth. 8, 20 dicens: *Vulpes foveas habent et volucres caeli nidos; Filius autem hominis non habet, ubi caput suum reclinet.*

Vigesimo sexto poenitentes; dans eis legem dicit illud Matth. 4, 17: *Poenitentiam agite* etc., et Matth. 9, 13: *Veni vocare peccatores ad poenitentiam* etc.

Vigesimo septimo peccatores; dans eis legem dicit eis illud Luc. 15, 10: *Gaudium est angelis Dei super uno peccatore poenitentiam agente*, et 18, 13: *Deus, propitius esto mihi peccatori* etc.

Vigesimo octavo nuptas; dans eis legem dicit eis illud Matth. 22, 30: Qui nubent, sint tanquam non nubentes [2].

Vigesimo nono viduas; dans eis legem dat exemplum viduae, Luc. 21, 2, ponentis *duo minuta in gazophylacium;* quia animam et corpus Deo debet tradere, ut habeat ab eo *fructum sexagesimum.*

Trigesimo virgines; dans eis legem dicit eis illud Matth. 19, 12: *Sunt eunuchi, qui se castraverunt propter regnum caelorum*, et Matth. 25, 1 sqq. exemplum et normam dat virginum prudentum.

Trigesimo primo prosperitatem habentes; dans eis legem dicit illud Luc. 6, 25: *Vae vobis, qui nunc ridetis, quoniam flebitis*, et Luc. 12, 20: *Miser, hac nocte* etc.

Trigesimo secundo adversitatem habentes et patientes; dans eis legem dicit illud Matth. 5, 10: *Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam* etc., et Luc. 6, 24: *Vae vobis, qui consolationem habetis.*

Trigesimo tertio sanos; dans eis legem dicit illud Ioan. 5, 14: *Ecce, sanus factus es, iam amplius noli peccare, ne deterius tibi contingat.*

Trigesimo quarto infirmos; dans eis legem dicit illud Matth. 5, 5: *Beati, qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur*, et Matth. 8, 7: *Ego veniam et curabo eum.*

Trigesimo quinto episcopos; dans eis legem dicit illud Matth. 5, 14: *Vos estis lux mundi*, et Matth. 10, 9: *Nolite possidere aurum, neque argentum* etc. (*b*), et Matth. 18, 15: *Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum* etc.

Trigesimo sexto clericos; dans eis legem dicit illud Matth. 16, 24: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum* etc., et Luc. 18, 1: *Oportet semper orare.*

(*a*) As *noster*. — (*b*) As om. *Nolite* sqq.

[1] Ad litteram Matth. 3, 9. — [2] Cfr. I Cor. 7, 29.

Trigesimo septimo religiosos; dans eis legem dicit illud Matth. 5, 33 [1]: *Solve Deo vota tua* etc., et Matth. 6, 16: *Cum ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritae tristes.*

Trigesimo octavo doctores; dans legem eis dicit illud Matth. 7, 21: *Non omnis, qui dicit mihi: Domine, Domine, intrabit in regnum caelorum, sed qui fecerit voluntatem Patris* etc., et Matth. 5, 19: *Qui fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno caelorum,* et Luc. 11, 52: *Vae vobis legis peritis* (*a*), *quia tulistis clavem sapientiae* etc., et Matth. 12, 35: *Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bona,* et Luc. 6, 45 idem.

Trigesimo nono scholasticos; dans eis legem dicit illud Matth. 7, 24: *Omnis, qui audit verba mea et facit ea* etc., et Luc. 6, 49 (*b*): *Qui audit et non facit, similis est homini aedificanti domum super terram sine fundamento* etc.

Quadragesimo maiores; dans eis legem dicit illud Luc. 14, 8: *Cum invitatus fueris ad nuptias, recumbe in novissimo loco* etc., et Matth. 20, 26: *Qui maior voluerit esse inter vos, erit vester minister.*

Quadragesimo primo activos; dans eis legem dicit illud Matth. 25, 40: *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.*

Quadragesimo secundo contemplativos; dans eis legem dicit illud Matth. 6, 28: *Considerate volatilia caeli* etc.

Quadragesimo tertio Christum sequi volentes; dans eis legem dicit eis illud Luc. 14, 33: *Nisi quis renuntiaverit omnibus, quae possidet, non potest meus esse discipulus* etc.

Quadragesimo quarto ad caelum ire cupientes; dans eis legem dicit illud Matth. 19, 17: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.*

Multae aliae leges Domini Salvatoris possunt ex sancto evangelio adduci ad ostendendum, omnem statum hominum et gradum suis legibus ordinari et regulari; sed praefatae sufficiant pro praesenti. Unde Salvator noster est ille *sapiens ecclesiastes, qui docuit populum et scripsit sermones rectissimos et veritate plenos,* Eccle. ultimo, 9 sq.; *et similis non est in legislatoribus,* Iob 36, 22. *Beatus homo, quem tu erudieris, Domine, et de lege tua docueris eum,* Ps. 94, 12.

Ex praefatis apparet declarata tam in generali quam in particulari prima pars istius IX fructus et conformitatis, videlicet: **Iesus legem dat populis.** Videndum est amodo de parte secunda, videlicet: **Franciscus regulator.**

Secunda pars noni fructus et conformitatis est:

Franciscus regulator.

Expositio.

Viso, quomodo Dominus et Salvator noster regulat generaliter et specialiter virtuose degere optantes et ad vitam aeternam pervenire, quod erat prima pars istius IX fructus, est nunc consequenter videndum de secunda parte, videlicet: *Franciscus regulator.* Ubi sciendum, quod, cum dictum sit in praecedentibus, beatum Franciscum fecundatum fuisse fratribus Minoribus, sororibus [sanctae Clarae] et hominibus fratribus et sororibus de poenitentia, et quia non decebat, tales esse absque regula (*c*), hinc est, quod divino Spiritu talibus sub Francisci regimine adunatis beatus Franciscus divino lumine illustratus praefatis regulas tribuit et modos (*d*) vivendi. Et quia distincti fuerunt tales, quibus beatus Franciscus fuit fecundatus, hinc est, quod ipse discretione praecipua

(*a*) As et edd. *doctores.* — (*b*) Codex *et Lucae 6 idem et Lucae 6.* — (*c*) As et edd. *lege debita et regula.* — (*d*) As et edd. *regulam et modum.*

[1] Cfr. Ps. 49, 14.

adornatus, sicut diversis, sic diversas regulas tribuit et modos vivendi: fratribus Minoribus altiorem et strictiorem, utpote apostolorum; sororibus vero, ut sexu inferioribus, dedit regulam mitiorem; at vero his de poenitentia, in mundo consistentibus et circa temporalia occupatis, pro ipsorum salute regulam statuit modis ipsorum utilem et congruentem. De quibus loquendum erit, sed principaliter de prima regula, videlicet data fratribus Minoribus, et deinde de aliis. Quibus declaratis, apparebit, quomodo beatus Franciscus fuit prudens praedictorum regulator et ordinator.

De prima regula succincte volendo loqui, ut appareat, qualis sit et quanta ipsius latitudo et perfectio, est notandum, quod regula fratrum Minorum, qualis [sit] et quam perfecta, ex pluribus potest perpendi.

1. Et primo, quia a Christo miraculose data et monstrata. Ubi sciendum, quod beatus Franciscus non statim abrenuntiato mundo, sumpsit regulam evangelicam in vivendo, immo per biennium stetit indutus habitu eremitico, portando corrigiam, calceamenta et baculum quendam in manibus [1]; attamen isto tempore ecclesias tres coepit erigere. Quo biennio completo, dum in quodam apostolorum festo missam de apostolis audiret et formam intelligeret datam apostolis a Christo in vivendo, ac apostolicae normae apostolis datae se per omnia coaptasset, ut dictum est fructu VIII praecedenti, et ex tunc coepisset poenitentiam verbo et facto (*a*) publice praedicare, cum multi eius praedicatione animati, et praecipue frater Bernardus de Quintavalle, mundum relinquere vellent et Christo deservire, cuius regulam deberent observare et accipere, scire cupientes, beatus Franciscus cum beato (*b*) Bernardo ad ecclesiam cathedralem accedentes, primo missam ab uno (*c*) bono sacerdote audientes, demum usque ad tertiam Dominum deprecantes, ut super hoc eis suum beneplacitum ostendere dignaretur, oratione completa, sacerdos ad rogamen beati Francisci, signo Crucis se muniens, missale aperuit et librum evangeliorum. In cuius apertione prima occurrit illud [2]: *Si vis perfectus esse, vade et vende omnia, quae habes, et da pauperibus;* in secunda apertione occurrit illud [3]: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam et sequatur me;* in tertia vero apertione occurrit illud [4]: *Nihil tuleritis in via.* Quibus auditis, ait beatus Franciscus ad fratrem Bernardum: « Haec est vita et regula nostra omniumque, qui nostrae societati voluerint coniungi ». Sic ergo edoctus caelitus pater beatus regulam evangelicam assumpsit [5].

Et cum fratres usque ad duodenarium numerum excrevissent, tunc beatus Franciscus illustratus caelitus de verbis evangelii quandam composuit regulam, paucis aliis superadditis, quae ad uniformem vivendi modum necessaria videbantur, praesupposita tamen pro fundamento indissolubili observantia sancti evangelii; ubi attentis, quae posuit, et beati Francisci ignorantia, quia idiota et simplex, proculdubio a Christo eidem exstitit revelata. Sic ergo miraculose est primo facta.

Non minus miraculose exstitit confirmata, quod ostendit: primo (*d*) visio beati Francisci de summo pontifice inclinando ad eius votum a Deo sibi demonstrata. Cum

(*a*) Edd. *factis.* — (*b*) Edd. *fratre.* — (*c*) As et edd. *quodam.* — (*d*) As *prima.*

[1] I Cel. 21. — [2] Matth. 19, 21. — [3] Matth. 16, 24 et Luc. 9, 23. — [4] Luc. 9, 3. — [5] De differentiis, quae habentur inter hanc et alias eiusdem facti relationes, cfr. supra pag. 179 not. 1.

enim socii ex simplicitate summi pontificis adire praesentiam formidarent, ipsi beato est patri visio monstrata arboris celsitudinis magnae; sub qua cum staret et eius celsitudinem miraretur, subito divina virtute tantum levabatur in altum, ut cacumen ipsius contingeret, eiusque summa facillime incurvaret ad ima; per quam summum pontificem intelligens et divina virtute ad se inclinari debere, confortatis sociis, ad dominum Innocentium III Romam cum sociis perrexit [1]. Visio etiam ostensa summo pontifici idipsum confirmat; qui multis negotiis occupatus, cum beatum Franciscum ante se constitutum cum sociis indignanter repulisset, revelatio est sibi facta de nocte de palma inter pedes suos paulatim succrescente, et in arborem elevari pulcherrimam; et divina luce edoctus, quod palma significaret illum pauperem, quem repulerat, de mane ipsum mandavit inquiri et ante eius praesentiam adduci [2]. Alia quoque visio praefato pontifici praeostensa [fuit] a Domino, videlicet de ecclesia Lateranensi ruinae iam proxima; quam quidam homo pauperculus, modicus et despectus, proprio dorso submisso, ne caderet, sustentabat; per pauperem illum beatum Franciscum intelligens, quae postulavit, cuncta concessit [3]. Approbavit regulam ipsam sed non cum bulla, dedit de poenitentia praedicanda mandatum et ipsum semper speciali amore dilexit. Sic ergo, consideratis omnibus, [videlicet] regulae inscriptione, papae condescensione et divina praemonitione (*a*), miraculose a Christo prima regula est data.

Verum, cum dilatato iam ordine, vivendi formam per dominum Innocentium approbatam, quia videbat eam prolixam cuperetque ad breviorem formam reducere et per dominum Honorium III, qui Innocentio successerat, in perpetuum facere roborari, ad hoc faciendum mira visione a Deo fuit praemonitus. Videbatur enim sibi micas panum subtilissimas collegisse, multisque famelicis fratribus ipsum circumstantibus debere tribuere; sed quia propter earum tenuitatem, ne inter manus exciderent, dare formidaret, vox desuper est ei facta dicens: « Francisce, unam de micis omnibus hostiam facito, et manducare volentibus tribue ». Quo faciente, quicumque non devote recipiebant aut receptum contemnebant donum, mox lepra infecti notabiles apparebant. Sed cum visionem praefatam beatus Franciscus minime intelligeret, cum vigil esset in oratione, vocem de caelo dilapsam audivit dicentem: « Francisce, micae noctis praeteritae verba sunt evangelica, hostia regula, lepra iniquitas ». Qua visione beatus Franciscus admonitus, assumptis duobus sociis, fratre videlicet Leone et fratre Bonizo de Bononia, ad montem Fontis Polumbae iuxta Reate perrexit; ubi pane tantum contentus et aqua, ieiunans, regulam fecit scribi, secundum quod oranti sibi divinus Spiritus suggerebat. Quam cum de monte descendens servandam fratri Eliae suo vicario tradidisset, ille, ea perlecta cum sibi non placeret, ipsam destruxit dicens, se per incuriam eam amisisse. Sed iterato vir sanctus ad montem rediens praefatum et ieiunans eamque instar prioris, acsi ex ore Dei verba susciperet, illico reparavit, et per dominum Honorium octavo sui Pontificatus anno, ut optaverat, obtinuit confirmari. Sic ergo visione micarum et hostiae et intelligentia ipsarum, institutione regulae primo cum reparatione eiusdem facta secundario, apparet inspicienti regulam Minorum miraculose factam et ab ipso (*b*) beato Francisco monstratam [4].

(*a*) As *praemotione*. — (*b*) Edd. *a Christo ipsi*.

[1] I Cel. 33. — [2] Cfr. *Chron. 24 gen.*, pag. 365. — [3] II Cel. 1, 11. — [4] Cfr. Bonav., *Leg. mai.*, c. 4 n. 11.

2. Praeclaritas regulae apparet secundo, quia a Christo instituta et ordinata. Ubi sciendum, quod, cum beatus Franciscus regulam vicario suo traditam et amissam iterato vellet reparare, frater Elias, qui regulam viderat et tenorem sciebat, ministris notificavit, beatum Franciscum talem regulam velle facere; qui ad ipsum congregati inducebant fratrem Eliam, ut beati Francisci vicarium, quod ad beatum Franciscum iret et sibi diceret pro parte ipsorum, quod regulam ipsam faceret pro se et non pro eis; quia ad ipsam nolebant esse obligati. Sed frater Elias timens beati Francisci reprehensionem respondit, quod ire nolebat; sed instantibus illis, quod iret, dixit, se nolle ire sine ipsis; et tunc omnes simul iverunt. Cumque esset frater Elias prope locum, ubi erat beatus Franciscus, vocavit frater Elias beatum Franciscum; quo respondente et vidente praedictos ministros, dixit beatus Franciscus: « Quid volunt isti fratres »? Et frater Elias respondit: « Isti sunt ministri, qui audientes, quod facis novam regulam, et timentes, quod facias eam nimis asperam, dicunt et protestantur, quod nolunt esse obligati ad eam; facias pro te et non pro eis ». Quo audito, vertit faciem suam beatus Franciscus ad caelum et loquebatur Christo sic: « Domine, nonne bene dixi tibi, quod ipsi non crederent mihi »? Tunc audierunt omnes vocem Christi respondentis in aere: « Francisce, nihil est in regula de tuo, sed totum est meum, quidquid est ibi. Et volo, quod regula sic servetur ad litteram, ad litteram, ad litteram, sine glossa, sine glossa, sine glossa ». Et addidit Christus: « Ego scio, quantum potest humana fragilitas, et quantum volo eos iuvare; qui ergo nolunt eam servare, exeant de ordine ». Et tunc beatus Franciscus vertit se ad illos fratres et dixit eis: « Audistis? Audistis? Vultis, quod iterum faciam vobis dici »? Tunc ministri se ipsos inculpantes confusi et territi recesserunt [1]. Quibus verbis non solum patet, quod regula nostra est a Christo instituta (*a*), sed etiam primum praemissum, quod ab ipso beato Francisco est data et monstrata. Sed istud secundum clarius patebit ex dicendis, ubi ostendetur, quomodo ipse Christus multos, ut istum ordinem introirent, clementer induxit. Sic ergo apparet ex dictis, quali modo est confecta regula nostra, quam profitemur, quia scilicet ieiunio et oratione; quali in loco, quia in monte; quali auctore, quia videlicet Domino Iesu Christo eam beato Francisco revelante; unde ad instar legis Moysi ieiunio [in] monte et Deo dictante facta est et data. Et sicut lex evangelica, de qua est regula ista, ut statim dicetur, confecta et ordinata, promulgata est a Christo stante, sedente et docente in monte, Matth. 5, 1, sic regula fratrum Minorum facta est a beato Francisco stante et residente in monte, et Christo sibi eandem revelante. Patet etiam ex praefatis ipsius regulae praeeminentia et excellentia; quia Christo dictante, Francisco orante et ieiunante, facta habitaque, et Christo inclamante de caelo, se eam fecisse et sic velle (*b*) stare, veridice declarante.

Quare nullus ipsam debet infamare ut inobservabilem, sicut faciunt plerique; quia Christus, qui omnia novit et quantum potest homo, ipsam ordinavit et sic esse voluit. Nullus eam suspectam debet habere velut falsam, aut hominem non valentem ad perfectionem deducere; quia Christus, perfectionis caput, ipsam composuit, et dictavit.

(*a*) As et edd. addunt *et ordinata*. — (*b*) Codex *vult*.

---

[1] Quae sec. Ubertinum Casal., *Arbor vitae crucifixae Iesu* (fol. E III a), et Angelum Clarenum, *Exp. regulae* (cfr. Documenta ant. franc., t. I pag. 101), retulit frater Leo.

Nullus debet eam abiicere, sed reverentia summa affici ad ipsam, considerato auctore, scilicet Christo, reseratore, scilicet Francisco, et scriptore socio sancto, scilicet fratre Bonizo vel Leone. Nullus debet dubitare, eam non esse a Christo factam (*a*); quia coram tot ministris et fratribus Christus se eam fecisse asseruit, et beatum Franciscum nihil in ea de suo posuisse.

Unde papa Honorius, qui eam confirmavit, cum de uno capitulo regulae cum beato Francisco loqueretur, respondit beatus Franciscus: « Ego verba illa in regula non posui, sed Christus, qui omnia utilia et necessaria saluti animarum ac fratrum et bono statui et conservationi religionis melius novit, cuique omnia, quae ventura sunt in ecclesia et religione nostra, patent et praesentia sunt. Non ergo debeo, non possum Christi verba mutare [1] ». Quapropter beatus Franciscus ad regulae observantiam inducendo fratres dixit, se in regula nihil posuisse secundum industriam propriam, sed omnia sic scribi fecisse, sicut sibi fuerant divinitus revelata.

De hac siquidem regula, testantibus fratribus Bonizo et Leone, qui fuerunt in monte, quando beatus Franciscus eam habuit a Christo, et quando papa Honorius eam confirmavit, papa ipse Honorius dixit: « Beatus ille, qui gratia Dei roboratus hanc regulam fideliter et devote servaverit; quoniam omnia, quae in ea scripta sunt, sancta et catholica sunt et perfecta [2] ».

Patet ergo, quomodo a Christo regula nostra est ordinata.

3. Qualis sit regula nostra patet tertio, quia ipsa est in sancto e v a n g e l i o f u n d a t a; quod patere potest, tam de prima regula, quae tota est, ut intuentibus apparet, ad litteram de evangelio sumpta, quam de secunda; etsi in secunda non omnia verba ad litteram de evangelio sint, sententialiter tamen ab evangelio est extracta, sicut clare patet inspicienti regulam et sanctum evangelium in quatuor evangeliis (*b*) contentum et expressum. Et, ut hoc videatur, videnda sunt capitula regulae succincte, et quomodo ab evangelio sint extracta.

Primum regulae capitulum

est « Regula et vita etc., vivendo in obedientia »; hoc extrahitur ab illo loco Matth. 16, 24: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum* etc. « Sine proprio » sumitur ab illo verbo Matth. 19, 21: *Si vis perfectus esse, vade et vende omnia, quae habes* etc., et Matth. 19, 27: *Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te* etc. « In castitate », hoc sumitur ex Matth. 19, 12: *Sunt eunuchi, qui se castraverunt propter regnum caelorum*, et ex illo Luc. 14, 26: *Si quis venit ad me, et non odit patrem suum* etc., *uxorem* etc. « Frater Franciscus promittit obedientiam et reverentiam (*c*) domino papae », sumitur hoc ex illo loco Matth. 16, 18: *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam*, et Ioan. 21, 17: *Petre, pasce oves meas*, et Matth. 23, 3: *Quaecumque vobis dixerint, facite* etc. *Nolens obedire imperio sacerdotis moriebatur*, Deut. 17, 12. « Successoribus eius canonice » etc. sumitur ex

(*a*) As et edd. om. *factam.* — (*b*) As et edd. *evangelistis.* — (*c*) As et edd. om. *et reverentiam.*

[1] Refert Angelus Clar., *Historia septem tribulationum ordinis Minorum* (cfr. Archiv für Litteratur — und Kirchengeschichte des Mittelalters, t. III pag. 601), et *Exp. regulae* (cfr. cap. « De intentione sancti Francisci circa observantiam regulae » in Opuscules de critique hist., t. I pag. 90). — [2] Cfr. notam praecedentem.

illo loco Ioan. 10, 1: *Qui ascendit aliunde, fur est et latro* etc. « Ecclesiae Romanae » sumitur ex illo loco Luc. 22, 32: *Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua.*

Secundum regulae capitulum.

« Si qui voluerint hanc vitam etc., mittant eos » etc., exemplo Christi mittentis leprosos ad sacerdotes, ut patet in multis locis evangelii. « Ministros », hoc nomen « minister » sumitur ex illo loco Matth. 23, 11: *Qui maior est vestrum, erit minister vester*, et Luc. 22, 27: *Ego in medio vestrum sum sicut qui ministrat.* « Diligenter examinent » etc. sumitur ex illo Ioan. 9, 35: *Credis tu in Filium Dei?* et Ioan. 11, 26: *Credis hoc?* ait Dominus Marthae. « Usque in finem » etc. sumitur ex illo Matth. 10, 22: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* « Uxores [non habent vel si] habent » sumitur ab illo Luc. 14, 26: *Si quis venit ad me et non odit patrem et uxorem*, et Matth. 19, 29: *Qui reliquerit domum, uxorem* etc. « Vadant et vendant » sumitur ab illo Matth. 19, 21: *Vade et vende omnia, quae habes, et da pauperibus* etc. « Ne solliciti sint » etc. sumitur ex illo Matth. 6, 25 et 34: *Nolite solliciti esse animae vestrae* etc., et: *Nolite solliciti esse de crastino.* « Mittens manum ad aratrum », hoc habetur Luc. 9, 62. « Habeant unam tunicam » sumitur ex illo Luc. 9, 3 et Matth. 10, 10: Dominus apostolis mandavit, ut non haberent *duas tunicas* etc. « Anno probationis » trahitur exemplo ficulneae, quam Dominus incidi mandaverat etc., Matth. 21, 19 sqq. « Vestimentis vilibus » sumitur ex illo Matth. 11, 8: *Qui mollibus vestiuntur in domibus regum sunt.* « Et possint portare calceamenta » sumitur ex illo Marc. 6, 9, quod apostoli habebant sandalia. « Non iudicent » sumitur ex illo Matth. 7, 1 et Luc. 6, 37: *Nolite iudicare* etc. « Sed iudicent semetipsos », ex illo exemplo publicani, qui *oculos non audebat* ad caelum levare, dicentis[1]: *Deus, propitius esto mihi peccatori* etc., et Matth. 6, 12: *Dimitte nobis debita nostra* etc.

Tertium regulae capitulum.

« Clerici faciant divinum officium » sumitur ex illo Matth. 4, 10: *Dominum Deum tuum adorabis et illi soli servies*, et ex illo Matth. 21, 9: *Pueri in templo clamabant: Hosanna* etc., et cum Petro laudem debemus dicere: *Tu es Christus Filius Dei vivi*, Matth. 16, 16. « Dicant: *Pater noster* », hoc sumitur Matth. 6, 9: *Cum oraveritis, dicite: Pater noster* etc. « Ieiunent » sumitur exemplo Christi, qui ieiunavit, Matth. 4, 2, et ex illo Matth. 17, 20: *Hoc genus daemoniorum eiicitur ieiunio et oratione.* « Tempore manifestae necessitatis » sumitur ex illo Matth. 12, 1, quod discipuli necessitate *spicas vellebant* etc., quod alias non licuisset. « Non litigent » sumitur ex illo Matth. 5, 39: *Ego autem dico, non resistere* etc. « Neque contendant verbis » sumitur ex illo Matth. 5, 40: *Qui vult contendere tecum* etc., *dimitte* etc. « Nec alios iudicent », hoc habetur, ut dictum est, Luc. 6, 37, et Matth. 7, 1. « Sed sint mites », Matth. 5, 4: *Beati mites;* « pacifici », Matth. 5, 9: *Beati pacifici;* « mansueti », ex illo Matth. 27, 13: *Non audis, quanta adversum te dicunt testimonia?* etc. *Iesus non respondit* etc.; « humiles », Matth. 11, 29: *Discite a me; quia mitis sum et humilis* etc.; « honeste » etc. sumitur exemplo Christi, qui *in medio doctorum* stabat, et mirabantur *super doctrina et responsis eius*[2]. « Non debeant equitare »

[1] Luc. 18, 13. — [2] Luc. 2, 46 sq.

sumitur ex illo Ioan. 4, 6: *Iesus fatigatus ex itinere* non equitavit, sed *sedebat super fontem;* nec equum ascendit, dum venit Ierusalem, sed asinam, Matth. 21, 5. « Dicant: Pax huic domui » ad litteram habetur Luc. 10, 5. « De omnibus cibis » etc. habetur Luc. 10, 7.

Quartum regulae capitulum.

« Praecipio firmiter... denarios vel pecuniam » etc. sumitur ex Matth. 10, 9 et Luc. 9, 3: *Nolite possidere aurum neque argentum* etc. « Ministri », ut supra Matth. 20, 26 et Luc. 22, 26 sq. « Custodes » habetur ex illo Luc. 10, 33 sqq.: Samaritanus, qui custos interpretatur, habuit curam de vulnerato, et Ioan. 17, 12: *Quos dedisti mihi custodivi, nec perdidi* etc. « Praeter denarios vel pecuniam », ab illo Luc. 22, 35 sq.: *Quando misi vos per mundum* etc., *nunquid aliquid defuit vobis? Dixerunt: nihil.*

Quintum regulae capitulum.

« Fratres, quibus dedit Dominus gratiam laborandi, laborent », ab illo Matth. 20, 6: *Quid hic statis tota die otiosi? Ite in vineam meam* etc. « Sanctae orationis », Luc. 18, 1: *Oportet semper orare,* et Matth. 26, 41: *Orate et vigilate* etc. « Spiritum non exstinguant », ex illo Ioan. 4, 24: *In spiritu oportet eum adorare* etc. « Cui temporalia etc. », ex illo Matth. 6, 33: *Primum quaerite regnum Dei* etc. « De mercede laboris recipiant », ex illo Matth. 10, 10: *Dignus est operarius mercede sua.*

Sextum regulae capitulum.

« Fratres nihil sibi approprient » etc. sumitur ex illo Matth. 8, 20, scilicet Christi dicentis: *Vulpes foveas habent* etc.; *filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet.* « In paupertate », Matth. 5, 3: *Beati pauperes spiritu;* « humilitate », *Si quis humiliaverit se sicut parvulus iste* etc., Matth. 18, 4. « Pro eleemosyna confidenter » sumitur exemplo Christi, qui in triduo, quo in templo fuit, stipem ostiatim quaesivit, ut dicit Bernardus [1]; etiam ipse (*a*), beata Maria et apostoli pro eleemosyna iverunt, ut dicit beatus Franciscus in prima regula [2], et de eleemosynis vixerunt. « Se fecit pauperem », Ps. 87, 16: *Pauper sum ego* etc., Matth. 8, 20: *Ubi caput reclinaret, non habuit.* « Haec celsitudo heredes », Matth. 19, 29: *Centuplum accipietis et vitam aeternam* etc. « Reges », Luc. 22, 29: *Ego dispono vobis regnum* etc. « Nihil in perpetuum habere », Matth. 10, 9 et Luc. 9, 3: *Nolite possidere aurum* etc. « Diligere », Ioan. 13, 35: *In hoc cognoscent omnes, quod discipuli mei eritis, si dilectionem habebitis* etc., et Luc. 22, 32: *Tu aliquando conversus confirma fratres tuos,* qui sunt fratres spirituales. « Debent ei servire », hoc sumitur Matth. 7, 12: *Omnia ergo, quaecumque vultis, ut faciant vobis homines, et vos facite illis.*

Septimum regulae capitulum.

« Si qui fratrum, instigante », hoc sumitur ex Matth. 17, 14 sqq., ubi ponitur, quod Dominus graviora daemonia suae curationi reliquit, ut patet de lunatico, quem discipuli curare non potuerunt. « Cum misericordia iniungant », habetur ex illo Matth.

(*a*) As et edd. *ipsa*.

---

[1] *Tractatus de Iesu puero duodenni* Alfredi Abbatis Rievallis (inter Opera S. Bern., P. L. t. 184, col. 853), n. 6. — [2] C. 9 (ed. ad Claras Aquas, pag. 37).

9, 13: *Discite, quid est: misericordiam volo* etc., sequitur: *Veni vocare peccatores* etc., et Ioan. 8, 11: *Vade et amplius noli peccare.* « Si presbyteri non sunt, iniungi faciant » etc., hoc ex illo accipitur Matth. 21, 23 sqq., quod solis apostolis, quos sacerdotes fecerat etc., et Matth. 26, 19, dedit potestatem ligandi atque solvendi. « Ne irascantur » etc. ex illo Luc. 4, 29 accipitur, quod irati pharisaei et caritatem non habentes Dominum praecipitare voluerunt.

Octavum regulae capitulum.

« Universi fratres », hoc accipitur ex illo Ioan. 10, 6: *Fiet unum ovile et unus pastor,* et Matth. 23, 10: *Magister vester unus est Christus;* ne per oppositum dicatur illud Luc. 11, 17: *Omne regnum in se ipsum divisum desolabitur* etc. « Servum totius » etc. sumitur ex illo Matth. 23, 11: *Qui maior est vestrum, erit minister vester.* « Firmiter obedire », ex illo Ioan. 6, 38: *Descendi de caelo, non ut faciam voluntatem meam, sed eius, qui misit me.* « Insimul convenire » ex illo Luc. 10, 17 habetur: *Reversi sunt septuaginta cum gaudio* etc. « Ad communem utilitatem fratrum » ex illo, quod habetur Matth. 25, 26 et 28: *Serve male et piger;* sequitur: *Tollite ab eo talentum* etc.

Nonum regulae capitulum.

« Fratres non praedicent » etc., hoc habetur Matth. 10, 11 et Luc. 10, 10: « *Qui non susceperint vos, exite inde* etc., et Matth. 5, 39: *Non resistere malo* etc. « Et nullus fratrum populo » etc., ab exemplo Ioannis Baptistae, Luc. 3, 2, super quo *factum est verbum Domini,* et tunc venit ad praedicandum, et Luc. 3, 21 et Matth. 3, 16: baptizatus Iesus et Spiritu sancto plenus et, postquam ieiunavit, incepit praedicare. « Examinata », Matth. 15, 14: *Si caecus caeco ducatum praestet* etc.; « et casta » etc., ex illo Matth. 12, 35: *Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bona* etc., et Matth. 15, 19: *De corde exeunt cogitationes malae* etc. « Ad utilitatem et aedificationem populi », ex illo Matth. 10, 5 sqq.: *Iesus misit eos praedicare et curare infirmos* etc. « Annuntiando », hoc accipitur ex serie omnium evangeliorum, sed specialiter « virtutes », Matth. 5, 3 sqq. et Luc. 6, 27 sqq.; « vitia », Matth. 23, 3 sqq.; « poenam et gloriam », Matth. 25, 34 sqq.

Decimum regulae capitulum.

« Fratres, qui sunt ministri, moneant », hoc habetur Matth. 18, 15: *Corripe inter te et ipsum solum* etc. « Non praecipientes » etc., hoc habetur Matth. 23, 4: *Imponunt onera importabilia super humeros hominum* etc., et Matth. 6, 25: *Anima plus est quam corpus* etc., et Matth. 24, 23 et 26: *Si quis vobis dixerit, ecce, hic est Christus aut illic, nolite credere; ecce, in deserto est, nolite exire; ecce, in penetralibus, nolite credere,* et Matth. 15, 2 sq.: *Quare discipuli tui transgrediuntur traditiones seniorum? Respondit Iesus: Quare et vos transgredimini mandata Dei* etc. « Unde firmiter praecipio », ab illo Matth. 7, 21: *Qui fecerit voluntatem Patris mei* etc. « In omnibus, quae promiserunt » etc. habetur Matth. 5, 33: *Redde Deo vota tua.* « Ad suos ministros » sumitur exemplo centurionis, qui ad Christum accedens non fuit repulsus, sed susceptus, Matth. 8, 13. « Nam ministri sint servi » ex illo Matth. 23, 11 [accipitur]: *Qui maior est vestrum, erit servus* omnium (*a*). « Caveant ab

(*a*) As et edd. *vester.*

omni superbia » ex Matth. 23, 6 accipitur: *Amant primos accubitus* etc.; « vana gloria », ex illo Matth. 6, 2: *Canunt tuba* etc., et cap. 23, 5 et 8: *Omnia opera sua faciunt* etc.; et sequitur: *Vos autem nolite vocari ab hominibus: rabbi* etc.; « invidia », ex illo Matth. 23, 13: *Vae vobis*, et sequitur: *Qui clauditis caelum* etc.; « avaritia », ex illo Luc. 6, 38: *Date, et dabitur vobis*, et Matth. 19, 23: *Dives difficile intrabit in regnum caelorum*, et Luc. 6, 24: *Vae vobis, divites* etc.; « cura et sollicitudine » etc. habetur ex Matth. 6, 31: *Nolite solliciti esse* etc.; « detractione », ex illo Matth. 9, 34: *In principe daemoniorum eiicit daemonia*, et Matth. 12, 37: *Ex verbis tuis iustificaberis, et ex verbis tuis condemnaberis* etc.; « et murmuratione », ex illo Matth. 20, 11 sqq.: *Murmurabant adversus patremfamilias*, et sequitur reprehensio: *Amice, non facio tibi iniuriam* etc. *An oculus tuus nequam est* etc. « Nescientes litteras », ex exemplo apostolorum, qui illiterati fuerunt ex studio humano, et tamen Deus dedit eis sensum, ut intelligerent scripturas, Luc. ultimo, 45. « Spiritum Domini », ex illo Ioan. 15, 26: *Mittam vobis a Patre spiritum veritatis*, et sequitur [1]: *Docebit vos omnia.* « Sanctam operationem » habetur ex illo Ioan. 6, 27: *Operamini cibum, qui non perit, sed qui permanet in vitam aeternam.* « Orare », Matth. 24, 20: *Orate, ne fiat fuga vestra* etc., et Luc. 18, 1: *Oportet semper orare et non deficere.* « Puro corde », ex illo Matth. 5, 8: *Beati mundo corde; quoniam ipsi Deum videbunt.* « Habere humilitatem », ex illo Luc. 14, 13: *Qui se humiliat, exaltabitur*, et Luc. 2, 52: *Exaltavit humiles.* « Patientiam », ex illo Luc. 21, 19: *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* « In persecutione », ex illo Matth. 5, 10: *Beati, qui persecutionem patiuntur* etc. « Diligere », Matth. 5, 44: *Diligite inimicos.* « Qui autem perseveraverit » Matth. 10, 22 habetur.

Undecimum regulae capitulum.

« Praecipio firmiter fratribus, ne habeant suspecta consortia vel consilia mulierum » ex illo Matth. 5, 28 accipitur: *Si quis viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam moechatus est eam in corde suo*, et Matth. 6, 22 et 18, 9: *Si oculus tuus simplex fuerit* etc. « Ne scandalum », ex illo Matth. 18, 7: *Vae homini illi, per quem scandalum venit* etc.

Duodecimum regulae capitulum.

« Quicumque divina inspiratione voluerint ire inter infideles » etc. ex illo sumitur Matth. 10, 16: *Ecce, ego mitto vos sicut oves in medio luporum*, et Christus, sicut ibidem habetur, elegit duodecim apostolos et misit eos praedicare etc., et Luc. 10, 1: *Designavit Dominus et alios septuaginta duos* etc. Et ideo dicitur: « Qui divina inspiratione voluerint ire », iuxta illud Marc. 16, 15: *Ite in mundum universum et praedicate* etc. « Nisi quos viderint idoneos » etc. Christi exemplo sumitur, qui (*a*) non omnes misit, sed primo duodecim apostolos, et demum septuaginta duos alios discipulos, et fructus talium dicitur Matth. 10, 32: *Qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo.* « Petant a domino papa », ex dicto Matth. 7, 7: *Petite, et accipietis*, et Ioan. 16, 23: *Quidquid petieritis Patrem*

(*a*) As et edd. *quia*.

[1] Ioan. 14, 26.

in nomine meo, dabit vobis. « Stabiles in fide », ex illo Matth. 9, 22: *Fides tua te salvam fecit,* et fundantes *domum supra firmam petram* [1]. « Quae promisimus, observemus », ex Matth. 5, 33: *Reddes autem Deo vota tua.*

Ex multis aliis verbis evangelii praedicta de regula possent (*a*) dici assumpta, sed sufficiant praefata. Ex dictis ergo apparet, quod regula fratrum Minorum de evangelio est extracta. Et quod sic sit, patet auctoritate ecclesiae in decretali (*b*): « *De verborum significatione,* « Exiit » [2]; et sunt verba domini papae Nicolai III in declaratione regulae, ubi sic dicitur de regula fratrum Minorum: « Ipsa est evangelico fundata eloquio, vitae Christi roboratur exemplo, ac fundatorum militantis ecclesiae apostolorum sermonibus actibusque firmatur », quo testimonio nihil maius. Ut ipsa Minorum regula tota ostenderetur evangelica, in principio habetur: « Regula fratrum Minorum et vita est, Domini nostri Iesu Christi sanctum evangelium observare »; in fine etiam ponitur: « Sanctum evangelium Domini nostri Iesu Christi, quod firmiter promisimus, observemus ». Unde haec regula prae omnibus aliis est differens in hoc, quia nulla sic incipit nec sic terminatur ut ista, ut detur intelligi, quod nulla est sic evangelica, ut haec regula benedicta.

Ad ostendendum, quod ipsa sit vita apostolorum et consequenter Domini Iesu, sicut duodecim fuerunt apostoli, sic in ipsa duodecim sunt capitula; et sicut septuaginta duo fuerunt Christi alii discipuli, ut habetur Luc. 10, 1, sic septuaginta duo versus sunt in regula beati Francisci. Quibus merito patet, quod ipsa est vita Christi et apostolorum ac in sacro fundata eloquio. Et ideo dixit beatus Franciscus in suo testamento, quod Deus revelavit sibi, quod vivere deberet secundum formam sancti evangelii, sicque voluit, ut facerent alii fratres. Et dixit ipse beatus Franciscus contra quosdam ordinis ministros, non credentes se teneri ad observantiam perfectionis evangelii, immo, ut sciant omnes fratres se teneri ad observandam perfectionem evangelii: « Volo, quod in principio et in fine regulae sit scriptum, quod fratres teneantur sanctum evangelium Domini nostri Iesu Christi firmiter observare. Et ut fratres semper sint inexcusabiles, ex quo eis annuntiavi et annuntio ea, quae Dominus pro salute mea et sua posuit in ore meo, volo ipsa ostendere operibus coram Deo et, ipso cooperante, in perpetuum observare » [3]. Unde ipse ad litteram totum evangelium observavit a principio, ex quo coepit habere fratres, usque in diem mortis.

Sed an [ad] totam observantiam sancti evangelii teneantur fratres, dicetur statim.

4. Quarto, regula nostra est ab ecclesia per summos pontifices approbata. Dominus Innocentius III primam regulam approbavit, sed non cum bulla. Dominus vero Honorius, dicens regulam a domino Innocentio III approbatam, ipsam confirmavit et de hoc bullam fieri mandavit. Dominus Nicolaus III regulam, approbatam et confirmatam ab Honorio III et bullatam, ipse confirmavit et approbavit, et ipsam regulam declaravit, quae declaratio in VI habetur decretalium, sub titulo *De verborum significatione,* « Exiit » [4]. In signum vero approbationis ulterioris est declaratio ipsius regulae per summos pontifices, videlicet Gregorium IX, Innocentium IV, Alexandrum IV [5], Ni-

(*a*) Edd. *praedicta regula posset.* — (*b*) As et edd. *decretalibus.*

[1] Matth. 7, 24. — [2] C. 3 in VI. 5. 12. — [3] Cfr. Fr. Leo, *S. P. N. Francisci intentio regulae,* n. 6 (Documenta ant. franc. t. I pag. 88). — [4] Cfr. supra not. 2. — [5] Cfr. infra pag. 383 not. 1.

colaum III, Clementem V et Ioannem XXII, de quibus statim dicetur; qui regulam declarantes eam per ecclesiam solemniter approbatam ostenderunt. Ac privilegiorum multiplici communitione et exemptione eam observantium hoc adstruitur evidenter.

5. Qualis sit ipsa regula, patet quinto, quia est per summos pontifices declarata, ut dictum est; dicti summi pontifices eam declaraverunt, aliqui plura capitula seu passus et aliqui pauciora, prout ostendam nunc, in hoc videlicet passu.

Verum, quia multa alia sunt in regula, quae expositione indigent, quae per dictos pontifices non sunt declarata nec tacta, et tempore fratris Aimonis generalis, custos Parisiensis, videlicet frater Gaufredus, cum quatuor magistris, scilicet Alexandro de Halis, Ioanne de Rupella, Roberto de Bascia et Rigaldo, regulam ipsam quoad aliqua declararunt. Magister etiam Ioannes Peccian, qui fuit postea archiepiscopus Cantuariensis, in sua *Apologia*, c. 10 declaravit (*a*). Frater Ugo, sanctus frater de Digna provinciae Provinciae, praefatorum quatuor magistrorum innixus declarationi, regulam totam exposuit, declarationibus papalibus tempore suo editis adiunctis [1]. Hinc est, quod in expositione aliquali regulae et declaratione primo summorum pontificum est ponenda declaratio, et demum in aliis passibus dictorum expositio.

Sed ante pro aliquali regulae declaratione et dicendorum est sciendum, quod vita evangelica, etsi a Christo instituta et per apostolos et discipulos eius fuerit perfectissime observata, faciente satore malorum, oblitterata manebat in mundo. Hinc est, quod Iesus Christus Patri supplicavit, ut sibi aliqui darentur, qui essent crucis suae baiuli, id est vitae suae perfecti imitatores; cui Pater annuens Franciscum dedit cum suo ordine, ut de hoc dictum est supra fructu II et conformitate [2]. Quare volens Christus Salvator suam vitam et passionem mundo declarare et renovare Franciscum cum suo direxit ordine; qui crucis Christi, id est vitae ipsius, assumpto vexillo, in mundum progredientes, vitam pro observantia assumpsisse (*b*) evangelicam, prout praefata ostendunt, ipsamque primo operibus, demum verbis mundanis patefacere studuerunt. Et ut indubia fides beato Francisco principaliori daretur a cunctis, etsi praevia revelatione de assumptione vitae evangelicae a Christo fuerit praemonitus, post tamen susceptionem vitae evangelicae bulla stigmatum Christi ab ipso est consignatus, ut post ipsius vitam et regulam ire tutissimum a fidelibus putaretur et teneretur. Quod, cum crucifixio Salvatoris in fine vitae suae sit facta, ac vitae Christi perfectio sit in crucifixione compendiose reserata, beatique Francisci stigmatizatio sit facta iuxta finem vitae suae et post regulae confirmationem et institutionem, loquendo de regula, de qua ad praesens est sermo, indicium est, beatum Franciscum evangelium et vitam Christi servasse, et in ipsa regula talia praefata posuisse et descripsisse.

Arguit idipsum amor et affectus, quae (*c*) ipse Christus habuit et habet ac ostendit ad hunc ordinem, sicut infra in hoc fructu tangetur. In fornace huius mundi cum tota universitate fidelium, per tres pueros designatorum (*d*), fidem sanctae Trinitatis habentes, stant tres ordines, et quartus adiungitur; quia, videlicet post Basilii regulam, Augustini et Benedicti, quarta est addita, scilicet beati Francisci, quae *est similis* per omnia

(*a*) As et edd. om. *declaravit.* — (*b*) Edd. *assumpserunt.* — (*c*) Edd. *quem.* — (*d*) Edd. *designatos.*

[1] Quae tres declarationes habentur in *Firmamenta trium ordinum B. Francisci;* prima et tertia etiam in *Monumenta ordinis Minorum.* — [2] Pag. 73 et 81.

Filio Dei [1], observando prae ceteris, quae ipse Filius Dei Iesus Christus ordinavit et servavit; similis beato Francisco et suo ordini *non est inventus, qui* ad litteram *legem conservavit Excelsi* [2].

Haec regula, quam sit salutifera, sanctitas proclamat observantium. Quam sit rationabilis, Christi instituentis sapientia ostendit. Quam sit expetenda, celsitudo hominum sub hac Deo servientium indicat. Quam sit authentica, apostolica declarat auctoritas. Quam sit fructifera, in multitudine fratrum sub ea Christo degentium demonstratur. Quam sit contra vitia tria superbiae, avaritiae et immunditiae, quibus mundus inficitur, patet ex contentis in regula. Quam sit spiritualis, patet, quia hominem totum elevat a terrenis et subtollit ad contemplanda divina. Quam pacificam vitam reddat humanam inter fluctus vitae praesentis, imitanti claret, qui mortificatus inter (*a*) saecularia stat. Quam devota, hinc collige, quia fratrem docet corde, ore et opere Deum semper laudare. Quam invictum fratrem teneat contra insidias diaboli, et poenitentia pandit, quae ea indicitur, et radix omnis peccati ea segregatur. Quam facile aeterna capiat, hinc liquide advertitur, quia facit fratrem hic semper Christo copulatum et subarrhatum reddit de gloria aeternali. Quam sit mira, notificat eius processus, quae in calle praesentis miseriae mirabilem pandit mundo sui sequacem signis et prodigiis. Et quam sit profunda et alta, id exprimit multiplicata elucidatio ipsius facta per tot insignes romanos pontifices.

Ut ergo hoc videatur, ad ipsius expositionem est accedendum. Et advertendum est, quod in regula hac duodecim capitula ponuntur, ad instar duodecim apostolorum; quia de duodecim observandis frater informatur:

In primo capitulo forma edicitur, fundamentum iacitur mirae perfectionis; nam dicitur, quod « regula fratrum Minorum est Iesu Christi evangelium servare » etc.

In secundo capitulo mundus spernitur et despicitur, ac modus rectae abdicationis traditur, cum dicitur intrare volenti, « ut vendat omnia sua » etc.

In tertio capitulo hymnus Deo persolvitur, corpus conteritur actu dirae subiectionis; dicitur enim, quod « clerici faciant divinum officium », et quod « fratres ieiunent » etc.

In quarto capitulo census sive aes abdicitur, norma ostenditur verae ministrationis; dicitur enim: « Praecipio, ne denarios vel pecuniam » etc., et « ministri » etc.

In quinto capitulo frater supponitur, labor imponitur dignae occupationis; « fratres, inquit, illi, quibus gratiam laborandi » etc.

In sexto capitulo mens a saeculo suspenditur, infirmo compatitur vi gratae dilectionis; dicitur enim: « Fratres nihil sibi approprient » etc., et: « Si quis in infirmitatem ceciderit » etc.

In septimo capitulo morbus corripitur, scilicet peccati, pater describitur gratae consolationis; dicitur enim: « Si quis frater, instigante inimico etc., graviter peccaverit » etc.

In octavo capitulo ordo dirigitur, pater eligitur pro loco regulatoris; dicitur enim: « Universi fratres unum eligant » etc.

In nono capitulo coetus suspenditur, verbum proponitur sanctae eruditionis; dicitur enim: « Fratres non praedicent in episcopatu » etc.

(*a*) As et edd. *quoad*.

[1] Dan. 3, 92. — [2] Eccli. 44, 20.

In decimo capitulo culpa corrigitur, virtus edicitur et odor sive tenor omnis bonae conversationis; dicitur enim: « Fratres, qui sunt ministri et servi » etc.

In undecimo capitulo motus restringitur, luxus repellitur freno prohibitionis, cum dicitur: « Praecipio fratribus, ne habeant suspecta consortia etc.

In duodecimo capitulo Christus imprimitur, mundo transmittitur frater [sanctae] professionis; dicitur enim: « Quicumque frater divina inspiratione » etc.

Sententialiter ergo praefatis regula habetur. Sed videndum est succincte de praefatis (*a*).

Primum regulae capitulum.

Primum regulae capitulum dicit: « Regula et vita fratrum Minorum » etc. In quo forma edicitur et fundamentum iacitur totius evangelicae perfectionis.

In quo capitulo ostenditur pro ipsius evidentia primo, quid a fratre Minore de evangelicis consiliis est praecipue observandum, quia « regula et vita vivendo in obedientia » etc. Ubi vide regulae nostrae ab aliis praerogativam, divisionem et distinctionem, praesertim in inceptione; nulla regula incipit ab observantia evangelii sic expresse, nisi regula fratrum Minorum, ut ex principio, medio cum fine detur intelligentia, quod prae aliis in hac vita evangelica ponitur ipsius Christi.

Vide secundo beati Francisci profundatam humilitatem. Non dicit: « Regula haec est mea », sed « fratrum Minorum », nec « haec est regula, quam servavi », cum tamen praefata dicere potuisset; quia regula fuit sua per diligentissimam ipsius observationem. Noluit se vel actorem exprimere vel observatorem censeri; ut actor potius Christus intelligatur quam ipse, et ne proprietas observantiae regulae soli ipsi detur, sed et aliis fratribus Minoribus, videlicet primis sociis et aliis, qui eam ad litteram observaverunt.

Tertio, inspice nomen datum istius religionis et regulae fratribus, quia Minores nuncupantur, ut nomen sumptum ex evangelio, Matth. 25, 40, intelligatur: *Quod uni ex minimis meis* etc., et quod uni ex minoribus meis [non fecistis] — ut dixit beatus Franciscus [1], Christus ad litteram hoc intellexit de fratribus huius ordinis — *nec mihi fecistis.* Nec immerito sic debet intelligi; quia si de aliis per antonomasiam pauperibus evangelicis debet intelligi, et (*b*) de fratribus Minoribus, quorum paupertas prae aliis, ex perfectione (*c*) dicitur magis peculiaris. Accipitur etiam hoc nomen ex illo verbo evangelii, Matth. 20, 26: *Qui maior esse voluerit, erit minor.* Datur etiam intelligi, quid appetere debet frater huius ordinis: non promotiones ecclesiasticas, status mundiales et dignitates, dicente beato Francisco in responsione facta domino Hugoni, cardinali Hostiensi, qui fuit postea Gregorius IX. Hic cardinalis cum sciscitaretur a beato Francisco, si vellet, quod fratres sui ad ecclesiae dignitates promoverentur, respondit beatus Franciscus: « Domine, Minores ideo vocati sunt fratres mei, ut maiores fieri non praesumant. Docet eorum vocatio ipsos in plano subsistere, et humilitatis Christi vestigia imitari, ut per hoc tandem in resurrectione (*d*) sanctorum plus aliis exaltentur. Si enim vultis, ut faciant fructum in ecclesia Dei, tenete illos et conservate in statu vocationis eorum; atque ipsos, si ad alta conscenderint,

(*a*) As et edd. addunt *in speciali.* — (*b*) Edd. *multo magis.* — (*c*) Edd. *professione.* — (*d*) As et edd. (Cel. et *Spec. perf.*) *respectione.*

[1] Cfr. Fr. Leo, *S. P. N. Francisci intentio regulae,* n. 3 (l. c. pag. 85).

ad plana reducite violenter, nec ad praelationem aliquam ascendere permittatis »; haec beatus Franciscus [1]. Hoc beatus Franciscus ostendit exemplo, officium generalatus renuntiando. Intelligi etiam datur, quid debet peragere: quia ut Minor omnia humilitatis officia. Beatus Franciscus in huius signum in principio religionis omnes fratres et nobiles et ignobiles ad hospitalia ad serviendum leprosis destinabat, scopabat ipse sanctus ecclesias, et pro eleemosyna debet frater incedere (*a*) libenter. Quid in eis perlucere debet, intelligi datur: quia certe omnia humilitatis insignia in habitu, in gestu, in visu, in sensibus, in verbis (*b*) et in aliis, ut Minor veraciter censeatur. Datur etiam intelligi, quod quae spectant ad superbiae vitium, resecata ab huius ordinis debent esse professore; iactantia, hypocrisis, elatio, praesumptio, ambitio et cetera huiusmodi, ab eo esse amota debent, ut vere Minor censeatur (*c*). Innuitur etiam ex nomine, quod in fratre Minore debet esse omnis virtutum ornatus, ut, si reputatione (*d*) sit minimus, virtutibus ornatus coram Deo inveniatur maximus. Exprimitur nomine fratris Minoris, quod sit sibi abnegatus totaliter, mortificatus et mortuus mundo, sed vivificatus Christo; gratus debet esse Deo pro impensis, ut minori et non maiori imputet a Deo facta. Et, ut concludam, frater huius regulae tam ex nomine quam regula esse decernitur mundi abdicator, caeli incola, angelus terrestris, Christo crucifixus et tota mente Deo haerens et coniunctus.

Quid ergo primum capitulum dicit? Inquit: « Regula et vita » etc. Lapides positi, ex (*e*) quibus templum aedificatum est, in quadro ad regulam dispositi erant, III Reg. 5, 17. Tu, frater Minor, si Dei templum, ut teneris, vis esse, ad regulam hanc tibi a Christo per Franciscum traditam te quadreris (*f*), ut sit in te iustitia in exhibendis, prudentia in cavendis, temperantia in abiiciendis et fortitudo in perficiendis; de quibus tua prae cunctis regula haec sanctissima disserit et loquitur. Et adverte, quod beatus Franciscus, immo ipse Christus, ad apicem perfectionis vult nos adire in [regula] praesenti, sic videlicet sequi vitam evangelicam per fratres, quod excellentius ab aliis non fiat, aliter ad arctiorem vitam esset adire; non (*g*) respiciendo retro, cuius oppositum capitulo secundo edocetur. Insuper attende, quod, cum in evangelio duo prae aliis sint apostolis commendata a Christo, videlicet perfectio sanctitatis et auctoritas ecclesiasticae potestatis, intentio beati Francisci fuit, filiis et fratribus indicere, prout possibile est: in quibusdam indicere (*h*) evangelicam sanctitatem (*i*), nihilominus ad recipiendam (*k*) apostolicam potestatem; primum facit in principio, cum dicit: « Regula et vita » etc., secundum facit in persona sui et successorum ac fratrum omnium dicendo (*l*) in regula: « Frater Franciscus promittit obedientiam » etc.

Dicit ergo primo regula: « Regula et vita fratrum Minorum » etc., scilicet beati Francisci et fratrum suorum praesentium et futurorum, haec est: « Domini nostri Iesu Christi » etc. Et pro huius primi puncti et fundamenti totius regulae declaratione sunt aliquorum dubiorum solutiones videndae. Quibus visis multa, [quae] circa istam partem dicuntur, patebunt.

(*a*) Edd. *incedebat.* — (*b*) Edd. *viribus.* — (*c*) Edd. *existat.* — (*d*) Codex *repraesentatione.* — (*e*) Codex *et.* — (*f*) Edd. *quadres.* — (*g*) Edd. om. *non.* — (*h*) Edd. om. *indicere.* — (*i*) As et edd. addunt *et.* — (*k*) As et edd. *reverendam.* — (*l*) As et edd. *dicente;* om. *in.*

[1] Cfr. II Cel. 3, 86 et *Speculum perfectionis* (ed. Sabatier), c. 43.

Primum dubium: an fratres Minores ex suae regulae professione ad observantiam omnium evangelicorum consiliorum teneantur? Ratio dubitationis est: quia dicit: « Regula et vita etc. sanctum evangelium observare » etc.

Ad istud respondent concorditer quinque summi pontifices, videlicet Gregorius IX, Innocentius IV, Alexander IV [1], Nicolaus III et Clemens V, quod non. Unde dominus Gregorius dicit [2], quod ad consilia evangelica, quae in regula non ponuntur, non tenentur, nisi ad ea, ad quae ipsi se obligare intenderunt, ad alia vero ut ceteri christiani, et eo magis, quia se ipsos obtulerunt Domino sacrificium medullatum. Dominus Innocentius dicit, quod fratres non tenentur ad omnia consilia evangelii, sed « ad ea dumtaxat consilia evangelii, quae in ipsa regula praeceptorie vel inhibitorie sunt expressa (*a*) [3] ». Idem dicit dominus papa Nicolaus III [4], et addit ad verba Innocentii, quod ad ea tantum tenentur, « quae praeceptorie vel inhibitorie vel sub verbis aequipollentibus sunt expressa »; ad alia vero consilia tenentur propter statum perfectionis, quem assumpserunt, ut ceteri christiani, et eo magis etc., ut dicit Gregorius.

Dominus Clemens dicit idem cum praefatis, et dat rationem [5]. Quia cum votum cadat super determinatum et certum (*b*), « vovens regulam non potest dici teneri ex vi voti huiusmodi ad ea consilia evangelica, quae in regula non ponuntur ». Et beatus Franciscus quaedam posuit et quaedam omisit, ut patet, cum dicit: « Regula et vita etc. vivendo in obedientia, sine proprio et in castitate ». « Si enim intendisset ad omnia obligare, superflue et nugatorie quaedam eorum posuisset, aliis suppressis. Et quia natura termini restrictivi sic excludit extranea, quod omnia ad ipsum pertinentia includit », dicit ipse papa Clemens, quod « fratres non solum ad illa tria vota nude et absolute (*c*) accepta ex professione regulae obligantur, sed etiam tenentur ad omnia ea implenda, quae sunt pertinentia ad haec tria, quae regula ipsa ponit ».

Secundum dubium: an ad consilia, quae in regula ponuntur, fratres tenentur, sicut ad praecepta evangelica?

Respondent papa Nicolaus et Clemens, quod, « cum beatus Franciscus aliqua consilia indicat ut consilia sub verbis monitionis et exhortationis et consilii, et aliqua vero sub prohibitione ac verbo praecepti, quod intentio beati Francisci non fuit, quod fratres tenentur ex regulae professione ad omnia consilia, sicut ad praecepta evangelica, sed solum ad ea consilia, quae in eadem regula praeceptorie seu inhibitorie vel sub verbis aequipollentibus sunt expressa [6] ». Solutio etiam huius dubii patet ex praecedenti solutione; quia, ex quo non tenentur ad omnia consilia, ergo nec sicut ad praecepta. Sed si dubium restringatur ad ea consilia, quae in regula ponuntur, patet responsio ex verbis papae Nicolai et Clementis.

(*a*) In Codicis margine additum *Dominus Alexander*. — (*b*) L. c. legitur *votum determinatum habeat cadere super certo*. — (*c*) Codex *vota videlicet absoluta*.

[1] Exstat apud Wadd. (ad an. 1257, *Reg. pontif.* n. 23) bulla Alexandri IV « Ordinem vestrum », qua quaedam super regula fratrum Minorum declarantur. Quae bulla (secundum Sbaralea, l. c. t. II pag. 196) « ipsissima ad verbum expositio Innocentii IV » est et « in regestis Vaticanis non apparet »; quare « in dubium et confictionis suspicionem venire potest » (Sbaralea). — [2] Bulla « Quo elongati »; cfr. Sbaralea, *Bullarium franc.* t. I pag. 68. — [3] Bulla « Ordinem vestrum »; cfr. Sbaralea, l. c. t. I pag. 400. — [4] Bulla « Exiit »; cfr. *Seraphicae legislationis textus originales* (ad Claras Aquas Aquas 1897), pag. 189. — [5] Bulla « Exivi de paradiso »; cfr. *Seraph. legisl. textus origin.*, pag. 234. — [6] L. c. pag. 189.

Tertium dubium: utrum tenentur ad omnia consilia expressa in regula?

Respondit papa Nicolaus in declaratione [regulae] dicens, quod ad ea consilia, quae sub verbis obligatoriis ponuntur in regula, tenentur fratres eo modo, quo in regula ponuntur; ad alia vero, « quae sub verbis monitoriis, exhortatoriis, informatoriis seu quibuscumque aliis in regula continentur, ea prosequi magis decet, quia imitatores tanti patris effecti et Christi semitas arctius elegerunt [1] ». Papa Clemens respondit dicens [2]: « Non solum ad illa tria vota nude et absolute accepta ex professione regulae obligantur, sed etiam tenentur ad ea omnia implenda, quae sunt pertinentia ad haec tria, quae regula ipsa ponit ». Et dicit, quod, « si ad tria praedicta tantum praecise promittens regulam servare intenderet, et non ad omnia contenta in regula, vane ponuntur haec verba: ‚Promitto me semper hanc regulam observare'; ex quo ex his verbis nulla obligatio nascitur. Nec tamen, inquit papa Clemens, putandum est, quod beatus Franciscus professores huius regulae, quantum ad omnia contenta in regula modificantia tria vota seu ad alia expressa in ipsa, intenderit esse aequaliter obligatos, quin potius aperte discernit, quod ad quaedam ipsorum ex vi verbi transgressio est mortalis, et quoad quaedam alia non; cum ad quaedam ipsorum verbum apponat praecepti vel aequipollentis eidem, et quoad aliqua verbis aliis sit contentus ».

Ex quibus patet solutio quaestionis, quae tangitur per dominum papam Nicolaum et Clementem, videlicet: utrum fratres tenentur tam ad consilia, quam ad praecepta evangelica? Responsio patet ex dictis, quod ad quaedam tenentur sicut ad praecepta et ad quaedam non. Ut enim dicit papa Nicolaus [3]: « Cum beatus Franciscus dicat: ‚Regula et vita fratrum Minorum' etc., et quae dicuntur in principio, referantur ad medium et finem, et quae in medio ad principium et finem, et quae in fine ad principium et medium, quae beatus Franciscus dicit in principio: ‚Regula et vita' etc. non absolute, sed cum quadam modificatione vel determinatione seu specificatione ponit ». Quae ergo ponit in fine « Sanctum evangelium » etc., ad illa tria in principio dicta habent referri modificata vel determinata vel specificata. Et quia beatus Franciscus aliqua consilia indicat ut consilia sub verbis monitionis, exhortationis et consilii, et aliqua sub prohibitione ac verbo praecepti, non fuit ergo intentio beati Francisci, quod fratres ex regulae professione teneantur ad omnia consilia sicut ad praecepta evangelica, sed solum ad illa consilia, quae in eadem regula praeceptorie vel inhibitorie seu sub verbis aequipollentibus sunt expressa.

Quartum dubium: cum multa in regula ponuntur sub verbo imperativi modi, tam affirmative quam negative, an ad illa fratres ex regulae professione tenentur sicut ad habentia vim praecepti?

Respondit papa Clemens in declaratione [4], quod, « licet fratres non ad omnium, quae sub verbo imperativi modi in regula ponuntur, sicut ad praeceptorum seu aequipollentium observantiam tenentur, expedit tamen fratribus ad observandum puritatem regulae et rigorem, quod ad ea sicut ad aequipollentia praeceptis se noverint obligatos, quae hic inferius annotantur. Quae videntur aequipollentia praeceptis ex vi verbi vel saltem ratione materiae, de qua agitur, seu ex utroque sunt haec, videlicet: illud, quod ponitur in regula de non habendo plures tunicas, quam unam cum ca-

[1] L. c. pag. 190. — [2] L. c. pag. 234. — [3] L. c. pag. 186; Pisanus plura verba mutavit. — [4] L. c. pag. 236.

putio, et aliam sine caputio; — item, de non portandis calceamentis, et non equitando extra casum necessitatis; — item, quod fratres ieiunare debeant a festo omnium sanctorum usque ad natalem Domini, et quod in sextis feriis tenentur; — item, quod fratres clerici faciant officium secundum ordinem romanae ecclesiae; — item, quod ministri et custodes pro necessitate (*a*) infirmorum et fratribus induendis sollicitam curam gerant; — item, quod, si qui fratres in infirmitatem ceciderint, alii fratres debent sibi servire; — item, quod fratres non praedicent in episcopatu alicuius episcopi, cum ab eo illis fuerit contradictum; — item, quod nullus penitus audeat populo praedicare, nisi a ministro generali vel aliis, quibus competit, fuerit examinatus et approbatus et ad hoc institutus; — item, quod fratres, qui cognoscerent, se regulam spiritualiter non posse observare, possunt ad suos ministros recurrere; — item, omnia, quae ponuntur in regula ad formam habitus tam novitiorum quam professorum, nec non ad modum receptionis ad professionem spectantia, sunt ab ipsis fratribus sicut obligatoria observanda, nisi recipientibus quoad habitum novitiorum, ut dicit regula, secundum Deum aliter videatur. Haec, inquam, omnia sunt a fratribus tanquam obligatoria observanda. Item, dicit, quod, ubicumque in regula ponitur hoc verbum ,teneantur', obtinet vim praecepti, et servari debet a fratribus sicut tale ». Haec papa Clemens.

Sic ergo patet id, quod dicit papa Nicolaus in declaratione, quod « fratres ex professione sunt adstricti ad ea consilia evangelica, quae in ipsa regula praeceptorie vel inhibitorie seu sub verbis aequipollentibus exprimuntur, et ad omnium observantiam, quae ipsis in eadem regula sub verbis obligatoriis indicuntur » ; et quae sint illa, patet ex dictis.

Ex dictis patet, quid intelligitur nomine evangelii; cum dicit: « Regula et vita etc. Iesu Christi evangelium » etc., per evangelium consilia evangelica intelliguntur; et quomodo (*b*) omnia observare et quomodo non, patet ex iam dictis. Dicit ergo: « Regula et vita fratrum Minorum etc. vivendo in obedientia, sine proprio et in castitate ». Ubi vide, quod cum omne, *quod est in mundo, sit superbia vitae, concupiscentia carnis et oculorum* [1], et quod peccato dimissi a Deo abire secundum desideria cordis nostri, beatus Franciscus regulam suam instituit ad praecavendum dicta vitia et totaliter ea abiiciendum; contra superbiam vitae virtutem ponit obedientiae, contra avaritiam ponit paupertatem, contra luxuriam castitatem ponit et indicit. Vult ergo fratres praefatis crucifixos mundo et coniunctos Christo esse. Dicit ergo, quod vita et regula est nostra « vivendo in obedientia, sine proprio et in castitate ». Ad haec tria consilia ex professione sicut ad praecepta fratres obligantur; et ponit dicta tria; quia in qualibet regulari observantia ponuntur, non tamen essentialiter, atque ad tria praefata, ut plurimum, quae in regula ponuntur, consilia evangelica reducuntur.

In praefatis ergo gradus, et non aequalitas, inter professionem regulae beati Francisci ad alias regulas patet; in obedientia, quia possessiones habentium obedientia arctatur ad locum, ut dicit Bernardus, Epist. 7 [2]: « Duo vobis in monasteriis observanda quod conversantibus traduntur, subiectio abbati et stabilitas in loco; et ita observanda, neutra impediat aliam, et sic sis obediens abbati, quod stabilitatem non amittas »;

(*a*) As et edd. *necessitatibus*. — (*b*) As addit *debet*.

[1] Ioan. 2, 16 — [2] N. 15 (P. L. t. 182 col. 102)..

haec Bernardus; altior est obedientia, quae ad nullum locum arctatur, nullo terrae fine concluditur, sicuti est in obedientia nostrae professionis, quia nihil iuris habent in aliquo loco; obedientiam ergo habent super omnem loci terminum ampliatam. In paupertate, id est sine omni speciali et generali dominio et proprietate; sic exponunt papa Gregorius, Innocentius, Nicolaus et Clemens; arctior est haec habentibus in communi, etsi non in speciali. In castitate, etsi non est gradus quoad actum castitatis, est tamen gradus in castitate servanda, ad quam conservandam frater Minor districtius obligatur; debet enim, ut dicit undecimum capitulum regulae, vitare nec « habere suspecta consortia vel consilia mulierum » etc.

Et quamvis fratres, ut dictum est [supra], non tenentur ad omnia consilia evangelica ut ad praecepta, sed magis quam ceteri christiani, fratres tamen antiqui iuxta posse talia consilia custodierunt; paupertatem ubique servantes: saracenus cum vellet pecuniam fratribus dare pro eleemosyna, ipsam abiecerunt, ut docet Bonaventura IV *Legendae maioris* parte [1]; sic Soldanus beato Francisco munera obtulit, quae ipse omnia contempsit [2]; pecuniam enim ut stercus putabant (*a*); quendam fratrem (*b*), qui denarium ceperat et posuerat in fenestra, mandato beati Francisci ipsam pecuniam ore ad stercus portavit [3]. Obedientiam: cunctis subiecti et praecipue ecclesiae praelatis, exemplo beati Francisci, qui, dimisso generalatus officio, guardianum voluit habere, cui obediret. Caritatem erga proximum: ipsos ad viam inducentes salutis verbo et exemplo. Inimicos diligentes: frater Bernardus Bononiae in platea se posuit diebus pluribus, ut a populo despiceretur et vituperaretur; sic et Florentiae [4]. Videbant se mutuo, acsi essent angeli Dei, ut patet in *Legenda trium sociorum* [5]. Non solum non offendebant, immo eos offendentes amabant, Deum pro eis orabant, et in iniuriis exsultabant. Non scandalizabant se mutuo et, si quando casu id fecissent, statim inculpando se et poenitentiam exercebant, ut patuit de fratre scandalizante fratrem, qui stercus posuit in os suum [6]. Volentes inferre iniurias proximo, ipsi in se excipiebant, ne proximus offenderetur; patuit de fratre, qui excepit ictus lapidum, se interponendo, cum fatuus fratrem suum vellet percutere [7]. Hypocrisim super omnia exsecrabantur, sanctitatem abscondentes et mundi honores fugientes. Neminem iudicantes, neminem laedentes, mites, benigni. Curam crastini sic vitabant, ut legumina de sero ad mollificandum, sed post matutinum, ponere non audebant (*c*) [8]. Vitantes verba otiosa; in capitulo generali Assisii celebrato tempore beati Francisci, ubi fuerunt ultra quinque millia fratrum, nullus erat, qui loqueretur, nisi de Deo, vel quomodo possent regulam spiritualiter observare [9]; *Pater noster* pro verbo minimo silentium infringente dicentes [10]. Pacem primum offerentes hominibus, [conformes] patri et evangelio (*d*). Crucem Domini per poenitentiam et meditationem habitu et opere deferentes ac ut sal terrae doctrina salutifera mentes condientes lux exemplaritatis fuere mundanis. Sensibus corporis, ne conturbarent interiora, pudorati; intentione ad patriam tendentes; ministrantes leprosis et humilibus, in mansuetudine peccantes corrigentes, Domini consilia implere conati sunt.

(*a*) As *putabat*. — (*b*) Edd. *quidam frater*. — (*c*) Edd. *legumina non de sero, sed post matutinum praepararent*. — (*d*) Edd. *patri evangelico*.

---

[1] N. 7. — [2] Bonav. l. c. c. 9 n. 8. — [3] II Cel. 3, 11. — [4] Cfr. supra pag. 180 et 181. — [5] N. 41. — [6] II Cel. 3, 92. — [7] *Leg. 3 soc.* n. 42. — [8] Cfr. *Speculum perfectionis* (ed. Sabatier), c. 19. — [9] Cfr. *Actus* c. 20. — [10] Cfr. *Speculum cit.*, c. 82.

Suppositis et iactis fundamentis evangelicae perfectionis, ac nomine imposito fratribus suis, quia Minores, consequenter primum evangelii consilium, scilicet obedientiam, recitando (*a*), cui frater ut Minor et humilis sit subiectus et obedientiam debeat exhibere, beatus Franciscus suo subdit eloquio et exemplo dicens: « Frater Franciscus promittit obedientiam » in iniunctis et praecipiendis « et reverentiam » in obsequendis et perficiendis. Cui? inquit: « Domino papae », vicario Iesu Christi in terris — *Extra., de translat.* « Quanto » [1] —, Honorio III tunc residenti in sede Romana; et non solum ipsi Honorio papae praefata fecit, sed eadem promisit « eius successoribus canonice intrantibus et ecclesiae romanae », id est dominis cardinalibus, qui vices gerunt papae sede vacante. Quibus apparet, quod beatus Franciscus ordinem non pro tempore, sed pro perpetuo papae subiecit, quia fides ecclesiae non debet deficere, quare nec [aliquis] verus successor Petri. Quo apparet, quod nulla regula sic subiicit suum ordinem, sicut ordo Minorum est subiectus, domino papae; quare de nullo ordinum, considerata subiectione, ita debet esse cura domino papae et ecclesiae, sicut de isto, nec sic foveri per ecclesiam. Ut sapiens architectus beatus Franciscus ordinem suum ecclesiae romanae supposuit et recommendavit. In cuius signum voluit, ut fratres peterent « unum de cardinalibus » in protectorem, ut essent « semper subditi et subiecti pedibus sanctae romanae ecclesiae ». Ex praefata obedientia sequitur, quod dominus papa et tam ratione summi pontificii, qua valet leges condere [novas], XXV q. 1 « Sunt » et c. 4 « Se » [2], quam ratione obedientiae et reverentiae promissae, regulam valet declarare, glossare, constitutiones in ordine facere, prout nostro statui viderit opportunum. Sic ergo apostolicis mandatis a fratre Minore est obtemperandum, nisi contra fidem essent expresse, et per alios quam per ipsum iudicanda sic esse.

Verum, quia omnis communitas et corpus unum et non plura capita debet habere, ne res monstruosa censeatur, unum caput in hoc ordine sicut in ecclesia militanti praeficitur, cui parendum est sine rebellione et cum subiectione et reverentia obsequendum; ideo regula subdit, quod obediendum est papae etc., sic et capiti, videlicet beato Francisco, qui in persona omnium ordinem subiecit ecclesiae; fecit sibi homagium fidelitatis, sanctam scilicet obedientiam et reverentiam, institutusque est caput ordinis per papam, ut fratres ei obediant; et non solum ipsi, sed et « successoribus ». Et adverte, quia hic ponitur hoc verbum « teneantur »; aequipollet praecepto, ut declarat papa Clemens in declaratione. Quare non obedire generali ministro, praesertim ex contemptu, sine culpa non fit mortali; debent ei fratres obedire, ut dicit capitulum X regulae « in omnibus », dummodo « non sint contra animam et regulam nostram ».

Sed hic oritur dubium, quia regula dicit, quod fratri Francisco est obediendum etc.: an ad observantiam testamenti sui fratres teneantur, cum ibi nonnulla mandet, ne [scilicet] petatur declaratio et privilegia a sede apostolica [in regula] etc.? Respondetur per dominum Gregorium IX, Innocentium IV, Alexandrum IV et Nicolaum III, quod fratres non tenentur ad dicti testamenti observantiam. Ratio: primo, quia ad hoc non potuit obligare fratres sine ipsorum consensu, et praesertim mini-

(*a*) As et edd. *recipiendo*.

[1] C. 3. X. I. 7. — [2] C. 6. c. XXV. qu. 1.

strorum, quos tangebat; secundo, obligare non potuit successorem, cum non habeat potestatem par in parem; tertio, quia cum sumus ecclesiae romanae per omnia « subditi et subiecti », et ad ipsam, ut ad magistram, est recurrendum; quare, sicut ipsa regulam confirmavit, sic et eius dubia habet declarare; nec per inferiorem potest subditus ab obedientia secludi superioris praelati, et praecipue illius, sub cuius nutu omnes subiecti stant christiani.

Sic ergo patet, quod in hoc primo capitulo beatus Franciscus indicit (*a*) perfectionem sanctitatis in observantia trium consiliorum evangelii ac subiectione apostolicae potestati in obedientia et reverentia exhibenda a fratribus romano pontifici « et eius successoribus canonice intrantibus ». Et sic patet, quomodo a beato Francisco in hoc capitulo edicitur forma, et fundamentum iacitur omnis perfectionis.

Transeundum est ad secundum capitulum.

Secundum capitulum

est: « Si qui voluerint hanc vitam accipere » etc. Quo capitulo mundus despicitur, et modus traditur mundi abdicationis. In quo capitulo sunt multae partes:

1. In quarum prima parte ostendit, ad quem spectet ordinem intrare volentium receptio; et dicit regula in hoc capitulo et prima parte, quod ad solos ministros provinciales pertinet. Ubi sciendum, quod ex isto passu regulae generalis minister non excludebatur, cum ipse sit minister generalis in toto ordine et provincialis etiam in aliis provinciis, immo ad ipsum principaliter pertinebat, ut dicit declaratio papae Gregorii IX [1]. Istud de receptione talium, quod pertineret ad solos ministros provinciales, poterat in principio ordinis observari propter paucitatem fratrum; sed ordine dilatato, concessum est per dominum Gregorium IX privilegium, et incipit: « Gloriantibus vobis in [sola] cruce » etc. [2], et per declarationem domini Innocentii IV et Nicolai III, quod non solum generalis minister et provinciales ministri possunt ad ordinem recipere, sed et aliis fratribus discretis committere. Attamen vicarii ministri et multo fortius vicarii provinciae non possunt ex officio vicariae ad ordinem recipere, nisi in speciali a generali ministro vel provinciali, cuius est vicarius, committatur. Nec est hic relaxatio regulae, sed ampliatio auctoritatis. Quibus patet, quod generalis minister cum provincialibus ministris habent ordinariam potestatem, alii vero fratres ceteri subdelegatam.

2. In secunda parte huius capituli, quae incipit: « Ministri vero diligenter », ubi ponitur, quod examinandus est et qualiter, qui hunc ordinem optat intrare. Ubi sciendum, quod, cum haec regula sit tota apostolica et ecclesiae romanae suppositus ordo iste, hinc est, quod beatus Franciscus posuit, volentem ingredi de pertinentibus ad praefata duo debere per ministros examinari: de fide catholica propter primum, et propter secundum de ecclesiasticis sacramentis. Ratio, quia, ubi error esset in tali persona respectu alicuius praefatorum, hic ordo, sicut et nullus (*b*) [alius], sibi valeret ad salutem. Insuper fidem romanae ecclesiae, sicut et fratres debent tenere, sic et alios

(*a*) As et edd. *et indicit.* — (*b*) Edd. *quicunque minime.*

[1] L. c. pag. 70. — [2] Sbaralea, *Bullarium franc.*, t. I pag. 298 (de 29 iunii 1241).

docere. Et licet beatus Franciscus solum de praedictis ponat examinandum volentem intrare, addens, quod sit ab uxore solutus, constitutiones [tamen] ordinis generales in capitulo (*a*) *De religionis ingressu* etiam alias ponunt conditiones; ubi (*b*) dicit constitutio, quod recipiens diligenter et sollicite attendat, quod recipiendus sit fidelis et catholicus, de nullo errore suspectus, matrimonio non ligatus, corpore « sanus, animo promptus, legitime natus, debitis expeditus, conditione liber, aetate quatuordecim annorum ad minus, nisi fuerit a parentibus oblatus, nulla vulgari infamia maculatus, competenter litteratus vel ad labores honestos et fratribus ordinis competentes et utiles aptus, ac (*c*) talis conditionis exsistens, quod eius receptio populo et clero non modicam aedificationem afferret »; haec constitutio [1]. Haec, quae dicta sunt, in declaratione Innocentii et Nicolai habentur; quae dicunt, quod non passim fratres volentes ingredi recipiant, sed solum ordini utiles, et de cuius receptione non modica sit aedificatio [in] populo. De uxore beatus Franciscus facit specialem mentionem, quia talia sunt ad castitatis ruinam, quam frater in ordine (*d*) debet illibate servare.

3. Expedita examinatione, nunc in sequenti, scilicet in tertia parte, beatus Franciscus addit, quid secundum [sanctum] evangelium est talibus dicendum; inquit beatus Franciscus: « Ministri dicant illis verbum sancti evangelii, quod vadant et vendant » etc. Ubi sciendum, quod, cum Salvator noster dixerit, Matth. 6, 24: *Non potestis Deo servire et mammonae*, oportet ergo se nudum offerre brachiis Crucifixi; sic se sequentibus omnia dimittere Christus voluit, ut patet in apostolis; et perfectionem volenti adipisci dixit, Matth. 19, 21: *Vade et vende omnia, quae habes, et da pauperibus* etc. Fecit utique haec beatus Franciscus, frater Bernardus, Petrus et alii eius socii omnia abiicientes et cuncta dantes pauperibus, ut nudi cum nudo luctarentur, scilicet hoste infernali, et nudum Crucifixum perfectissime sequerentur. Repulit beatus Franciscus quendam in Marchia volentem ordinem ingredi, quia sua non pauperibus sed parentibus dederat [2]. Dicit ergo beatus Franciscus, quod talibus dicatur verbum evangelii, quod vadant etc. Et sequitur: « Quod si facere non potuerint », utpote propter distantiam loci vel quia litigiis involuta vel quia in potestate alterius, et sic de similibus, et ille libenter faceret, si facultas adesset, dicit beatus Franciscus, quod talibus « sufficit bona voluntas ». Hic multa essent dicenda de voluntate bona, quomodo ipsa facit actum meritorium, ubi non adest facultas operis, prout vult Hugo, *De sacrament.* l. II, p. 14, c. 6 et 7 (*e*); sed brevitatis causa dimittantur.

4. Sed quid cavere fratres debent et receptores talium in recipiendo? Subdit regula in quarta parte dicens: « Et caveant fratres » etc. Istum passum declarat dominus papa Clemens in declaratione [3], ubi tribus dubiis respondendo hunc locum serenat.

Primum dubium est: si liceat fratribus recipere quidquam de bonis ingredientium, si donentur? Ad hoc respondet, quod, cum ingredientes sint liberi, non videtur aliquid obsistere, quin, si velint eis dare per modum eleemosynae sicut ceteris pauperibus,

(*a*) As et edd. addunt *primo videlicet*. — (*b*) As et edd. *unde*. — (*c*) As *aut*. — (*d*) As et edd. addunt *manens*. — (*e*) As et edd. falso c. LXVII. Cfr. P. L. t. 176 col. 560 seqq.

[1] In constitutionibus *Farineriis*, c. 1. — [2] II Cel. 3, 26. — [3] Art. 4 (l. c. pag. 239).

fratres possint recipere; « cavere tamen debent, ne ex notabili quantitate praesumi possit sinister oculus contra eos ».

Secundum dubium: si ad dandum fratrum conventibus fratres possint inducere eos sine culpa? Respondet et dicit: « Ne aliquid sinistrum videatur circa talium receptionem, fratres debent abstinere a talium inductione ».

Tertium dubium circa illam partem « Si tamen consilium requiratur » etc.: an, si ipsi fratres sint idonei ad dandum consilium, vel (*a*) ad alios extra nostrum ordinem dirigere teneantur? Respondet papa, quod « ad Deum timentes alterius status debent dirigi, ut videantur zelatores paterni statuti ».

5. In quinta parte istius capituli, cum dicit: « Postea concedant eis pannos probationis » etc.; ubi (*b*) beatus Franciscus ponit, qualiter debent indui et quibus; quia « duas tunicas sine caputio, cingulum et braccas et caparonem » etc. Circa quam partem sunt aliqua notanda: quod beatus Franciscus hic ponit distinctionem habitus novitiorum ab habitu professorum, et dicit, qualis detur novitiis, « nisi aliud secundum Deum aliquando videatur », quod ad habitum refertur, ut dicit papa Clemens in declaratione, professorum (*c*). Et quia iura canonica faciunt magnam difficultatem quoad novitios inter portantes habitum novitiorum et professorum, ideo, ut hoc videatur, videndum est:

Primo: quis possit ordinem intrare, ut sit ibi novitius? Et dicitur, quod non minor (*d*) quatuordecim annis completis; si talis (*e*) intret, et exire potest et extrahi a patre vel tutore, etiam si ante quartumdecimum annum a parentibus, ipso consentiente, offeratur. Quod (*f*) posset egredi, ipso perveniente ad perfectam aetatem, scilicet quartumdecimum annum, habetur XX q. 3 « Praesens [1] », [et] *Extra., de regularibus* « Cum simus [2] »; quod etiam [potest], si talis intrat propria auctoritate ante completum (*g*) quartumdecimum annum, patet XX q. 2 « Puella [3] », et XX q. 1 in sententia (*h*) quaestionis; quod ante [non] completum quartumdecimum annum, patet; quia non sufficit, quod attigerat, sed oportet, quod perfecerit; patet *Extra., de regularibus* « Ad nostram », in textu et glossa, et c. « Significatum [4] »; quare potest etiam repeti (*i*). Nec malitia potest supplere in hoc casu aetatem, XX q. 1 in sententia quaestionis, et Ioannes Andreae [5] ponit *de regularibus* « Eos » in *Clementinis* [6]. Debet (*k*) ergo ad vitandum praedicta esse aetatis completae, scilicet quatuordecim annorum.

Secundo: quo habitu debet indui? Ubi sciendum, quod, ubi habitus novitiorum est [determinatus et] distinctus ab habitu professorum, sibi debet dari habitus novitiorum; si vero ipse vult habitum professorum et non novitiorum et scienter recipit, talis per talem susceptionem inducit tacite professionem, *de regularibus* « Eos » in *Clementinis*, etsi non sit in tali ordine professus expresse (*l*); non quod alligetur illi ordini, sed generaliter tamen alicui ordini, *Extra., de regularibus* « Non

(*a*) Edd. *an.* — (*b*) Edd. om. *ubi.* — (*c*) Ita codd. et edd. Pisani; ast l. c. pag. 238 legitur e contra: « nisi recipientibus quoad habitum *novitiorum*, sicut dicit regula, secundum Deum aliter videatur »; quod etiam sensus expostulat; cfr. pag. 391 lin. 5. — (*d*) Edd. *nisi.* — (*e*) Edd. *enim minor.* — (*f*) Edd. om. *quod.* — (*g*) Edd. om. *completum.* — (*h*) Edd. *summa.* — (*i*) As et edd. *potest enim repeti.* — (*k*) As *requiritur.* — (*l*) Ita As et edd. Codex *tacite.*

[1] C. 4. c. XX. qu. 3. — [2] C. 14. X. III. 31. — [3] C. 2. c. XX. qu. 2. — [4] C. 8. et c. 11. X. III. 31. — [5] Qui scripsit *glossam ordinariam* in *Clementinis.* — [6] C. 2. in Clem. III. 9.

solum » in VI libro [1]. Cavendum ergo est, quomodo talis habitus non novitiorum, sed professorum detur talibus; unde si peterent, deberent informari, quid gestatio habitus professorum facit in eis. Hoc semper intellige, ubi habitus novitiorum est distinctus ab habitu professorum in forma et colore; ubi enim non esset distinctio talis, professio tacita non inducitur. Beatus ergo Franciscus ad praecavendum talia, qualis habitus detur novitiis, ostendit, nisi, ut dicit, papae (*a*), ministris et induentibus « aliud secundum Deum aliquando videatur »; quia videlicet, si omnino habitum vult induere professorum, facta sibi primo declaratione, debet dari, et hoc vel pro honestate ordinis vel utilitate et conditione recepti; et tunc dicit regula: non secundum propriam voluntatem debet dari habitus professorum, sed « secundum Deum ».

Et nota, quod infra annum probationis novitius potest ab ordine exire nisi in tribus casibus: de primo dictum est, si scienter recipit habitum professorum, qui est distinctus ab habitu novitiorum, et ipse est aetatis, scilicet quatuordecim annorum. Secundus casus, si infra probationis annum faceret professionem; tunc, etsi non obligatur tali ordini, loquendo de [ordinibus] mendicantium, generaliter tamen alicui [ordini] obligatur. Tertius [casus], si evidenter apparet, quod talis absolute voluerit vitam mutare, quod tamen non praesumitur, nisi clara probatione vel competentibus indiciis comprobetur. Et de istis duobus casibus, videlicet (*b*) de habitus professorum portatione et de vitae mutatione, loquitur privilegium ordini concessum per dominum Clementem IV, et incipit: « Ex parte dilectorum filiorum [2] », ubi mandat omnibus archiepiscopis et episcopis per Italiam constitutis, ut tales ad ordinem redeant, vel ad alium debent se transferre, compellendo eos [ad hoc] per censuram ecclesiasticam, monitione praemissa, appellatione postposita.

6. In parte sexta addit regula dicens: « Finito vero anno probationis » etc. Ubi circa istam partem videndum est, quando annus incipit probationis, et quis est.

Et dicitur, quod tempus probationis est annus quintus decimus; nam, cum non possit ingredi nisi completo anno quartodecimo, sequitur, quod tunc incipiat annus probationis. Hoc tradit Ioannes Andreae, *Extra., de regularibus* « Beneficium » l. VI, et c. « Is qui » eodem libro [3]. Et advertendum, quod papa Honorius beato Francisco et etiam fratribus in privilegio, quod incipit « Cum secundum consilium sapientis [4] », mandat, quod infra annum probationis nullum audeant ad professionem recipere. Et poena talium (*c*) recipientium infra annum est triplex: prima, quia peccat mortaliter talis recipiens, facit etiam contra obedientiam domini papae (*d*); secunda, quod a fratribus debet puniri poena, quae pro gravioribus culpis solet infligi, *Extra., de regularibus* c. « Non solum » l. VI, et c. « Constitutionem [5] »; sed ille, qui receptus est, licet esse saecularis non possit, non tamen alligatus est illi ordini per illam professionem; tertia poena, quod suspensi sunt a receptione cuiuscumque ad professionem.

Sed pone casum, quod novitius infra annum probationis, postquam steterit duobus vel tribus mensibus, exit ab ordine et stat extra ordinem duobus vel tribus mensibus et denuo revertitur ad ordinem, numquid primi duo vel tres menses debent sibi computari, quibus steterat ante? Respondetur secundum dominum Bonicontrum, filium

(*a*) As et edd. *papa*. — (*b*) Codex *videndum scilicet*. — (*c*) Edd. *tales*. — (*d*) As et edd. *et efficitur inobediens*.

[1] C. 2. in VI. 3. 14. — [2] Sbaralea, *Bull.* t. III n. 137 (de 31 aug. 1267). — [3] C. 4. et 1. in VI. 3. 14. — [3] L. c t. I n. 5 (de 22 sept. 1220). — [4] C. 2 et 3. in VI. 3. 14.

Ioannis Andreae, quod non; debet enim stare per annum integrum non interruptum; nam quando iura loquuntur de anni spatio, loquuntur de anno continuo, ut dicit Ioannes Andreae, *de electione*, c. 1 l. VI. Et sicut mandatur fratribus, quod infra annum probationis nullum ad obedientiam recipiant, sic etiam mandatur, quod volentes exire sive aliam religionem intrare non debeant retinere, per dominum Gregorium IX et Innocentium IV; et incipiunt privilegia eorum eodem modo, scilicet « Non solum in favorem conversi » etc. [1]. Sed sciendum, et istud debet poni in parte quinta superiori (*a*) huius capituli, quod volentes nostrum intrare ordinem, sive priusquam ordinem intraverint sive post, ac etiam post professionem emissam, per generalem et provinciales ministros, custodes ac ipsorum vicarios possunt absolvi a sententiis excommunicationis, suspensionis et interdicti a iure vel a iudice generaliter promulgatis, et cum eis super contractis irregularitatibus dispensare, ita tamen, quod absoluti statim ordinem intrent; aliter in pristinas sententias propter inducias relabantur. Haec quatuor concedunt « Mare magnum (*b*) » scilicet Bonifacii, Alexandri, Clementis et Honorii; idem conceditur per Innocentium, et incipit privilegium: « Caelestis amor patriae [2] », et aliud eiusdem, et incipit: « In iure canonico » etc. [3].

Dicit ergo regula: « completo anno probationis », et eodem die et hora completis, potest profiteri. Et adverte hic, quod, si potest facere professionem et non vult, et stat ulterius nullam protestationem faciendo, quod ex suo esse in ordine non vult sibi praeiudicari, quin libere possit ad saeculum redire, talis tacite est professus, et non potest ad saecularem vitam redire, sed oportet aliquam religionum intrare.

Sed a quo ad professionem debet recipi? Regula etsi non ponat expresse, tamen a ministris intelligitur; quia, si solis ministris ingressus reservatur, multo fortius et ad professionem talium receptio; sed per declarationes concessum est, quod aliis a praefatis potest committi.

Sed quam formam debet profitens in profitendo tenere? Regula non dicit, nisi quod promittant vitam istam et regulam observare. Hoc implicite dicit regula fiendum, sed constitutiones ostendunt magis explicite et ex causa, ut dicetur. Forma haec est: « Ego frater N. promitto [et voveo] Deo et beatae Mariae semper Virgini, beato Francisco et tibi, pater, toto tempore vitae meae servare regulam fratrum Minorum per dominum papam Honorium confirmatam, vivendo in obedientia, sine proprio et in castitate ». Et quare sic exprimantur tria vota in speciali, etsi pateat ex dictis in primo capitulo in solutione dubiorum, patere potest etiam ex solutione istius dubii, videlicet: an aliquis profitens sic dicendo: « Ego promitto toto tempore vitae meae servare regulam fratrum [Minorum] », nihil explicando, si tunc ad omnia regulae teneatur, ut ad praecepta? Respondet papa Nicolaus in declaratione [4] dicens, « quod si aliquis diceret absolute: ,Ego promitto sanctum evangelium observare', nisi professor intenderet se ad omnium observantiam consiliorum obligare, quod vix aut nunquam posset ad litteram observare, talis promissio absque intentione promittentis obligandi se ad omnia consilia ad alium intellectum non debet perstringi, nisi ut observantia evangelii sit, sicut tradita reperitur a Christo, videlicet quod praecepta

(*a*) Edd. illud revera posuerunt in fine partis quintae. — (*b*) As et edd. *concedunt quatuor*.

[1] L. c. t. I pag. 198 et 342. — [2] Cfr. Sbaralea, l. c. t. I n. 125. — [3] L. c. n. 30. — [4] L. c. pag. 188.

ut praecepta et consilia ut consilia a promittente observentur ». Et per hoc ad propositum, quod talis sic promittens, nisi habuerit intentionem se obligandi ad omnia contenta in regula, ut ad praecepta, intelligitur regulam promittere, ut consilia, quae praeceptorie vel inhibitorie sub verbis obligatoriis vel praefatis aequipollentibus ponuntur, ex professione observare ut praecepta teneatur, alia vero nonnisi sicut posita intelliguntur. Ut ergo sciant, quid principaliter sit servandum de consiliis ut praecepta, praedicta forma ex declarationibus summorum pontificum est conflata, et bene. Eandem responsionem cum papa Nicolao ponit papa Clemens in declaratione sua; vide ibi [1].

Sed quid debeat dicere recipiens profitenti? Certe regula non ponit, sed constitutiones; debet enim ei dicere: « Et ego, si hoc observaveris, promitto tibi vitam aeternam ». Et nota, quod, cum haec professio sit votum solemne, publice fieri debet, scilicet coram fratribus, tenendo manus infra manus recipientis, genuflexus, sine caputio, et mente et facie ad Deum elevata. Prius tamen debet requiri (*a*), si vult plus de tempore ad probandum ordinis rigiditates; et si sic, tempus concessum eidem non praeiudicat, quin in completo anno ulterius stando ad saeculum non valeat redire, et hoc intellige infra tempus sibi praefixum; si ulterius staret nihil protestando, dic ut supra. Sed si per illum, qui eum debet ad professionem recipere, tempus minime taxaretur, quod certe male faceret, debet haberi recursus ad iura. Sciendum tamen, quod talis temporis taxatio, de qua loquimur, debet fieri tam de voluntate recipientis quam recipiendi.

Dicit ergo regula, quod vovens « promittat regulam semper observare »; ubi vide indesinentem (*b*) regulae observantiam, quia ad semper; hoc videlicet (*c*) habet locum in negativis consiliis et affirmativis, sed pro semper in negativis. Cui enim fit haec promissio, nisi Deo, de quo dicitur in Ps. 75, 12: *Vovete et reddite*, et in scriptura [2]: *Reddes Deo vota tua?* Quia ergo haec promissio fit Deo, debet inviolabiliter observari, ut saltem, si non redditur, quod decet, non fiat, quod non decet, per positionem actus contrarii ad id, quod est fiendum.

Sed quia dicitur, quod semper est regula observanda, potest esse dubium: an quaelibet regulae transgressio sit mortalis? Respondetur, quod, cum in regula multa sunt, quae ex professione aequipollent praeceptis, horum transgressio, si fiat ex omissione et scienter, et hoc in praeceptis negativis, sine culpa mortali talium non est transgressio; si in praeceptis affirmativis, quando talia debent fieri, et sic eodem modo; ubi vero non debent fieri, quia talia non obligant pro semper, sed ad semper, et fiat ex inadvertentia, non est cum culpa mortali; si vero talia omittantur ex contemptu, semper est cum peccato mortali, quia contemptus species est superbiae. Transgressio vero illorum, quae ponuntur alio modo a praedictis, quae praeceptis non aequipollent, si fiat ex omissione et ex quadam negligentia, non est sine culpa veniali; si fiat ex contemptu sive personae, scilicet praelati, sive statuti sive mandati, non videtur sine culpa gravi fieri; si vero fiat transgressio ex commissione, patet, quod est peccatum mortale; quia ibi est contemptus interpretativus; insuper, etsi non tenetur ad positionem actus, tamen ad vitandum oppositum tenetur. Quaedam

(*a*) As et edd. *inquiri.* — (*b*) As et edd. *indeficientem.* — (*c*) As *quia semper hoc votum habet.*

[1] L. c. pag. 233. — [2] Matth. 5, 33.

vero, cum ponantur in regula concessive et exhortative, talium transgressio potest fieri sine omni culpa; patet de quadragesima Epiphaniae, patet de cibis, qui apponuntur, ut liceat manducare, et de similibus, quae possunt omitti sine omni culpa. Debet ergo semper frater Minor esse in sollicitudine ad observandum, quae promisit, cum talium observantia sibi vita promittatur aeterna, et in timore stare, ne aliquid committat contra regulam; tali enim timore homo multa vitat, quae alias non vitaret.

Et quia, ut dictum est, regulam profitens promittit eam semper observare, quo sequitur, quod tali nullo modo est licitum sua auctoritate ab ordine recedere, quia est contra promissum et contra mandatum papae Honorii in privilegio, quod incipit: « Cum secundum consilium sapientis [1] », factum beato Francisco et fratribus; quo passu sequitur, quod nulla regula alia est ista arctior; quia talem liceret adire, retro nullatenus respiciendo; et quia professione sic fratres ligantur ordini, hinc est, quod nullus cardinalis, nisi de latere, nullus archiepiscopus vel quicumque alius praelatus potest aliquem fratrem assumere, tenere et dirigere etiam pro ecclesiae negotiis, quamvis habeat a sede apostolica, nisi fecerit expressam mentionem de huiusmodi indulto, et ordine ipso, sine licentia generalis ministri vel provincialium ministrorum seu eorumdem vicariorum. Et dicti praelati possunt tales removere et corrigere sicut et alios fratres, et hoc per privilegium, quod dicitur « Mare magnum », Bonifacii, et incipit: « Virtute conspicuos [2] ». Talique ac tancto strictionis vinculo quia fratres alligantur regulae et ordini, hac de causa apostatantes ministri incarcerare, ligare et capere et excommunicare possunt, ex privilegio domini Innocentii IV, quod incipit: « Provisionis nostrae », et in alio eiusdem: « Devotionis vestrae [3] ». Praelatique debent vitare apostatas nostros, et eos denuntiare excommunicatos, quando a fratribus requiruntur, privilegio Alexandri IV, quod incipit: « Fratrum Minorum », et privilegio Gregorii IX, quod incipit: « Fratrum Minorum », ac privilegio Innocentii IV incipientis: « Fratrum Minorum [4] ». Nec apostatas nostros ullus (*a*) potest retinere, et retinentes debent excommunicari per praelatos, si fuerint a fratribus requisiti, privilegio Alexandri IV, [quod incipit]: « Cum sicut ex parte », et Clementis IV eodem modo incipientis [5]. Nec fratres Praedicatores possunt recipere nostro ordini obligatos, ex privilegio Innocentii IV incipientis: [« Quo vos in Christo [6] », nec Cistercienses privilegio Innocentii IV incipientis [7]]: « Cum olim »; nec alii religiosi, nec eremitae, nec Gulielmitae possunt apostatas [nostros] retinere sine licentia; et oppositum facientes ipso facto sunt excommunicati, nec possunt absolvi nisi per sedem apostolicam, et hoc privilegio Alexandri IV incipientis: « Vestram et ordinum vestrorum [8] ». Capi etiam possunt apostatae nostri ordinis, etiam licentiam habentes a papa, si infra duos vel tres menses aliam religionem non intraverint vel habitum non susceperint regularem, privilegio Alexandri IV, quod incipit: « In gravem cordi nostro [9] ». Apostatae etiam nostri ordinis nullam administrationem, nullam animarum curam, nullum officium debent habere, privilegio Nicolai IV, quod incipit: « In vestri (*b*) ordinis [10] ». Egressis

(*a*) As et edd. *aliquis*. — (*b*) As *nostri*.

[1] Cfr. Sbaralea, *Bullarium* t. I pag. 6. — [2] *Bullarium* cit., t. III pag. 19 et t. IV pag. 371. — [3] *Bullarium*, t. I pag. 319 et 410. — [4] *Bullarium*, t. II pag. 62 et t. I pag. 28 et 453. — [5] *Bullarium*, t. II pag. 404 et t. III pag. 131. — [6] L. c. t. I pag. 327. — [7] L. c. t. I pag. 463. — [8] L. c. t. II pag. 192. — [9] L. c. t. II pag. 291, ubi incipit « In gravem *ordini vestro* ». — [10] L. c. t. IV pag. 20.

ab ordine nostro prohibetur praedicare et confessiones audire et docere, privilegio Innocentii IV, et incipit: « Iustis petentium [1] ». Erat antiquitus licitum membra putrida ab ordine separare, id est malos eiicere, licet exitus spontaneus eis interdiceretur, non tamen emissio; modo vero est interdictum per papam Benedictum XII et per Clementem IV.

7. In septima parte istius capituli, quae dicit: « Et illi, qui iam promiserunt obedientiam » etc., dicit papa Clemens [2], quod hoc aequipollet praeceptis; et dicit ipse, quod pluribus tunicis uti non licet, nisi in necessitatibus, quae possunt haberi ex regula. Et dicit papa Nicolaus in declaratione [3], quod « fratres de licentia ministrorum et custodum coniunctim et divisim, in administrationibus eis commissis, cum eis videbitur, pensatis necessitatibus et aliis circumstantiis, quae secundum Deum et regulam attendendae videntur, uti pluribus possunt »; hoc, inquit, patet ex regula, quae dicit: « quod ministri et custodes de infirmorum necessitatibus et fratribus induendis sollicitam curam gerant secundum loca et tempora et frigidas regiones ». « Habere ergo duas tunicas, ut dicunt quatuor magistri [4], et non plures, regularis est formae; habere plures duabus, dispensationis est regulae, auctoritate illorum, quibus cura fratrum est commissa ».

Addit de calceamentis dicens: « Qui necessitate » etc. Quid intelligitur, cum dicitur « possint »? Respondent quatuor magistri: « per posse intelligitur licere ». Sed quid necessitatis nomine hic intelligitur? Respondent, quod necessitas, cum dicatur multipliciter, potest necessitas in proposito multis de causis intelligi. Necessitas enim est « aliquando ratione personae, quia debilis vel infirma; aliquando secundum tempus, quia vehemens frigus; aliquando secundum locum, quia sine impedimento non potest nudis pedibus pertransiri; aliquando secundum iter vel officium iniunctum, quod non potest sine detrimento personae vel causae, propter quam iniunctum est, perficere ». Sic ergo praefatis patet, quando est necessitas. Sed attende in praefatis, quod non quaelibet praedictarum necessitatum debet statim pro causa iudicari necessitatis; sed homo debet éxperiri pluries, antequam calceamenta sic sumat. Ratio, quia, ut dicit papa Clemens in declaratione [5] de non portandis calceamentis, aequipollet praecepto. Per calceamentum intelligitur cooperimentum de corio, quo operitur pes; unde nec caligae sanae nec truncatae nec soleae proprie inter calceamenta deputari videntur; ita dicit frater Hugo cum praefatis quatuor magistris; sandalia enim, quae soleae dicuntur, fratrum Minorum non intelliguntur (*a*) nomine calceamenti; quia Christus apostolis calceamenta interdixit et sandalia concessit, Marc. 6, 9.

Et quia de tunicis professorum posset esse haesitatio, quales esse debeant, beatus Franciscus dicit: « Et fratres omnes vestimentis vilibus induantur »; non dicit « pretiosis ». Hunc regulae passum exposuit primo papa Clemens in declaratione sua dicens [6]: « Vilitatem vestium illam intelligere, quae secundum consuetudinem vel conditiones patriae debet quantum ad colorem panni et pretium vilitas merito reputari ». Hoc tamen iudicio reliquit ministrorum, custodum et guardianorum, scilicet de vilitate vestium, et qua necessitate fratres possint portare calceamenta. Dominus Ioannes XXII

(*a*) Edd. *fratribus minoribus non interdicuntur.*

[1] L. c. t. I pag. 423. — [2] In declaratione cit. pag. 241. — [3] L. c. pag. 213. — [4] L. c. ad c. 2. — [5] L. c. pag. 237. — [6] L. c. pag. 241.

istum passum etiam exposuit [1], ut papa Clemens, committens praefatis, ut habeant arbitrari de colore, vilitate, longitudine et latitudine et caputii brevitate; quia, ut dicit ipse, beatus Franciscus dixit, quod fratres vilibus induantur, sed de praedictis nihil dixit; et mandat fratribus, quod iuxta determinationem praefatorum debeant agere, et oppositum facientes per generalem admoniti, si non se correxerint, sunt excommunicati ipso facto. Et quatuor magistri dicunt, quod « vilitas attenditur in pretio pariter et colore secundum aestimationem hominum regionis, in quibus fratres morantur ».

Inter alia enim, quae beato Francisco displicebant, ut patebit infra fructu XVI et conformitate, est, quod fratres, qui paupertatem voverunt, multiplicibus induerentur et mollibus. « Signum extincti spiritus » hoc in fratribus asserebat [2], ac mollibus et delicatis vestitos fratres ad tentandum diabolum vehementius animari; asserebat Ioannem Baptistam de hoc in speciali a Domino commendatum. Et qualiter ipse pater [Franciscus] indutus iret, quia fructu [et conformitate] XVI dicetur, ad praesens omitto. Multi sancti singulares in vestimentis fuerunt, ut patet de abbate Antonio, Hilarione et aliis, beato Hieronymo, qui sacco ibat indutus. Ad verecundiam vero est fratris Minoris, vestem deferre mollem seu pulchram aut nobilem; quia prae cunctis religiosis servandam paupertatem arctius ipse promisit, et totaliter a vestigiis patris exorbitaret, quem sequendum coram Deo vovit et sanctis. Et ubi [aliorum] exemplorum deficeret copia, cuilibet nostrum paupertas obiicitur Christi et suae matris, beatae Mariae. Subinfert beatus Franciscus, si contingat, tunicas lacerari, quid fiendum? Non debet statim nova procurari, sed ipsa antiqua reparari (*a*) « de saccis et aliis petiis », ut ipse faciebat; ratio, quia sic faciendo facit « cum benedictione Dei ».

8. In huius capituli parte ultima monet et exhortatur fratres etc. Ubi sciendum, quod sunt nonnulli, qui asperis induti et cibis delicatis non utentes ex hoc ad iudicandum alios et despiciendum assurgunt. Beatus Franciscus, si fratribus molles interdicit tunicas, multo fortius et cibis delicatis peruti; quia facilius inclinatur ad peccatum homo ciborum mollium sumptione nimia quam vestium. Quid dicit? Inquit: « Fratres non iudicent », tales male agere; quia quis, dum utitur vestimentis secundum decentiam sui status, non male agit; « nec despiciant » peccatores tales asserentes, sicut pharisaeus de publicano censebat, de ieiunio se commendando. Sed quid frater Minor debet agere? Certe « iudicet », scilicet se non agere conformiter Christo, cuius consilia prosequenda devovit, « et despiciat semetipsum », dicendo cum Ps. 21, 6: *Ego sum vermis et non homo, opprobrium hominum et abiectio plebis.*

Capitulum tertium regulae

est de divino officio, et qualiter fratres debent ieiunare et ire per mundum. Et incipit: « Clerici faciant divinum officium » etc.; et dicit, quod in hoc capitulo hymnus Deo persolvitur, corpus conteritur per actum dirae subiectionis.

1. Ubi sciendum, quod in hoc capitulo beatus Franciscus quoad praedicta fratres ordinat et per dicta tripliciter: primo ad Deum per opera collaudationis et reverentiae dicens: « Clerici » etc. Ubi sciendum, quod in ordine, cum sint fratres in duplici differentia: quidam divino cultui deputati et litterati, alii servitio prae-

(*a*) As et edd. *repeciari*.

[1] Bulla « Quorumdam exigit » de 7 oct. (l. c. t. IV pag. 128). — [2] Cfr. II Cel. 3, 15.

fatorum deputati et illitterati, ac quilibet pro modulo [suo] Deum debet collaudare et pro impensis iuxta posse regratiari, hinc est, quod clericis et primis fratribus imponit, ut Deum per officii exhibitionem laudent, dicens, quod « clerici », ut Deum laudent, « faciant divinum officium ». Sed qualiter? Inquit: « Secundum ordinem sanctae romanae ecclesiae », id est se conforment ordinario ecclesiae, prout scilicet est in breviariis eius ordinatum, psalterio excepto. Et quando? Scilicet « ex quo habere poterunt breviaria ». Quatuor magistri: per breviaria intelligitur officium diurnum (*a*), scilicet quoad missale, et nocturnum; quia in his duobus fratres se ordinario ecclesiae debent conformare. Nota hic secundum dominum papam Clementem in declaratione [1], quod istud aequipollet praecepto; quo sequitur, quod clerici fratres, etsi non sint in sacris, ubi possunt officium dicere divinum nec dicunt, quod peccant mortaliter; quia scienter omittunt id, ad quod tenentur, praesertim non habentes impedimentum. Sequitur etiam, quod fratres celebrantes alias festivitates ab his, quae non sunt in calendario, aut de quibus non dicit rubrica breviarii, peccant graviter; quia praesumptuose faciunt et contra ordinarium ecclesiae. Sequitur etiam, quod non pro quacumque infirmitate fratres possunt eximi a solutione divini officii; patet, quia est praecepto hoc aequivalens. Et sciendum, quod dominus papa Innocentius in declaratione sua [2] et in privilegio, quod incipit: « Pio (*b*) vestro collegio [3] », concedit, quod, si fratres clerici intersint divino officio aliorum, quod « ad proprium dicendum minime teneantur »; et quia dicit « minime », si fratres dicant proprium, non necessitatis, sed supererogationis est. Sequitur etiam ex praedictis, quod, sicut fratres ad officium ordinata servare tenentur, sic et quoad cantum; quare, cum cantus fractus non sit per ordinarium ecclesiae ordinatus, fratres tales cantus exercentes peccant, et quia faciunt contra ordinationem papae Benedicti et constitutiones [4].

Sed hic est dubium: si dominus papa faceret de uno festo, quod non est in calendario vel secundum rubricam breviarii, fratresne tenentur facere de illo festo? Respondetur, quod non, nisi ipse mandaret de eo fiendum.

Quo passu regulae dixit beatus Franciscus: « Ex quo habere poterunt breviaria », patet, ut dicit declaratio papae Nicolai, quod beatus Franciscus usum rerum non vetavit fratres habere, immo voluit, quod libri quoad usum in communi haberentur et non in speciali, prout dicebat frater Leo fuisse de intentione beati Francisci [5]. Et licet beatus Franciscus ponat, quod fratres persolvant divinum officium, et modum non pandat, attamen, quia praesupponit dici divinum officium, consequenter intelligitur, quod taliter dicatur, quod placeat Deo, prosit dicenti et aedificet audientes et ad devotionem inducat. Quare debet persolvi, ut ipse sanctus faciebat, de cuius modo dicit Bonaventura in X parte *Legendae maioris* [6], et dicetur fructu XIX et conformitate.

Imposito clericis et litteratis, quomodo dicant divinum officium, subdit beatus Franciscus in regula, qualiter reliqui fratres, illiterati videlicet et laici, Deum debeant suo posse collaudare; et dicit textus regulae, quod *Pater noster* debent Deo

(*a*) Edd. *divinum, scilicet diurnum.* In edd. *Expositionis quatuor magistrorum* habetur *utrumque breviarium, scilicet diurnum, quod est missale, et nocturnum, quod est horarum.* — (*b*) Edd. *Pro.*

[1] L. c. pag. 237. — [2] L. c. t. I pag. 400. — [3] L. c. t. I pag. 296. — [4] Cfr. constitutiones Benedicti XII, c. 2 (*Bullarium,* t. VI pag. 26). — [5] Cfr. Fr. Leo, *S. P. N. Francisci intentio regulae,* l. c. pag. 84 not. 1. — [6] N. 6.

persolvere. Quae oratio, etsi brevis sit, ipsa caelum penetrat, et tanto virtuosior prae aliis, quanto ab ipso Deo apostolis data et reserata. Datur laicis breve officium, et non sine causa, utpote servitiis clericorum occupatis; et dicit papa Nicolaus in declaratione [1], quod tales, etsi non vacent studio et divinis officiis, dummodo servitiis inhaereant aliorum, cum ipsis, quibus serviunt, sustentari merentur, exemplo David, qui descendentium ad bellum et remanentium ad sarcinas voluit, ut portio aequaretur. Istis tamen laicis indicitur in speciali, ut orent pro defunctis; quia in officio divino pro ipsis defunctis semper oratur, tam in officio diurno, id est missalis, quam nocturno; sed non sic in officio laicorum.

Et advertendum hic, quod, quia fratres habent persolvere divinum officium, ut libere hoc valeant exercere, summi pontifices fratribus concesserunt, videlicet papa Gregorius IX, privilegium, et incipit privilegium: « Devotionis vestrae precibus », Innocentius IV, et incipit privilegium: « Eis qui sanandis » etc., et Nicolaus IV, et incipit privilegium: « Meritis vestrae religionis [2] », quod tempore generalis interdicti, interdictis et excommunicatis exclusis, ianuis clausis et submissa voce, in ecclesiis nostris fratres possint celebrare divina. Addit papa Nicolaus, quod non solum legere divinum officium possunt et missas celebrare, sed etiam temporibus consuetis iuxta morem ordinis sacrae communionis et extremae unctionis sacramenta recipere. Possunt etiam fratres ad divina admittere procuratores, operarios et pueros fratrum tempore interdicti, ex privilegio Alexandri IV, et incipit: « Ut in vestris domibus servientes [3] ».

Praefatis ergo apparet, quomodo beatus Franciscus in regula ordinat fratres ad Deum per opera reverentiae.

2. Ordinat etiam ipsos secundo quoad corpus per opera poenitentiae per ieiunium, ubi ponit, quod fratres debent ieiunare, et quando; et dicit papa Clemens in declaratione [4], quod istud aequipollet praeceptis; et dicta ieiunia tenentur ieiunare ac ieiunia omnia alia, ad quae ex statuto ecclesiae tenentur ceteri christiani. Sed quia non omnibus fratribus inest eadem valitudo seu aetas, hinc est, quod beatus Franciscus sicut discretissimus subdit, quod « fratres tempore manifestae necessitatis non tenentur ieiunio corporali »; necessitas enim aliquando evenit ratione aetatis vel infirmitatis, aliquando ratione laboris, aliquando ratione defectus victus et sustentationis; quando ergo necessitas est manifesta, tunc non tenentur fratres ad corporale ieiunium exhibendum.

Sed hic est dubium: cum iura non stringant homines, nisi usque ad vigesimum primum annum aetatis pervenerint, estne sic servandum in ordine? Respondetur, quod non, quia ratione voti et regulae promissae sic tenetur.

Sed quomodo debent fieri haec ieiunia? Respondent statuta (*a*) [5], quod « cibo quadragesimali ». Nec fratres ab aliis ieiuniis, scilicet vigiliarum et quatuor temporum, eximuntur, ut dicit papa Clemens [6]; quia si alii christiani tenentur, a fortiori ipsi; nec a praeceptis ecclesiae absolvitur quis per opera supererogationis, quia, ut dicit Christus, *illa oportet fieri, et haec non omitti* [7].

(*a*) Edd. addunt *ordinis*.

[1] L. c. pag. 215. — [2] *Bullarium* cit., t. I pag. 42 et 408 et t. IV pag. 32 et 61. — [3] L. c. t. II pag. 52. — [4] L. c. pag. 237. — [5] Constitutiones *Narbonenses*, rubr. 4, const. *Farineriae*, c. 5. — [6] L. c. pag. 242. — [7] Matth. 23, 23 et Luc. 11, 42.

3. Ordinat beatus Franciscus fratres quoad proximum per opera misericordiae, scilicet verbi Dei, dicens: « Consulo vero, moneo et exhortor, ut, quando vadunt per mundum » etc., scilicet missi ad praedicandum more apostolorum, Matth. 10, 6 sqq. et Luc. 9, 2 sqq. et 10, sqq., qui per Christum missi sunt ad praedicandum. Quando ergo « fratres vadunt per mundum », quia non dicit: « quando frater », hoc loco accipitur documentum, quod fratres non debent ire soli, sed sociati et bini, sicut ipse beatus pater Franciscus fecit statim, ut habuit fratres, et iuxta ordinem evangelii; nam Christus discipulos solos non misit, sed binos, ut habetur Luc. 10, 1. Sed attende, quod beatus Franciscus in hoc passu regulae vult, quod fratres primo opere praedicent, deinde verbo. Sed quomodo opere debent praedicare, ostendit: primo a litigiis praecavendo, dicens: « Non litigent »; eorum statui hoc non convenit; secundo, « ne verbis contendant », prout Christus consulit, Matth. 5, 40; tertio, ne sint temerarii (*a*) alios iudicando; ideo dicit: « Nec alios iudicent ». Ista tria fratres debent vitare.

Sed quibus virtutibus debent refulgere, dicit, primo ut sint « mites », non scilicet resistendo improbitatibus; secundo « pacifici », alios nullatenus impetendo; tertio « modesti », in verbis et factis modum servando iuxta Apostolum [1]: *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus;* quarto « mansueti », impetus irascibiles refrenando; quinto « humiles », propriam excellentiam contemnendo et declinando, et sibi ipsi vilescendo; sexto « honeste », id est non turpia aut stultiloquia proferendo; septimo (*b*) « loquentes omnibus sicut decet », videlicet cuilibet statui, quae sunt debita proponendo; debent ergo et fabulas devitare, et sermo eorum sale esse conditus divinae sapientiae.

Sed qualiter debent incedere? pedibus vel alio modo? Subdit beatus Franciscus, quod « non debeant equitare, nisi manifesta necessitate vel infirmitate cogantur »; Christus enim peditavit et apostoli, et non equitavit, sed asinavit, Matth. 21, 5 et 7. Christus enim, quando apostolos misit per mundum praedicare, Matth. ultimo, 19, non equitando, sed peditando misit; horum exemplo fratres Minores sic debent incedere. Addit, quid more debet dici evangelico, dicens: « In quamcumque domum intraverint » etc.; de pace per fratres dicenda et annuntianda beatus Franciscus et a sancto habuit evangelio, Luc. 10, 5, et divina revelatione, ut ipse ait in testamento suo.

Et quia sanctum evangelium testatur, Christum concessisse apostolis, ut comederent de omnibus cibis, qui eis apponerentur, sic et beatus Franciscus concedit, ut scilicet omnium ieiunantium in ieiunio et non ieiunantium extra ieiunium cibis uti possimus. Nec fratres hoc passu a ieiuniis absolvuntur, nec omnium ciborum usus est eis concessus, sed pro tempore. Isto regulae passu patet, quod hoc dicit beatus Franciscus hic secundum concessionem et non secundum praeceptum; et sic habes, quod aliqua indicuntur per modum praecepti, aliqua per modum instructionis, aliqua per modum monitionis, et aliqua per modum concessionis.

Sic ergo praefatis apparet, quomodo beatus Franciscus in hoc capitulo ordinavit fratres quoad Deum per reverentiam, quoad corpus per abstinentiam, quoad proximum per exemplaritatis refulgentiam. Et sic patet, quod in isto capitulo hymnus Deo persolvitur, corpus conteritur per actum dirae subiectionis.

(*a*) Codex *sit temerarius.* — (*b*) As et edd. om. *septimo.*

[1] Phil. 4, 5.

Quartum capitulum regulae.

« Praecipio firmiter fratribus etc., ut nullo modo denarios vel pecuniam » etc. Hoc est quartum regulae capitulum, in quo census et aes abdicitur, forma traditur verae ministrationis. In quo beatus Franciscus duo facit, videlicet quia interdicit omnis pecuniae perceptionem (*a*), et exponit modum pro infirmis et aliis (*b*) procurationem, cum dicit: « Tamen pro necessitatibus » etc. Et quia hoc capitulum valde fuit cordi beato Francisco cum sexto capitulo huius regulae, ideo ad eius evidentiam sunt aliqua videnda.

1. Et primum de differentia inter pecuniam et denarium; quia beatus Franciscus utrumque interdicendo ponit distinctionem. Et iuxta constitutiones antiquas et quatuor magistrorum sententiam [1] per denarios intelligitur, « pecunia numerata; pecunia vero dicitur omnis res alia, qua solent uti homines, cum opportunum est ad pretium rerum emendarum, ut aurum et argentum et quidquid tale sit, quo pro denario ad pretium rerum emendarum homines utuntur ». Videtur ergo prohiberi receptio denariorum vel quarumlibet rerum, quae accipiuntur ad pretium rerum emendarum.

2. Secundum videndum: quid est recipere pecuniam? Dicunt quatuor magistri, « quod quaedam res recipiuntur in proprietatem et non in usum, quaedam in usum et non in proprietatem, et quaedam in proprietatem et usum ». Dicunt, « quod receptio cuiuslibet rei in proprietatem prohibetur fratri Minori, ut patet in sexto capitulo regulae; receptio vero quarumdam ad usum conceditur », ut librorum et vestium et huiusmodi; « receptio vero denariorum et pecuniae, quantum ad proprietatem et quantum ad usum, omnino prohibetur, et per se et per interpositam personam ». Sed sciendum, quod aliquae res habent duplicem usum, naturalem et accidentalem. Ad propositum: si quis uteretur auro ad usum naturalem et gemmis, quia valent ad multa medicinalia, similiter etiam ad aliquem usum accidentalem, ut auro pro calicibus et huiusmodi, talium usus non interdiceretur, nisi in talibus esset excessivus abusus; attamen praefatis utendo ad emendum nullo modo licet fratribus habere.

3. Tertium videndum est: quid est recipere per se vel per interpositam personam? Respondent praefati magistri: « Per se recipere pecuniam est pecuniam ad convertendum in suos usus accipere; recipere vero per interpositam personam est sua auctoritate alium substituere ad recipiendum pecuniam in suos proprios usus convertendam ».

4. Quartum videndum est de quodam casu, quo videbitur, qualiter fratres circa pecuniam et denarios debeant se habere. Et casus est talis: fratres indigent pro suis necessitatibus eleemosyna pecuniaria, inveniunt aliquem dantem vel mittentem vel committentem vel in testamento eis pecuniam dimittentem (*c*); qui (*d*) fratres, pensata necessitate, quam habent, et praedictum sic exhibentem eis, quid agere debent, ut sibi

(*a*) As *usum et perceptionem;* edd. *usum quoad perceptionem.* — (*b*) As et edd. *aliis et.* — (*c*) As et edd. *legantem.* — (*d*) Edd. *quid;* om. paulo post *quid.*

[1] L. c. ad c. 4.

quis subveniat in re, qua indigent, et ipsi praeserventur, ne per se vel interpositam personam pecuniam seu denarios non (*a*) recipiant? Ad hunc casum sic est respondendum, quod fratres indigeant pecunia, hoc est, vel pro re iam empta eis necessaria vel pro re, quam volunt emere, eis necessaria (*b*), et tunc vel pro re emenda de praesenti vel de futuro, et talis res fratribus necessaria, quam emere volunt, vel est, ubi fratres habitant, vel in alia regione. Ista distinctione praemissa, sic respondetur ad casum:

Primo, si fratres rem emerunt, tunc ad volentem dare possunt accedere rogando, quod satisfaciat; si ipse facit, bene quidem; si vero ipse non vult manu propria satisfacere vel non potest, tunc fratres possunt eum rogare secundum papam Nicolaum in declaratione [1], quod aliquem substituat per ipsum et ab ipso nominandum, per quem recipere debenti satisfiat (*c*); si facit, bene quidem; si vero non vult facere vel non possit, tunc secundum papam Nicolaum fratres possunt famulum illius, a quo res emitur, vel alium seu alios praesentare, cui vel quibus possit, si danti placuerit, committi exsecutio praedictorum; sic « tamen, quod semper apud dantem dominium et possessio pecuniae remaneat cum libera potestate revocandi (*d*) eam, usquequo conversa sit in rem deputatam ita, quod fratres contra personam dantem vel nominatam nullam habeant actionem, qualitercumque in praedicta commissione se haberent. Liceat tamen fratribus, [ut] dicit papa Nicolaus, suas necessitates insinuare ac specificare vel exponere personae praedictae sive substitutae, ac eam rogare, quod solvat, ac etiam eandem exhortari ac inducere, quod fideliter se habeat in re commissa, et animae suae saluti in commissa sibi exsecutione provideat ». Possunt etiam secundum dominum Gregorium IX in declaratione [2], ubi substitutus non faceret per negligentiam vel ignorantiam executionem rei commissae (*e*), ad talem, qui dedit et substituit, fratres habere recursum. Dicit dominus papa Nicolaus, quod, si talis persona substituta et nominata « contigerit per absentiam, infirmitatem, voluntatem (*f*) vel locorum distantiam, in quibus solutio esset facienda, ad quae nollet accedere, liceat fratribus quantum ad unam aliam personam subrogandam, si ad primum dantem nolint habere recursum vel non possint », personae subrogatae nominare, sicut dictum est de persona ipsa subrogata, respectu domini subrogantis. Et sic possunt plures alias personas praesentare fratres tam danti primo quam personae substitutae. — Et si quaeratur: iste nuntius vel nuntii per fratres praesentati cuius sunt? respondent papa Gregorius, papa Innocentius et papa Nicolaus, quod illius, a quo res emitur, vel illius, cuius auctoritate pecunia deponitur. — Et si quaeratur: si talis substitutus (*g*) debet statim solvere? respondet papa Gregorius, quod sic; et si non statim solveret vel ex ignorantia vel ex negligentia, fratres inducant eum vel recurrant ad dominum subrogantem, ut dictum est. — Sed talem nuntium fratres praesentando, numquid fratres dicuntur pecuniam recipere per se vel per interpositam personam? Respondet papa Innocentius in declaratione, quod non; quia non eorum auctoritate pecunia vel denarii conservantur, nec ipsi habent dominium vel proprietatem, sed dominus [ipsam] dans, ut dicit papa Nicolaus.

(*a*) As et edd. om. *non*. — (*b*) As om. *vel pro re—et tunc*. — (*c*) Edd. *satisfaciat*. — (*d*) As *removendi*, edd. *repetendi*. — (*e*) As et edd. om. *exsecutionem rei commissae*. — (*f*) Ita codd. et edd. Pisani; in originali et edd. bullae *noluntatem*. — (*g*) Edd. *substitutor*.

[1] L. c. art. 6. — [2] Bulla « Quo elongati », l. c. t. I pag. 69.

Secundo, si fratres non emerunt, sed emere volunt, et dominus velit dare, si statim volunt emere fratres, dic, ut ad praecedentem primam partem est dictum.

Tertio, si fratres volunt emere rem, quam non statim habere possunt, utpote libros scribere et aedificia construere, et sic de similibus, ita quod requirunt tractum temporis, dicit papa Nicolaus, quod fiat, ut dictum est, ut dominus dans dare differat vel aliquis substituatur per ipsum, cui committit (*a*) vel substitutus per ipsum alteri committat, dominio pecuniae apud dominum semper libere remanente, usquequo in rem deputatam convertatur.

Quarto, si res non habetur (*b*) in terra, ubi fratres morantur, sed in alia terra, qua indigent, respondet papa Nicolaus [1], quod fratres debent ad dominum pecuniae ire, si praesto est, vel ad eius nuntium et dicere, « quod sibi placeat, quod, dominio pecuniae apud ipsum remanente, usquequo in rem deputatam convertatur, per quascumque manus pecunia seu eleemosyna ipsa tractetur, sive per personas ab eo vel a fratribus nominatas, totum suo consensu, voluntate ac auctoritate procedat. Quo assensum suum praebente praedictis, secure fratres re empta vel acquisita de pecunia illa per quemcumque uti possunt ». Et dicit papa Nicolaus [2], « quod fratres praefatis modis, ut praedicitur, circa pecuniam in supportandis eorum praeteritis et ingruentibus necessitatibus observatis, non intelliguntur, nec dici possunt per se vel per interpositam personam pecuniam recipere contra regulam vel professionis (*c*) sui ordinis puritatem, cum manifeste pateat ex praemissis, ipsos fratres non solum a receptione, proprietate, dominio sive usu ipsius pecuniae, verum etiam a contrectatione qualibet ipsius et ab ea penitus alienos ».

Sed hic sunt aliqua dubia; et primum est: quibus verbis debent fratres uti in praesentando aliquem domino volenti benefacere fratribus in pecunia? Respondet constitutio antiqua [3], quod fratres debent dicere personae pecuniam offerenti: « Potestis, domine, si placet, istum vestrum constituere nuntium vel apud istum vestram eleemosynam deponere, qui vice vestra inde fratrum provideat necessitati ».

Secundum dubium: si casus accidat, quod dominus pecuniae moriatur, antequam [id quod] deposuit pro fratrum necessitatibus sit expensum, quid fiendum de illa pecunia? Respondet papa Nicolaus in declaratione [4]: « Quod, si dominus concedens dixerit, quando concessit, quod persona deputata pecuniam ipsam in necessarium usum fratrum expenderet, quidquid de ipso concedente contigerit, vivendo vel moriendo, sive concedens heredem reliquerit sive non, possunt fratres ad personam deputatam, non obstante concedentis morte vel heredis contradictione, pro illa pecunia expendenda recurrere, sicut poterant ad ipsum dominum concedentem ».

Tertium dubium: dominus dat et deponit plus, quam fratres indigent pro solutione, [et] pecunia ipsi (*d*) superfluit: quid fiet de ipsa? Respondet papa Nicolaus [5], quod si dans rogetur, quod superfluum possit in alias fratrum necessitates expendi: si consentiat, potest in tales necessitates modo praefato converti; si non consentiat, residuum ad ipsum dominum libere revertatur. Dicit tamen papa, quod fratres debent cavere, ne faciant plus dari, quam aestimatur res eis necessaria valitura.

(*a*) As et edd. *committat*. — (*b*) Edd. *haberetur*. — (*c*) As et edd. *professionem ac*. — (*d*) As et edd. *ipsa*.

[1] Art. 7. — [2] Art. 7 in fine. — [3] Cfr. const. *Fariner*. c. 3. — [4] Art. 8. — [5] Art. 9.

Quartum dubium: dominus credit, fratres posse recipere, et dat libere et absolute fratribus. Respondetur, quod nullus intendit dare fratribus, nisi prout eorum convenit professioni et regulae. Dat ergo fratribus eo modo, quo eis competit, committendo alicui, qui eam dispenset in his rebus, quibus fratres possunt uti. Similiter ipse dans, si servet, eodem modo servat pro fratrum necessitatibus; et semper est dominus, usquequo pecunia in rem necessariam est conversa. Et dato, quod dans (*a*) intendat dando transferre proprietatem (*b*) et dominium in fratres, nunquam hoc facit nec facere potest; quia nec fratres id vellent, quia nullus (*c*) potest dominium in alium transferre, ipso nolente, nec fratres etiam volentes, quia non possunt habere talem proprietatem; quia nec per se recipere possunt nec per interpositam personam.

Quintum dubium: dator pecuniae nullo omnino modo habere vult talem proprietatem, nec pecuniam, quam dat, vult aliquo modo ad se pertinere: ad quem (*d*) pertinebit? Respondetur, quod secundum declarationem dominorum Innocentii, Nicolai et Clementis V, cum talis non possit esse fratrum nec substituti sive depositarii, proprietas erit ecclesiae. Sed quia dominus Ioannes papa XXII in quadam *Extravagante*, quae incipit « Ad conditorem canonum » etc. [1], modificat quae spectant ad ecclesiam romanam de rebus fratribus Minoribus concessis, sic dicens iuxta finem: « De fratrum nostrorum consilio hoc edicto in perpetuum valituro sancimus, quod in bonis, quae in posterum conferentur vel offerentur aut alias quomodolibet obvenire contingent fratribus seu ordini supradictis, exceptis ecclesiis, oratoriis, officinis et habitationibus ac vasis, libris et vestimentis divinis officiis dedicatis vel dedicandis, quae ad ipsos obvenirent in futurum, ad quae se non extendunt inconvenientia supradicta, propter quod constitutionem istam ad illa extendi nolumus (*e*), nullum ius seu dominium aliquod occasione ordinationis praedictae seu cuiuslibet alterius a quocumque praedecessorum nostrorum super hoc specialiter editae, sanctae romanae ecclesiae acquiratur; sed quoad hoc habeantur ordinationes huiusmodi pro non factis; per hoc autem in his, quae ex (*f*) dictis ordinationibus in bonis praedictis ad dictam ecclesiam pervenire vel pertinere quomodolibet poterant vel debebant (*g*), nullum eidem parari praeiudicium volumus, sed illa sibi expressius intacta et inviolata servamus ». Quibus verbis patet, quod dicta pecunia ad ecclesiam romanam non pertinet; sed cuius sit, quia ipse papa non dicit, et sic de multis aliis, utpote de habitibus et fratrum tunicis, hortis et huiusmodi, ego non determino, sed super hoc habeatur domini papae determinatio et declaratio. Et si dicatur: pecunia pro fratribus deputatur; ergo videtur, quod sit fratrum, respondetur, quod li « pro » non dicit proprietatem (*h*), cum eorum auctoritate non deponatur, sed dicit utilitatem vel aliam causam, secundum quod fratres indigent. Nec etiam consequentia ista est bona: « hoc deputatur pro isto; ergo hoc est istius, pro quo deponitur »; patet exemplo in patrefamilias, qui dispensatori suo pro nutriendo familiam suam tradit pecuniam; licet illa pecunia sit pro utilitate familiae, non tamen est familiae, sed domini. Quod autem pecunia sic deputata pro fratribus non sit fratrum ipsorum, ostendit papa Gregorius et Innocentius; quia nec eorum auctoritate deponitur, nec eam exigunt nomine depositi.

(*a*) As *dominus*. — (*b*) As *potestatem*. — (*c*) As et edd. *non*. — (*d*) As et edd. addunt *ergo*. — (*e*) As et edd. *volumus*. — (*f*) *Bullarium* l. c. *absque*. — (*g*) *Bullarium* l. c. *poterunt vel debebunt*. (*h*) Codex *auctoritatem*.

[1] *Bullarium*, t. V pag. 245.

Sextum dubium: fratres non habent necessitatem pro praesenti, sed pro imminenti; numquid modo praefato volentes eleemosynas dare possunt rogare, quod servent vel substituant aliquem etc., ut est dictum? Respondetur, quod sic; nam istud praesupponendo licitum fratribus, modum talia committendi ostendit papa Gregorius et papa Innocentius in declarationibus, ut ipse conservet vel substituat; et substitutus etiam potest alium substituere, ad quem pro loco et tempore pro necessitatibus fratres habeant recursum.

Ex praedictis ergo patet solutio casus quoad partem illam, videlicet quando fratres indigent et inveniunt personam, pecuniam eis dare volentem, quid fiendum?

Videndum est ergo nunc de secunda parte casus, videlicet de pecunia transmissa fratribus per nuntium, quid fiendum? Respondet papa Nicolaus in declaratione [1], quod, quando contingit, dari ipsam pecuniam fratribus vel mitti, « nisi aliud per mittentem exprimatur, modis praemissis oblata et missa intelligatur. Non enim, ut dicit ipse, est verisimile, aliquem eleemosynae suae sine expressione modum illum velle infigere, per quem et donans merito, vel illi, quorum necessitatibus intendit per donum huiusmodi providere, vel effectu doni vel suae conscientiae puritate fraudentur ». Et haec intelligenda sunt, ubi per donum (*a*) mittentem non fit mentio, quid de pecunia ipsa fiendum [sit]; si enim exprimeret nuntio, id debet fieri, quod dominus intendit et non aliud; quia fratres nec commissarius contra voluntatem domini mittentis, cum pecunia sit sua, aliud (*b*) agere possunt.

De tertia parte casus, videlicet de committente pecuniam apud aliquem pro fratribus, dicitur, ut dictum est, quod, si alicui pecunia expendenda pro fratrum necessitatibus committitur, fratres secundum papam Gregorium et Innocentium possunt ad illum recurrere, cui est commissa, modo iam dicto superius et expresso, et necessaria sicut a domino recipere, « hoc forte excepto, quod commissarius nec sua nec fratrum auctoritate pecuniam a domino ad aliquem usum vel necessitatem determinatam potest ad alios usus commutare, nisi a domino super hoc receperit potestatem vel eius ad haec praesumpserit voluntatem »; haec quatuor magistri [2].

Circa quartam partem casus: de pecunia in testamento fratribus dimissa quid fiendum? respondet papa Nicolaus in declaratione [3] distinctionem ponendo; qui (*c*) vel talis dimittens modum exprimit in legando fratribus licitum, videlicet ut: « Dimitto vel lego eis pecuniam aut agrum vel domum, vineam et similia, ut per personam vel personas idoneas distrahantur, et de pecunia vel aedificia fiant vel in necessaria fratrum convertantur »; si sic legat, talia legata possunt fratres habere, modo in pecuniis aliis et eleemosynis, ut dictum est, servato; si vero talis legans modum exprimit fratribus non licitum in legando, utpote: « Dimitto fratribus vineam ad colendum vel domum ad locandum » et similia, dicit papa, quod a tali legato et eius receptione per omnem modum fratres abstineant. Si vero aliquid legetur sine modi expressione, ut in legato indeterminate relicto, dicit papa, quod servetur, quod dictum est de pecunia et eleemosyna fratribus indeterminate oblata vel missa, ut sub modo licito fratribus intelligatur relictum, ita quod nec legans merito nec fratres ipsi effectu relicti fraudentur.

Sic ergo patet ad casum supradictum quoad singulas eius partes.

(*a*) Edd. *dominum*. — (*b*) As et edd. om. *aliud*. — (*c*) As *quod*; edd. *quid*.

---

[1] L. c. art. 10. — [2] L. c. ad 4 c. — [3] Art. 11.

Dominus papa Clemens V in declaratione, quae incipit: « Exivi de paradiso [1] », quae dominus papa Nicolaus sancivit circa pecuniae receptionem, approbans subdit, quod « cavere summopere debent, ne pro aliis causis quam ponat praedecessoris declaratio, scilicet domini Nicolai, ad dantes pecunias sive deputatos nuntios non recurrant, ne, si secus ab ipsis attentatum fuerit, transgressores praecepti et regulae merito possint dici; nam ubi alicui (*a*) generaliter aliquid prohibetur, quod expresse non conceditur, intelligitur denegatum ». Quo (*b*) papa Clemens conclusit (*c*), quod « quaestus omnis pecuniae ac oblationum (*d*) pecuniarum receptio in ecclesia vel alibi, cippi seu trunci ordinati ad offerentium seu donantium pecunias reponendas, nec non et quicumque recursus alius ad pecunias seu habentes ipsas, qui per declarationem ipsam non conceditur, haec, inquam, omnia sunt eis simpliciter interdicta ».

Dicit etiam papa Clemens [2], quod regula cum dicat, in duobus casibus recurrendum ad amicos spirituales, videlicet pro necessitate infirmorum et pro fratribus induendis, et papa Nicolaus, cessantibus eleemosynis, extenderit ad fratrum alias necessitates occurrentes pro tempore et ingruentes, cavere debent fratres, ne « pro aliis causis quam praedictis vel similibus ad amicos, sive sint dantes sive deputati per fratres, recurrant, et sic se gerant in omnibus, quod se cunctis ostendant in dictis pecuniis, sicut non habent, penitus nihil habere ». Et conclusit papa Clemens: « Quapropter praecipere, quod et qualiter pecunia expendatur, computumque exigere de expensa, eamque quoquo modo repetere sive deponere seu deponi facere, capsulam pecuniae vel eius clavem deferre, hos actus et consimiles sibi illicitos fratres esse sciant; praedicta enim facere, ad solos dominos pertinet, qui dederunt, et eos, quos ipsi deputaverint ad hoc ipsum ». Concludit frater Ugo [3] ex dictis, quod fratres non possunt esse custodes pecuniae vel dispensatores; quia « custodia realem obligationem importat, nisi a principio per determinationem aliquam excludatur » obligatio, utpote dicendo: « Nos nolumus ad custodiam pecuniae teneri, nec eam volumus recipere », et sic debent de quolibet deposito dicere, prout volunt constitutiones ordinis modernae. « Dispensatio etiam quandam habet auctoritatem, saltem ministerialem, et affert ordinis (*e*) scandalum et suspicionis notam; et haec regula prohibere videtur ».

Sed circa iam dicta quoddam insurgit dubium, et est hoc: fratres indigent, nec inveniunt offerentem, sed inveniunt solum eis mutuare volentem; numquid possunt mutuum contrahere? Respondit papa Nicolaus in declaratione [4], quod non licet eis, eorum statu considerato, propter obligationis vinculum, quod exigitur; possunt tamen dicere tali, quod laborabunt fideliter, quod per eleemosynas et amicos fratrum satisfiet eisdem. Quatuor magistri dicunt [5], quod « mutuare proprie est de meo tuum facere, et hoc modo non licet fratribus, quia est contractus proprietatis; et hoc modo, qui mutuatur, ad solutionem se obligat; alio modo dicitur inpropriе bona fide ad procurandum, non ad faciendum solutionem se obligare, et hoc modo possunt fratres mutuare ».

Aliud dubium est: numquid in aliquo casu liceat fratribus pecunia uti? Respondet papa Nicolaus et frater Ugo, quod solum in extrema necessitate, quando nec petendo nec laborando nec per oblationem vitae necessaria possent invenire; quia tunc votum

(*a*) Edd. *alicubi.* — (*b*) Edd. *Ex quo.* — (*c*) Edd. *concludit.* — (*d*) As *obligationum.* — (*e*) As et edd. *ordini.*

[1] Art. 7. — [2] Art. cit. — [3] L. c. ad 4 c. — [4] Art. 6. — [5] L. c. ad 6 c.

cedit conservationi naturae, quae magis obligat; nec pecunia illius fit, qui eam contractat vel recipit, sed tantum usus, nec usus simpliciter, sed ad tempus et ex causa. Et subdit frater Ugo: « Porro soli Deo acquiritur, cuius intuitu vel nomine offertur, cuius vice et auctoritate, cum praefata durat necessitas, in aliud transfunditur vel transfertur ». Sed dicta necessitate cessante, pecuniam recipere nullo modo permittitur, et ideo bene dicit papa Nicolaus [1], quod, si dicta triplex via praefata secluderetur, via extremae necessitatis, qua iure poli omnibus subvenitur, sic et fratribus, cum ab omni lege extrema necessitas sit excepta.

Et sic patet prima pars exposita istius quarti capituli, in qua beatus Franciscus interdicebat omnis pecuniae et denariorum usum et perceptionem.

Secunda pars capituli est:

« Tamen pro necessitatibus infirmorum » etc.; ubi beatus Franciscus ostendit quandam sollicitudinem habendam, et procurationem. Circa quam partem sunt aliqua videnda.

1. Primum est: quid intelligitur nomine ministrorum et custodum? Respondent quatuor magistri et frater Ugo [2], quod nomine ministri intelliguntur etiam guardiani; quia sic guardiani antiquitus vocabantur; regula enim capitulo octavo generalem ministrum vocat custodem; attamen dominus Innocentius, dominus Nicolaus et dominus papa Ioannes XXII vocant ministros et custodes, ut modo in ordine vocantur; et sic accipiendum est.

2. Secundum videndum est: an ministri et custodes aliis fratribus possint praefata duo committere? Respondet papa Innocentius in declaratione et papa Nicolaus et papa Ioannes XXII, quod sic (*a*), quia possunt per alios fratres talia exerceri; et quibus committitur, debent talia diligenter exercere; sic tamen, quod quibus committitur per ipsos, praefata faciant non per se, sed per amicos spirituales, quia substitutus et vicarius non habet ampliorem auctoritatem quam dominus et substituens.

3. Tertium videndum: quid intelligitur per amicos et spirituales? Respondet frater Ugo [3], quod antiquitus ministri et custodes « declinantes ad loca de duobus praefatis fratribus valde necessariis populum in praedicatione exhortabantur, et tunc fideles aliqui, ab aliis positi ad huiusmodi procuranda in his vice populi, absque fratrum sollicitudine providebant », et dicti vocabantur amici spirituales; sic in quibusdam locis aliqui fideles ad praefata ab episcopis deputabantur et fratrum amici spirituales censebantur. Attamen secundum dictos summos pontifices, qui loquuntur de praesenti puncto, intelligunt (*b*) per amicos spirituales dantes et substitutos, ad quos pro praefatis fratres possunt habere recursum.

4. Quartum videndum: si pro aliis necessitatibus fratrum a praedictis ad tales possunt recurrere ministri et custodes et per eos deputati? Respondent papa Nicolaus

(*a*) As et edd. *Nicolaus, quod sic; et etiam papa Ioannes.* — (*b*) Edd. *intelligitur.*

[1] L. c. art. 2 in fine. — [2] L. c. ad 4 c. circa finem. — [3] L. c. ad 4 c.

et papa Clemens, quod sic, ut supra dictum est [1], videlicet cessantibus eleemosynis. Qualiter tamen fratres se debent habere, dictum est in prima parte huius capituli per ipsum papam Clementem; vide ibi [2].

5. Quintum videndum: quia dicit, quod « ministri et custodes sollicitam curam gerant secundum loca [et tempora] et frigidas regiones » etc., an liceat fratribus in posterum providere, utpote tempore messium et vindemiarum facere congregationem de frumento et vino et de aliis? Respondent summi pontifices papa Clemens et papa Ioannes, quod sic. Attamen papa Clemens distinctionem facit dicens [3], quod considerando beati Francisci intentionem, « non est verisimile, eum voluisse fratres habere granaria vel cellaria, et praecipue, ubi quotidianis mendicationibus possent transigere vitam suam »; et subdit, quod talia fieri debent, ubi « multum credibile ex iam expertis, quod non possent vitae necessaria aliter invenire ». Sed hoc papa committit « ministris et custodibus, simul et separatim in suis administrationibus cum guardiani et duorum sacerdotum discretorum et antiquorum consilio et assensu, ipsorum conscientias onerando ». Idem dicit dominus papa Ioannes in declaratione et in decretali « Quorumdam exigit [4] », conformando se domino Clementi dicens, quod praefati habeant videre, si sine provisione possint vivere; si non, concedit, quod talis provisio fiat, ita tamen, quod moderate, addens, quod fratres alii praedictorum determinationem sequentes non praesumant eos dicere suae regulae transgressores. Quatuor magistri dicunt [5], quod, « pensatis hinc inde regulae sententiis, quod non (*a*) solum exigente necessitate possunt sibi fratres in posterum providere, ita tamen, quod nec diuturnitate nec rerum quantitate vel qualitate in provisione, quam faciunt in rebus necessariis, forma paupertatis excedatur ». Hoc regulae passu, videlicet quod « ministri et custodes sollicitam curam etc. secundum loca » etc., ostendit papa Nicolaus, quod fratres de licentia ministrorum et custodum coniunctim et divisim in suis administrationibus uti pluribus tunicis possunt, pensatis necessitatibus et aliis circumstantiis. Demum, ut, quam esset cordi beato Francisco, ne fratres haberent pecuniam, in fine huius capituli concludit dicens: « Eo semper salvo, ut nullo modo denarios vel pecuniam recipiant ».

Alia circa hoc capitulum dicenda dicentur capitulo sexto.

Expositio quinti capituli regulae.

« Fratres illi, quibus dedit Dominus gratiam laborandi, laborent » etc. In isto capitulo frater supponitur, labor indicitur dignae occupationis; in quo capitulo a beato Francisco fratribus ostenditur primo occupatio fructuosa in prima parte, secundo abdicitur acceptio damnosa; quia scilicet dicit: « De mercede » etc.

1. Circa primam partem pro eius declaratione est primo videndum: an hoc sit praeceptum, monitio vel informatio? Et ex dictis papae Nicolai in declaratione [6] patet responsio, quod non est praeceptum. Ratio, quia, si esset praeceptum, omnes obligaret,

(*a*) Ed. expos. quatuor magistrorum om. *non*.

[1] Pag. 401. — [2] Pag. 405. — [3] Art. 14. — [4] Cfr. *Bullarium franc.*, t. V pag. 130. — [5] L. c. ad 4 c. in fine. — [6] Art. 16.

cuius oppositum ostendit dominus papa dicens, quod « non fuit intentio beati Francisci regulam instituentis, quod vacantes studio vel divinis officiis et ministeriis exsequendis manuali labori et operationi subiacerent, vel ad hoc illos arctaret, cum exemplo Christi et multorum sanctorum patrum labor iste spiritualis tanto illi praeponderet, quanto, quae sunt animae, corporalibus praeferuntur ». Ad alios vero, qui se in praedictis spiritualibus operibus non exercent, ne otiose vivant, praedicta verba dicit extendi, « nisi tales aliorum fratrum licitis officiis occupentur; nisi etiam tales tam excellentis et notabilis contemplationis et orationis exsisterent, quod merito propter hoc non essent a tanto bono et pio exercitio subtrahendi ». Et subdit papa Nicolaus, quod « fratres quantumcumque studio vel divinis ministeriis non vacantes, sed aliorum fratrum studio vel aliis divinis officiis et ministeriis vacantium servitiis inhaerentes cum ipsis eisdem, quibus serviunt, sustentari merentur, quod ostenditur ex lege David, qua ipse sancivit, videlicet quod descendentium ad proelium et remanentium ad sarcinas portio aequaretur ». Sic ergo patet, quod non est praeceptum nec praecepto aequipollens nec monitio, quia verbo monitorio non utitur, sed solummodo informatio. Et si dicatur: beatus Franciscus in testamento dicit, quod ipse vult laborare manibus, « et volo, quod omnes fratres laborent fideliter »; quare videtur esse praeceptum et praecepto aequipollens, respondet frater Ugo [1], quod in principio ordinis pauci erant litterati et studio vacantes, et maxima pars erat laborare valentium; omnes tales ad vitandum otium beatus Franciscus voluit laborare manibus. Insuper, cum beatus Franciscus non dicat, quod laborent manibus, sed simpliciter, quod laborent, potest ad laborem spiritualem sic referri, sicut ad corporalem, iuxta illud, quod in prima regula [2] dixerat, videlicet: « Servi Dei semper orationi vel alicui bonae operationi insistere debent ».

Secundo est videndum: quid intelligitur « per gratiam laborandi »? Respondetur quod per « gratiam laborandi » intelligitur industria et ars laborandi, cum corporis valetudine suffragante et usu; quando haec suppetunt et in aliis non impeditur, talis a Domino « gratiam laborandi » habet. Hoc ergo supposito, quia otiositas est a servo Dei evitanda specialiter, iuxta illud Hieronymi [3]: « Serve Dei, semper aliquid facito, ut diabolus semper te inveniat occupatum », beatus Franciscus, otium cupiens evitari a fratribus, et hoc per laborem, qui labor est in ordine multiplex, videlicet in studio veritatis, in exercitio humilitatis, pietatis seu caritatis et ceterarum virtutum, in officio praelationis, procurationis aliorumque ministeriorum, prout singulis imponuntur. Quando ergo homo assuetus labori in praefatis et similibus non occupatur, debet laborare sive manuali sive alio labore, et causa, ut vitet otium.

Hoc praesupposito, beatus Franciscus docet modum laborandi dicens, quod « laborent fideliter et devote » etc.: « fideliter » quoad proximum, utpote si daretur fratribus ad operandum; « devote » quoad Deum, ut devotio sit voluntatis et intentionis rectae in mente, et discretio in exsecutione ita, quod, « excluso otio, animae inimico, sanctae orationis et devotionis spiritum non exstinguant » etc. Ubi beatus Franciscus innuit, quod otium, etsi sit fugiendum, spiritus [tamen] devotionis [tali] operatione non est exstinguendus. Nam religiosus propter occupationes dimittere non debet orationes necessarias, sed debet primum quaerere regnum Dei, et sic Marthae curam, ut Mariae gratiam non omittat, habere [4]. Nonnulli sunt et fuerunt in hoc or-

---

[1] L. c. ad 5 c. — [2] C. 7 (in ed. cit. pag. 34). — [3] Epist. 125 n. 11 (P. L. t. 20 col. 1078). — [4] Luc. 10, 40 sqq.

dine, qui hac beati Francisci sententia in vitatione cuiuscumque laboris se muniunt dicentes, si quando aliqua eis imponuntur, quod talia exercere non debent, eo quod spiritum devotionis et orationis exstinguant. Nam ut dicit glossa [1] super illud Luc. 18, 1: *Oportet semper orare*, « orare semper non cessat, qui non cessat bene operari ». Et frater Aegidius dixit, quod orare est voluntatem sui praelati perficere [2]. Tales non excusantur, sed potius incusantur, qui exercitia spiritualia et similia inter devota non putant censenda.

Tertio videndum est: quid est « spiritum non exstinguere »? Respondet beatus Augustinus super Psalmum 37, et habetur in glossa ad I Thess. 5, 19 super illud: *Spiritum nolite exstinguere*, id est abscondere. Sed ad vim eundo vocabuli *spiritum exstinguere* est ipsum totaliter opprimere, occidere et abiicere (*a*). Ille spiritum exstinguit, qui oratione abiecta, quae sunt mundi, carnis et diaboli, sectatur et quaerit. Hic (*b*) vult dicere beatus Franciscus, « quod fratres, qui habeant gratiam laborandi, laborent »; et quare? ad excludendum otium; sed quomodo? ut videlicet laborantes nec dimittant ea persolvere, ad quae tenentur, nec quaerant haec temporalia, quae eis interdicta sunt; quia sic faciendo, cum peccent mortaliter, « spiritum exstinguunt orationis et devotionis; cui scilicet spiritui cetera [temporalia] debent servire »; utpote quia spiritu immortales sumus, viam potius spiritus quam corporis eligere debemus. Et talem sensum habere et intendere beatus Franciscus ostendit in secunda parte huius capituli, cum dicit: « De mercede vero laboris » etc.

2. Et circa hanc secundam partem quatuor magistri [3] movent quaestionem; quia beatus Franciscus concedit, quod « pro labore corporis necessaria recipiant, sed non denarios vel pecuniam »: an liceat eis recipere pro mercede materiam, de qua operentur, verbi gratia: unus frater scit scribere, et alius scit facere sutelares, et sic de similibus: an scribenti liceat accipere chartas pro mercede, et pro sutelaribus corium? Respondent, quod, si concederetur, quod sic, sequeretur, quod fratres scientes laborare in auro et argento, possent [pro mercede] recipere aurum et argentum, de quibus fabricarent monetam, de quibus necessaria possent emere; quare concludunt, quod nullam materiam pretiabilem pro mercede possunt recipere; licet aliqui dicant, quod materiam impretiabilem, sicut sunt iunci, ex quibus fiunt storia et calati, quae materia ex se nullius est pretii; sed quidquid pretii provenit, est ex arte; nec istud possunt fratres recipere; ratio, quia calati et talia nomine fratrum venderentur, quod est interdictum eis, ut dicetur in sequenti capitulo. Quid ergo dicendum? Videtur dicendum, quod pro labore nullam mercedem possunt recipere quamcumque materiam, nec [in] ipsam operari, uti in datam eis pro mercede laboris, sed suum laboritium et artificium in alterius materiam debent exercere pro habendis necessariis; et hoc [est], quod dicit beatus Franciscus, quod « fratres recipiant corporis necessaria pro se et fratribus, sed non denarios vel pecuniam », et sic nec materiam, quae vendatur, ad quam venditionem proprietas concomitatur et dominium. Interdicitur etiam quodcumque pactum faciendum pro laboris mercede habenda; et hoc ostendit beatus Franciscus dicens: « et hoc humiliter, sicut decet servos Dei »;

(*a*) As *abdicare*. — (*b*) As et edd. *quid*.

[1] Beda in glossa *ordinaria* apud Lyranum in Luc. 18, 1. — [2] Cfr. *Chron. 24 gen.*, pag. 80 lin. 19. — [3] L. c. ad 5 c. in fine.

quia non cum lite merces est petenda, et tanquam eis danda ex debito, sed vult, quod quidquid datur pro necessitate accipiatur sine lite et cum humilitate et magis habendo respectum ad eleemosynam quam mercedem; quia sic decet facere « paupertatis sanctissimae sectatores ».

Expositio sexti capituli regulae.

« Fratres nihil sibi approprient » etc. Istud est sextum capitulum regulae, in quo mens a mundo suspenditur, infirmo compatitur vi gratae dilectionis. In quo capitulo beatus Franciscus tria facit: primo docet fratres se totaliter expropriare, secundo velle mendicare, tertio, quae sunt humilitatis et caritatis velle perpetrare; secunda pars ibi: « Vadant pro eleemosyna » etc.; tertia ibi: « Ubicumque sunt » etc.

1. Et circa primam partem sunt aliqua videnda et declaranda:

Primum: quid est appropriare? quia dicitur, quod « fratres nihil sibi approprient ». Respondent quatuor magistri [1], quod « appropriare est rem suam facere sive in dominium suum convertere. Sua autem est res, quae transit in arbitrii facultatem, ut faciat de ea habens quod vult, utendo, donando, vendendo, commutando et impignorando ».

Secundum: quomodo debet intelligi, quod « fratres nihil sibi approprient »? etc. Respondent quatuor pontifices summi, videlicet papa Gregorius IX, papa Innocentius IV, papa Nicolaus III et papa Clemens V, quod ordo nec in proprio nec in communi debet talium proprietatem habere, sed simplicis facti usum, ut dicit papa Clemens et papa Nicolaus; sed quomodo debeat intelligi, dominus Ioannes papa declaravit, ut postea dicetur. Et si quaeratur: an talis abdicatio sit meritoria, respondet papa Nicolaus in declaratione, quod sic, quod est meritoria et sancta; et multa alia dicit, quae dominus Ioannes papa revocat, et oppositum dicit in decretali, quae incipit: « Quia vir reprobus [2] ».

Tertium dubium est: cuius est (*a*) proprietas et dominium (*b*) rerum, videlicet, quibus fratres utuntur? Respondent summi pontifices, videlicet dominus Innocentius, Nicolaus et Clemens, quod ecclesiae romanae. Sed dominus papa Ioannes XXII in decretali « Ad conditorem canonum [3] » limitat praefatorum pontificum verba, et solum in dominium ecclesiae recipit ecclesias fratrum, oratoria, officinas, habitationes, vasa, libros et vestimenta divinis officiis dedicata vel dedicanda (*c*), quae obvenerunt vel obvenient; alia vero fratribus concessa non vult, quod in dominium transeant romanae ecclesiae; et cum talia sint multa, cuius sint quoad proprietatem et dominium, ipse nondum declaravit. Est tamen in praedictis sciendum secundum praefatos omnes pontifices, quod, si dantes talia vel concedentes reservaverunt sibi dominium, tunc ad tales pertineret, et non ad ecclesiam romanam. Sed de talibus dominus papa Nicolaus distinguit; quia talia, quae dantur fratribus, vel est ecclesia et cimiterium vel non; si ecclesia et cimiterium, ad romanam ecclesiam pertinet; si non, tunc dominium est concedentis. Dicit etiam dominus papa Nicolaus, quod utensilia, quorum usus eis conceditur, non debent habere ad ullam superfluitatem, quae deroget paupertati, vel ut

(*a*) As et edd. *erit.* — (*b*) As *omnium.* — (*c*) As et edd. *dedita vel dedicata.*

[1] L. c. ad 6 c. — [2] Cfr. *Bullarium franc.*, t. V pag. 408. — [3] L. c. pag. 233.

ea distrahant in futuro; et super hoc ministri disponant et custodes cum discretione, prout qualitas locorum exigit et conditio et aliae circumstantiae, sic tamen, quod semper paupertas in eis reluceat, ut regula dicit.

Ex isto passu patet, quomodo intelligitur, quod « fratres nihil sibi approprient » etc. Sequitur etiam responsio ad id, quod fit saepe, videlicet per alios religiosos et nonnullos alios fratres, quomodo in communi fratres non habent; quia cum professio fratrum sit vivere sine proprio, et non dicit in communi; quare, sicut est in aliis religiosis, qui dicunt, se vivere sine proprio et habent in communi, sic et nos habere debemus. Patet responsio; quia nos non solum praedicta promittimus, sed etiam regulam, et maxime quoad illa, quae praefata concernunt, ut est hoc sextum capitulum, de expropriatione, et quia summi pontifices sic declarant, eorum standum est approbationi (*a*).

Ex ista prima parte capituli, videlicet « fratres nihil sibi approprient » etc., papa Clemens in sua declaratione, quae incipit: « Exivi de paradiso », pluribus quaesitis infert responsionem.

Et primo, si quaeratur: si fratres possunt [esse heredes vel] procurare, ut fiant heredes? respondet [1], quod non. Ratio, ut dicit, quia « in successionibus transit non solum usus rei, sed et dominium suo tempore in heredem, et talium successionum, quae ex natura sua indifferenter ad pecuniam et etiam ad alia mobilia et immobilia se extendunt, considerata puritate voti, fratres nullatenus sunt capaces ». Similiter prohibet, ne valorem hereditatum sub forma legati fratres procurent dimitti, nec dimissa recipiant, praesertim si tanta dimitterentur, quod fieri videretur in fraudem.

Secundo, si quaeratur de annuis redditibus, respondet papa [2], quod « annui redditus secundum iura inter immobilia (*b*) censeantur ». Sicut ergo (*c*) fratres non possessiones, sic nec redditus tales, eorum conditione pensata, possunt habere.

Tertio, si fratres possunt in curiis advocatis, ubi agitantur causae pro temporalibus eis dimissis, assistere et adesse? respondet papa [3], quod nullo modo talibus curiis debent fratres adesse, « ut testimonium habeant ab his, qui foris sunt, et puritati satisfaciant voti sui et scandalum vitent proximorum ».

Quarto, an fratres possint esse exsecutores ultimarum voluntatum vel se intromittere de restitutionibus usurarum et male ablatorum vel de restitutionibus faciendis? respondet papa [4], quod non; quia, « sicut a dominio pecuniae, sic a contrectatione sunt alieni »; verum in exsequendis possunt consilium dare.

Quinto, si licet fratribus hortos habere, ut olera vendantur, sic et vineas? respondet papa [5], quod fratres habere hortos est decens multis de causis, et hortalitia; sed quod olera vendantur et alia hortalitia, sic et vineas, statui eorum repugnat. Ratio, quia per papam Nicolaum, si ager vel vinea ad colendum fratribus dimittatur, fratres non possunt habere talia; sic nec istud, cum ad formam proventuum appropinquet.

Sexto, de congregatione frumenti tempore messium et de congregatione vini tempore vindemiarum, dictum est in quarto capitulo, et sufficit.

(*a*) As et edd. *declarationi.* — (*b*) Codex *mobilia.* — (*c*) As et edd. *sicut ipsi.*

---

[1] Art. 9. — [2] Art. 10. — [3] Art. 11. — [4] Art. 12. — [5] Art. 13.

Septimo, si ecclesias magnas et aedificia sumptuosa possunt construere? respondet papa [1], quod non; sed fieri debent aedificia humilia et temperata, numerositati fratrum competentia et ordinis paupertati, et sic mandat deinceps fieri.

Octavo, si paramenta solemnia et multiplicia et calices et pallia possunt habere fratres? respondet papa Clemens [2], quod, si dicta fiant ad Dei honorem, et Deus potius cor quam manus respiciat, et per illa vult sibi serviri, quae conditioni conveniant et statui servientium, fratribus debent sufficere paramenta et vasa ecclesiastica decentia in numero et magnitudine sufficientia. Et pretiositas vel quaecumque curiositas fratrum professioni non competit; sapiunt enim aliquam thesaurizationem contrariam paupertati.

Nono, si licet fratribus in funeribus arma et equos recipere? respondet papa [3], quod in talibus observandum est, quod in pecuniariis eleemosynis est sancitum.

Decimo, si fratres tenentur ex regula ad pauperem et tenuem et arctum usum rerum? respondet papa Clemens, quod ex regulae professione tenentur ad arctos usus seu pauperes, quae in ipsorum regula continentur.

Haec omnia ponit dominus papa in declaratione, exponendo hoc sextum capitulum regulae. Et quia dictum est supra, quod « appropriare est rem suam facere sive in suum dominium convertere, ut faciat de ea habens quod vult, donando, vendendo » etc., et consequenter clare pateat, quod vendere, emere et huiusmodi non liceat fratribus, pro ipsorum tamen pleniori discussione videndum est de praefatis contractionibus, an liceat fratribus eos exercere? et ad hoc quatuor magistri respondent [4].

Et primo, si quaeratur: si fratres possunt emere? respondent dicti quatuor magistri, quod emere dicitur tripliciter: « primo modo de pretio rei emendae convenire; secundo modo dicitur solutionem rei emptae procurare; et his duobus modis possunt fratres emere; tertio modo dicitur emere pecuniam vel pretium pro re dare »; et hoc fratribus non convenit. Unde fratres emendo possunt dicere venditori: « Ego non obligando me, quia non possum, procurabo fideliter, ut tibi satisfiat pro hac re, quam a te accipio ».

Secundo: an fratres possint vendere? respondent quatuor magistri, quod « vendere uno modo dicitur rem propriam in alienum dominium transfundere pro pretio, et hoc modo vendit ille, qui habet rei dominium, et hoc modo fratres non possunt vendere; alio modo dicitur vendere de re aliqua pretium recipere, et hoc modo, etsi licet fratribus, tamen vendere secundum eorum professionem est inhonestum et turpe ».

De contractu mutuationis (*a*) dictum est supra c. 4.

Tertio de contractu commodationis: an liceat fratribus? qui contractus differt a contractu mutui, quia in mutuo dominium transfertur, non in accommodato; respondent quatuor magistri, quod « commodatio importat uno modo rei restitutionem, et hoc modo fratres, qui nihil possunt habere, non possunt aliquid in accommodatum habere; alio modo potest dicere procurationem vel sollicitudinem rei restituendae bona fide, et hoc modo non importat obligationem realem, et sic possunt ».

Quarto, si quaeritur: an fratres possint locare operas suas? respondent quatuor magistri, « quod, si locare importet cum pacto (*b*) de mercede convenire, non possunt; si vero locare dicat sine pacto, mercedem suam exspectare possunt ».

(*a*) Codex *mutationis*. — (*b*) As *pretio*.

---

[1] Art. 15. — [2] Art. 16. — [3] Art. 17. — [4] L. c. ad 6 c.

Quinto, si quaeratur: an fratres possint commutare res, quas habent in usu? respondent quatuor magistri, quod « rem aliquam in aliam sua auctoritate commutare non possunt »; sed auctoritate ecclesiae possunt, quia dominus papa Nicolaus licentiam concessit generali et provincialibus ministris, vel auctoritate domini, qui rem dedit, vel praesumpta vel accepta, possunt res concessas sibi ad usum in alias magis necessarias commutare.

Sexto, si quaeratur: an possint impignorare? respondent quatuor magistri, quod « alicui rem [ut] suam non possunt obligare, sed auctoritate domini rem sibi concessam pro necessariis possunt obligare ».

Septimo, si quaeritur: an possint donare? respondent quatuor magistri, « quod, cum nullam rem habeant propriam, sua auctoritate non possunt tribuere ». Dominus papa Nicolaus auctoritate apostolica in declaratione concedit [1], quod vilia intra et extra fratribus liceat elargiri, habita super hoc licentia suorum superiorum. Potest etiam fieri, scilicet donari, de licentia domini dantis rem et concedentis fratribus. Quo apparet, quod, licet fratres possint ad invicem res et libros accommodare, tamen non sine licentia dare vel recipere datas (*a*) possunt. Sed numquid pro penna, filo et huiusmodi minutis semper oporteat ire ad praelatum? Respondet frater Ugo [2], quod credit, « quod sufficiat, a praelato habere licentiam generalem ».

Sed praesumendo de voluntate praelati, numquid potest a fratre aliquid recipi? respondet idem frater Ugo ita: Si statim, si fieri potest, praelato denuntietur vel praesentetur; aliter de appropriatione arguitur et de furto; quia furtum habet, quod sine licentia retinet vel de voluntate praelati non praesumitur. Quod vero religiosi proprium abdicantes non possint dare aliquid vel recipere aliquid sine licentia praelati sui, hoc asserit beatus Augustinus [3]; quanto magis fratres Minores, nihil habentes nec in proprio nec in communi?

Patet ergo, quomodo intelligitur: « Fratres nihil sibi approprient » etc. Attamen, si proprietas a fratribus resecatur, non tamen omnis usus; quia sic homo ageret contra legem naturae, cum sine usu multorum esse naturae non conservatur.

Sed an aliquis usus vel omnis separetur vel separari possit a dominio? Quia dominus papa Ioannes determinat in decretali « Ad conditorem canonum », sufficiat eius determinatio.

Sed advertendum est, quod, ut dictum est per dominum papam Clementem, fratres ad arctum usum rerum tenentur. Quo sequitur, quod illae, quae sunt necessitatis, conceduntur, et fratres possunt habere, et non superflua, ut dicit papa Nicolaus et Clemens papa. Superfluitas resecatur a fratribus et interdicitur; quae attenditur in numero: duo superfluunt, si unum sufficit; in quantitate: multum [superfluit], si parum [sufficit]; in sumptu: sumptuosum, si vile; et decore: speciosum, si despicabile.

Sequitur etiam ex praefatis, quod, ex quo dicitur, quod « fratres nihil sibi approprient » etc., quod nec usum talium possunt sibi appropriare. Quo patet, quod graviter peccant fratres appropriantes sibi loca ad usum sive custodias sive provincias, sed debent per omnia voluntati superioris subiecti esse in omnibus talibus; talium

(*a*) Codex *dicas*.

[1] Art. 13. — [2] L. c. ad 6 c. — [3] Cfr. *Regulae clericis traditae fragmentum* (inter Opera S. Aug., P. L. t. 32 col. 1449).

enim locorum appropriatio sive per nativos sive per alios est nostri ordinis destructio, principium sectarum et omnis divisionis. Ratio subditur, quare talia non debent per fratres appropriari; quia dicitur, quod sint « tanquam advenae et peregrini in hoc saeculo » etc.; sic intelligendo, quod domus et loca et patriam, in quibus habitamus, nec proprias reputemus, nec ut propriam diligamus. Non mandat beatus Franciscus loci instabilitatem, sed vitat omnis usus et proprietatis perversitatem. Ad instar advenarum et peregrinorum utendum est necessariis, et non ut propriis, sed ut alienis.

Ex hac regulae sententia dicentis, quod fratres sint « tanquam advenae et peregrini », secundum quatuor magistros [1] sequitur solutio duorum dubiorum:

Primum est: an paupertas, quam servare tenemur, prohibeat, ne possimus aliquid fixum ad sustentationem recipere, sicut aliqui voluerunt? et de facto fecerunt « redditum perpetuum ordinare, quo fratres possent in loco aliquo sustentari, ita tamen, quod apud fratres nulla proprietas resideret ». Secundum dubium: an prohibeat fratres, ne possint habere territoria, de quibus per culturam et industriam suam omnia sustentationis suae necessaria procurarent, ita tamen, quod proprietas apud alium remaneret (*a*), ut, sicut habent hortos et olera et fructus, ita haberent vineas et agros »?

Ad haec dubia patet responsio ex hac regulae sententia. Ad primum patet, quod non; quia debent esse, « ut advenae et peregrini », et per consequens nullum fixum redditum habere, sed in paupertate Domino famulari. Ad secundum patet, quod non; quia debent in paupertate Domino famulari. Nam debent « paupertatem servare quoad usum, ut taliter sint pauperes, quod etiam mendici; quia dicitur ‚vadant pro eleemosyna confidenter' ».

Patet ergo responsio ad praedicta.

2. Dicit ergo regula, quod fratres « vadant pro eleemosyna confidenter ». Ratio, « quia Dominus se fecit pauperem » etc. Nam, ut dicit prima regula, Christus et discipuli et beata Maria de eleemosynis vixerunt, et Christus mendicando in triduo, quo remansit in templo, ut dicit beatus Bernardus [2], stipem quaerendo ivit. Hoc regulae dicto reprehenduntur multi; quia non solum non vadunt mendicare, sed ire verecundantur; cuius oppositum mandat regula, et beatus Franciscus suasit verbo et exemplo, ut dicetur infra conformitate XVI (*b*), et constitutio antiqua ordinis et consuetudo augebant (*c*). Attamen sciendum, quod non est mendicandum nisi ad necessitatem et non ad superfluitatem; quia, si sic, esset alienum accipere; ac praetendere paupertatem, ubi non est, hypocrisis est. Ad imitandum Dominum Iesum, quando indigent, mendicent confidenter fratres; et non solum inducantur ad hoc [exsequendum] Christi exemplo, sed praemio, quod penuria hac et paupertate obtinetur; sed quid (*d*) praemium, ostendit dicens « altissimae paupertatis » etc. Ubi beatus Franciscus statum commendando paupertatis ab effectibus, quid praemii det in futuro et quid in praesenti, ostendit: in futuro « heredes et reges » etc., in praesenti « virtutibus sublimat » etc. Et quia sic est, beatus Franciscus hortatur fratres dicens: « Cui, scilicet paupertati, totaliter inhaerentes, nihil aliud » etc.; fideliter haeret paupertati, qui eam corde diligit et usu servat. Sed quia parum est incipere, nisi quis perseveraret, ideo beatus Franciscus dicit, « in perpetuum » hanc amplectendam voluntarie, « nihil sub caelo habere volendo ».

(*a*) As et edd. *resideret*. — (*b*) Codex om. *XVI*. — (*c*) Codex *agebantur*. — (*d*) Codex *quidem*.

[1] L. c. ad 6 c. — [2] Cfr. supra pag. 375 not. 1.

Sed ex iam dictis oritur dubium, quia beatus Franciscus vult fratres mendicare: an in terris fratres commorantes excommunicatorum possint a talibus eleemosynas petere et accipere? Respondet papa Innocentius IV in privilegio, quod incipit « Vobis extremam patientibus pro Christi nomine paupertatem » etc., et Gregorius IX in privilegio praefato modo incipiente [1], et Alexander IV in privilegio eodem modo incipiente [2], dicentes, quod sic, quod in terris talium excommunicatorum fratres possunt commorari et poscere ab eis vitae necessaria et recipere. Idem habetur in omnibus *Maribus* (*a*) *magnis* Alexandri, Clementis et Bonifacii.

Sic ergo patet secunda pars huius sexti capituli, ubi beatus Franciscus inducebat fratres ad paupertatis amplexum et mendicationem.

3. Circa tertiam partem beatus Franciscus inducit fratres ad humilitatis et caritatis acceptionem. Et primo loquendo de caritate, quam esse caritativi debeant, inquit: « Ubicumque sunt et se invenerint fratres » etc. Ubi beatus Franciscus caritatem fratres vult primo signo exprimi; quia, « ubicumque sunt, ostendant se domesticos etc., et secure manifestet unus alteri necessitatem suam » etc.; et quantus esse debeat dilectionis affectus ostendit dicens, videlicet matris ad filium, « quia, si mater diligit » etc.; secundo effectum (*b*), caritatem, ostendit dicens: « Et si quis eorum in infirmitatem ceciderit, alii fratres » etc.; ubi primo innuit caritatis et dilectionis affectum in effectu, ac humilitatis in serviendo infirmis pandit bonum. Antiqui fratres praefata servavere, et suscipiendo omnes ut fratres et serviendo sibi mutuo, sicut frater fratri et mater filio, se non solum impendentes, sed superimpendentes fratribus et pro fratribus. Hae sunt duae radices omnis regularis professionis, scilicet caritas fraternitatis et humilitas subiectivae obedientiae et servitutis. Quibus omnis (*c*) aedificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino, et sine eis omnis religio ruinam minatur.

Et haec est succincta sententia huius capituli sexti et expositio seu declaratio.

Expositio septimi capituli regulae.

« Si qui fratrum instigante inimico » etc. Hoc est regulae septimum capitulum, ubi dicit, quod morbus, scilicet peccatum, corripitur, pater ostenditur et describitur gratae consolationis. In quo capitulo beatus Franciscus unum praecipit, videlicet peccantium recursum, cum dicit: « Si qui fratrum » etc.; adiungit pium occursum, cum dicit: « Ipsi vero ministri » etc.

1. Circa primum est sciendum et videndum: an generalis minister et provinciales possint sibi aliquos casus reservare? Responsio patet ex regula, quae praesupponendo, quod sic, dicit fratribus, quid agendum; unde generalis minister in capitulo generali et provinciales ministri in capitulis provincialibus libere possunt ordinare de quibusdam casibus, ut ad solos ipsos recurratur pro absolutione. Et adverte, quod regula, quia nullum ponit expresse reservatum, concedit consequenter libere ipsis de quantitate et qualitate arbitrari. Possunt ergo determinare, propter (*d*) quae peccata, dum fiunt publice, recurratur ad ministros (*e*), et de quibus non, et sic de occultis.

(*a*) As et edd. *mare.* — (*b*) As *affectum.* — (*c*) As et edd. *omnibus.* — (*d*) As et edd. om. *propter.* — (*e*) As et edd. addunt *de ipsis.*

[1] *Bullarium,* t. I pag. 298. — [2] L. c. t. II pag. 52.

Secundum videndum est: de quibus peccatis intelligitur regula, cum dicit: « Si qui fratrum instigante inimico » etc., an de publicis intelligitur vel occultis? Respondet papa Gregorius et papa Innocentius IV in declarationibus [regulae], quod ad peccata publica refertur, et non ad occulta.

Sed numquid, quando sic recurritur ad eos, possunt talia absolvenda committere aliis, ac etiam pro vitandis discursibus fratrum? Respondet papa Innocentius in declaratione [1], quod sic, videlicet custodibus et aliis fratribus absolutionem talium. Et vult papa, quod per generalem et ministros fratres deputentur, qui confessiones talium audiant, cum fuerint occulta praefata, nisi fratres ipsi ministris aut custodibus ad eorum loca declinantibus maluerint confiteri.

Hoc etiam loco apparet, quod ministris cura commissa est animarum; quia casus possunt arctare et concedere, ut patet ex hoc regulae loco. Quid ergo beatus Franciscus inquit? « Teneantur » — verbum obligatorium et vim habens praecepti — « sine mora ad suos ministros recurrere ». Cum enim homo infirmus utroque homine suam debeat requirere salutem, quare et frater infirmus anima et diabolo ex peccato subiectus.

Et sic patet, qualiter habeat fieri accessus.

2. Sed quia iniquum esset et impium afflicto ingerere afflictionem et infirmis nullo modo compati, utpote, quia facile quis talis laberetur in desperationem, beatus Franciscus suadet in secunda parte benignum talibus accedentibus per praelatos occursum dicens: « Ipsi vero ministri, si presbyteri sunt, cum misericordia » etc. Ecce affectus et occursus benignus. Sed adverte, quod beatus Franciscus fratres peccantes non mittit ad alios, sed ad ministros, ut detur intelligi, quod nullis exsistentibus extra nostrum ordinem, nisi in necessitatis articulo et deficientibus confessoribus ordinis, fratres debeant confiteri. Dominus papa Bonifacius VIII fratribus inhibet in suo *Mari magno* [2], ne fratres, nisi in necessitatis articulo, aliis quam praelatis suis confiteantur vel aliis eiusdem ordinis sacerdotibus, nisi, ut volunt eiusdem ordinis instituta (*a*); tales enim sic confitentes [aliis] extra ordinem [sacerdotibus] non diluunt peccatum, sed augent; quia inobedientes sunt et suae regulae transgressores. Dicit ergo beatus Franciscus, quod poenitentia non est dimittenda, sed cum misericordia est iniungenda; et ideo dicit, non quod remittant, sed cum misericordia iniungant illis poenitentiam. Melius est enim, ut dicit ipse beatus Franciscus, velle reddere rationem Deo propter misericordiam quam propter crudelitatem; beatus Franciscus vult, quod fiat misericordia non dimittendo iustitiam; non dicit: fiat illis solum misericordia, dimittendo iustitiam, sed cum misericordia fiat iustitia; quia una sine alia nihil est; et solum faciendo misericordiam et iustitiam totaliter dimittendo, est ordinum destructio et cuiuslibet civitatis. Verum beatus Franciscus distinctionem facit de praesidentibus et ministris dicens: « Si presbyteri sunt, cum misericordia etc.; si vero presbyteri non sunt, iniungi » etc.

Ubi primo notandum, quod absolutionem talium, etsi ministri possint committere fratribus, non tamen aliis extra ordinem exsistentibus, ut dictum est.

(*a*) Edd. *statuta*.

[1] L. c. t. I pag. 401. — [2] Bulla « Virtute conspicuos » de 11 nov. 1295 (cfr. *Bullarium*, t. IV pag. 371).

Secundo notandum est, quod beatus Franciscus non vult, quod ministri non sacerdotes peccantibus poenitentiam imponant; et licet in regula nihil tangatur de causa, nec aliquis tangat, puto tamen, quod causa sit multiplex: prima, quia ad sacerdotem vi clavium auctoritas absolvendi videtur principaliter pertinere; secunda, quia aliquando contingit, quod sacerdos est qui peccat, et propter reverentiam officii, quod habet, ab indigniori non vult eum puniri; tertia, quia in talibus sic peccantibus occurrunt aliqua, quae ipsi peccantes nulli panderent extra confessionem, etsi peccatum sit publicum patratum; quare, ut tam in foro confessionis quam exteriori possint absolvi, non vult beatus Franciscus per ministros non sacerdotes eis poenitentiam iniungi.

Tertio notandum, quod ex hoc passu regulae ministri, ut ordinarii, habent potestatem et auctoritatem delegandi; quia dicitur, quod « iniungi faciant per alios sacerdotes », non saeculares et aliorum ordinum, sed ordinis, scilicet proprii Minorum.

Quarto notandum, quod ministri non solum habent auctoritatem absolvendi in casibus reservatis fratres, ut praedictum est, sed etiam in casibus pluribus reservatis a iure, videlicet in casibus, pro quibus excommunicationis, interdicti aut suspensionis incurrerent sententias, prout dicit papa Bonifacius in suo *Mari magno*, et dominus Innocentius IV et Alexander IV in privilegiis, quorum primum incipit « In iure canonico [1] », et secundum incipit « Licet ad hoc fratrum [2] ». Et non solum fratres professos, sed et volentes ordinem intrare a praefatis possunt absolvere, nisi talis esset casus, propter quem merito sedes apostolica esset consulenda. A participatione cum excommunicatis maiori excommunicatione custodes et guardiani possunt absolvere, ex privilegio Alexandri IV, et incipit « Contingit interdum [3] ». Generalis et provinciales ministri absolvi possunt a confessore [suo] ab excommunicatione, et dispensari cum eis in irregularitatibus per privilegium Alexandri, et incipit « Ordinis vestri generosa plantatio [4] », et per *Mare magnum* Bonifacii. Sic ergo patet de auctoritate ministrorum. Verum, quia nonnulli aspicientes festucam proximi et suam trabem non advertentes contra delinquentes excandescunt, beatus Franciscus in regula subdit: « Et cavere debent, ne irascantur » etc. Non debent irasci peccantibus, id est corde concitari nec conturbari, id est verbis turbationis irritari. Ratio, quia debent dulciter, benigne et misericorditer recipere et tractare; talia enim non ostendunt dilectionem, sed potius, ut dicit beatus Franciscus, « impediunt caritatem », scilicet fraternam. Sic ergo patet succincte huius septimi capituli sententia.

Expositio octavi capituli regulae.

« Universi fratres unum de fratribus » etc. Hoc est capitulum octavum, in quo ordo dirigitur, pater eligitur pro loco regulationis (*a*). Et in hoc capitulo beatus Franciscus duo facit; nam tangit generalis ministri institutionem et destitutionem (*b*), et hoc in prima parte; in secunda tangit capitulorum provincialium celebrationem; ibi: « Post capitulum vero Pentecostes ».

1. Circa primam partem advertendum, cum in quolibet corpore duo esse capita sit deforme et difforme (*c*) in natura, sic et in corpore sacrae exsistit religionis, ut videlicet ibi non duo sint, sed unum caput. Et sic vult beatus Franciscus in sua esse

(*a*) Codex *renationis*. — (*b*) Codex *destinationem*. — (*c*) Edd. om. *et difforme*.

[1] L. c. t. I pag. 323. — [2] L. c. t. II pag. 51. — [3] L. c. t. II pag. 409. — [4] L. c. t. II pag. 148.

religione, et hoc ostendit dicens mandando, quod « fratres universi istius religionis teneantur semper habere generalem ministrum »; non dicit generales ministros, ut unitatem insinuet capitis, cui, ut membra capiti, sint subiecti, « et eidem teneantur firmiter obedire ».

Sed qualiter [hoc] caput est praeficiendum in ordine? Non certe casu et fortuitu aut provisione, sed electione, et hoc, ut dicit, « in capitulo Pentecostes »; quo apparet, quod in capitulo Pentecostes electio [generalis] ministri debet celebrari; ad quod capitulum tenentur ministri provinciales accedere etc. Et quia regula dicit, quod « electio generalis fiat a ministris provincialibus et custodibus », et in qualibet provincia, etsi non sit nisi unus minister, sunt tamen plures custodes, hinc est, ne omnes custodes provinciarum ordinis contingeret pro electione generalis ad capitulum generale accedere, ordinaverunt summi pontifices, scilicet Gregorius IX, Innocentius IV, Nicolaus III et Clemens V, quod de qualibet provincia ordinis solus unus custos accedat, qui ab aliis custodibus provinciae eligatur, et cui per custodes vices eorum committantur quantum ad electionem generalis ministri.

Circa electionem generalis [ministri] duo sunt notanda: primum est secundum papam Bonifacium in suo *Mari magno*, quod, quia dum fratres de remotis partibus oporteat convenire ad huiusmodi electionem, tempus a iure statutum super hoc non currit, nec ipsi in hac parte iuris huius[modi] regulis coarctantur; secundum, quod statim, quod sunt electi, id est electionis decretum pronuntiatum, verus generalis absque alia confirmatione habeatur, ut dicit idem papa Bonifacius in dicto suo *Mari magno*, capitulo primo.

Et quia in generali capitulo non solum fit electio generalis, sed et ordinis statuta, quaeri potest: an capitulum generale arctare possit potestatem ministri generalis? Respondent quatuor magistri [1], quod sic, quod arctare potest capitulum generale et potestatem generalis ministri et provincialium ministrorum. Ratio, ut dicunt, est, quia intentio regulae est, quod celebretur capitulum generale, et capitulum generale ordinatum est, ut ea, per quae potest perfectionis puritas custodiri, ordinentur, nec a superiori vel inferiori possint aliquatenus violari. Quare concludunt, quod, « si capitulum generale propter vitandum periculum religionis coarctat generalis potestatem et provincialium, et aliqua alia salubria ordinat inter fratres generaliter observanda, auctoritate regulae, quae praestat auctoritatem capitulo generali, per generalem non poterit infirmari ». Et concludunt pari ratione, quod [quidquid] de communi consensu superiorum et inferiorum ordinis fuerit generaliter ordinatum in capitulo generali, et summo pontifice approbante, non poterit per solos superiores vel per solos inferiores aliquatenus irritari, et maxime in illis, in quibus est ordinatio vel limitatio potestatum.

Dicto a beato Francisco de institutione generalis ministri, consequenter agit de ipsius destitutione et depositione. Et pro huius evidentia est primo quaerendum: quid intelligitur nomine universitatis? Respondent quatuor magistri secundum iura, quod « maior pars »; et per maiorem partem, secundum Clementem papam in declaratione [2] loquentem de electione ministrorum, non intelligitur pars sanior, sed pars maior quoad numerum vocum; ita credo, quod sit intelligenda maior pars in electione generalis, ut ad numerum vocum referatur, « nulla zeli aut meriti collatione vel consideratione habita ».

---

[1] L. c. ad 8 c. — [2] Art. 19.

Secundo, propter quid generalis venit absolvendus? Respondet regula, propter insufficientiam quoad duo, videlicet « ad servitium », et sic tangit insufficientiam personae vel ratione infirmitatis vel alterius impotentiae, quibus non posset, quae sunt visitanda, visitare; secundo, quoad « communem utilitatem fratrum »; communis utilitas fratrum est, ut non sit fratribus onerosus in expensis, et alias habeat conditiones, quas descripsit generalem ministrum debere habere, de quibus dicetur fructu et conformitate XII, cap. 32. Ubi ergo dicta non sunt, quia est destructio communis utilitatis fratrum, ministri eum possunt absolvere, et hoc in capitulo generali Pentecostes; extra vero capitulum, ut patet, non possunt; quia ministri ex regula non habent congregari (*a*), nisi in capitulo generali, quare propositum. Et notandum, quod beatus Franciscus non solum concedit, quod ob insufficientiam generalis a ministris possit absolvi, immo mandat dicens, quod « ministri teneantur in nomine Domini alium sibi eligere in custodem ».

Tertio, quid intelligitur in hoc capitulo et specialiter in hac parte: « tenentur eligere in custodem » nomine custodis? Respondetur, quod intelligitur hic nomine « custodis » minister generalis; ac etiam provinciae nomine custodiae intelliguntur, cum subditur de ministris provincialibus, quod « possint in suis custodiis » etc., id est provinciis eis ad custodiam deputatis etc. Sicut etiam antiquitus nomen ministri ad generalem et provinciales, sic et ad locales praelatos, id est ad guardianos, extendebatur; nam guardiani ministri dicebantur, ut dicunt quatuor magistri; sic nomen « custodis », ut patet in hoc capitulo, ad generalem et provinciales ministros se extendit.

Sic ergo praefatis patet huius capituli primae partis aliqualis declaratio.

2. Secundae partis declaratio patet ex se; quare non indiget expositione ulteriori, nisi in hoc, quod dicit, quod « ministri et custodes » etc. Credo, quod, quando regula facta est, quod provinciae erant latiores quam sint modo, et per consequens custodiae diffusiores; quia ergo facilius erat custodiam congregari et ad capitulum convocare quam provinciam, ideo custodibus concedit capitulum tale posse celebrare. Aliter posset dici iuxta dicta, quod per custodias intelliguntur provinciae. Modo capitula provincialia sine custodibus celebrari non possunt. Sic ergo dicit regula, quod « ministri et custodes », id est una cum custodibus, « in suis custodiis », id est provinciis, « possint fratres ad capitulum convocare ».

Et sic patet clare totum.

Expositio noni capituli regulae.

« Fratres non praedicent » etc. In quo capitulo coetus suspenditur, verbum proponitur sanctae eruditionis. In quo etiam beatus Franciscus ponit duplicem prohibitionem, et hoc in principio; secundo quandam facit ad fratres exhortationem; ibi: « Moneo » etc.

1. Circa primam partem duplicem praemittit prohibitionem. Prima est, ne fratres contra voluntatem episcoporum « praedicent in episcopatu alicuius episcopi »; et hoc egit beatus Franciscus ad evitandum scandalum aliorum. Mandat tamen dominus Gregorius IX in privilegio, quod incipit: « Cum, qui recipit prophetam » etc., et in

(*a*) As *non sunt congregati.*

alio, quod incipit: « Quoniam abundavit iniquitas [1] », omnibus ecclesiarum praelatis, quod fratres praedicare libere permittant populo, eis provideant de necessariis et iuvent consiliis et favoribus opportunis. Beatus Franciscus nunquam voluit impetrare privilegium, ut fratres possent praedicare in episcopatu contra voluntatem episcoporum, sed oppositum semper voluit dicendo, quod talia facilius fierent cum pace episcoporum et clericorum quam alio modo [2]. Est tamen sciendum, quod haec prohibitio potest intelligi sic, videlicet accipiendo (*a*) « episcopatum » pro ecclesia cathedrali et ecclesiis parochialibus, et sic ad litteram est verum, quod fratres non debeant, etsi possint; sed intelligendo per « episcopatum » dioecesim totam, hoc non est verum; quia fratres in locis propriis et in monasteriis sororum in dioecesi aliqua constitutis contra velle episcoporum et clericorum possunt praedicare verbum Dei, nisi actualiter ipse episcopus praedicaret; ratio est, quia loca nostra et monasteria sororum exempta sunt a cuiuscumque domini (*b*) papae inferioris iurisdictione.

Secunda prohibitio beati Francisci est, cum dicit, quod « nullus populo audeat praedicare » etc. Quia multiplicatis fratribus valde difficile erat hoc implere, summi pontifices, videlicet dominus Innocentius, Nicolaus, et Alexander in privilegio [quod incipit] « Prohibente regula », commiserunt ministris et eorum vicariis, et hoc in capitulis provincialibus dumtaxat, et non extra, ita quod cum definitoribus capituli examinatis et approbatis officium praedicationis possunt committere; attamen si aliquis esset in sacra pagina multum eruditus et examinatione non indigeret et ad capitulum conveniret, provinciales cum definitoribus auctoritatem praedicandi sibi possunt concedere, ut dicit Innocentius in declaratione [3]; generalis tamen minister potest extra capitula officium praedicationis concedere, prout dicit regula et declarationes, ita tamen, quod sint examinati et approbati per prius.

2. Postmodum beatus Franciscus in secunda parte, quia ipse in prima regula [4] dixerat, quod « omnes fratres operibus praedicent », ideo subdit in secunda parte monitionem dicens: « Moneo et exhortor » etc. Ubi ponit, praedicatoris verbum qualiter debet esse conditionatum. Nam [primo] ponit, quod praedicatoris verbum debet esse catholicum, quia « sint examinata », ne videlicet sint erronea vel incauta; secundo debet esse mundum et honestum, nec fabulis poetarum admixtum, quia « casta », ne sapiant immunditiam et vanitatem; tertio salubre, quia « ad utilitatem populi »; quarto debet esse exemplare, id est ab habente vitae exemplaritatem, quia plus movent facta quam verba; ideo dicit « ad aedificationem populi »; quinto distinctum, et non confusum, quia « annuntiando vitia et virtutes, poenam et gloriam »; in his quatuor stat distinctio praedicationis; sexto non debet esse prolixum, quia « cum brevitate sermonis ». Quae omnia minime per praedicatores fratres nostros (*c*) servantur praesentibus temporibus.

Sic ergo patet huius noni capituli expositio.

Expositio decimi capituli regulae.

« Fratres, qui sunt ministri » etc. Hoc est capitulum decimum regulae, in quo culpa corrigitur, virtus edicitur et odor sive tenor omnis bonae conversationis. In

(*a*) As et edd. *intelligendo.* — (*b*) As et edd. *domino;* As paulo post *inferiorum.* — (*c*) As et edd. *modicum.*

[1] L. c. t. I pag. 127 et 214. — [2] Cfr. II Cel. 3, 84. — [3] L. c. pag. 402. — [4] C. 17.

quo beatus Franciscus duo facit; quia primo ponit praelatorum ordinis informationem, secundo subdit subditorum obedientiae exhibitionem; ibi: « Fratres vero, qui sunt subditi » etc.

1. Circa primam partem dicit (*a*), qualiter praelati ordinis se debent habere ad subditos, et hoc ostendit, quaedam praemittendo, quaedam subiungendo et quaedam praecavenda suadendo. Praemittit, quomodo praelati ordinis sint censendi, « quia ministri et servi »; in primo humilitas, in secundo utilitas ostenditur. Nomine « ministri » intelligit hic omnes ordinis praelatos, quia, si de ministris solum provincialibus intelligeretur, ergo fratres custodibus et guardianis minime obedire tenerentur. « Ministros » voluit vocare beatus Franciscus praelatos ordinis, ut ostenderet, se iuxta evangelium talibus nomen posuisse, Luc. 22, 26: *Qui maior est vestrum erit minister*, et quod praelati ordinis tam humilitate quam vitae imitatione Christo essent conformes, qui dicit Matth. 20, 28: *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare et animam suam* etc. Nomine « servi » beatus Franciscus exprimit, quod super subditos non habent dominium, nec domini sunt censendi, sed debent esse « servi » fratrum utilitati et ministerio servientes. Haec duo, ubi menti praesidentium in hoc ordine iugiter per meditationem adessent, non superbirent nec praelationes ambirent, ut fit. Et quare debent talium recordari, dixit beatus Franciscus in prima regula [1]: quia « eis est commissa animarum cura; et si aliquis perdatur propter culpam et malum exemplum, oportebit, eos rationem reddere coram Domino Iesu Christo ».

Secundo quaedam subiungit, videlicet modum, quem tenere debent erga subditos, et hoc cum dicit: « Visitent » etc. Ex quo praesuppositum est, quod « praelati sunt ministri et servi aliorum fratrum ». Quid peragere debent? Certe « visitent »; ubi ponit tres actus: primum visitationis, videlicet si aliquid deficit eis, et sic subveniendo; item, si aliquid contra regulam vel ordinationes est commissum, et hoc tam publice quam private scire conentur, et hoc, ut sciant, quid agendum erga subditum. Et si cognoscant, subditum non agere decenter et debite, beatus Franciscus ponit secundum actum, scilicet monitionis; quia praelati non debent subditos statim, si cognoscant defectuosos, poenitentia detegere vel percutere, sed iuxta evangelium inter se et ipsum humiliter et benigne monere, ut omittat, quae egit, et ad virtuosa exercenda assurgat. Et ubi monitio non valeret, ponit beatus Franciscus tertium actum, scilicet correctionis (*b*), qui fiat non verbis exasperatoriis sed humilibus et caritative (*c*); quia, ut fratrem lucrentur, debent eum corrigere, dimittant in arguendo contumeliam, et ad ipsum (*d*) compassionem ostendant et clementiam, non omittendo tamen iustitiam, etsi cum misericordia.

Tertio beatus Franciscus quaedam praecavenda subnectit dicens: « Non praecipientes eis aliquid, quod sit contra animam suam et regulam nostram ».

Ubi est videndum, quid est « contra animam »? Patet et respondetur, quod peccatum mortale et ad mortale incentivum et inductivum. — Quid dicitur « contra regulam » esse? Respondent quatuor magistri [2], « contra regulam videtur esse non solum quod est contra regulae praecepta, immo contra statuta ordinis ad servandum regulae puri-

(*a*) As et edd. *ostendit*. — (*b*) Edd. *correptionis*. — (*c*) As et edd. *caritativis*. — (*d*) As et edd. *et sibi*.

[1] C. 4. — [2] L. c. ad 10 c.

tatem ». Dicit ergo beatus Franciscus, quod praelati debent cavere, ne praecipiant subditis aliquid, quod sit contra animam suam, id est inducens ad peccatum vel quod sit peccatum; unde audire confessiones mulierum peccatum non est, et tamen in patiente fragilitatem carnis posset esse incentivum ad malum; si aliquis frater sic inclinaretur et dubitaret, ne in peccatum caderet, et ob hoc nollet confessiones audire, dicunt quatuor magistri, quod praelatus, ut audiret confessiones talium, scilicet mulierum, non posset [sibi] praecipere. Sic et de illis agendis, quae sunt contra statuta ordinis ad servandum regulae puritatem, utpote, quod vadat ad quaerendum pecuniam contra modos ordinis statutorum et declarationum; et sic de similibus.

Prima parte praemissa, se ad partem inflectit secundam.

2. Secunda pars est, cum dicit: « Fratres vero, qui sunt subditi » etc. Ubi beatus Franciscus duo facit: quia primo tangit quaedam particularia, secundo ponit quaedam generalia; ibi cum dicit: « Moneo et exhortor » etc.

In prima parte beatus Franciscus duo ponit; quia primo mandat ad praelatos obedientiam, secundo removet indecentiam; ibi cum dicit: « Et ubicumque sunt fratres » etc. Beatus Franciscus, postquam ordinavit praelatos ad subditos, econverso regulat subditos ad praelatos dicens: « Fratres vero, qui sunt subditi ». Ubi ponit omnis obedientiae et humilitatis fundamentum, videlicet abnegationem propriae voluntatis; hoc enim posito, quod homo abneget semetipsum, et consequenter suam voluntatem, sequitur immediate, quod homo sit obediens; sed hoc beatus Franciscus ponit dicens, quod « fratres subditi recordentur, quod propter Deum proprias voluntates abnegaverunt ». Quo posito, infert praeceptum dicens: « Unde praecipio eis firmiter », id est non modo, sed semper, « ut obediant suis ministris, id est omnibus ordinis praelatis, in omnibus », [ad] quae scilicet voto se astrinxerunt vel ad ipsorum observantiam spectant, vel transgressionis eorum vitationem. Nec videtur beatus Franciscus ponere seu arctare fratres ad illam perfectam obedientiam, quae legem nescit, nec terminis coarctatur, neque contenta perfectionis angustiis, sed fertur in latitudinem caritatis, quae potest dici obedientia supererogationis, sed arctat fratres ad obedientiam perfectionis, videlicet « ut obediant in omnibus praelatis, quae promiserunt Domino observare, et non sunt contraria animae et regulae nostrae »; quia in talibus, sicut praelati non possunt praecipere, ut dictum est, sic nec subditi tenentur obedire. Et advertendum (*a*), quod in regula ponitur triplex obedientia, scilicet necessitatis, ut in praesenti capitulo, et supra in capitulo de professione; alia est caritatis, ibi in capitulo sexto: « Ubicumque sunt et se invenerint fratres, ostendant se domesticos » etc.; tertia est humilitatis, et est praelatorum ad subditos, quia hic in isto capitulo dicit, quod « subditi possint dicere eis et facere, sicut domini servis suis ».

Posita subditorum obedientia, beatus Franciscus removet quandam indecentiam dicens: « Et ubicumque sunt fratres, qui non possent regulam » etc.

Circa quam partem videndum est, quid est « regulam spiritualiter observare »? Respondetur per aliquos [1], quod est « observatio secundum rigorem sive secundum puritatem sive sine occasione ad malum » proxima et (*b*) peccatum; et per oppositum

(*a*) As et edd. *Sed adverte.* — (*b*) As *ad.*

[1] Sc. quatuor magistri l. c. ad 10 c.

regulam spiritualiter non observare vel non posse est « non posse observare regulam secundum suum rigorem sive secundum puritatem, sine occasione proxima ad malum et peccatum ». Sed aliter videtur dicendum (*a*) tam ex verbis regulae quam ex verbis primae regulae [1], ubi habetur, quod fratres, « in quibuscumque locis sunt, qui non possunt spiritualiter vitam nostram servare, idipsum suo ministro significent »; et regula dicit: « Ubicumque sunt fratres » etc. Videtur ergo ex praefatis verbis, quod ad locum sit talis inobservantia regulae reflectenda; sed quomodo? certe cum tali « loco annexa est proprietas vel cura aliqua animarum » [2], pueros baptizandi et alia parochialia faciendi, aut quia ibi, vero domino reclamante, morantur fratres, aut quia propter necessariorum penuriam oportet eos in congregationibus vel quaestibus inhonestis contra regulae puritatem et usum ordinis generalem (*b*) excedere, aut propter societatem inhonestam vel importabilem fratribus praesertim rudibus et infirmis, et sic de similibus, propter huiusmodi causas « fratres debent et possunt ad suos ministros recurrere » per eos removendi abinde.

Subdit beatus Franciscus, qualiter circa talium recursum se debent habere ministri, dicens, quod « ministri caritative et benigne »; caritas sit in facto, et benignitas in actu et verbo; ac familiariter se habeant circa tales sic, ut fratres recurrentes de ipsis possint exercere, ut domini agunt de servis suis. Et causa est, quia exemplo Christi, qui *formam servi accepit* [3], « ministri debent esse servi omnium fratrum ». Nec ex tali servili condescensione praelati auctoritas (*c*) minuitur, sed augetur, cum dicat Salvator [4]: *Qui se humiliat, exaltabitur.* Condescendat talibus benigne et caritative, verbo scilicet et facto.

« Moneo vero » etc. Beatus Franciscus hic ponit quaedam generalia tam ad praelatos quam ad subditos, et sunt quaedam monitiones et exhortationes ad praedicta pertinentes. Prima est, ut sint humiles et non elati, quia « caveant fratres ab omni superbia », id est omni specie superbiae, quae multae sunt secundum Gregorium [5], videlicet hypocrisis, iactantia, elatio, ambitio, convicium, contemptus, arrogantia, irreverentia, insolentia, ingratitudo, et sic de aliis; secunda, ut bonum intentione peragant recta et consequenter obediant, quia « vanam gloriam » vitent; tertia, bonum diligant mutuum, quia ab « invidia »; quarta, ut linguam (*d*) coerceant « a detractione et murmuratione »; quinta, non inhient habendis, quia « cura et sollicitudine huius saeculi »; sexta, ne praesumant ultra eorum vocationem, quia « nescientes litteras non curent discere »; septima, hortatur virtutes arripere: primam gratiae et bonae actionis, quia « spiritum Domini et sanctam eius operationem », secundam mentalis elevationis, quia « orare ad Deum » etc., tertiam supportationis, quia « habere patientiam », et quomodo? subdit « in persecutione » etc., quartam suae abiectionis, quia « humilitatem », quintam perseverationis ratione consummationis, quia « qui perseveraverit usque in finem, salvus erit ».

Expositio undecimi capituli regulae.

« Praecipio firmiter fratribus » etc. In isto capitulo undecimo motus restringitur, luxus repellitur freno prohibitionis. Beatus Franciscus in partibus superioribus et

(*a*) As *declarandum*. — (*b*) As *generaliter*. — (*c*) As *virtus*. — (*d*) Codex *negligentiam*.

[1] C. 6. — [2] Quatuor magistri l. c. — [3] Phil. 2, 7. — [4] Matth. 23, 12. — [5] Cfr. *Moral.*, l. XXXIV c. 23 n. 47 sqq. (P. L. t. 76 pag. 744 sqq.).

capitulis de pertinentibus ad votum paupertatis et obedientiae plura determinavit et posuit; hic ad servandam castitatem mentis et corporis [fratres] inducit, eis tria praecipiendo.

1. Primum est vitationis muliebris consortii dicens: « praecipio », non uni, sed generaliter omnibus [fratribus], quia « universis fratribus, ne habeant suspecta consortia vel consilia mulierum ». Sed quaeritur: quid est hic « suspectum consortium »? Respondent quatuor magistri [1], quod « suspectum consortium non dicitur ex una sola causa, sed pluribus, ut videlicet ex genere actus, ex circumstantiis loci, temporis, frequentiae, personae et huiusmodi », et si interdicitur sibi a praelato, et reiterat, de facto se reddit suspectum. De colloquiis mulierum, quam esset displicabile beato Francisco, habetur fructu et conformitate XII, et quam sit periculosum, habetur ibidem capitulo duodecimo (*a*).

2. Secundum est retractionis (*b*) fratrum ab accessu monasterii cuiuslibet dominarum (*c*) dicens: « Ne ingrediantur monasteria » etc. Et si quaeratur, an intelligatur generaliter de omnibus, respondet papa Nicolaus, quod sic, in declaratione sua [2], et dicit, quod, « nomine monasterii intelligitur claustrum, domus et officinae interiores, pro eo, quod ad [alia] loca, ubi homines saeculares conveniunt, possunt fratres, habita licentia a suis superioribus, accedere causa praedicationis vel eleemosynae petendae, exceptis monasteriis ordinis sanctae Clarae, ad quae nulli datur licentia accedendi sine apostolicae sedis speciali licentia ».

3. Tertium est declinationis compaternitatis omnis et scandali dicens: « Nec fiant compatres ». Iura interdicunt monachis et beatus Franciscus (*d*) fratribus. Et contrahitur compaternitas in sacramento baptismi et confirmationis; secunda semper potest vitari, sed prima etiam, nisi adsit necessitas, ut, si puer esset in mortis articulo, et nullus esset, qui posset eum baptizare, tunc frater tenetur ipsum baptizare (*e*). Et beatus Franciscus non intendit, ubi subest necessitas, sed solum, ubi nulla habetur necessitas. Et quare beatus Franciscus praecipit vitari a fratribus praefata? Subdit: « Ne hac occasione inter fratres » etc., quia quilibet vellet esse, « vel de fratribus scandalum oriatur », videlicet talium mulierum familiaritatibus et conversationibus; et (*f*) talia, ut plurimum, sunt castitatis ruina et dispendium.

Expositio duodecimi capituli regulae.

« Quicumque fratrum divina inspiratione » etc. In hoc duodecimo capitulo et ultimo regulae Christus imprimitur, mundo transmittitur frater sanctae professionis. In quo beatus Franciscus duo facit.

1. Primo ostendit, quis est idoneus ad Christum infidelibus praedicandum, dicens, praesupponendo, fratres velle ire « inter saracenos et alios infideles, petant licentiam » etc.; et sequitur, quod « ministri licentiam non tribuant, nisi viderint idoneos

(*a*) Codex et As om. *duodecimo*. — (*b*) As *retractationis*. — (*c*) As et edd. om. *dominarum*. — (*d*) Codex *beati Francisci*. — (*e*) As et edd. om. *tunc—baptizare*. — (*f*) As et edd. *quia*.

[1] L. c. ad 11 c. — [2] Art. 20.

ad mittendum ». Quae idoneitas attendenda est in litteratura, in personae sanitate, religiositate et vita ac fidei zelo et fervore, mundi abdicatione et sui perfecta abnegatione; et sic de aliis.

2. Secundo mandat a domino papa per ministros cardinalem petendum ad ordinem [nostrum] gubernandum (*a*), cum dicit: « Ad haec [per obedientiam] iniungo ministris » etc. Qui protector, determinatione Gregorii XI (*b*), de ordine non se habet impedire, nisi in tribus casibus in regula expressis: videlicet primo, si communitas ordinis « pedibus sanctae romanae ecclesiae vera obedientia non esset subiecta »; secundo, si non esset « stabilis in fide catholica »; tertio, si regulam fundatam in evangelio Christi a nobis promissam non servaret; tunc potest se de ordine intromittere, aliter non. Immo, quicumque uteretur gratia aliqua a protectore ei concessa, dominus papa ipse privat eum gratia praefata et actibus legitimis, ut patet in eius bulla ordini data et concessa [1].

Ex praedictis patet, quomodo regula fratrum Minorum per summos pontifices est declarata.

6. Sexto, regula fratrum Minorum est per multos commendata, et eius excellentia reserata: et primo per apostolum Paulum, Gal. 6, 16 dicentem: *Quicumque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos et misericordia;* et quod hoc de regula beati Francisci intelligat, patet ex subillatione: *De cetero nemo mihi molestus sit* etc.; stigmata fuerunt bulla huius regulae; insuper, quia regula Francisci est apostolorum et Christi, ut dicit papa Nicolaus, ut dicetur. Patet ergo propositum nostrum.

Secundo per papam Honorium, qui de hac loquens regula, testibus fratre Leone et Bonizo, qui affuerunt cum beato Francisco regulae confirmationi, dixit: « Beatus ille, qui gratia Dei roboratus hanc regulam devote et fideliter servabit, quoniam omnia, quae in ea scripta sunt, sancta et catholica sunt ac perfecta [2] ».

Tertio per papam Nicolaum III, qui in declaratione regulae, — et ponitur *De verborum significatione*, « Exiit » lib. VI — de regula loquens sic ait: « Haec est Minorum fratrum mitis et docilis in paupertate ac humilitate per almum Christi confessorem beatum Franciscum radicata religio, quae ex illo vero semine germinans, germen illud per regulam sparsit in filios, quos sibi et Deo per suum ministerium in observantia evangelii generavit. Isti sunt filii, qui, docente Iacobo, Verbum aeternum Dei Filium insitum humanae naturae in horto uteri virginalis, potens salvare animas nostras, in mansuetudine susceperunt. Hi sunt illius sanctae regulae professores, quae evangelico fundatur eloquio, vitae Christi roboratur exemplo, fundatorum militantis ecclesiae apostolorum eius sermonibus actibusque firmatur. Haec est apud Deum et Patrem munda et immaculata religio, quae *descendens a Patre luminum* [3] per eius Filium exemplariter et verbaliter apostolis tradita, et demum per Spiritum sanctum beato Francisco et eum sequentibus inspirata, totius in se quasi continet testimonium Trinitatis. Haec est, cui, attestante (*c*) Paulo [4], *nemo de cetero debet esse molestus*,

(*a*) As et edd. *protegendum*. — (*b*) As *9*. — (*c*) Codex *attendente*.

[1] Bulla « Cunctos Christifideles » de 27 maii 1373 (cfr. *Bullarium franc.*, t. V pag. 504). — [2] Cfr. supra pag. 373 not. 1. — [3] Iac. 1, 17. — [4] Gal. 6, 17.

quam Christus passionis suae stigmatibus confirmavit, volens institutorem ipsius passionis suae signis notabiliter insigniri ». Haec papa Nicolaus [1].

Quarto per papam Clementem V, qui in declaratione sua, quae incipit: « Exivi de paradiso » — et habetur in *Clementinis* —, ubi ad propositum sic loquitur dicens: « Exivi de paradiso, dixi: irrigabo hortum plantationum. Hic hortus siquidem est fratrum Minorum sancta religio, quae muris regularis observantiae firmiter undique circumclusa intra se, solo contenta Deo, adornatur abunde novellis plantationibus filiorum. Ad hunc veniens dilectus Dei Filius mortificantis poenitentiae myrrham metit cum aromatibus, quae suavitate mira universis odorem attrahentis sanctimoniae circumfundunt. Haec est illa caelestis vitae forma, quam descripsit iste confessor Christi eximius, sanctus Franciscus, observandam a filiis verbo docuit pariter et exemplo ».

Et de professoribus huius sanctae regulae et ordinis Minorum loquentes excellenter summi pontifices, ipsam regulam magnifice extulerunt.

Unde papa Gregorius in declaratione regulae, in principio, sic inquit: « Quo elongati a saeculo ut columbae pennis assumptis in secessum contemplationis supra vos ipsos altius evolastis, eo conspectius peccatorum iacula praevidetis et plura, per quae conspicitis salutis impediri profectum, cordis vestri oculus perscrutatur; unde, quae tecta sunt aliis, quandoque in conscientiis vestris spiritus manifestat ». Et in quodam privilegio dicit: « Gloriantibus vobis de sola Domini nostri Iesu Christi cruce [2] ». Et in alio privilegio dicit: « In terris iurgianorum, saracenorum et aliorum infidelium vobis sit animarum sollicitudo commissa, ut, illius operante clementia, quae *de lapidibus potest Abrahae filios suscitare* [3], verbo et exemplo, proficiatis ibidem, et exsistentes in invio reducatis ad viam. Nos considerantes, quod ministerium vestrum diligenter impletis, vos operarios inconfusibiles exhibetis, vitiorum sentes exstirpare de agro Domini satagendo; propter quod indubitanter de vobis fiduciam obtinemus, ut qui spiritu vivitis, spiritu et ambuletis, et de doctrina vestra et conversatione flores et fructus proveniant gratiores [4] ». Et in alio privilegio dicit: « Vos, quos iuxta professae religionis officium zelus comedit animarum, et *in quadriga quarta* [5], quam variis charismatum donis et fidei fortitudine trahitis, ubique discurrere ac vexillum Regis gloriae procul levare gestitis [6] ». Et in alio privilegio dicit: « Non decet vos negotiis implicari saecularibus, quae cum mundo fugientes, facti voluntarii pauperes, nudi sequimini (*a*) nudum Christum [7] ». Et in alio privilegio dicit: « Ad haec semper vestrae humilitas conversationis invigilat, ut Deo placeat per devotae laudis obsequium et fructum proferat animarum ». Et in alio privilegio dicit: « Dilecti filii fratres Minores abnegantes salubriter semetipsos, elegerunt in altissima paupertate Christo pauperi ad placitum famulari, tanquam *nihil habentes et omnia possidentes* [8] ». Et plura alia dicit.

Dominus Innocentius IV de praefatis loquens, sic inquit in quodam privilegio: « Caelestis amor patriae mentes vestras sic allexisse perspicitur, ut quasi hoc solum delectationem vobis tribuat, quod divinae voluntati sit placitum, et salutem proferat animarum [9] ». Et in alio privilegio dicit: « Qui Deum tota mente diligitis et animarum

(*a*) Bull. *induimini*.

[1] L. c. in prologo. — [2] *Bullar.*, t. I pag. 298. — [3] Matth. 3, 9. — [4] L. c. pag. 101. — [5] Zach. 6, 3. — [6] L. c. pag. 269. — [7] L. c. pag. 31. — [8] L. c. pag. 75. — [9] L. c. pag. 642.

profectibus continua diligentia desudatis, debetis ad condignum gratiam experiri [1] ». Et in alio privilegio dicit: « Vestra semper in amore virtutum delectatur humilitas, et cuncta sollicite refugit, quae sibi aliquid famae vel conscientiae illatura dispendium pertimescit [2] ». Et in alio privilegio dicit: « Quoniam *superabundavit iniquitas, et refriguit caritas plurimorum* [3] ecclesiae, ordinem fratrum Minorum Dominus suscitavit, qui *non quae sua sunt, sed quae sunt Christi quaerentes*, tam contra profligandas haereses quam contra pestes alias mortiferas exstirpandas, se dedicaverunt evangelizationi verbi Dei in abiectione voluntariae paupertatis [4] ». Et in privilegio alio dicit: « Inspirationis divinae gratia faciente vos, quos in lucem gentium Dei sapientia dedisse noscitur, ad hoc continuis desudatis affectibus, ut spiritualem consequendo laetitiam, quae per quietem contemplationis acquiritur, et praedicationis [sacrae] studium obtinetur, et sic decurratis praesentis vitae spatium, quod annuente Iesu Christi clementia, vobis tandem ac proximo proveniat lumen (*a*) perpetuae claritatis [5] ».

Dominus papa Alexander IV de ordine loquens Minorum in quodam privilegio sic dicit: « Plantatus olim in agro ecclesiae ordo fratrum Minorum, sic a suis primordiis, gratia operante divina, laudabilibus incrementis successive profecit, quod assidue flores proferens copiosius honestatis et producens uberius fructus vitae, inter alia plantaria dominica puritate conversationis, scientiae dono et virtutis merito dignoscitur specialiter insignitus [6] ».

Est [etiam] ordo noster commendatus per dominum papam Ioannem XXII in quadam decretali extravagante, quae incipit: « Gloriosam ecclesiam », ubi sic dicit: « Minorum fratrum sacer ordo ab ipso suae fundationis exordio almi confessoris beati Francisci regulari traditione et apostolicae sedis auctoritate atque confirmatione indissolubili textura connexus, fide clarus, spe validus, caritate profusus, humilitate placidus, obeditione devotus, velut singulare iubar sanctitatis, exemplo et doctrinae verbo per universum orbem claruit, et ecclesiastico decori multum utilitatis (*b*) et plurimum inclytae alacritatis invexit [7] ».

Sed qualis sit regula fratrum Minorum, ipse beatus Franciscus declarabat, dicendo, ipsam esse « librum vitae, spem salutis, arrham gloriae, medullam evangelii, viam crucis, statum perfectionis, clavem paradisi et pactum aeterni foederis [8] ». Observantiam ipsius dixit esse observantiam sancti evangelii. Quare volebat, hanc ab omnibus sciri, ab omnibus haberi, in collocutionibus volebat fratres contra taedium de ipsa conferre saepe, et in memoriam praestiti iuramenti cum interiori homine de ipsa saepius confabulari. Docuit ipsam prae oculis semper portari in commonitionem et memoriam vitae agendae et debitae observantiae regularis; et, quod plus est, voluit et docuit fratres cum ea debere mori.

7. Septimo [regula fratrum Minorum est] a C h r i s t o d i l e c t a et amata. Nam, ipsam regulam et nostrum ordinem quod Christus dilexerit et diligat, ostendunt plura:

(*a*) As et edd. om. *lumen*. — (*b*) Codex *humilitatis*.

[1] L. c. pag. 536. — [2] L. c. pag. 670. — [3] Matth. 24, 12. — [4] Hanc epistolam iam dederat Gregorius IX die 6 apr. et 7 maii (l. c. pag. 214 et 218); eam repetit Innocentius IV die 19 sept. (l. c. pag. 381). — [5] L. c. pag. 538. — [6] L. c. t. II pag. 178. — [7] L. c. t. V pag. 138. — [8] II Cel. 3, 135.

et primum est, quia hunc petiit Christus a Patre sibi specialiter concedi [et dari], ut dictum est fructu et conformitate II [1] et dicetur conformitate IX secundi libri (*a*); hoc enim diabolus confessus (*b*) est.

Secundum, quia ipsum instituit et ordinavit; nam beato Francisco de scandalis fratrum turbato Christus dixit: « Quis plantavit hanc fratrum religionem? Nonne ego? An ego te super religionem meam sic pastorem institui, ut me principalem nescias [esse] patronum [2] »?

Tertium, ipsius regulam componendo; ut iam dictum est [3], Christus regulam ipsam composuit et ordinavit.

Quartum est, a calumniantibus [ipsam] defensavit; nam Christus inquit beato Francisco: Quantiscumque fuerit impulsibus paupercula haec concussa religio, « salva semper meo munere permanebit [4] ». Haec religio a pluribus infestata exstitit et tamen, Deo faciente, ab omnibus libera evasit, ut dicetur.

Quintum est, [quod] de ipso specialem curam habet et habere promisit. Quod patet primo ex his, quae beato Francisco in ecclesia sanctae Mariae de Angelis oranti dixit [5]. Cum enim beatus Franciscus oraret, ut Deus haberet misericordiam de populo christiano ex tribulatione, quae evenire debebat, Dominus Iesus apparens ei respondit: « Francisce, si vis, ut habeam misericordiam de populo christiano, fac mihi istud, quod ordo tuus permaneat in eo statu, in quo positus est; quia non remanet mihi plus de toto mundo; et ego promitto tibi, quod amore tui et ordinis tui non permittam mundo evenire aliquam tribulationem. Sed ego dico tibi, quod ipsi debent recedere ab ista via, in qua posui eos, et provocabunt me ad tantam iram, quod ego insurgam contra eos et vocabo daemones, et dabo eis omnem potestatem, quam voluerint; et ipsi tantum scandalum ponent inter eos et mundum, quod nemo (*c*) erit, qui possit portare habitum tuum nisi per silvas. Et quoniam mundus perdet fidem ordinis tui, non remanebit ultra lux; quia posui eos in lucem mundi ». Et sanctus Franciscus dixit: « De quo vivent fratres mei, qui habitabunt per silvas (*d*) »? Dixit Christus: « Ego pascam eos, sicut pavi filios Israel in deserto de manna; quia isti tales erunt boni. Et tunc redibunt ad primum statum, in quo fundatus fuit ordo et inceptus ». Hoc habetur in *Legenda antiquà*, capitulo de perfectione humilitatis. — Secundo patet per illud, quod habetur [etiam] in dicto capitulo [6]. Beatus Franciscus turbatus scandalis fratrum dixit ad Christum: « Domine, recommendo tibi familiam tuam, quam dedisti mihi ». Statim dixit illi Dominus: « Dic mihi, idiota et simplex homuncio: quare tantum contristaris, cum aliquis frater exit de religione, et cum fratres non ambulant per viam, quam ostendi tibi? Dic mihi: quis plantavit hanc fratrum religionem? Quis converti facit hominem ad poenitentiam? Quis dat virtutem perseverandi in ea? Nonne ego? Ego non elegi te pro homine litterato et eloquente super familiam meam; quia nec te nec illos, qui erunt veri fratres et veri observatores regulae, quam dedi tibi (*e*), volo ambulare per viam scientiae et eloquentiae, sed elegi te simplicem et idiotam, ut scire valeas tam tu quam alii, quoniam vigilabo super gregem meum; et posui te signaculum ipsis, ut opera, quae ego operor in te, ipsi

(*a*) Codex et As om. *IX secundi libri*. — (*b*) As et edd. *professus*. — (*c*) As et edd. *quasi nullus*. — (*d*) As et edd. *in silvis*. — (*e*) As et edd. addunt *et eis*.

[1] Pag. 81. — [2] II Cel. 3, 94 (cfr. *Speculum perfectionis*, ed. Sabatier, c. 81). — [3] Pag. 370. — [4] II Cel. 3, 94. — [5] Cfr. *Speculum* cit. c. 71, et *Actus* c. 65. — [6] *Speculum* cit. c. 81.

debeant in te operari. Qui enim ambulant per viam, quam ostendi tibi, habent me et abundantius habebunt; qui vero per aliam viam ambulare voluerint, etiam quod videbuntur habere, auferetur ab eis. Quapropter dico tibi, ne tantum de cetero contristeris; sed age quod agis, operare quod operaris; quoniam in caritate perpetua plantavi hanc fratrum religionem. Unde scias, quod tantum diligo ipsam, quod, si quis fratrum reversus ad vomitum moreretur extra religionem, alterum remittam in religionem, qui vice ipsius habeat coronam eius; et si non esset natus, faciam ipsum nasci. Et ut scias, quoniam vitam et religionem fratrum spontanee diligo, ponatur, quod in tota religione non remanerent nisi tres fratres, adhuc ipsa erit mea religio, et ipsam in perpetuum non relinquam ». Quibus auditis, beatus Franciscus remansit valde consolatus. Et haec habentur etiam in *Legenda maiori*, parte VIII [1].

Sextum est, quod ad ipsius regulae observantiam, ordinem intrando, Dominus Iesus multos induxit [2]. Ubi sciendum, quod Dominus et inspiratione et allocutione ad ingressum ordinis hos (*a*) induxit: induxit enim regem Ierusalem et imperatorem Constantinopolitanum Ioannem, qui deprecando Christum, ut sibi ostendere dignaretur, quomodo placeret ei ipsum moriturum, destinando beatum Franciscum, Christus ter per visionem, quod placebat Christo, ut frater Minor obiret, factus est frater Minor, imperio et regno dimisso [3]. — Fratri Humili deprecanti Christum, ut sibi ostenderet, cum esset magnae reputationis et famae, quam religionem intraret, respondit Christus, quod ordinem fratrum Minorum; et modum vivendi sibi etiam revelavit, ut dictum est supra conformitate VIII, in capitulo de provincia Tusciae [4]. — Magister Alexander de Alis divina revelatione etiam ordinem intravit. Cum enim rogasset Dominum, ut sibi ostenderet, quem ordinem intraret, responsum habuit, quod illorum ordinem intraret, qui de mane ad ipsum pro eleemosyna petenda primi accederent; et cum fratres Minores primo ivissent, factus est statim frater Minor [5]. — Frater Ioannes (*b*) de Penna provinciae Marchiae, ut habitum est conformitate VIII [6], de nocte a Domino vocatus, missus est ad locum fratrum Minorum et factus est frater Minor. — Unus monachus niger, apparente sibi alio monacho in flumine suffocato et dicente, quod omnes damnabantur de ordine monachorum et sic de aliis ordinibus, de discalceatis nullus damnabatur, hac visione factus est frater Minor (*c*) [7]. — Alius monachus stans in solitudine et supra arborem, cum videret beatum Franciscum et multos fratres incedere binos et binos et ire pro anima unius fratris, qui moriebatur, cum peteret esse inter eos, mandato beati Francisci habitum ordinis sumpsit et bene finivit. — Dominus Rodulfus, magister in theologia, natione anglicus, episcopus Erfordiensis, raptus in caelum, et viso, quod beatus Franciscus cum suis sub alis iudicis stabat, mundo relicto, annuente domino Gregorio IX, factus est frater Minor [8]. — Gunterus monachus de Barravia [9], beato Francisco sibi ter apparente cum libro evangelii et dicente, quod fieret frater Minor, et salvaretur, et in huius signum tibiam, quam habebat infectam,

(*a*) As et edd. *plures*. — (*b*) Codex et As *Fratri Ioanni*. — (*c*) Edd. om. hanc narrationem.

[1] C. 8 n. 3. — [2] Ex narrationibus sequentibus plures iam refert Bernardus de Bessa, *Liber de laudibus beati Francisci*, c. 7 (Anal. Franc., t. III pag. 679 sqq.) et *Chron. 24 gen.*; alias apud auctores priores non invenimus. — [3] Cfr. supra pag. 347. — [4] Cfr. supra pag. 252. — [5] Cfr. supra pag. 309 not. 5. — [6] Cfr. supra pag. 286. — [7] Cfr. Bessa pag. 684; ubi plura aliter habentur, v. g. « regularium ordinum *multos* damnari ». — [8] Cfr. supra pag. 344. — [9] *Chron. 24 gen.* pag. 241 addit « in provincia Coloniae ».

sanante, mandatum implevit et ordinem intravit [1]. — Canonicus quidam in partibus Flandriae, beatae Euphemiae devotus, apparente sibi dicta virgine et mandante, ut ordinem [Minorum] intraret, et ipso dicente, quod fratres eum propter strumam, quam habebat in gutture, non reciperent, sanatus ab ea, ordinem devotus intravit [2]. — Cuidam monacho in Vasconia, nomine primo Gunsalvo et demum Antonio, apparente sibi muliere pulcherrima et ornata et, ut eam in uxorem acciperet, invitante, et cum ipse diceret, se esse monachum et professum, et hac de causa eam in uxorem accipere non posse, et illa dixit, quod oportebat, eam in uxorem accipere, quia erat ordo et religio Minorum sub tali similitudine ei ostensa, quam accipiendo et intrando salvaretur, et vice alia, cum vidisset beatum Franciscum et fratrem Gulielmum sanctum, qui in ecclesia beati Francisci iacet Assisii [3], et vidisset quendam lectum pulcherrimum, de quo frater Gulielmus cum interrogaret beatum Franciscum, cuius esset ille lectus, et beatus Franciscus [dixisset]: « Ipsum Antonium in eo cubare volo », factus est frater Minor, cum eum abbatem vellent facere monachi. Hic lacrymas habens ad nutum, otiosa verba devitans, ut ebrius de Deo semper paratus videbatur ad loquendum, animarum zelo totus fervens, confessionibus et praedicationibus [semper] insistebat et ad confessionem et praedicationem et vitationem otiosorum verborum inducens fratres dixit, quod, si haec facerent, supra spem in virtute proficerent [4]. — Quidam scholaris valde famosus Parisius, quem Praedicatores optabant habere et Minores, sed ipse habitum religionis nolebat assumere, dum semel staret ad fenestram palatii sui, et vidisset in claustro quendam, de quo voce dilapsa audivit, eum antichristum fore, compunctus hac voce et conterritus, cum cogitaret, quomodo posset Deo servire et ubi, iterum audivit vocem sibi dicentem: « Vade ad religionem »; et cum ille diceret: « Ad quam »? respondit vox: « Ad ordinem Minorum ». Qui ad ordinem venit, et fuit vir magnae excellentiae, perfectionis (*a*) et vitae, et sancto fine quievit. — Quidam clericus de Anglia, nomine Ioannes, videbatur sibi, quod adoraret Crucifixum et quod usque ad crucis altitudinem elevaretur et audiret vocem dicentem sibi: « Si vis salvari, esto frater Minor »; et hanc vocem, quidquid ageret vel quocumque pergeret, semper sibi videbatur audire; sed distulit fieri frater Minor propter studium; cumque in philosophia deberet doctorari, et iam accepisset, antequam ad prandium iret, factus est frater Minor. — Quidam abbas persequens fratres una cum quodam episcopo fratre suo, in visione raptus, vidit bonos et malos ad iudicium evocari, se autem et fratrem suum episcopum cum duobus clientulis in sinistra cum reprobis assignari; tunc duo fratres Minores, de parte dextra venientes, ipsum ad partem dexteram quasi violenter trahebant. Qua visione habita territus, mane confugit ad fratres et, mirantibus omnibus, factus est frater Minor. Duo vero clientes sui contendentes de rebus abbatis, mutuis se vulneribus occiderunt; episcopus vero, nolens fidem dare visioni, subita et aeterna morte periit [5]. — Quidam sacerdos lascivus, sed beato Francisco devotus, cum rogaret beatum Franciscum, ut sibi continentiam tribueret, apparente sibi beato Francisco, dixit, quod fieret frater Minor et ex sui parte diceret hoc fratribus. Sed fratribus propter ipsius malam vitam ei non credentibus, nec eum recipere volentibus, beatus Franciscus dicto sacerdoti iterum ap-

(*a*) As et edd. om. *perfectionis*.

[1] Bessa pag. 683. — [2] Bessa pag. 680. — [3] Cfr. supra pag. 193. — [4] Bessa pag. 685. — [5] Cfr. *Chron. 24 gen.*, pag. 326.

paruit et, ut habitum fieri faceret, eidem imperavit, et quod cum die dominico indueret, praedixit, ac fratres, ut suae adessent induitioni, vocaret. Quod cum fecisset, apparente beato Francisco cum multis fratribus, et quatuor fratribus de loco praesentibus, beatus Franciscus eum induit; cumque indutus professionem fecisset in manibus beati Francisci, statim exspiravit; et fratres eum cum aliis fratribus sepelierunt [1]. — Dominum fratrem Petrum de Aragonia Christus ad intrandum ordinem Minorum induxit. Cum enim hostis esset ordinis Minorum (*a*), apparente sibi beato Ludovico nostro et dicente, quod, si fieret frater Minor, salvaretur, dimissis omnibus, factus est frater Minor [2].

Et non solum Christus induxit per se et sanctos homines ad ingressum huius religionis, sed promittentes intrare et [postea] nolentes seu differentes graviter punivit, ut patet ex multis. Nam Parisius quidam clericus ordinem fratrum Minorum promisit intrare, sed postmodum, pingui quadam habita praebenda, intrare omisit. Et cum fere per medium annum in sua esset ecclesia, infirmatus est graviter; et cum per fratres ad confessionem faciendam induceretur, respondit, quod damnatus erat, quia Christum viderat dicentem sibi: « Vocavi te, et renuisti; et ideo vade ad poenas inferni »; et statim miser, hoc dicto, exspiravit [3]. — Carnoti quidam in theologia magister, voto dum ordinem Minorum deberet intrare et differret, ter ad scaccos [ludens] fuit divinitus obcaecatus; sed in voti reiteratione a Deo illuminatus fuit et beata Virgine; sed tandem ordinem intravit. In quo cum segniter viveret, beato Francisco sibi in visione apparente et, quod eum portaret, mandante, cum per tibias eum traheret et caput per terram, quid dicta visio importaret, a quodam fratre praemonitus, vitam in melius commutavit [4]. — Scholaris quidam Parisius fieri frater Minor volebat, et iam tunicas fieri fecerat, sed hora introitus retrocedebat propter tepiditatem. Qui in visione a diabolo captus cum suis operibus coram Christo est proiectus, qui timens coepit clamare dicens: « Domine, miserere »; cui Christus: « Vis facere, quod promisisti, et fiet tibi misericordia »; et ille respondit, quod libentissime. Post multas diaboli vexationes, tandem proiectus est in caldariam pice et similibus plenam, ubi videbatur, quod caro eius ab ossibus separaretur; qui evigilans invenit se anxiantem (*b*) et sudoribus plenum, et veniens factus est frater Minor, ut promiserat. — Dominus Arnoldus de Asseduno (*c*), baro in Provincia, cum filium non haberet, votum beato Francisco emisit, quod, si daret ei filium masculum, quod faceret eum fratrem Minorem; qui compos voti, cum alium filium non haberet, et ex hoc eum fratrem Minorem facere prolongaret, morte subveniente, decessit filius; sed voto ipso iterato de faciendo filium fratrem Minorem, illico a beato Francisco resuscitatus, factus est frater Minor. — Idem per omnia accidit de quodam nobili de Marchia, qui, filium dum non haberet, emisit votum beato Francisco, quod, si filium ei daret, quod fratrem Minorem eum faceret; quod cum obtinuisset et votum differret implere, puer infirmabatur gravissime; et tunc pater, si liberaretur, votum fecit (*d*) de faciendo eum fratrem; qui statim liberatus, non est factus frater Minor. Iterum infirmatus, secundo votum emittitur,

(*a*) As et edd. *ordinis et fratrum.* — (*b*) As et edd. *anxiatum.* — (*c*) As *Assedimo.* — (*d*) As et edd. *iterans.*

[1] Cfr. *Chron. 24 gen.*, pag. 242. — [2] Cfr. *Chron. 24 gen.*, pag. 556. — [3] Bessa pag. 683. — [4] Bessa pag. 682.

et puer liberatur; sed cum eius induitio prolongaretur a patre, tertio infirmatus, mortuus est. Qui corpus accipiens filii ad locum portavit fratrum, et dum in ecclesia esset, et beatum Franciscum, qui eum nasci fecerat [et iam toties liberaverat], deprecaretur, ut eum resuscitaret, et [votum implendo] cum fratribus remaneret, puer revocatur a mortuis et statim sine mora frater Minor efficitur a patre. — Pisis quidam Gerardus de Boncomitibus, ter a patre diversis ex causis devotus, quod eum faceret fratrem Minorem, patre mortuo, cum ipse sciret se votum beato Francisco, ut esset eius frater, et [ipse] parvipendens hoc uxorem accepit; et cum ducere deberet eam die quodam dominico, die sabbati praecedente decessit. — Apud civitatem Massae Maritimae in provincia Tusciae, quidam civis, Thaddaeus Cursi (*a*) nomine, tempore secundae pestis, quae fuit MCCCLXIV (*b*), cum filium haberet ex peste morientem, ne eum mori videret, ad locum fratrum devenisset, et inductione fratrum, ut eum devoveret beato Francisco, quod, si eum liberaret, faceret fratrem, quod et fecit, ter ad altare conventus accedendo, mirum, voto facto, statim filius, qui laborabat in extremis, omni infirmitate depulsa, sanus surrexit. Qui volens beatum Franciscum decipere induit eum habitu ordinis, et praesentavit fratribus coram altari, et statim remoto habitu, filium reduxit ad domum, nec fecit eum fratrem, ut voverat. Sed hunc Dei iudicium apprehendit; sequenti enim anno in vigilia beati Francisci ipse Thaddaeus decessit; filius anno subsequenti a patre in vigilia obiit beati Francisci; et in anno sequenti a morte filii una filia, quae remanserat, in vigilia beati Francisci mortua est; et sic de huius Thaddaei domo nemo remansit; et hoc adeo notum fuit in dicta civitate, ut plures mulieres, quae votum fecerant de ponendo filios in ordine, statim ponerent timore praefatorum prostratae. Multis aliis signis nonnullos Deus punivit, qui hunc ordinem iuxta Deo promissa non intrarunt.

Christus insuper ab ordine recedere volentes diversimode terruit et monuit, ne hoc nullatenus exercerent. Quidam novitius tempore beati Francisci tentatus de ordine exire, voluit [hoc facere] cum licentia beati Francisci; sed beatus Franciscus noluit sibi [licentiam] dare, sed oppositum suggerebat dicens, quod eum Christus a miseriis mundi clementer eripuerat, quare redire ad mundum non debebat. Novitius ivit ad papam, sed papa sibi licentiam dare noluit; unde desperatus de ordine recessit et ibat versus domum patris sui. Et cum iret per viam solus, invenit quendam hominem nudum et vulneratum, sicut est Christus, in manibus et pedibus et latere, et vulnera ipsa sibi ostendebat; et videns ipsum interrogavit dicens: « Quis es tu »? et quomodo accidissent ei vulnera, ut Christo? Respondit: « Ego pro te sic vulneratus sum et humano genere ». Tunc ille: « Ergo tu es Christus »? Et Christus: « Tu vis me derelinquere et mundo adhaerere? Vide vulnera mea, quae pro te passus sum, et, quoties a diabolo tentaris et pateris aliquid, quod tibi displiceat, ad ista vulnera respice, et statim confortaberis ». Quibus auditis, confortatus venit ad beatum Franciscum, et procidens ad eius pedes veniam petiit et omnia, quae sibi acciderant, per ordinem enarravit. Deinde in ordine bene et laudabiliter usque in finem perseveravit et vixit. — Uni novitio Parisius ordinem exire volenti, sed differenti monitis magistri usque ad pascha, in parasceve, psalterio lecto, cum obdormisset, Christus denudatus cum cruce in humeris ei apparuit, et dixit huic novitio: « Non mihi compateris »? Respondit ille, quod sic, et volebat eum ad lignum crucis ferendum iuvare.

(*a*) As *Tursi*. — (*b*) As *1464*.

Et Christus posuit lignum crucis super eum dicens: « Tene et porta; quia, si usque in finem portaveris, salvus eris ». Et tunc dictus novitius evigilans, totus est confortatus et a tentatione illico est liberatus, et in ordine remansit et bene finivit. — Novitius alius fuit Parisius, qui propter ordinis rigiditates ad alium ordinem transire disponebat; et cum ante altare maius Dominum oraret devote et attente et cum lacrymis, ut sibi ostenderet, si eius exitus sibi displicebat, dum sic oraret, vidit Dominum de pyxide, ubi erat corpus Domini, exire et ad ipsum accedere et vulnera sua omnia demonstrare, dicens: « Respice, fili, quae et quanta pro te in corpore meo portavi et sustinui, et tu tamen levia et salutifera pro me portare formidas; quae si pio oculo consideraveris, omnes asperitates et labores ordinis dulces et amabiles tibi videbuntur »; quibus dictis Christus ad locum suum, scilicet ad pyxidem, redire videbatur. Frater vero ad se reversus sensit se subito renovatum et liberatum, et non solum asperitates communes ordinis libenter portabat, verum etiam graviores quotidie renovabat et cum sancto fine in ordine terminavit. — Quidam frater Petrus de castro sancti Henrici (*a*) provinciae Pennensis, tempore beati Francisci, cum avide cuperet visitare parentes, nec a ministro posset licentiam obtinere, dixit: « Vadam et videbo, et quis me retinebit »? Et statim a loco recedens fratrum, a fratribus insequitur et, ut revertatur, exorant, sed nullatenus acquievit. Et ad quendam veniens exitum vinearum (*b*), vehementer a somno arripitur; qui resistere somno non valens in terram cecidit et dormivit. Et ecce, beatus Franciscus adhuc vivens et in remotis agens dormienti apparuit, dixitque ei: « Quare tu obedientiae iugum confregisti? Revertere ad fratres tuos ». Dissimulante autem illo, nec redire volente, beatus Franciscus virga, quam manu tenebat, renuentem percussit. At ille dolore verberum fortiter excitatus, quem corpore (*c*) sentiebat, ad fratres illico est reversus, et fraterna compassione receptus, quod ei visione contigerat, fratribus enarravit [1]. — Frater Ioannes de Fulgineo stans in loco sancti Terrentiani iuxta montem Syraptim, tentatus, ab ordine disposuit exire; et de dicto loco recedens, ut Fulgineum rediret, pervenit ad locum Moliani iuxta Tiberim. Et cum a dicto loco abiisset et collem quendam in itinere positum ascendisset, totam vallem vidit velut locum sanguine repletam. Quo miraculo territus, supervenientibus fratribus eum ad locum reducentes, poenitentia accepta, in ordine permanendo bene advixit [2]. — Duo socii ordinem Minorum intraverunt; sed unus spiritu agitatus maligno alteri dixit: « Tu promisisti mihi ad saeculum redire, si mihi non placeret esse fratrem. Ego nolo esse frater amplius ». Cui socius respondens, quod aliquantulum differret, eum rogavit; et cum ille fecisset, tandem superatus tentatione, omnino abire volebat; cui cum socius diceret: « Intremus ecclesiam et rogemus beatam Virginem, et recedamus »; qui annuens, cum socius coram imagine Virginis se posuisset, et pro socio cum lacrymis oraret, vidit alius socius, qui exire volebat, beatum Franciscum lacrymas dicti fratris colligentem et offerentem in vase beatae Virgini supplicans, ut eius preces exaudiret. Quae omnia, dum praefatus vidit, ab omni tentatione liberatus, statim laudabiliter in ordine permansit [3]. — Quidam iuvenis valde nobilis et delicatus venit ad ordinem, qui habitu fratrum indutus post aliquot dies, diabolo instigante, coepit in tanta abominatione

(*a*) *Dialogus* pag. 115 *Heritii.* — (*b*) Edd. *viarum.* — (*c*) As *corde.*

[1] Cfr. *Dialogus* pag. 115. — [2] Cfr. *Dialogus* pag. 114. — [3] Cfr. Ms. Coll. S. Antonii pluries citatum, fol. 53 r. — Ibidem plures ex narrationibus hic sequentibus leguntur.

habere habitum, quod sibi videbatur habere (*a*) saccum vilissimum; unde factum est, quod, crescente religionis fastidio, redire ad saeculum omnino deliberaret. Eius magister docuerat eum, ut, cum transiret ante altare conventus, ubi corpus Christi servabatur, genuflecteret et, discooperto capite et cancellatis manibus, se inclinaret; et cum nocte illa, qua de mane recedere debebat (*b*), praedicta fecisset, statim fuit raptus in spiritu, et ostensa sibi fuit visio mirabilis. Nam vidit quasi infinitam multitudinem coram se incedentem processionaliter et transeuntem; omnes autem, qui in illa processione erant, ibant bini et bini, et erant vestiti ornatissimis et pretiosissimis diasperibus (*c*); facies autem eorum et manus et quidquid apparet de corpore, sole splendidius radiabat; et ibant cum cantico et iubilo angelorum solemnissime et dulcissime decantando, inter quos duo notabiles prae ceteris antecedebant, tanta claritate vallati, quod mirandum stuporem aspicientibus ingerebant; et quasi circa finem processionis praedictae vidit etiam quendam tanta gloria decoratum, quod videbatur quasi miles novus ab omnibus honorari. Dictus autem iuvenis, cum hoc videret et nesciret, quid esset, et cum iam processio dicta quasi transisset, extremos interrogat, ut, qui essent hi, ei indicarent. Illi ad ipsum facies splendidissimas convertentes dixerunt: « Nos omnes sumus fratres Minores, qui venimus modo de paradiso ». Et cum ille quaereret, qui essent illi duo ceteris clariores, responderunt, quod erant beatus Franciscus et beatus Antonius; ille autem ultimus sic honoratus est quidam sanctus frater noviter mortuus, quem, quia valenter contra tentationes pugnavit et usque in finem perseveravit in isto proposito sancto, ad gloriam cum isto triumpho perducimus. Ista vero vestimenta diaspredum, quae nos tam decora portamus, data sunt nobis propter asperas tunicas, quas in religione patienter portavimus; et gloriosa claritas, quam tu vides, data est nobis a Deo propter humilem poenitentiam, quam fecimus, propter sanctam obedientiam et paupertatem, castitatem mundissimam, quas usque in finem mente hilari servavimus. Unde, fili, non sit tibi durum saccum nostrae religionis tam fructuosum deferre; quia, si in sacco beati Francisci amore Domini Iesu Christi mundum spernendo, carnem mortificando et contra diabolum dimicando viriliter te habeas, [nobiscum] simili veste fulgebis ». Quo dicto, iuvenis ad se rediens, confortatus in Domino, omnem tentationem abiiciens, asperitates ordinis ut delicias reputans, in sancta vita finivit [1]. — Magister in theologia Parisius ordinem nostrum intravit, qui matris eleemosynis nutritus ab ipsa inducebatur ad exitum ordinis, ut sibi subveniret; et cum iam de egressu deliberasset, oratione prostratus ante Crucifixum, dum diceret, quod ratione matris oporteret eum Christum dimittere, vidit de vulneribus Crucifixi sanguinem emanare et vocem audivit dicentem: « Ego te carius nutrivi quam mater tua, et isto sanguine te redemi, nec me debes propter matrem dimittere ». Stupefactus tam de sanguine quam de voce remansit in ordine, recordans Iesus ei illud [evangelii] [2]: *Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus* [3]. — Frater quidam tentabatur exire ordinem; cui apparuit beatus Franciscus quadam nocte cum multitudine maxima daemonum, et dimissis daemonibus extra locum sanctae Mariae [de Angelis] de Portiuncula, ipse beatus Franciscus locum intravit, et iratus vocavit fratrem et alios antiquos dicens: « Quomodo servant fratres regulam et religionem

(*a*) As et edd. *portare.* — (*b*) As et edd. *volebat.* — (*c*) *Actus* c. 22 *dyasparis.*

[1] Idem *Actus* c. 22. — [2] Matth. 10, 37. — [3] Bessa pag. 683.

nostram »? Et respondentes, quod male, dixit beatus Franciscus: « Quomodo vos de his non dicitis veritatem »? Responderunt dicentes: « Pater, minus bene servant, et nos palpamus dicere eis veritatem ». Sanctus Franciscus dixit: « Surgite et locum circuite, et quos inveneritis ordinem et regulam non servantes, capite et producite daemonibus illudendos, qui foris sunt; sed et vos non effugietis, quin dignas plagas recipiatis ». Et cum in frontibus appareret, qui non essent regulae observatores, capti sunt, daemonibus traditi et multipliciter cruciati sunt, et sic etiam frater ipse tentatus daemonibus traditus est ab eis; qui nec supplicatione nec rugitu a beato Francisco est dimissus, sed laniandus a daemonibus exhibitus. Qua visione postea in ordine permansit. — Quidam novitius tentatus de ordine exire, [dum] monitu magistri plagas Christi et passionem cogitaret et sic faciendo obdormisset, vidit Christum ostendentem sibi vulnera sanguinem distillantia, innuentem, quod ipse novitius renovasset ea; quo evigilante, omnis tentatio abscessit, et ipse in ordine permansit. — Quidam iudex valde frigidus, qui pellibus multiplicibus utebatur in capite et in dorso, divina inspiratione ordinem intravit Minorum. Sed cum se videret abiectum et gloriam saecularem amisisse, egredi de ordine fuit tentatus. Qui in visione cum vidisset turrim eburneam valde pulchram et ipsam cuperet ingredi, nec circuiendo ostium inveniret, vidit fenestram in altitudine turris et faciem quandam gratiosam, quae sibi dixit, quod nullus posset illam turrim intrare, nisi humilis et abiectus. Quo audito, tentatio cessavit et ad meliora profecit. Alia vice vidit Christum [quosdam] fratres visitantem et quosdam non; et cum ipse quaereret, quare non omnes [visitaret], respondit Christus: « Ego visito me visitantes; me visitant orantes ».

Ex praedictis apparet, quod Christus crucifixus speciali affectu hunc ordinem dilexit, dum se non solum beato Francisco in forma Crucifixi pluries exhibuit, sed ab ordine egredi appetentibus in forma Crucifixi plagatus se eis ostendit. Et sic praefatis pensatis, patet, quod Christus hunc ordinem [semper dilexerit et] diligit.

Septimum est, quod ipse Christus multis singularibus hominibus hunc ordinem decoravit. Patet in sanctis fratribus, regibus, pontificibus et cardinalibus et aliis tam litteratis quam nobilibus, ut dictum est fructu praecedenti et conformitate.

Octavum, ipsum ordinem usque ad iudicium perpetuando. Nam, teste Ioachim et aliis, ut dictum est supra conformitate I [1], usque ad diem iudicii, aliis ordinibus deficientibus, perseverabit. Id ipsum beatus Franciscus a Deo habuit per angelum, primo, dum staret in quodam loco et sequestratus oraret a fratribus. Superveniente hora comedendi, fratres miserunt ad ipsum unum fratrem; cui beatus Franciscus manu annuit, ne ad ipsum iret; et cum iterato misissent ad eum dictum fratrem, beatus Franciscus gaudens et exsultans vocavit eum dicens, quod causa, quare sic gaudebat, erat, quod quatuor, de quibus fuerat sollicitus, sibi tunc Dominus revelaverat: primum, quod nullus, qui moreretur in habitu, esset damnatus, — istud debet intelligi pie et sane, scilicet cum observantia regulae; — secundum, quod ordo multos debet (*a*) habere impugnatores, sed finaliter omnibus praevalebit et praevaleret (*b*), et parum durarent insultatores; tertium, quod, quanto plures essent fratres, tanto eis Dominus abundantius provideret; quartum, quod professio fratrum duraret usque ad diem iudicii [2]. — Secundo, dum esset in monte Alvernae, idem dixit beatus Franciscus,

(*a*) As et edd. *debebat*. — (*b*) As et edd. *praevalet*.

[1] Pag. 53. — [2] Similis narratio habetur in *Chron. 24 gen.*, pag. 289.

se habuisse a Christo, fratri Leoni; immo beatus Franciscus mandavit fratri Leoni, ut lapidem unum primo aqua, secundo vino, tertio lacte, quarto (*a*) balsamo lavaret; et cum frater Leo diceret, quomodo posset habere balsamum, respondit (*b*) beatus Franciscus, quod ideo [hoc] dixit, quod Christus super illum lapidem sederat, et quinque sibi dixerat; sed unum nolens fratri Leoni dicere, dixit sibi alia quatuor, videlicet: primum, quod religio et professio fratrum Minorum non deficiet usque ad diem iudicii et durabit usque in saeculum saeculi; secundum, quod nullus male vivens in ordine poterit in eo (*c*) diu permanere, nullus enim poterit stare in ordine in peccato mortali, aut enim confitebitur aut egredietur; tertium, quod nullus ex industria persequens ordinem, diu vivet; quarto, quod, quicumque ex corde ordinem dilexerit, quantumcumque sit peccator, tandem misericordiam consequetur; benefactores enim nostri remunerabuntur in hoc saeculo et in alio, et malefactores punientur in hoc saeculo et in futuro. Haec dixit beatus Franciscus fratri Leoni [1]. — Tertio, habuit praefata beatus Franciscus, dum oraret in sancta Maria de Angelis, ut revelavit fratri Rufino; et addidit unum aliud beatus Franciscus maius praefatis, quod in die iudicii apparebunt fratres cum stigmatibus, et in fine, scilicet tempore antichristi, habebunt fratres quam plurimi stigmata. De perpetuitate istius ordinis patet ex iam dictis per allocutionem Christi factam beato Francisco, dum fratrum scandalis turbaretur; vide supra [2].

Nonum, ipsius regulam servantibus et in ipso debito ordine stantibus vitam aeternam largiendo. Et quia de hoc dicetur in duodecima regulae conditione, sufficiat ad praesens miraculum supradictum [3] de visione iuvenis nobilis, qui volebat ab ordine egredi, qui multitudinem maximam fratrum pro anima fratris morientis vidit euntem etc. Idipsum ostendit operatio miraculorum sanctorum [fratrum], de quibus dictum est fructu et conformitate praecedenti; quae operatio gloriam arguit ipsorum. — Hoc ipsum tandem probo beati Francisci revelatione per angelum eidem facta, dum staret in eremitorio sancti Urbani. In qua revelatione plura continentur, aliqua praemissa et nonnulla dicenda probantia. Beato Francisco apparuit angelus Domini in specie fulgida, et privilegia ac gratias singulares regulam amantibus et servantibus usque in finem factas et concessas a Deo in caelis revelavit ei et animavit eum ad annuntiandum fratribus singularitatem gloriae, quam praeparavit Dominus Iesus Christus in caelis vitam et regulam fideliter et devote implentibus: primum [privilegium], felicem et absque impedimento et detentione poenarum purgatorii evolationem ad regnum; secundum, cum Christi discipulis praeclaras et lucidas mansiones; tertium, in peregrinationis huius exilio defensionem et protectionem singularem ab insidiis daemonum et a lapsu peccati mortalis; quartum, iucundam et christiformem habitationem Christi et spiritus eius in animabus et corporibus pure et fideliter servantium eam; quintum, devotionem ad veros regulae observatores et ad regulam et religionem habentibus et ipsos recipientibus et eis benigne subvenientibus, augmentum bonorum gratiae et protectionem ab adversis et liberationem a peccatis, et in fine misericordiam et refrigerium aeternae quietis, si audierint eos et perseveraverint in incepta reverentia et dilectione usque in finem; sextum, persequentibus vero et impugnantibus et odientibus ipsos et eorum religionem et vitam in praesenti

(*a*) In Codice correctio *olio, quarto lacte et quinto.* — (*b*) As et edd. *intulit.* — (*c*) Codex *esse.*

[1] Cfr. supra pag. 190 not. 2, *Speculum perfectionis* (ed. Sabatier) c. 79 et *De secretis beato Francisco revelatis* in Anal. Franc. t. III pag. 646. — [2] Cfr. supra pag. 428. — [3] Pag. 433.

privatio gratiae, caecitas mentis, involutio in peccatis, amaritudo cordis et impietatis; et si non resipiscant, quod poeniteant ante mortem, Christi maledictio et aeterna damnatio venient super eos.

Decimum, ad ordinem et regulam afficientibus misericordiam impendendo. Patet ex praemisso [immediate] et octavo.

Undecimum, circa finem unum fratrem suscipiendo (*a*) et stigmatizando. De stigmatizatione fratrum dictum est in octavo praecedenti; sed de uno fratre singulariter suscipiendo, quasi in ultimo tempore, quidam daemon pandidit, exprimens sanctitatem beati Francisci et sui ordinis, de quo dicetur plene conformitate et fructu XXI (*b*). Unde per os cuiusdam mulieris daemon a lucifero informatus, cuidam domino Bartholomaeo coram quadraginta presbyteris multa et magna dicendo de beati Francisci sanctitate, demum ad propositum loquendo de fratribus ordinis, sic inquit: « Cumque ad hoc deducti fuerint, ut a pristino statu quasi videantur omnino excidisse, tunc surgens unus inter eos, de cuius industria et vita parva ante opinio habebatur, qui ad tantam perfectionem virtutum attinget, quod satis maiora faciet quam Franciscus. Huic Virgo frequenter apparens, familiari allocutione de sua suorumque fratrum ceterorum conversione recuperanda, iam quasi perdita perfectione, instruet. Quasi (*c*) duae partes orbis totius virorum ac mulierum in propriis habitantes domibus de consilio huius ordinis dignos poenitentiae agent fructus [1] ». Haec ait diabolus.

Duodecimum, contra antichristum ipsum ordinem opponendo. Hoc ostendit abbas Ioachim, ut dictum est supra conformitate I et fructu [2]. Opponet enim se ordo iste contra angelum mortis etc. Unde frater Leo narravit, quod semel beatus Franciscus surgens de oratione venit ad fratres turbatissimus dicens: « Ite ad saeculum, dimittatis habitum, licentio vos, nolo facere ordinem, nec vellem istum habitum invenisse. Dominus enim mihi revelavit, quod de ordine meo exibit antichristus et secta eius ». Cui frater Massaeus valde prudens, principalis eius consiliarius, dixit: « Frater, ora Deum, ut tibi revelet, si est aliquid boni futurum in ordine tuo. Nonne vides, pomum aliquando totum exterius putrefactum, quod, si tamen discooperiatur, aliquando interius appareat bona medulla »? Quod cum audisset beatus Franciscus, dixit: « Bene placet mihi quod dicis, et sic faciam ». Cum igitur orasset super hoc, venit laetus ad fratres dicens: « Plus de bono quam de malo. Dominus, inquit, ostendit mihi, quod mali de ordine erunt antichristi cum secta sua, sed boni de ordine meo destruent eum et sectam suam, et per eos postea convertetur totus mundus ».

Decimum tertium, ipsius ordinis institutorem beatum Franciscum sibi conformando per impressionem stigmatum, et super alios promovendo et exaltando; et hoc est signum magni amoris ad ordinem, caput eius sic magnificando.

Decimum quartum, ipsum ordinem prae aliis diligendo. Quod beatus Franciscus cuidam fratri reseravit; nam quidam frater casu venam pectoris sibi fregit, et cum dolore pectoris et sanguinis per os emissione plurimum anxiaretur, fecit se ad ecclesiam [deferri] dicens: « Vel ibi moriar, vel beatus Franciscus me liberabit »; ubi, dum devote precaretur beatum Franciscum pro altero praefatorum, apparente beato Francisco et manu tangente, statim reddidit eum sanatum (*d*). Et cum post sanitatem

(*a*) As et edd. hic et paulo post *suscitando*. — (*b*) As et edd. *XX*. — (*c*) As *Qui*, edd. *denique*. (*d*) Edd. *sanum*.

[1] Cfr. *Chron. 24 gen.*, pag. 27. — [2] Pag. 53.

perceptam ille interrogasset beatum Franciscum, quis ordo esset Deo magis acceptus, respondit beatus Franciscus dicens, quod, etsi multi (*a*) mali fratres essent in ordine, nullus alius ordo Deo magis placeret quam ordo suus. Et cum frater dixisset beato Francisco, in quo plus fratres peccent, respondit beatus Franciscus: « In otio et murmuratione [1] ».

De dilectione Christi ad hunc ordinem patet ex dictis supra Christi ad beatum Franciscum et miraculis ostensis. Sic ergo apparet septimum, quod hic ordo et regula a Christo est a d a m a t a.

8. Octavo, regula [fratrum Minorum] est a c a l u m n i a n t i b u s d e f e n s a t a, ubi est advertendum, quod, ut dictum est, nullus persequens ordinem vel aliquid facere contra regulam attentaverit (*b*), bene sibi eveniet. Quod multis exemplis claruit.

Temporibus nostris dominus Urbanus V, qui iuraverat istum ordinem destruere, si ad sequens consistorium veniret, statim arreptus a malo iliaco, infra paucos dies decedens consistorium aliud non tenuit [2]. Dominus papa Bonifacius VIII, qui bullas innumeras fieri fecit, omnes eiusdem tenoris, ut de fratribus Minoribus fieret sicut de Templariis, et ordo destrueretur totus in una die per orbem, antequam ipsas mitteret, captus fuit, et omnes illae bullae per illos de Columna in platea civitatis Anagniae combustae; et ipse dominus papa infeliciter decessit [3].

De aliis autem ecclesiae praelatis hunc ordinem et specialiter beatum Franciscum corde amaricato blasphemando, qualiter divina ultio ad ipsos se ostenderit, quibusdam exemplis est ostendendum. Ostensum est supra [4] de abbate et episcopo persequentibus ordinem et fratres, qui in iudicio in parte sinistra locati, abbas per fratres Minores a parte dextra extractus et, facto fratre Minore, evasit (*c*), episcopus, dum in proposito permaneret, subita et aeterna morte periit. — Episcopus Imolae, frater domini Roberti de Imola, qui fratrum locum destruxit [5], subita morte interiit. — Praepositus Montis Vici de Pedemontis, cum summe prius fratres diligeret, operatione cuiusdam sui famuli dilectionem in odium sic convertit, quod eius persecutione erat necesse, quod fratres de dicto castro omnino abirent; sed fratres ad beatum Franciscum recurrentes, rogabant, ut de atroci vexatione clementer eos eriperet. Quod etiam factum est; nam de nocte ad iudicium Dei praepositus ductus cum famulo, cum sententia contra eos daretur, beatus Franciscus praepositum defendit, quia fuerat ordini devotus, etsi famuli inductione hostis esset effectus; verum sententia stante contra famulum, decapitatus est; et cum a somno praepositus surrexisset, famulum suum divina sententia decapitatum inveniens, ipse statim fugiens ad fratres factus est frater Minor. — Duo praebendati, unus devotus ordini et alter hostis, mali tamen ambo, in visione ad iudicium rapti, data sententia, hostis ordinis est decapitationis sententia mulctatus; et sic est postmodum repertus. Alter vero ob devotionem ad

(*a*) As *nulli.* — (*b*) As et edd. *praesumpsit.* — (*c*) As et edd. *factus est frater Minor.*

[1] Idem paulo fusius in Ms. Coll. S. Ant. fol. 52 v. — [2] Si huic narrationi aliquid veri subest, ipsam de Urbano VI intelligendam putamus, non vero de Urbano V, qui ordini multa exhibuit benevolentiae signa et cum fama sanctitatis decessit. — [3] Similiter de eius morte praeter alios retulerunt plures chronistae ordinis Minorum; cfr. *Flores temporum* apud Eccard, *Corpus historicum medii aevi,* t. I pag. 1631 et *Martinus Fuldensis,* ib. pag. 1720. — [4] Pag. 430. — [5] Destructus est « propter guerras illarum partium »; cfr. bullam Innocentii VI « Iis quae animarum » de 23 oct. 1358 (*Bullarium franc.* t. VI pag. 318.

ordinem et beatum Franciscum a sententia liberatus, factus est frater Minor bonus et sanctus (*a*) [1]. — Gulielmus de Sancto Amore una cum multis magistris Parisiensibus istum insecutus ordinem, reprobatus per dominum Alexandrum IV in sua *Extravagante*, quae incipit: « Non sine multa cordis amaritudine », et in alia, quae incipit « Romanus pontifex de summi apostolatus specula [2] » etc., una cum suis sequacibus, et tandem malo fine vitam terminavit praesentem. Multi etiam alii praelati et cardinales ad destructionem ordinis attendentes, de quorum nominibus taceo, quia recenter mortui sunt, parvo tempore ab incepto vita hic superstites (*b*) tenuit; et verificatum est in praedictis, quod dictum est beato Francisco et allegatum supra [3], quod nullus ex industria persequens ordinem diu poterit in hac vita manere.

Plures etiam saeculares persequentes fratres malo fine decessere. Fridericus II, qui fratres de regno Siciliae expulit, cossino (*c*) posito super guttur a filio suo naturali Manfredo, excommunicatus suffocatur. — Florentiae quidam miles capitaneus de Brixia (*d*) quendam nostri ordinis fratrem inhonestavit contra Deum et veritatem; confirmatus in officio tot infanda commisit, ut per Florentinos ad carcerem iudicatus perpetuum, ibidem infelicissime et cum miseria moritur; in morte veniam petens a fratribus rogavit, ut eum amore Dei deberent sepelire. — Frater Agnellus de Pisis, minister primus Angliae, iniuriose repulsus a monachis cuiusdam loci, divino iudicio eadem nocte [monachi omnes] occisi sunt, uno excepto, qui se eis benevolum ostenderat, ut habetur clarius in praecedenti conformitate in capitulo de provincia Angliae [4]. — Nobilis quidam iuxta Viterbium habens castrum, nomine Nicolaus, inferendo sancto fratri Iunipero multas iniurias, postea captus est a Viterbiensibus et occisus [5]. De multis aliis exempla possem inferre, quae brevitatis causa dimitto.

Et sicut Deus ultor exstitit persequentium, sic adiutor factus est ordinem diligentium, iuxta supra posita beato Francisco revelata. Protectores tres inter alios successive et primos habuit ordo noster, qui vere fuerunt patres ordinis; et quia sic fuerunt, Deus ad culmen apostolicum eos sublimavit, videlicet dominum Ugolinum episcopum Hostiensem, qui fuit papa Gregorius IX, dominum Benedictum (*e*) de Anagnia, qui fuit papa Alexander IV, dominum Ioannem Gaietanum de Ursinis, qui fuit papa Nicolaus III (*f*). Nec dominus papa Alexander nec papa Nicolaus voluerunt, esse alios protectores quam ipsos, dum adviverent; etsi iuxta mortem papa Nicolaus cum summa devotione et lacrymis fratrem suum dominum (*g*) fecerit ordinis protectorem. — Miles devotus ordini et beato Francisco, dum beatum Franciscum apud Celanum hospitio receperit, revelata eidem a beato Francisco morte, poenitentiae fructus sacramentis perceptis (*h*), de hac vita gratiose (*i*) decessit [6]. — Dominus episcopus Rodonensis, nomine Petrus [7], in Hispania, devotus ordini et beato Francisco, mortuus dum esset tribus diebus, per beatum Franciscum primo ab inferno liberatus, secundo pro poenitentia

(*a*) As om. *bonus et sanctus.* — (*b*) As *haec superstes;* edd. *in vita hac superstites fuerunt.* — (*c*) As et edd. *cervicali.* — (*d*) Edd. *Brixia.* — (*e*) Vocabatur *Raynaldus.* — (*f*) Codex *IV.* — (*g*) In Codice et As habetur lacuna. Papa Nicolaus III *nepotem* suum, cardinalem *Matthaeum,* nominavit ordinis protectorem; cfr. *Catalogum Cardinalium Protectorum,* in Anal. Franc. t. III pag. 709. — (*h*) As et edd. *fructus faciens.* — (*i*) As *gloriose.*

[1] Cfr. *Chron. 24 gen.*, pag. 327. — [2] Cfr. *Bullarium franc.*, t. II pag. 165 et 160. — [3] Pag. 436. — [4] Cfr. pag. 331, not. 1. — [5] Cfr. *Chron. 24 gen.*, pag. 58. — [6] Cfr. Celano, *Tractatus de miraculis* n. 41. — [7] Cfr. Ms. Coll. S. Ant. fol. 66 v.

reductus ad vitam corporis, post viginti dies de hac vita migravit. — Rex Castellae Sancius tam devotione ad ordinem quam prope mortem habitus ordinis assumptione a damnatione aeterna est liberatus, ut dictum est conformitate praecedenti [1]. Multos alios devotionem sinceram gerentes ad ordinem Deus multis bonis in praesenti replevit et in futuro, de quibus in sequentibus clare patebit.

Et sicut ordinem persequentes, sic et contra regulam insurgentes punivit, ut fuit secta Fraticellorum, quorum frater Iacobus de Ceva, provinciae Ianuae, fuit caput. Hos papa Ioannes XXII in Decretali extravagante, [quae incipit] « Gloriosam ecclesiam » excommunicavit ut haereticos et exstirpavit [2]. — Similiter fratrem Ubertinum (*a*) de Casalia (*b*), provinciae Ianuae, ordo cum suis [sequacibus] punivit; et ipse ut membrum putridum divisionis et scandali abscissus ab ordine, factus est monachus albus [3].

Sic et novitates facere in ordine praesumentes, divina ultione sunt percussi. Tempore beati Francisci unus ex eius sociis (*c*), vocatus frater Ioannes de Capella, quia invenit abusum capellae, et ab ipsa denominatus, ab ordine recedens factus leprosus, laqueo ut Iudas se suspendit [4]. — Primus minister Bononiae, dictus frater Ioannes della Schiaccia (*d*), qui posuit studium Bononiae contra voluntatem beati Francisci, et correptus de hoc a beato Francisco, iterato reponendo studium, ab ipso sancto maledictus, statim coepit febricitare; et cum supplex esset factus beato Francisco per internuntium, respondit beatus Franciscus, quod maledictionem, quam dederat ei, Dominus Iesus Christus in caelo confirmaverat, quare erat maledictus; quaedam gutta de caelo descendendo super corpus eius ipsum corrodendo exstinxit [5]. — Frater Elias, secundus generalis, novitatem faciens, ut fratres contra regulam non comederent carnes [6], insuper equitando pulcherrimum parafredum et plura alia faciendo, apostata et excommunicatus a papa Gregorio IX, adhaerens ad Fredericum II imperatorem in Sicilia, extra ordinem obiit. — Frater Raimundus Guaffredi (*e*) de Provincia, absolutus a generalatu per dominum Bonifacium papam VIII, contra puritatem ordinis et regulae insurgens, miserabiliter et horribiliter exspiravit [7], et multi sui sequaces pessime mortui sunt. — Frater quidam spiritualis, qui mutavit locum a beato Francisco ordinatum (*f*) et fecit alium locum in aedificiis sumptuosiorem, a beato Francisco reprehensus fuit et punitus. — Frater Iuvenalis de Florentia, qui fundavit tam magnam ecclesiam, sicut revelatum fuit cuidam fratri devoto, hanc habet poenam usque ad diem iudicii, ut duo mallei semper eius percutiant caput [8]. — Fratres, qui etiam habuerunt pecuniam contra regulam et eius abusum suo exemplo fratribus ostenderunt, sine confessione et sacramentis et lingua decesserunt, ut de ipsis dicetur infra conformitate XVI. — Fratres etiam nonnulli spiritum quaerentes libertatis, ab ordine apostatantes, dicentes alios fratres damnatos et se iustos et sanctos, quotidie capiuntur et comburuntur [9]; nec Deus per mortem ipsorum ostendit aliquid miraculi, nec per tales. Sed quid dicendum est de multis praelatis, qui in ordine isto et fuerunt et sunt, qui moribus et, nulla facta

(*a*) Codex *fratrem Ioannem Ubertinum*. — (*b*) As et edd. *Casali*. — (*c*) Codex *eis socius*. — (*d*) As et edd. *Laschaccia*. — (*e*) As *Gauffredi*. — (*f*) As et edd. *constructum*.

[1] Pag. 348. — [2] Cfr. *Bullarium franc.*, t. V pag. 137; antesignanus ille fraticellorum vocabatur *Henricus* de Ceva. — [3] Cfr. *Bullarium franc.*, t. V pag. 127. — [4] *Actus* c. 1 n. 3. — [5] *Actus* c. 61. — [6] *Actus* c. 3 n. 24. — [7] Cfr. Clarenus, *Historia septem tribulationum* (l. c.) t. II pag. 133 et *Chron. 24 gen.*, pag. 458. — [8] Cfr. infra fr. XVI. — [9] Agit de fraticellorum assectis.

correptione, permittunt, ordinem cadere ab omni religiositate? Credo, quod mortuis Deus dedit (*a*) infernum, vel saltem quod eos maximis puniat poenis, quia nonnullos eorum dire punivit in praesenti; et qui sunt (*b*), praesumendum est, quod Deus ultionum vindictam in eis exerceat et faciat, et sic punientur a Domino et beato Francisco.

9. Nono, est regula nostra fratrum Minorum contra mundi vitia et mala ordinata. Ubi notandum, quod regula fratrum Minorum est totaliter hominis immutativa et renovativa (*c*). Facit enim, quod homo *deponat veterem hominem cum actibus* (*d*) *suis et novum,* scilicet Christum, *induat cum actibus suis,* per ipsius perfectam imitationem. Ad quod videndum est sciendum, quod, cum in mundo isto nihil boni, ut dictum est supra conformitate VI, inveniatur, sed potius quidquid mali; in ipso quippe reperitur: contemptus Dei, inobservantia mandatorum eius, carnis incendium, avaritiae cupido, derisio servorum Dei (*e*), irreverentia ad omnes, infidelitas ad Christum, affectio saeculi, despectio pauperis, impatientia ad tentationes, appetitus laudis, detractio prava, delectatio in mundanis, ventris ingluvies, assidua iurgia, vilipensio proximi, linguae procacitas, aviditas lucri, inexercitatio ad virtutes, temporis amissio, pauperis odium, confidentia vitae, operationis rectae desidia, parvipensio caeli, terrenorum affectus, dissensio in conversatione, humilitatis despectus, peccati defensio, ascendendi ambitio, de factis praesumptio, falsitatis sectatio, inobedientia in iniunctis, mentis elatio, aemulatio, fallacia, inquietudo, discrepatio, vilium anxietas, indiscretio, inconstantia, inimicitia, immunditia, alacritas in adversis proximi, cordis superbia, et Redemptoris derisio et despectio. His malis et innumeris aliis hic mundus infelix et miser laborat. Qui ergo ab his vitiis cupit liberari, hanc beati Francisci et fratrum Minorum regulam amplexetur et brachiis totius stringat amoris; quia ipsa a praefatis totum hominem liberat et immutat.

Ipsa enim, ut patet ex contentis in ea, hominem renovat et transire facit: primo a Dei contemptu ad Christi imitationem; in principio regulae habetur: « Regula et vita fratrum Minorum haec est, scilicet Domini nostri Iesu Christi sanctum evangelium observare », etc.; secundo ab inobservantia ad Dei praeceptorum impletionem, dicens: « Frater Franciscus promittit obedientiam et reverentiam » etc.; tertio a carnis luxuria ad eius puritatem; ideo dicit regula, quod fratres vivant [in puritate] (*f*) et observent castitatem; quarto a cupiditate ad voluntariam paupertatem; ideo sine proprio quilibet promittit vivere hanc profitens regulam, et sic regula docet; quinto a derisione ad honoris exhibitionem; ideo reverentiae omnes fratres subiicit et respectu domini papae et praelatorum; quia « vivendo in obedientia »; sexto ab irreverentia ad venerationem; promittit enim reverentiam ex regula quilibet frater Minor; septimo ab indevotione Christi ad perfectam mundi pro ipso abdicationem; ideo dicit regula: « Si quis voluerit hanc vitam accipere » etc.; octavo ab affectu saeculi ad Christi veram inhaesionem; regula dicit, quod venientes ad ordinem omnia vendant; nono a Christi contemptu ad ipsius sublevationem; regula mandat, quod omnia debeant pauperibus erogare ad ordinem venientes; decimo ab impatientia tentationum ad fervidam macerationem; regula dicit, mollibus non indui, nec duas tunicas haberi etc.; undecimo a laudis appetitu ad sui despectionem; regula dicit, quod fratres possint vestimenta repetiare de saccis et aliis petiis etc.; duodecimo a detrac-

(*a*) As et edd. *det.* — (*b*) As et edd. om. *qui sunt.* — (*c*) As *revocativa.* — (*d*) As hic et paulo post *artibus.* — (*e*) As om. *derisio—Dei.* — (*f*) As *fratres ieiunent.*

tione ad omnium verbotenus saltem commendationem; regula dicit, quod fratres « non despiciant, neque iudicent homines » etc.; decimotertio a prava mundi delectatione ad laudis Domini iubilationem; regula dicit, quod « clerici faciant divinum officium » etc.; decimoquarto a ventris ingluvie ad eius subiectionem et refrenationem; regula dicit, quod « fratres ieiunent » etc.; decimoquinto a iurgiis ad pacificam conversationem; regula dicit, quod fratres, « quando vadunt per mundum, non litigent » etc.; decimosexto ab aliorum vilipensione ad eorum caritatem et dilectionem; regula dicit, quod « sint pacifici, modesti et mansueti » etc.; decimoseptimo a linguae procacitate ad taciturnitatem; regula dicit, quod « honeste fratres loqui debeant omnibus, sicut decet »; decimooctavo a pecuniae acquisitione ad paupertatis amorem; regula praecipit, quod fratres « nullo modo denarios vel pecuniam recipiant » etc.; decimonono ab otio ad operis laborem; regula dicit, quod fratres « laborent fideliter et devote » etc.; vigesimo a temporis perditione ad orationis fervorem; regula dicit, quod fratres « sanctae orationis spiritum non exstinguant » etc.; vigesimo primo ab odio mendicitatis ad paupertatis indefessae amandum valorem; regula dicit laudando paupertatem, quod « haec est illa celsitudo altissimae paupertatis » etc.; vigesimo secundo a confidentia vitae praesentis ad desiderium et refugium Dei; regula clamat: « Fratres nihil sibi approprient, [nec domum] nec locum » etc.; vigesimo tertio a desidia ad bonum opus perficiendum et exercitium; regula dicit, quod fratres ire pro eleemosyna non debent verecundari etc.; vigesimo quarto a parvipensione caelestium ad supernorum cogitationem; regula dicit: « Reges et heredes regni caelorum etc., haec sit portio » etc.; vigesimo quinto a terrenorum affectu ad ipsorum totalem derelictionem; regula dicit: « Nihil sub caelo habere velitis » etc.; vigesimo sexto a dissensione animorum ad benignam simul cohabitationem; regula dicit: « Ubicumque sunt fratres et se invenerint » etc.; vigesimo septimo ab humilitatis despectu ad eius amplexum veraciter et acceptionem; regula dicit: « Si qui eorum in infirmitatem ceciderint » etc.; vigesimo octavo a peccati defensione ad eius propriam confessionem; regula dicit: « Si qui fratrum, instigante inimico, mortaliter peccaverint » etc.; vigesimo nono ab ambitione ad sui proprii defectus considerationem; regula dicit, quod « ministri sint servi omnium fratrum » etc.; trigesimo a falsitatis vitio ad veritatis professionem; regula dicit: « Nullus fratrum populo penitus audeat praedicare » etc.; trigesimo primo a praesumptione ad ipsius declinationem; regula dicit: « Fratres non praedicent in episcopatu alicuius episcopi » etc.; trigesimo secundo ab inobedientiae contumacia ad iniunctorum exsecutionem; regula dicit: « Firmiter praecipio eis, ut obediant suis ministris » etc.; trigesimo tertio a mentis elatione ad sui veram despectionem; regula dicit: « Fratres caveant ab omni superbia » etc.; trigesimo quarto ab omni prava aemulatione ad gaudium de bono proximi et exsultationem; regula dicit, quod « caveant ab omni invidia » etc.; trigesimo quinto a fallacia et dolo ad aeris detestationem; regula dicit, quod « caveant ab avaritia » etc.; trigesimo sexto ab inquietudine cordis ad eius totalem in Deum proiectionem; regula dicit, quod « caveant a cura et sollicitudine » etc.; trigesimo septimo ab animorum dissensione ad proximi commendationem; regula dicit, quod « fratres caveant a detractione et murmuratione » etc.; trigesimo octavo a rerum vilium anxietate ad sui detestabilem (*a*) deiectionem; regula dicit: « Fratres nescientes litteras » etc.

(*a*) As et edd. *detestativam*.

trigesimo nono ab indiscretione, impatientia ac inconstantia ad patientiam et tolerantiam; regula dicit, quod habeant patientiam in tribulationibus etc.; quadragesimo ab iracundia ad amicitiam et inimicorum diligentiam; regula dicit, quod debemus diligere, qui nos odiunt etc.; quadragesimo primo ab immunditia ad animae munditiam et puritatem; regula dicit, quod debent fratres « orare ad Deum puro corde » etc., et alibi dicit: « Ne habeant suspecta consortia vel consilia mulierum » etc. (*a*); quadragesimo secundo a delectatione in adversis proximi et gaudio ad ipsorum in bono informationem (*b*); regula fratres dirigit ad « saracenos et alios infideles » etc.; quadragesimo tertio a cordis elatione ad veram humiliationem; regula dicit, quod fratres « sint semper subditi et subiecti » etc.; quadragesimo quarto et ultimo a Christi vitae derisione ad laudabilem Christi sequelam et insecutionem; regula dicit in fine, « quod sanctum evangelium Domini nostri Iesu Christi [quod firmiter promisimus] observemus ».

Ex quibus patet, quod regula fratrum Minorum est contra mundi vitia et mala ordinata; nam hominem abducit a malo et ad bonum perducit, ut patet ex dictis. Hoc patuit in multis, qui in saeculo fuerunt pessimi, et postea in ordine fuerunt sanctissimi; sicut de tribus latronibus patet conversis per beatum Franciscum, et de fratre Agnello sic a beato Francisco vocato, qui fuit latro crudelissimus; de fratre Gonsalvo Salvii (*c*), provinciae Castellae, pessimo prius homine et latrone et demum sancto, et sic de aliis, de quibus dicetur sequenti fructu et conformitate, et aliqualiter dictum est praecedenti conformitate [1].

10. Decimo, regula nostra [fratrum Minorum] est pro hominis ordinatione et in bono conservatione demonstrata et reserata. Haec habet duas partes: prima, quod regula haec est hominis ordinativa, secunda, quod est in bono conservativa.

Prima pars, quod ipsa sit ordinativa hominis, patet. Ipsa enim ordinat hominem: primo ad Deum per imitationem, cum dicit: « Regula et vita fratrum Minorum » etc.; secundo quoad data et concessa per gratitudinem, et hoc per officii exhibitionem; dicit regula: « Clerici faciant divinum officium » etc.; tertio quoad extra per praedicationem; regula dicit: « Fratres praedicent »; quarto quoad intra per compassionem; regula dicit: « Si qui fratres in infirmitatem ceciderint » etc.; quinto quoad mentem per paupertatem voluntariam; regula dicit: « Haec est illa celsitudo altissimae paupertatis » etc.; sexto quoad fratrem per caritatem; regula dicit: « Ubicumque sunt et se invenerint fratres » etc.; septimo quoad verbum per veri expressionem; regula dicit, quod « sint examinata et casta eorum eloquia »; octavo quoad gestus per compositionem; regula dicit: « Quando fratres vadunt per mundum, non litigent » etc.; nono quoad fidem per stabilitatem; regula dicit: « Stabiles in fide » etc.; decimo quoad vitam per exemplaritatem; regula dicit: « Sint mites, pacifici et modesti » etc.; undecimo quoad corpus per rigiditatem; regula dicit, quod « ieiunent a festo » etc.; duodecimo quoad illata per tranquillitatem; regula dicit, quod « fratres debent habere patientiam in tribulationibus » etc. Sic ergo patet,

(*a*) As et edd. om. *et alibi—etc.* — (*b*) As et edd. *confirmationem.* — (*c*) Edd. *qui fuit Salvii.*

[1] Cfr. supra pag. 321 (ubi vocatur *Santii*).

quomodo regula fratrum Minorum ordinat fratres quoad alta per reverentiam, quoad data per gratitudinem, quoad extra per misericordiam, quoad intra per pietatem, quoad mentem per innocentiam, quoad fratrem per aequitatem, quoad vocem per veritatem, quoad actum per religiositatem, quoad corpus per severitatem, quoad cultum per fidelitatem, quoad mores per disciplinam, quoad conversationem per concordiam, ut merito beatus Franciscus possit dicere cuilibet fratri illud Prov. 4, 15: *Viam sapientiae docebo te, et ducam te per semitas aequitatis.* Et sic patet, quomodo regula ipsa est hominis ordinativa.

[Secundo] est in bono conservativa. In bono [enim] conservat plura: sobrietas, hanc docet regula, mandans fratribus, « ut ieiunent »; operatio, regula dicit: « Fratres illi, quibus dedit Dominus gratiam laborandi, laborent » etc.; asperitas cultus, regula dicit: « Fratres habeant unam tunicam, nec mollibus induantur » etc.; inhibitio census, regula dicit: « Fratres nihil sibi approprient » etc.; raritas sermonis, regula dicit, quod « sint casta eorum eloquia »; vitatio opportunitatis personae, loci et temporis, regula dicit, quod « fratres non habeant suspecta consortia » etc.; oratio etiam est necessaria, regula dicit, quod « faciant [divinum] officium », et non debent exstinguere « spiritum orationis » etc.; humilitas, regula dicit, quod « ministri sint servi omnium fratrum »; paupertas, regula dicit: « Fratres nullo modo denarios » etc. Praefata ergo cum hominem in bono conservent, et hoc praebeat ista sacra regula, merito ipsa est in bono conservativa.

Est etiam ad perfectionem deductiva. Patet; nam ipsa regula, teste Honorio III et Nicolao IV, est regula Domini nostri Iesu Christi; quare, cum Christi perfecta sint opera, patet, quod haec regula ad perfectionem ducit. Hoc patuit in eius observatoribus, qui virtutibus pleni miraculis clarissimis coruscarunt (*a*). In signum, quod haec sit regula Iesu Christi, est, quod Christus apparere dignatus est et se ostendere in habitu fratrum Minorum. Nam, cum quidam desideraret Deo deservire, et Deum rogaret ut sibi viam ostendere dignaretur, et quomodo sibi perfecte serviret, Dominus, qui audit [libenter] preces bonorum, Iesus Christus, ostendit se illi in habitu fratrum Minorum dicens: « Quicumque me sequi cupit, veniat et taliter mihi serviat », et evanuit ab oculis eius statim. Iste vero cogitans et admirans de dicta visione, cum nunquam fratrem Minorem vidisset, nec aliquid de eis audierat, fecit se de ordine Cistercensium. Sed elapsis quindecim annis, dominus Ioannes Gaietanus, qui fuit papa Nicolaus III (*b*), factus cardinalis, misit ad abbatiam, ubi praefatus erat, ut sibi aliquem mitterent suorum monachorum ad suam cameram custodiendam. Quod audiens praefatus monachus rogavit abbatem, ut eum mitteret, quod et factum est. Hoc enim agebat, quia viderat quendam fratrem Minorem, et recordatus visionis Christi optabat ordinem intrare, quod evenit; nam dicto domino cardinali eum iuvante, factus est frater Minor bonus et sanctus. Hoc recitavit papa Nicolaus ipse apud Surianum, omnibus ministris ordinis in sui praesentia constitutis [1].

Verum, etsi regula haec sit ad perfectionem deductiva, in bono conservativa et hominis ordinativa, factione diabolica et operatione a multis fratribus male observatur. Attendentes enim regulae perfectionem et conditionem daemones et primorum

(*a*) As *coruscant*. — (*b*) Codex et As *IV*.

[1] Idem in Ms. Coll. S. Ant. fol. 68 v.

fratrum ad observandum eam ferventem amorem, tempore, quo beatus Franciscus capitulum generale celebravit Assisii, ubi fuerunt ultra quinque millia fratrum, daemones contra ipsum et ordinem capitulum fecerunt in hospitali Cruciferorum de Pariete in via exsistenti inter Assisium et sanctam Mariam de Angelis, ubi fuerunt decem et octo millia daemonum, sicut ipsi postea retulerunt, et beato Francisco fuit a Deo revelatum. Qui consilium peragentes contra fratres et ordinem, cum multi multa dicerent, unus daemon aliis astutior ait: « Isti fratres, qui nunc sunt, adeo sunt ferventes in regulae observantia, quod nihil contra eos agere poterimus; sed modus deiiciendi ordinem et destruendi ipsum est, ut inveniatur aliquod factum, quod nullam speciem mali habeat (*a*). Hoc autem est, ut inducamus eos ad induendum ad ordinem suum filios nobilium et magnorum, quos compellentur nutrire delicate, et sic ducemus eos ad carnalitates et laxationes. Inducemus et alios plures, qui non erunt tanti fervoris (*b*), ad vivendum laute et delicate induendum, propter quae contra ipsos habere poterimus victoriam et triumphum ». Et ad dictum istius daemonis omnes steterunt. Quod agnoscens beatus Franciscus in spiritu, obstupuit de tanta astutia daemonum, et multum contristatus vix verbum dedit alicui pluribus diebus [1]. Et beatus Franciscus dixit, quod Deus sibi revelaverat, quod ordinem suum ad poenitentiam mundo dederat centum annis, sicut arcam Noe; et tria genera hominum suum ordinem destruere et inficere, quantum in se foret, debebant, scilicet fratres generosi, studiosi et pueri; pueri enim relaxarent regularem disciplinam, generosi humilitatem, studiosi paupertatem. Et frater Angelus dixit, quod beatus Franciscus sibi dixerat, quod male sentiebat de fratribus suis, quia oratio deficit in ordine; quia, quando congregantur fratres, non loquuntur de Deo, sed de mundo et mundanis, et quia faciunt aedificia excessiva, quae vehementer Deo displicent, et quia caritas perit inter fratres. Et diabolus loquens cuidam baroni de tertio ordine beati Francisci exsistenti, inter alia de ordine nostro Minorum loquendo, inquit: « Ordo beati Francisci, licet adhuc sit parvulus, tu tamen videbis eum vehementer multiplicatum et omnibus praevalentem; qui, scilicet specialiter nobis infestus, plures de nostris manibus eruens, etiam pessimos peccatores ad salutem perducet, nec a tempore apostolorum sustinuimus ab aliquibus tale damnum. Nos autem ipsis, prout poterimus, resistemus et eis adversa procurabimus; multa contra ipsos constituimus; hoc autem nobis revelatum est, quod eos impedire non poterimus usque ad annos antichristi; tunc rediet nobis potestas, et omnia subvertemus ». Haec daemon. Mihi videtur, quod iam sit impletum hoc, etsi ille iniquus antichristus nondum advenerit (*c*). Et causa est, quia praelati non faciunt servari a subditis, nec ipsi observant, quae mandant regula et nostri ordinis statuta (*d*). Insuper sunt illa in ordine, de quibus Christus conquestus est fratri Leoni, socio beati Francisci, videlicet « quia Dei beneficia non cognoscunt, quae eis impendit, non tantum spiritualia, sed etiam temporalia, scilicet necessaria corpori, quia neque seminant, neque metunt, et tamen ipsos affluenter pascit et nutrit; frequenter murmurant, otio vacant, et se ad iram provocant, et ad amorem cito non redeunt parcentes iniurias, ut deberent [2] ». Haec Christus. Et quia sic est,

(*a*) As et edd. addunt *vel praetendat*. — (*b*) As et edd. addunt *et inducemus eos*. — (*c*) As et edd. *apparuerit*. — (*d*) As et edd. *instituta*.

[1] Similem narrationem cum aliis adiunctis exhibet *Chron. 24 gen.*, pag. 27. Cfr. *Leggenda antica* (ed. Minocchi), c. 22. — [2] *Actus* c. 63.

ordo noster in praefatis conditionibus in talibus fratribus minime reperitur; sed in aliis bonis fratribus, quod regulae observantia praedicta faciat, per omnia verissime comprobatur.

11. Undecimo, regulam nostram non observantibus poena a Deo [est] praeparata. Cum enim scriptura suadeat, Deo vovere dicens: *Vovete*, addit et, votum persolvere dicens: *Reddite* [1]. Frater ergo, qui regulam Minorum, quae apostolica est et Christi, ut superiora demonstrant, cum ipsam observare promiserit, profitendo Deo, beatae Virgini, beato Francisco et omnibus sanctis, et toto tempore vitae, et coram praelato et aliis fratribus, voto non simplici, sed solemni, mirum est, quod frater parvipendat sic, quod Deo tam voluntarie ipse promisit sibi reddere per regulae observantiam; et si quisquam eidem promiserit aliquid, vult plenarie sibi persolvi; quanto magis ipse frater Domino Deo? Quare non observando promissa, si Dominus Deus irascitur, punit et subtrahit sua dona a nobis, non est mirum; immo mirum esse debet, quomodo sustinet nos ipsum deridentes, spernentes, et quae eidem promisimus, non solventes. Sed quia Deus, ut dicit scriptura, est patiens redditor, est patiens in exspectando, sed redditor in puniendo et praemiando, quia *reddit unicuique iuxta opera sua* [2]; unde non immerito regulam non observantes, si puniat, et in praesenti subtrahendo gratiam, dona sua et bona temporalia, et poenas corporales infligendo, et in futuro quosdam puniendo temporaliter, ut in purgatorio, ac alios aeternaliter, ut in inferno, non est mirum, praesertim cum homo sponte peragat talia; per quorum (*a*) oppositum proculdubio vitam possideret aeternam, prout cuilibet profitenti promittitur, ut dicetur statim (*b*).

Quod enim Deus quosdam regulam non observantes puniat aeternaliter in inferno, quibusdam subsequentibus demonstratur exemplis. Cum frater quidam, domesticus sancto fratri Aegidio, diceret fratri Aegidio (*c*): « Frater Aegidi, bona nova dico tibi », et frater Aegidius respondit: « Dicas »; et ipse inquit: « Hac nocte fui ductus ad infernum, et exsistens ibi nullum fratrem nostri ordinis inveni »; respondit frater Aegidius clamans et dicens: « Bene, tibi credo », et hoc dixit ter, et statim fuit raptus. In se et ad se reversus interrogavit frater dicens: « Quomodo intelligitur, quod nullus frater sit in inferno »? Respondit frater Aegidius: « Non descendisti tantum in infernum, ubi sunt illi miseri, qui portant tunicam fratrum Minorum et apparent fratres et opere sunt contrarii [3] ». — Frater quidam pravus et malus mortuus est de sero; et cum a fratre alio corpus eius custodiretur, raptus in visione vidit dictum fratrem suis malefactis condemnari et duci ad infernum. Cumque per daemones ad infernum duceretur, beatus Franciscus vocavit daemones dicens: « Ducite eum ad me; ego nolo, quod cum habitu meo in infernum deducatur »; et remoto caputio ab habitu, daemones ipsum ad infernum deduxerunt. Sed cum frater ad se rediisset et de visione miraretur, respiciens corpus defuncti, vidit caputium a suo habitu amotum; quo perspecto, certificatus de fratris damnatione rem, quam viderat, fratribus enarravit [4]. — Alium fratrem in provincia Aragoniae in conventu (*d*), cum quaedam contra Deum commisisset et regulam, nec unquam voluisset commissum peccatum confiteri,

(*a*) As et edd. *cuius*. — (*b*) Ed. 3 om. sequentes narrationes usque ad n. 12. — (*c*) As et edd. *diceret sibi*. — (*d*) In Codice sequitur lacuna.

[1] Ps. 75, 12. — [2] Matth. 16, 27. — [3] Cfr. *Chron. 24 gen.*, pag. 87. — [4] Similem narrationem cum mutatis nonnullis exhibet Ms. Coll. S. Ant. fol. 55 r.

diabolo apparente in specie humana et ducto ad capitulum per praelatum, et dum dixisset praelatus, quod, si quem haberet sui iuris, ipsum asportaret, diabolus dictum fratrem coram omnibus accepit et ipsum cum corpore et anima ad infernum portavit. — Marsiliae anno quodam custos et lector dicti conventus [sunt] mortui, de quibus quidam frater devotus, qui ad visitandum corpus beati Ludovici illuc accesserat, dum sero et tardissima hora in ecclesia oraret, talem vidit punitionem. Vidit enim portam ecclesiae aperiri, et sanctos martyres, confessores, virgines et apostolos ordinate ecclesiam intrare, et ad altare maius accedentes omnes genuflectebant, et corpori dominico in altari exsistenti reverentiam debitam exhibebant; post hoc vidit multitudinem innumerabilem angelorum duas pulcherrimas cathedras deferentes, quas in predella dicti altaris maioris statuerunt; demum vidit Christum et Matrem indicibili gloria refulgentes, et post ipsos veniebat beatus Franciscus cum innumerabili fratrum multitudine totus gloriosus; et post ipsos ducebantur duo fratres caputio ante faciem et manus post tergum ligatas habentes, quos sequebantur duo muli magni libris onerati. Christus et beata Virgo, cum ad altare pervenissent, se ad sedendum in illis praeparatis cathedris posuerunt; beatus Franciscus, facta reverentia Christo et Matri, ad dexteram Christi se posuit; frater vero hic omnia videbat, quia erat in choro ecclesiae. Cum fratres illi fuissent ducti ante Christum, Dominus dixit beato Francisco: « Francisce, isti fuerunt de ordine tuo; iudicium exerce de eis »; et beatus Franciscus coram omnibus primo interrogavit custodem dicens, cuius ordinis fuerit; et cum ipse diceret, quod sui, beatus Franciscus iterum interrogavit: « Quid volunt sibi (*a*) isti libri »? Respondit, quod fuerant ipsius. Et beatus Franciscus: « Fecisti, inquit, quod isti libri suadebant »? Respondit, quod non. Et beatus Franciscus: « Tu proprietarius fuisti, habens hos libros contra regulam habuisti et tenuisti, nec id, quod Deus mandabat in eis, perfecisti; et ego, inquit beatus Franciscus, ex parte Patris et Domini nostri Iesu Christi eius Filii ac Spiritus sancti, beatae Mariae et totius caelestis curiae et mea te maledico et ad infernum deputo ». Et statim terra se aperuit, ipsum fratrem, cum mulo et libris deglutiendo, ad infernum transmisit. Quo iudicato, sic fecit per omnia circa alium fratrem, scilicet lectorem. Quo facto, omnes sancti et angeli coeperunt cantare cum summa devotione (*b*) *Te Deum laudamus;* quo finito, visio ipsa disparuit, et frater, quod viderat, aliis fratribus enarravit. — Quidam frater Minor fuit in provincia Angliae habens gratiam raptus; et dum quadam die, redditis gratiis pro prandio, staret in choro, coram ministro et fratribus incepit plorare fortissime, et fuit coram praefatis raptus. Minister hoc videns fratribus mandavit, ut omnes exspectarent, quousque frater ipse a raptu ad se rediret. Quo reverso et per ministrum interrogato per obedientiam, ut, quid vidisset, ad fratrum aedificationem diceret, adstrictus obedientia, inquit: « Ego fui raptus in caelum et vidi, quatuor fratres ordinis nostri per beatum Franciscum mandato Christi iudicari, qui hodie de hoc mundo decesserunt. Unus habebat post se unam magnam salmam librorum; secundus habebat in dorso habitum pulcherrimum; tertius habebat post se homines et mulieres et pueros; quartus erat pauper, modicus et despectus. Hos iudicaturus Christi mandato beatus Franciscus, primum interrogavit, cuius ordinis fuerit, et quid isti libri? Et cum frater primus diceret, se sui ordinis esse, et libros praefatos habuisse ad studendum, et beatus Franciscus: « Fecistine, quod Dominus mandat in praedictis

(*a*) As *Cuius fuerunt.* — (*b*) As et edd. addunt *et melodia.*

libris »? et cum ille diceret, quod non, beatus Franciscus eum ut proprietarium maledixit, et ipse cum libris ad infernum descendit. Secundus interrogatus a beato Francisco, de ordine cuius (*a*) esset, et ille se assereret esse fratrem Minorem, et beatus Franciscus: « Mentiris; quia fratres mei non mollibus, sed vilibus indui debent nec pretiosis, ut tu », et eidem maledicendo, ad infernum direxit. Tertium cum interrogasset modo iam dicto, et quare homines et mulieres eum sequerentur, respondit, quod in curiis eos inveral, pro eis advocando, et beatus Franciscus: « Frater Minor non debet esse advocatus; quia ‚non litigent' dicit regula, sed debet esse in cella et plorare annos suos in amaritudine »; hunc maledicendo, in inferno est positus (*b*). Quartum vero fratrem cum interrogaret, si esset frater Minor, et ille audenter (*c*) dixisset, quod sic, beatus Franciscus amplexando eum dixit: « Quia regulam servasti, et verus frater Minor fuisti, *intra in gaudium Domini tui* »; et hic cum beato Francisco in gloria remansit. « Haec sunt, quae vidi », inquit frater ille ministro [1]. — In provincia Siciliae exstitit quidam frater, qui cum multis fuisset oneratus officiis, ad congregandum pecuniam, libros, vestes et alia totum suum inflexit conatum. Sed hic mortuus, dum corpus eius de nocte in ecclesia a fratribus custodiretur, videntibus praefatis custodibus, beatus Franciscus advenit, comitatus sancto Ludovico et beato Antonio, et quilibet cereum unum accensum (*d*) gestabat in manibus; et cum ad feretrum accessisset, beatus Franciscus cum praedictis defunctum interrogavit, si frater fuisset Minor. Respondit: « Pater, sic ». Beatus Franciscus dixit: « Non dicas me patrem; quia meus filius nunquam fuisti. Quae promisisti, scilicet sanctam paupertatem, obedientiam et castitatem, custodivisti »? Et illo dicente, quod non, beatus Franciscus primo ad sanctum Ludovicum, qui in forma episcopi cum mitra stabat, et demum ad sanctum Antonium se volvendo, « quid, inquit, fiendum de isto, qui regulam non servavit »? Et cum ipsi dicerent: « Quod tu, pater, facies; quia tibi de ipso iudicium est commissum », beatus Franciscus cum praefatis primo removit caputium ab habitu dicti fratris, demum ad cellam dicti fratris pergentes, pannos, libros et omnia alia, quae congregaverat, accipientes, intactis cellae clausuris, ad ecclesiam perduxerunt, ubi corpus stabat (*e*) dicti fratris, et omnia iacentes super eius corpus, ignem beatus Franciscus apposuit, et [sic] res cum corpore totum [ignis] consumpsit. Fratres, qui custodiebant, a longe stabant stupefacti haec omnia cernentes. Consumptis omnibus, beatus Franciscus cum sociis recessit, et fratres accedentes totum corpus praeter cineres consumptum invenerunt: qui concite guardianum excitantes a somno, ad cellam euntes dicti fratris, clausuram intactam, sed omnia ipsius amota invenerunt et combusta, prout inspexerant fratres ipsi. — Alius fuit frater, qui infirmatus ad caput lecti triginta florenos posuit, nullo sciente nec ipso alicui revelante. Qui cum ad extrema venisset, quatuor daemones in forma quatuor militum loricati advenerunt; quos cum frater, qui custodiebat eum, vidisset, timore magno fuit concussus, et respectus ab uno eorum semimortuus cecidit in terram, statimque, ut valuit, surrexit et ad guardianum et fratres, concite properando, rem pandidit, quae evenerat. Qui euntes sic viderunt, et crucem ferentes cum aqua benedicta psalmos decantantes, cum ad cameram fratris venissent, imperaverunt illis, ut recederent. Qui responderunt, quod

(*a*) As et edd. *cuius ordinis*. — (*b*) As et edd. *reposuit*. — (*c*) As et edd. *audacter*. — (*d*) Codex *apprehensum*. — (*e*) As et edd. *iacebat*.

[1] Cfr. *Actus* (Appendix) c. 70; aliter in Ms. Coll. S. Ant. fol. 82 r.).

nolebant, quia animam dicti fratris egredientem exspectabant. Et cum guardianus diceret, quod se expropriarat et fecerat quae frater agere debebat, dixerunt, quod non erat verum; in cuius signum percutiebant murum ad caput lecti et ostenderunt fratribus triginta florenos, quos ipse frater miser ibi posuerat nec revelaverat; et statim frater exspirans, eius animam daemones assumentes abierunt. — Cognovi (*a*) duos fratres infra decem annos in Pisano conventu defunctos, parum de ordine curantes et regula, quorum animam unius vidit unus puer a daemonibus ad infernum deduci, alius vero apparens uni fratri Pisano studenti in Calabria et vigilanti se damnatum indicavit. — Minister et magister fuit quidam in provincia Thusciae, qui pecuniam indebite undecumque accipiendo et parum de regula curando, apud hospitale sanctae Mariae de Senis quingentos florenos deponendo sic, ut per centum annuatim reciperet decem. Hic post multas de Christo, beato Francisco et regula factas derisiones, se vitam pristinam mutasse fingendo et spiritum assumpsisse, sed reversus ad vomitum, Deus ipsum fractura utriusque ossis tibiae, demum privatione officii, quod gerebat, ac infirmitatibus dentium, iliorum et paralysis, et demum sine confessione et aliis ecclesiae sacramentis, post derisiones fratrum dimissus a sociis, nullo vidente, diem clausit extremum. — In Camerino provinciae Marchiae quidam fuit frater, qui, excepto officio ministeriatus, omnia alia officia habuit. Sed hic cum esset cupidus et avarus, et pecuniam magnam congregasset, ut post patuit, die quadam socio vocato in propria cella, murum frangi fecit et caementum portari et lateres ac, socio emisso, in dicta apertura muri quadringentos florenos de auro posuit et murum, ut primo erat, refecit. Hic graviter infirmatus, dum gratia recuperandi vires ad locum de Trabe perrexisset, ibidem aggravatus prae solito, dum disposuisset Camerinum redire et sic faceret, dum esset in itinere, magis ac magis gravari coepit. Et cum ad finem appropinquaret, fratres, qui erant cum eo, ipsum deponentes de iumento, cum aliae domus non essent nisi meretricum, ipsum ponentes in una praefatarum, non reserata (*b*) dicta pecunia, cum habebat (*c*) fratrem, quem intime diligebat, carens (*d*) confessione et sacramentis, in lupanari emisit spiritum. In cella dicti fratris post eius obitum vox continue erat, etsi loquens non videretur, dicens: « Hic est, hic est ». Et quia fratres non intelligebant, quid vellet dicere, tam timore quam vocis ipsius inclamatione in dicta cella nullus stare volebat, nec audebat. Sed cum fratres dicti fratris eleemosynas quaererent (*e*), una dierum socium eius vocaverunt dicentes, si aliquid sciret? Et cum diceret, quod non, addidit: « Ego semel vocatus per dictum fratrem fregi murum, portavi caementum et lateres; quid peregerit, nescio ». Fratres haec audientes, ad cellam ipsam euntes, patefacto loco per socium, murum rumpentes, quadringentos florenos invenerunt, quibus repertis, statim vox, quae in cella audiebatur, cessavit. Quidam minister tunc exsistens provinciae Marchiae, dictam pecuniam per se accipiens, scilicet dicti fratris, et cum multam aliam haberet, ac nonnulla contra regulam commisisset, infirmatus in Ripa Transonis, dum de dicto castro ad mare pergeret, ut ad locum de Pensauro accederet, super asino exsistens, impingente asino in lapidem, ipse frater cecidit, et privatus ecclesiasticis sacramentis statim obiit. — De pluribus aliis diversarum provinciarum exempla sunt plurima ad propositum. Bononiae (*f*) dum essem studens, quidam frater Franciscus Curtus de Parma factus

(*a*) Narrationes duae sequentes desunt in As et edd. — (*b*) As et edd. *revelata*. — (*c*) As et edd. addunt *secum*. — (*d*) As et edd. *absque*. — (*e*) As et edd. addunt *nec invenirent*. — (*f*) Narratio sequens deest in As et edd.

episcopus [1], homo parum de ordine et regula curans, dum deberet cantare missam in pontificalibus primam, in primis vesperis, dum deberet incipere: *Deus in adiutorium*, arripuit eum febris. De mane, quia multi erant invitati ad missam ipsam, cum febre cantavit; qua cantata, statim sacram communionem reiecit vomitu; ductus ad infirmariam, usque ad noctem supervenientis sabbati cum dicta febre stetit. Hora sui transitus appropinquante, magnum strepitum currentium per dormitorium fratrum et euntium versus infirmariam studentes et fratres alii, qui vigilabant, cum magno timore audierunt. Infirmarii vero duo videntes, dictum episcopum velle exspirare, unus ad vocandum guardianum, alius ad vocandum custodem euntes, luminaria in camera dimittentes apprehensa, dum redeunt, omnia lumina exstincta, et ipsum migrasse a saeculo, reperiunt. De cuius morte in tota civitate Bononiae fuit admiratio singularissima sic, ut nec octavam diem explesset a cantatione pontificalis suae missae, et tali modo decessisset. Praefatis ergo et aliis pluribus, de quibus esset nimis prolixum scribere, patet, quod regulam promissam non servantes a Domino puniuntur in praesenti et in futuro; et per indispositionem hominis cum mala vita praecedente argui potest, ipsos aeternaliter puniri a divina iustitia.

Nonnulli vero purgatorii poena puniuntur, qui, etsi delinquunt in regulam, poenitent, et magis peccant fragilitate quam malitia, nec aeternaliter damnantur. Ut enim sancto fratri Conrado de Offida pro relaxatione tanta regulae flenti (*a*) Christus dixit: « In ordine, inquit, tuo sunt aliqui, qui servant regulam voluntate et effectu, et isti statim evolant (*b*); alii, qui servant voluntate, sed non effectu, et illi purgabuntur; alii, vero, qui nec sic nec sic, de quibus non sit tibi cura, quia nec mihi est », dixit Dominus [2]. Tales (*c*) enim, quia in inferno deputantur, cura de eis Domino non est; quia in oblivionem dati sunt Deo, iuxta evangelicam doctrinam, dicente Christo [3]: *Amen dico vobis, nescio vos.* Et quod fratres sic purgentur, etsi pateat verbo Christi, patet etiam exemplis. Quidam iuvenis frater Minor, socius sancti fratris Bonafinis, confessoris sororum sanctae Petronillae de Senis, ad mortem perveniens, rogatus a dicto fratre Bonafine, ut post mortem rediret ad ipsum, et ille promisisset, si Domino placeret, quod infra tres dies rediret, dum frater praedictus eum exspectaret infra tres dies sub pergula, frater mortuus adveniens eum vocavit. Frater Bonafinis respondit: « Bene venias, fili. Habuisti pavorem in tuo fine »? Respondit: « Magnum pavorem habui et magnam poenam; sed beatus Franciscus, pater noster, me defendit, et ecce, ducit me ad paradisum; venio enim de purgatorio ». Et cum vellet eum frater Bonafinis plus sibi loqui et eum interrogare, dixit: « Noli me hic plus retinere; quia cum beato Francisco vado ad paradisum ». — Alius frater fuit Parisius, cui guardianus, qui ipsum nutrierat, exsistenti in puncto mortis mandavit tria: primum, ut statim iret ad paradisum, secundum, ut statim (*d*) post mortem ad se reverteretur, tertium, ut sciret, quot animae in ipsius egressu de mundo exivissent, et quot ad paradisum vel ad purgatorium vel ad infernum descendissent. Fratre mortuo, post tres dies totus gloriosus ad guardianum rediit, et interrogatus de mora, respondit, quod sua obedientia non pro alia vita, sed pro praesenti valebat; quare ipse non statim evolavit ad cae-

(*a*) As et edd. *deprecanti.* — (*b*) As et edd. addunt *ad vitam aeternam.* — (*c*) As et edd. *De talibus.* — (*d*) As et edd. *quam citius.*

[1] Deest apud Eubel, *Hierarchia catholica medii aevi.* — [2] Cfr. *Leggenda antica* (ed. Minocchi) c. 44 et Ms. Coll. S. Antonii fol. 53 v. — [3] Matth. 25, 12.

lum, sed quia indigebat purgari, fuit in purgatorio illis tribus diebus. Interrogatus de causa respondit: « Quia ego sciens bene cantare, quando alii fratres non bene cantabant, aliqualiter [eos] deridebam; quod Deus noluit impune transire; sed quia complevi poenitentiam meam, modo ad paradisum pergo ». « De tertio, de quo mihi imposuisti, scias, quod bene quinque millia animarum in puncto, quo decessi, et ipsae a corporibus abscesserunt, de quibus una ivit ad paradisum, tres ad purgatorium, de quibus ego fui una, reliquae vero ad infernum descenderunt »; et his dictis disparuit. — Alius frater fuit, qui non inclinabat se ad *Gloria Patri*, tali pro purgatorio fuit punitus supplicio: stabat enim super altissimam columnam in medio maris et arctissimam, et centies in die et centies in nocte inclinabat se, et sic stabat usque quoad inclinationes omissas ad *Gloria Patri* persolveret; et dixit, quod talis inclinatio erat sibi poenosa; quia semper putabat, se casurum in profundum maris. — Quidam alius fuit frater, qui negligens fuit in persolvendo, quae statuta sunt in ordine pro defunctis fratribus dicenda; qui post dies plures apparens uni fratri socio, interrogatus de salute respondit, quod salvus erat, sed in maximis poenis erat. Et cum socius diceret: « Nos diximus officium et tot missas pro anima tua; nonne profuerunt tibi »? respondit, quod non; quia cum ipse non persolvisset, quae debebat pro fratribus defunctis, Deus facta pro ipso applicavit defunctis; sed si deinceps fratres orarent pro eo, tunc sibi valeret; et hic dictis, disparuit, et fratres pro eo intercesserunt. — Frater Conradus de Offida, sanctus homo, dum quendam fratrem iuvenem insolentem suis monitis convertisset ad servandam regulam promissam, et ille incepisset, superveniente morte, ad purgatorium ductus est; qui divina voluntate ad fratrem Conradum reversus, indicavit se magnis poenis subiectum ob negligentiam mandatorum regulae neglectorum (*a*), et quod pro ipso Deum oraret, dicendo aliqua *Pater noster;* quod frater Conradus faciens libenter, statim dictis *Pater noster*, a purgatorio liberatus, ad gloriam perductus est [1]. — Apparitione multorum fratrum defunctorum innotuit pluribus, fratres negligentes in regulae observantia post hanc vitam poenis magnis puniri in purgatorio.

Ex quibus apparet, quod non servantibus regulam est poena et in praesenti ac pro futuro praeparata.

12. Duodecimo et ultimo regula [ipsa fratrum Minorum] eam servantes ad gaudia ducit beata. Istud patet verbo Christi, Ioan. 8, 52: *Si quis sermonem meum servaverit, mortem non gustabit in aeternum*, et Ioan. 14, 21: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit;* et sequitur capitulo eodem: *Si quis diligit me, diligetur a Patre meo, et ego manifestabo ei meipsum;* et Ioan. 12, 26: *Ubi sum ego, illic et minister meus erit.* Cum ergo regula fratrum Minorum sit Domini nostri, ut dicit Honorius papa et Nicolaus, ipsa in sacro evangelio fundatur, vita Christi et apostolorum fundatur exemplo; quare ad ipsius observantiam sequitur gloriae post huius vitae cursum perceptio. Paupertatis est regnum caelorum, Matth. 5, 3; obedientiae est regnum caelorum, Matth. 19, 17: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*, et ibidem 29: *Omnis, qui dereliquerit domum* etc., *propter nomen meum, centuplum accipiet et*

(*a*) As et edd. *non impletorum.*

[1] *Actus* c. 50.

vitam aeternam possidebit; castis regnum datur caelorum, Matth. 19, 12: *Quia tales se castraverunt propter regnum caelorum.* Et cum praefata hac sacra regula Minorum serventur et habeantur, et alia multa, merito servantibus [eam] vita datur aeterna. In huius signum praelatus recipiens ad professionem, voto emisso de regulae observatione, dicit profitenti: « Et ego, si haec observaveris, promitto tibi vitam aeternam (*a*) ». Et ideo bene dicebat sanctus frater Aegidius socio suo: « A principio nec melior religio nec expeditior religione fratrum Minorum apparuit [1] ». Et quod sic sit, patet ex dictis supra; quia beato Francisco dictum est ab angelo, quod regulae observatores habent cum discipulis Christi in caelo praeclaras et lucidas mansiones. — In miraculis indulgentiae sanctae Mariae de Portiuncula sive de Angelis habetur, quod daemon per os cuiusdam mulieris, nomine Zantese, dixit apud Ravennam per presbyterum Iacobum de Bononia adiuratus de beati Francisci et fratrum regulam servantium gloria, quod beatus Franciscus cum fratribus suis, vexillo explicato, in caelo post apostolos praecellit omnes sanctos [2]. Quod vero sic sit, patuit fructu praecedenti et conformitate, ubi de sanctitate, miraculis et gloria trecentorum fratrum ibidem narratur. — Frater sanctus Aegidius caelum pergendo, non solum gloriam obtinuit, sed omnes animas de purgatorio secum ad gloriam traxit, ut ibidem dictum est [3]. — Beatus Franciscus hanc gratiam a Christo habet, ut eidem stigmata imprimendo revelavit, quod omnes animas fratrum, sororum et aliorum de suo tertio ordine quolibet anno die mortis suae a purgatorio abstrahat et ad gloriam perducat [4].

Sed qualiter praefati sancti regulae ad litteram servatores ad gloriam pervenerint, longum esset referre; sed sufficiat dicere de quibusdam aliis a praefatis, quia de aliis dictum est conformitate praecedenti. In partibus ultramarinis civitate Antiochiae erat quoddam monasterium monachorum beati Benedicti, in loco, qui dicitur Montana Nigra, a civitate ipsa distans per octo milliaria, cuius abbas et monachi vitam beati Francisci et fratrum suorum, quando ad illas partes praedicandi gratia transierat, attendentes, divino spiritu inflammati, possessiones monasterii patriarchae tradentes et locum pro habitatione retinentes, ordinem fratrum Minorum intraverunt. Et cum in dicto loco tam ipsi quam fratres de diversis partibus venientes, Domino deservirent, guardianus dicti loci de sero tarda hora, scilicet dum tenebrae essent, cum extra ostium esset causa meditationis et orationis egressus, quia locus extra habitationem erat hominum positus, lucem caelitus fusam perspexit, et cum ipsa luce multitudinem honorabilium personarum rubeis vestimentis indutarum ac cereos magnos gestantium manibus, coram se capitibus inclinatis, sibi reverentiam exhibentium. Et cum de hoc miraretur, ecce, alia turba primae similis, valde honorabilis cum vestimentis galbi (*b*) coloris, eidem, capitibus inclinatis, reverentiam exhibens cum candelis in manibus pertransibat; post quos et alii prioribus similes albissimis indumentis decorati cum facula et reverentia praedicta praecessit. Haec dum nimis attonitus miraretur secum, ecce, decem viri nimio fulgore lucentes, vestiti rubeis cum reverentia iam dicta et candelis priorum vestigia sequebantur. Quibus pertransitis, quia guardianus nullum eorum interrogaverat, coepit seipsum arguere. Et dum haec intra se tacitus cogitaret, apparuit mulier quaedam decora nimis, claritate circumfulta, duobus

(*a*) Sequentia desunt in ed. 3. — (*b*) Edd. *albi*.

[1] Cfr. *Dicta B. Aegidii,* pag. 64. — [2] Cfr. *Bartholi* pag. 77. — [3] Cfr. supra pag. 213. — [4] Idem *Fioretti,* III et V *considerazione delle sante stimate.* Cfr. Anal. Franc. t. III pag. 646.

viris comitata, quorum unus senior, alter iuvenis videbatur, cereos gestantes in manibus, qui sibi more priorum reverentiam exhibuerunt. Quae cernens guardianus, post dominam clamare coepit dicens: « O domina, adiuro te per eum, qui pro nobis in cruce mortem sustinuit, ut mihi dicere digneris, quae sis et hi, qui tecum sunt, et quae turbae praecedentes significent, et quo vadant ». Quae gratioso vultu et mature subridens dixit: « Ego sum Mater Salvatoris Christi, et hic senior, qui est mecum, est Petrus apostolus, et iunior Ioannes evangelista. Prima turba, quam vidisti, rubeis induta, martyres sunt, secunda confessores, tertia virgines, et decem viri, quos vidisti quarto loco, decem apostoli sunt; et imus Antiochiam pro anima cuiusdam fratris ordinis tui, quam cras prope horam diei tertiam de corpore egredientem assumemus et cum hac decora societate ad caeli gloriam perducemus. Et statim aliis octo diebus transactis, huc ad tuum locum cum iam tibi monstrata societate revertemur et animam fratris hic morituri, simili honore conducendo, suo repraesentabimus Creatori aeternaliter iucundantem; et his dictis statim visio disparuit. Ipse vero guardianus in ecclesia rediens cum desiderio tempus matutinalis officii exspectabat. Quo expleto, duos fratres ad se vocans, eisque per salutarem iniunxit obedientiam, ut statim irent Antiochiam et viderent, si aliquis frater esset infirmus vel in brevi moriturus, nullo eis dato indicio visionis, et si quem invenirent, statim redirent et dicerent ei sine mora. Qui statim parentes (*a*) de mane Antiochiam pervenerunt, fratremque iam in morte laborantem reperiunt; cuius cum finem exspectarent, ecce, in ipsorum oculis quasi circa horam tertiam debitum humanitatis exsolvit. Quo facto, qui missi fuerant ad suum locum revertentes, guardiano suo singula, quae viderant, retulerunt. Qui mox fratribus suis omnibus convocatis seriem totam retulit visionis praefatae et adiecit, quomodo ipsa Mater Salvatoris sibi dixerat, quod in octava die animam unius fratris in hoc loco morituri (*b*) simili honore et reverentia ad amoena gaudia perduceret paradisi. « Unde, fratres mei, cum pura confessione et summa devotione et reverentia nos in his diebus specialiter praeparemus; quia ex nobis, quis moriturus sit, non accepi ». Quibus intellectis et reverenter auditis, omnes fratres una cum guardiano pura confessione, summa devotione, multarum lacrymarum effusione, vigiliis, orationibus, singultibus et ieiuniis ad mortem se praeparabant. Et ecce, cunctis fratribus sanis et incolumibus exsistentibus, ita quod aliqui visionem praedictam iam quasi illusionem putabant, octava dies advenit, in qua guardianus praedictus, cum devotione mane missa celebrata, dixit se gravem capitis sentire dolorem ac, infirmitate crescente, circa horam diei sextam inter manus fratrum reddidit spiritum Deo, cum societate praemonstrata caeli ianuam ingressurus [1]. Ecce, quanto honore et praecellentia (*c*) digni sunt, qui in hac religione regulam servantes mundo corde et corpore Deo nostro deserviunt. — Nonne dictum est paulo superius [2] de novitio nobili, qui abhorrebat ordinem et habitum, et visione angelorum et beati Francisci cum multitudine fratrum pro quodam fratre sancto noviter defuncto euntium, quem ad gloriam deducebant, confortatus, in ordine permansit? — Frater Petrus de Assisio, cum apud sanctum Leonardum in loco fratrum, qui Subpontonia dicitur, staret nocte quadam in contemplatione exsistens, stellam radiantem mirae vidit claritatis et audivit vocem se vocantem, ut sequeretur, quod et fecit; et ductus

(*a*) As *pergentes.* — (*b*) As et edd. *morientis.* — (*c*) As *reverentia,* edd. *excellentia.*

[1] Idem in *Chron. 24 gen.*, pag. 281. — [2] Pag. 433.

est ad puteum quendam, de quo intolerabilis foetor exibat; et multos vidit ibi esse et iactari. Quod horrens, per angelum ad loca amoenissima est deductus, in quibus multi erant cantantes, inter quos in medio vidit multos fratres nostri ordinis tam vivos quam mortuos, quorum carnes candidiores ceteris relucebant; et cum ibi vellet esse, ab angelo inde abductus est. Post multa angelus ei dixit, quod peccatum quoddam, quod in saeculo commiserat, confiteretur, quod et fecit; et quod viderat, fratribus enarravit [1].

Quia ergo haec ultima conditio regulae per superiora clare ostenditur (*a*), non est ad ipsius declarationem ulterius immorandum.

Ex praefatis duodecim conditionibus patet, quanta sit sacrae regulae Minorum et ordinis sanctitas, altitudo et excellentia. Et hinc est, quod ipsam attendendo (*b*) prius cardinalis sanctae Mariae dominus Ugolinus, sed post Ostiensis episcopus et postea Gregorius papa IX (*c*), dum semel beatus Franciscus in loco, qui Carcer beati Francisci dicitur, moraretur, praedictus dominus cardinalis ad beatum Franciscum accessit; quem cum beatus Franciscus videret, coepit fugere per abrupta montium, et cardinalis a tergo solus ipsum sequeretur et (*d*) finaliter reperisset, et cum cardinalis diceret beato Francisco, quare fugeret, cum eum singularissime diligeret et ordinem suum, respondit beatus Franciscus: « Pater et domine mi! Ego sic fugi, quia, cum ego sim homo pauper et vilis et nihil, confundor quamplurimum, quod tantus dominus dignetur me humiliter tam pauperculum visitare ». Cui cardinalis post magnum colloquium de divinis, dixit: « Rogo te, frater Francisce, per Dominum, ut indices mihi: quid plus mihi expedit, scilicet vel sic esse in cardinalatu vel esse in ordine tuo, dimissa saeculi vanitate? et vivit Dominus, quod illud, quod tu consulueris, statim implebo ». Cui sanctus Franciscus: « Domine mi, vos estis homo magni consilii, et potestis multa bona facere toti mundo stando in officio cardinalatus; verumtamen si ordinem intraretis, esset magna aedificatio toti mundo et magna cordium concitatio ad currendum post Christum; cum etiam vos sitis magnus praedicator, per vestram exhortationem multi converterentur ad Christum. Verumtamen, quia Dominus mihi quoad praesens non indicavit, quid istorum esset melius, vobis nullatenus diffinirem ». Et sic eum, ne intraret ordinem, in suspenso dimisit. Sed hoc temporis in processu beatus Franciscus sibi praedixit, scilicet eum futurum summum pontificem; et sic evenit. Attamen, hic pontifex factus, cum habitu, chorda et soleis sanctuaria per urbem visitabat cum fratribus, et in coena Domini habitu indutus faciebat mandatum, pedes pauperum lavando, immo, quod maius est, dum sic pedes lavaret, pauperes eum minime agnoscentes repellebant eum dicentes: « Tu nescis bene lavare pedes, dimitte alios fratres, nostros (*e*) lavare pedes »; et sic permittebat cum summa humilitate [2]. Iste papa fuit mirabilis regulae conservator et defensor; nam fratrem Heliam contra regulam agentem absolvit a generalatu, et in sui praesentia electus fuit frater Albertus de Pisis, tunc Angliae minister. Regulam ipsam declaravit primus. Beatum Franciscum et beatum Antonium, regulae observatores, catalogo sanctorum adscripsit. De stigma-

(*a*) As et edd. *hanc conditionem superiora ostendunt.* — (*b*) As et edd. om. *ipsam attendendo.* — (*c*) As et edd. addunt *ipsam regulam et vitam beati Francisci attendens.* — (*d*) As et edd. *sequendo.* — (*e*) As *nobis*, edd. *mihi.*

[1] Cfr. *Dialogus* pag. 104. — [2] Cfr. *Catalogus Cardinalium Protectorum*, l. c. pag. 709.

tibus privilegium dedit; fratrem Praedicatorum ordinis, Everardum nomine, oppositum de stigmatibus dicentem compescuit [1]. Fratres ordinis defendit et multis privilegiis (*a*) decoravit. — Perfectionem ordinis et regulae attendens papa Martinus cum habitu voluit sepeliri. Sic et cardinales, reges, duces, filii regum, [barones] comites et principes, nobiles et plebei, ut dictum est conformitate praecedenti, regulam attendentes perfectissimam, eius observantia et reverentia ad Dominum in habitu fratrum Minorum transire elegerunt.

Merito ex praedictis Paulus clamat dicens Gal. 6, 16: *Quicumque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos et misericordia.* Ipsam enim servantibus benedictio datur beati Francisci, non servantibus maledictio. Eius observantia, dum viveret, sibi erat acceptabilis, et servantes [eam] amoris intimi pio amplexabatur affectu, sicut de quodam sacrae theologiae magistro de Alamannia ostendit, qui ad beatum Franciscum apud sanctam Mariam de Portiuncula accedens, post longam collationem, quam habuit cum beato Francisco, finaliter dixit cum multa reverentia: « Pater, proposui firmiter evangelium et regulam, quam promisi, iuxta puram intentionem, quam Christus pro te locutus est, usque in finem cum adiutorio gratiae ipsius simpliciter et fideliter observare. Sed unam gratiam a te postulo, scilicet si diebus meis fratres tantum a pura observantia ipsius declinarent regulae, sicut tu per Spiritum sanctum esse declinaturos pronuntias, quod de tua obedientia (*b*) solus vel cum aliquibus fratribus eam pure servare volentibus possim a non servare volentibus (*c*) recedere et illam perfecte servare ». Quibus auditis, valde gavisus est beatus Franciscus, et benedicens ei ait: « A Christo et a me scias, quod postulas, tibi esse concessum », et posuit dexteram manum super caput eius et dixit ei: « *Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech* », ostendens, quod omnes promissiones sibi a Christo factae in illis finaliter compleantur, qui regulam ad litteram simpliciter servare studuerint [2].

Nec fratres debent scandalizari, si vident, aliqua fieri in ordine, sed debent facere, sicut quidam novitius fecit. Nam, cum videret et audiret quaedam sibi gravia, et male comederet, ac per hoc tentaretur ab ordine exire, inspiratus et illuminatus a Christo, coepit intra se cogitare et dicere: « Quare ad ordinem venisti? Certe, non ut delitiose comederes, immo ut abstineres propter Christum, et putabas tu non audire et videre quae corpori multoties non essent solatium »; et ideo, quando male comedebat, dixit sibi ipsi: « Ad hoc venisti »; quando vero audiebat, quae gravia erant, dixit: « Quid ad te »? et haec scripta portabat in dorso, et sic fortis spiritu factus est, et in ordine bonus frater perseveravit. Et sic dicit regula, quod fratres non scandalizentur « propter peccatum alicuius »; unusquisque enim onus suum portabit. — Et quia observantia regulae tantae est fructuositatis, et consequenter stare in ordine in eius observantia, nullus debet velle ab ordine recedere, sed Deum rogare, ut in isto ordine cum sua sinat gratia dies suos terminare, exemplo cuiusdam sancti novitii

(*a*) As et edd. addunt *ipsum ordinem.* — (*b*) As et edd. *licentia et obedientia.* — (*c*) As et edd. *non servantibus.*

[1] Bulla « Non minus dolentes » de 31 mart. 1237; cfr. *Bullarium franc.*, t. I pag. 213. —
[2] Refert hoc Angelus Clar. in *Expositione regulae* (cod. 1/92 S. Isidori fol. 69 r; codex Ottob. 666 fol. 95 v); cfr. *Legendae veteris fragmenta* in Opuscules de Critique Historique, t. I pag. 96.

apud Romam exsistentis in sancta Maria de Aracaeli, cuius vita exterior erat abominabilis fratribus, quia interiorem eius vitam nondum agnoscebant. Vita enim eius erat, quando fratres vigilabant, ipse fingebat se dormire, et quando faciebant aliquod servitium commune vel in communi, ipse ibat ad cellam et vacabat, et quando fratres dormiebant, ipse solus in ecclesia orabat. Sed cum venisset tempus professionis eius, et minister, qui tum erat frater Raynerius de Picholonibus (*a*) de Senis, intrasset capitulum et interrogaret fratres de vita ipsius novitii, omnes dixerunt, quod nunquam viderant peiorem novitium. Interrogavit autem magistrum suum, qui dixit: « Nescio, pater, de ipso bonum aliquod, nisi quod, quando confitetur, tantarum est lacrymarum, quod non potest quasi confiteri ». Tunc minister audiendo haec dixit: « Differatur eius receptio aliquantulum ». Et venit minister uno sero et stetit iuxta cellam novitii et observabat eum; qui statim, dicto completorio, ivit ad cellam et coepit stertere (*b*), tamen non dormiebat; et fratres transeuntes ante cellam suam et audientes eum dixerunt: « Quam bene est correctus novitius noster, et quomodo stat bene in oratione », et minister omnia audiebat. Et venit ipse novitius in profunda nocte, dormientibus fratribus, et ivit ad orationem in ecclesia ante imaginem, quam pinxit sanctus Lucas de Domina nostra, et statim fuit elevatus in aera et stabat cum brachiis apertis, et plorabat fortiter et dixit: « Domina mea, cui me totum dedi, non permittas, me repelli de isto sancto ordine »; et duo angeli stabant ad pedes eius et colligebant lacrymas eius et ponebant ante Dominam et dicebant: « Domina, ne pereat petitio lacrymarum istarum », et Domina respondit dicens: « Fili mi, ne dubites; quia tu eris receptus et perseverabis in isto ordine bonus frater Minor, et in fine perducam te ad Filium meum ». Minister autem, qui post eum latenter ivit, omnia, quae dicta sunt, observabat et, facto sero, fecit pulsari ad capitulum, ut reciperet ipsum; et dixit fratribus totam vitam ipsius, et recepit eum ad obedientiam, et rogavit fratres, ne molestarent eum, sed permitterent eum esse in sua vocatione. Et ex tunc fratres habuerunt eum in magna reverentia. Quod videns dictus novitius iam factus professor, mirabatur secum dicens: « Quare isti fratres modo non dicunt mihi iniurias, sicut consueverant? Nolo stare in loco isto; quia, ut credo, notus sum eis »; et dixit ministro: « Pater, rogo, quod elevetis me de loco isto, et ponatis me in longinquo loco; quia hic non bene facio facta mea ». Et mutavit eum minister; ac frater ipse perseveravit bonus frater Minor.

Multa alia possunt dici et adduci ad regulae nostrae et ordinis commendationem, sed praemissa sufficiant. Ex dictis apparet declarata secunda pars fructus IX et conformitatis, videlicet *Franciscus regulator*.

De duabus aliis regulis, videlicet sororum ordinis sanctae Clarae et fratrum de poenitentia tertii ordinis, a beato Francisco institutis et ordinatis, patet intuenti, quam sint perfectae et sanctae; et (*c*) in sanctis sororibus et fratribus tertii ordinis sunt effectu demonstratae, quod sint ad perfectionem deductivae, ut fructus et conformitas VIII praecedens de pluribus ostendit. Nec de ipsis in aliquo est haesitandum, utpote quia sunt per sedem apostolicam confirmatae.

(*a*) As et edd. *Piculominibus*. — (*b*) As *sternere*. — (*c*) Codex *effectu*.

Sic ergo beatus Franciscus est regulator, scilicet primo fratrum Minorum, secundo sororum pauperum, et tertio fratrum de poenitentia. Quas regulas ipse instituit et ordinavit, iuxta quod de ipso cantatur: «Tres ordines hic ordinat, primumque fratrum nominat Minorum, pauperumque fit dominarum medius, sed poenitentum tertius sexum capit utrumque». Unde ad instar trium ecclesiarum a beato Francisco reparatarum et vocem ter sibi factam e cruce de reparatione materialis ecclesiae tres ordines et regulas instituit in orbe et ecclesia militante, sicut patet ad oculum omnibus christicolis. Ad laudem Christi. Amen.

DECIMUS FRUCTUS ET CONFORMITAS:

Iesus Doctor Mirabilis — Franciscus Praedicator.

Expositio primae partis: **Iesus doctor mirabilis.**

1. Iesus noster Salvator, cum sit verus magister, lux, splendor, candor, lumen, sol, veritas, doctor, lex et verbum, hinc est, quod nos placuit sua claritate illustrare per doctrinae saluberrimae informationem. Cum enim homo ex peccato multiplicem incurrerit ignorantiam, videlicet: primo respectu credendorum, quia notitia verae fidei hominibus generaliter non patebat, etsi aliquibus pateret in singulari; secundo respectu colendorum, quia creatura et non Creator colebatur; tertio respectu abhorrendorum, quia vitia plus quam virtutes homo acceptabat; quarto spernendorum et contemnendorum respectu, quia mundialia toto affectu prosequebantur, et se beatiores censebant de mundanis plura obtinentes; quinto respectu acceptandorum, quia virtutibus non (*a*) inserviebant; sexto respectu subiugandorum, quia viam carnis et non spiritus quisque prosequebatur; septimo respectu agendorum, quia de mandatis Dei quoad observantiam parum vel nihil curabatur; octavo respectu dimittendorum, quia illata nequaquam dimittebantur; nono respectu expiandorum, quia de poenitentia peragenda non cogitabatur; decimo respectu appetendorum, quia divina et caelica non anhelabantur; undecimo respectu intelligendorum, scilicet prophetiarum, quae clausae erant et non pandebantur nec intelligebantur; duodecimo respectu beatificandorum, de quibus opiniones variae per intellectus hominum inveniebantur, et nulla ponebat debitam veritatem. Ignorantia etiam erat respectu multorum aliorum, et ideo decebat hominem de praefatis plenarie informari et erudiri, et certe non per alium melius, disertius, clarius et perfectius quam per sapientiam Dei Patris, [Dominum] Iesum Christum, *qui factus est nobis sapientia a Deo, iustitia, sanctificatio et redemptio* [1]. Et quia de praefatis in processu huius operis in locis distinctis patebit declaratio, pro modo et istius primae particulae declaratione, scilicet *Iesus doctor mirabilis,* sufficiat ostendere, quod ipse nos sua doctrina direxit et instruit (*b*): primo respectu evitandorum, scilicet vitiorum; secundo respectu acceptandorum, scilicet virtutum; tertio respectu expavendorum, scilicet suppliciorum etc.; quarto respectu appetendorum, scilicet beatitudinis et praemiorum; quibus ostensis, patebit, quod ipse Iesus est doctor mirabilis.

2. Sed ante sunt aliqua praenotanda et videnda. Primum est, quod cum praedictum per prophetas fuisset propter (*c*) ipsum populum instruendum, Is. 2, 3: *Docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis eius* etc., et capitulo 61, 1: *Spiritus Domini super me; evangelizare pauperibus misit me* etc., et Mich. 4, 2: *Docebit nos de viis suis* etc., et Ps. 24, 9: *Docebit*

(*a*) As et edd. *nullus.* — (*b*) As et edd. *instruxit.* — (*c*) As et edd. *per.*

[1] I Cor. 1, 30.

mites vias suas, hinc est, quod praedicta volens effectui demandare, docere placuit [sibi] populum, ut patet in omnibus evangeliis. Verum, quia doctor, quae docet, debet prius opere adimplere, ut doctrinam suam non tam verbo quam facto depromat, Salvator coepit prius facere et postea docere.

Secundum videndum est, quando coepit. Et dicit Luc. 4, 15 sqq. et Matth. 4, 17 sqq., quod post baptismum et tentationem superatam in deserto, et tunc erat triginta annorum. Ubi datur documentum, quod praedicator debet esse a peccato immunis, et lotus aquis poenitentialibus. Debet esse liber a tentatione superbiae, gulae et avaritiae, quae tria totum inficiunt et praecipue a doctore debent esse longinqua; nam vitio inanis gloriae non debet tangi, propter lucrum non debet praedicare; et quia *dignus est mercenarius mercede sua*, debet moderate quae sunt victus accipere, seclusa omni gulositate; sed debet esse triginta annorum, quia Trinitatis fide imbutus cum observantia decem praeceptorum. Quae omnia in Domino Iesu [perfecte] fuere.

Tertium [videndum], quomodo docebat. Respondet Matthaeus 7, 29: *Erat docens sicut potestatem habens, et non sicut scribae et pharisaei,* id est illud, quod verbo promebat, actu demonstrabat et potestate, id est signis et miraculis; et Ioan. 7, 46 habetur, quod ministri Iudaeorum interrogati, quare non cepissent Iesum, responderunt: *Nunquam sic locutus est homo.*

Quartum videndum est, ubi docebat eos. Matth. 9, 35 habetur primo, quod *in synagogis;* secundo in monte, Matth. 5, 3 sqq.; tertio in templo, Ioan. 2, 16 sqq.; quarto in civitatibus, castellis et villis, quia *civitates circuibat et castra,* Matth. 6, 1 sqq. et Luc. 13, 22; quinto in plateis, Luc. 13, 26. Sic ergo non in abscondito tantum, sed *palam locutus est mundo,* Ioan. 18, 20.

Quintum videndum est, quo tempore docebat. Et licet assidue de regno Dei doceret, ut habetur Matth. 21, 33 sqq. et Luc. 19, 11 sqq., tamen praecipue sabbatis docebat, ut habetur Luc. 4, 16 et 31.

Sextum videndum est, qualiter docebat. Respondet evangelium, quod aliquando palam et aperte, Ioan. 18, 20: *Ego palam locutus sum mundo;* aliquando in parabolis, [ut patet] Matth. 13, 3 et Luc. 8, 9 et Marc. 4, 2.

Septimum videndum est, numquid vita a verbo [et doctrina] discrepabat? Certe non, dicentibus adversariis, Matth. 22, 16: *Magister, scimus quia verax es et viam Dei in veritate doces, et non est tibi cura de aliquo* etc., et Act. 1, 1: *Coepit Iesus facere et docere.*

Octavum videndum est, qua hora incipiebat. Respondet evangelium, quod mane diluculo ad templum accedens docebat, et per totam diem, et de sero in Bethaniam revertebatur, ut patet Matth. 21, 17 et Ioan. 18, 2.

Nonum videndum est, quid docebat. Respondet evangelium, quod poenitentiam, Matth. 4. 17; viam Dei, Matth. 22, 16; de regno Dei, Matth. 21, 43; se verum Deum, Ioan. pluribus capitulis, et sic de aliis. Attamen ad quatuor possunt, quae docuit, reduci, videlicet quod quaedam docuit evitanda, ut vitia; quaedam arripienda, ut virtutes; quaedam pertimenda, ut supplicia; quaedam appetenda, ut est gloria. Ad haec quatuor omnis doctrina Christi et praedicatio est reducibilis.

Dico ergo, quod Salvator quaedam praedicavit et docuit evitanda, ut vitia. Ipse enim docuit vitare vitia: primum iniuriarum in proximum; Matth. 5, 22 dicit: *Omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio; qui dixerit: racha, reus erit concilio; qui [dixerit]: fatue, reus erit gehennae ignis.* — Secundum incontinentiae, Matth. 5, 27 sq.: *Non moechaberis. Ego autem dico vobis, quod omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam moechatus est eam in corde suo.* — Tertium locutionis indebitae, Matth. 5, 34: *Ego autem dico: Non iurare omnino,* et sequitur v. 37: *Sit sermo vester: est, est, non, non; quod his abundantius est, a malo est.* — Quartum contentionis, Matth. 5, 40: *Qui vult tecum in iudicio contendere, et tunicam tuam tollere, dimitte ei et pallium.* — Quintum odii et rancoris, Matth. 5, 44: *Diligite inimicos vestros, et benefacite his, qui oderunt vos* etc. — Sextum inanis gloriae, Matth. 6, 2 sq.: *Cum facis eleemosynam, noli tuba*

canere, sed *nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua*, et Matth. 9, 30 caecis interdixit, ne dicerent, quod illuminasset eos etc. — Septimum hypocrisis, Matth. 6, 5: *Non eritis* (*a*) *sicut hypocritae tristes* etc., et contra eos clamavit multoties Matth. 23, 2 sqq. — Octavum multiloquii, Matth. 6, 7: *Orantes nolite multum loqui, sicut ethnici faciunt.* — Nonum avaritiae et cupiditatis, Matth. 6, 19: *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra* etc. — Decimum vindictae, Matth. 6, 14 sq.: *Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet et vobis Pater caelestis peccata vestra et delicta vestra.* — Undecimum affectus mundanorum, Matth. 6, 24: *Nemo potest duobus dominis servire,* [et]: *Non potestis Deo servire* et mammonae etc. — Duodecimum temeritatis in iudicando, Matth. 7, 1: *Nolite iudicare, et non iudicabimini* etc. — Decimum tertium publicationis secretorum et divinorum, Matth. 7, 6: *Nolite sanctum dare canibus, nec mittatis margaritas vestras ante porcos* etc. — Decimum quartum simulationis, Matth. 7, 15: *Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium* etc. — Decimum quintum infidelitatis, Matth. 7, 22 sq.: *Multi mihi dicent in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus?* etc. sequitur: *Et tunc confitebor illis, quia nunquam vos novi.* — Decimum sextum malae cogitationis, Matth. 9, 11: *Quid cogitatis mala in cordibus vestris?* — Decimum septimum murmurationis, Matth. 9, 11: *Quare cum publicanis et peccatoribus manducat magister?* — Decimum octavum indebitae affectionis ad parentes, Matth. 10, 37: *Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus* etc. — Decimum nonum indiscretionis, Matth. 12, 22, in principio *pharisaei dixerunt Iesu: Ecce, discipuli tui faciunt, quae non licet eis facere sabbati die.* — Vigesimum detractionis, Matth. 12, 24: *Hic non eiicit daemonia nisi in Beelzebub principe daemoniorum* etc. — Vigesimum primum in Spiritum sanctum, Matth. 12, 32: *Qui autem dixerit verbum contra Spiritum sanctum, non remittetur ei neque in hoc saeculo neque in futuro.* — Vigesimum secundum vaniloquii, Matth. 12, 36: *Dico enim vobis, quoniam de omni verbo otioso, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicii* etc. — Vigesimum tertium crudelitatis, Matth. 18, 34 sq.: *Nonne oportuit te misereri conservi tui, sicut et ego tui misertus sum?* sequitur: *Sic faciet vobis Pater vester caelestis, si non dimiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris.* — Vigesimum quartum indiscretionis et iniustae punitionis, Matth. 23, 4: *Imponunt onera importabilia in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea movere.* — Vigesimum quintum reputationis nimiae, Matth. 23, 6 sq.: *Amant primos accubitus in coenis et primas cathedras in synagogis et salutationes in foro* etc. — Vigesimum sextum falsae nominationis, Matth. 23, 10: *Nec vocemini magistri; quia magister vester unus est Christus.* — Vigesimum septimum miserationis (*b*), Matth. 25, 42: *Esurivi, et non dedistis mihi manducare,* et sic de aliis actibus misericordiae, quos ibidem Salvator explicat. — Vigesimum octavum incredulitatis, Ioan. 10, 26 sq.: *Vos non estis de ovibus meis, oves meae vocem meam audiunt* etc.

De multis aliis vitiis loquitur Christus: de vitio gulae Luc. 21, 34: *Cavete, ne graventur corda* (*c*) *vestra crapula* vel vino. — De vitio irae Matth. 5, 22: *Qui irascitur fratri suo* etc.; sequitur: *Qui te percusserit in unam maxillam, praebe ei alteram.* — De vitio superbiae Matth. 23, 12: *Qui se exaltat humiliabitur.* — De vitio acidiae Matth. 20, 6: *Quid statis tota die otiosi?* — De vitio invidiae Matth. 10, 8: *Gratis accepistis, et gratis date,* et sic de aliis. Quibus apparet, quod Dominus Iesus vitia fugere docuit et detestari.

Docuit secundo virtutes arripere, videlicet: primo paupertatis, Matth. 5, 3: *Beati pauperes spiritu; quoniam ipsorum est regnum caelorum,* et Matth. 19, 21 dicens: *Vade et vende omnia, quae habes, et da pauperibus, et habebis thesauros in caelo,* et Luc. 14, 33: *Nisi quis renuntiaverit omnibus, quae possidet, non potest meus esse discipulus.* — Secundo mititatis Matth. 5, 4: *Beati mites; quoniam ipsi possidebunt terram,* et Matth. 11, 29: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde.* — Tertio austeritatis, Matth. 4, 17: *Poenitentiam agite; appropinquavit enim regnum caelorum,* et Marc. 1, 15. — Quarto pietatis, Matth. 5, 7: *Beati*

(*a*) As et edd. *Nolite fieri.* — (*b*) Edd. *inmiserationis.* — (*c*) As *corpora.*

misericordes; quoniam ipsi misericordiam consequentur. — Quinto aequitatis, Matth. 5, 6: *Beati, qui esuriunt et sitiunt iustitiam; quoniam ipsi saturabuntur* etc. — Sexto cognitionis propriae defectibilitatis, Matth. 5, 5: *Beati qui lugent,* scilicet peccata propria; *quoniam ipsi consolabuntur.* — Septimo puritatis, Matth. 5, 8: *Beati mundo corde; quoniam ipsi Deum videbunt.* — Octavo tranquillitatis, Matth. 5, 9: *Beati pacifici: quoniam filii Dei vocabuntur.* — Nono patientiae et supportationis (*a*), Matth. 5, 16 sq.: *Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam; quoniam ipsorum est regnum caelorum,* et sequitur: *Beati eritis, cum maledixerint vobis homines et persecuti vos fuerint* etc. — Decimo exemplaritatis, Matth. 5, 16: *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant vestra bona opera, et glorificent Patrem vestrum, qui in caelis est.* — Undecimo operositatis, Matth. 5, 19: *Qui fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno caelorum.* — Duodecimo honestatis, Matth. 5, 29: *Si oculus tuus dexter* (*b*) *scandalizat te, erue eum et proiice abs te;* et idem habetur Matth. 18, 9. — Decimo tertio fidelitatis, Matth. 7, 24: *Omnis, qui audit verba haec et facit ea, similabitur viro sapienti,* et capitulo 8, 13 dixit Iesus Centurioni: *Vade, et sicut credidisti, fiat tibi.* — Decimo quarto purae intentionis, Matth. 6, 23 sq.: *Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit. Si autem nequam fuerit oculus tuus, totum corpus tuum tenebrosum erit.* — Decimo quinto sacrae orationis, Matth. 6, 9: *Sic enim orabitis: Pater noster, qui es in caelis* etc., et Luc. 18, 1: *Oportet semper orare.* — Decimo sexto longanimitatis, Matth. 6, 33: *Primum quaerite regnum Dei et iustitiam eius, et haec omnia adiicientur vobis.* — Decimo septimo fiduciae et confidentiae et in Deum firmitatis, Matth. 7, 7: *Petite et dabitur vobis, quaerite et invenietis, pulsate et aperietur vobis.* — Decimo octavo iustitiae et sanctae operationis, Matth. 7, 12: *Omnia ergo, quaecumque vultis, ut faciant vobis homines, et vos facite illis.* — Decimonono providentiae et circumspectionis, Matth. 7, 15 sq.: *Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium,* et sequitur: *A fructibus eorum cognoscetis eos.* — Vigesimo divinae conformitatis, Matth. 7, 21: *Qui facit voluntatem Patris mei, qui in caelis est, ipse intrabit in regnum caelorum,* et Matth. 12, 50 in fine. — Vigesimoprimo Christi imitationis, Matth. 8, 22: *Sequere me, et dimitte mortuos sepelire mortuos suos.* — Vigesimosecundo sanctae et iustae conversationis, de qua regula et modus traditur, Matth. 10 per totum, quando Iesus [eos] ad praedicandum misit, scilicet apostolos. — Vigesimotertio prudentiae, Matth. 10, 96: *Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbae.* — Vigesimoquarto constantiae, Matth. 10, 17: *Tradent enim vos* etc.; sequitur: *Ne timueritis eos, sed potius eum timete, qui potest animam et corpus perdere in gehennam* [*ignis*]. — Vigesimoquinto perseverantiae, Matth. 10, 22: *Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* — Vigesimosexto discretionis, Matth. 10, 23: *Cum autem persequentur vos in civitate una* (*c*), *fugite in aliam.* — Vigesimoseptimo fidelis professionis, Matth. 10, 32: *Omnis, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo.* — Vigesimooctavo assiduae mortificationis, Matth. 10, 38: *Qui non accipit crucem suam et sequitur me, non est me dignus.* — Vigesimonono liberalitatis et diffusionis, Matth. 10, 40: *Qui vos recipit, me recipit, et qui me recipit, recipit eum, qui me misit.* — Trigesimo evangelicae perfectionis, Matth. 11, 29: *Tollite iugum meum super vos; iugum enim meum suave est, et onus meum leve.* — Trigesimoprimo praeceptorum observantiae et impletionis: *Vos transgredimini mandata Dei* etc., et capitulo 19, 17: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata; nam* [*et*] *ego servavi praecepta Patris mei,* Ioan. 15, 10 etc. — Trigesimosecundo propriae abnegationis, Matth. 16, 24: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam* etc. — Trigesimotertio ieiunii et afflictionis, Matth. 17, 20: *Hoc genus daemoniorum non eiicitur, nisi per orationem et ieiunium.* — Trigesimoquarto humiliationis, Matth. 18, 4: *Nisi quis se humiliaverit sicut parvulus* [*iste*], *non intrabit in regnum caelorum.* — Trigesimoquinto compassionis, Matth. 18, 15: *Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum* etc. —

(*a*) As et edd. *supportabilitatis.* — (*b*) As et edd. om. *dexter.* — (*c*) As et edd. *ista.*

Trigesimosexto fraternitatis et unionis, Matth. 18, 19: *Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quamcumque petierint, fiet eis a Patre meo.* — Trigesimoseptimo continentiae et praeservationis, Matth. 19, 12: *Sunt eunuchi, qui se castraverunt propter regnum caelorum.* — Trigesimooctavo mundialis abdicationis, Matth. 19, 21: *Si vis perfectus esse, vade et vende omnia, quae habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in caelo; et veni et sequere me.* — Trigesimonono suae despectionis et servitutis fraternae, Matth. 20, 26: *Quicumque voluerit inter vos maior fieri, erit minister vester.* — Quadragesimo vitationis consortii malignorum, Matth. 21, 17: *Iesus, relictis illis,* scilicet *pharisaeis, abiit in Bethaniam* etc. — Quadragesimoprimo redditionis unicuique, quod suum est, Matth. 22, 21: *Reddite, quae sunt caesaris caesari, et quae sunt Dei Deo.* — Quadragesimosecundo verae dilectionis, Matth. 22, 37: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et in tota anima tua et in tota mente tua* etc. — Quadragesimotertio reverentiae exhibitionis, Matth. 23, 2 sq.: *Super cathedram Moysi* etc.; sequitur: *Omnia, quae dixerint vobis, servate et facite.* — Quadragesimoquarto cautelae et prospectionis, Matth. 24, 4: *Videte, ne quis vos seducat* etc. — Quadragesimoquinto debitae praeparationis, Matth. 24, 44: *Estote parati; quia, qua hora non putatis, Filius hominis veniet* etc. — Quadragesimo sexto vigilantiae et torporis (*a*) abiectionis, Matth. 25, 13: *Vigilate et orate; quia nescitis horam* etc. — Quadragesimoseptimo inspectionis finalis iudicii, Matth. 25, 32: *Separabit eos ab invicem, sicut pastor separat oves* (*b*) *ab hoedis.* — Quadragesimooctavo fatigationis, Ioan. 4, 6: *Iesus fatigatus ex itinere sedebat super fontem.* — Quadragesimonono inquisitionis Dei faciendi voluntatem, Ioan. 4, 34: *Meus cibus est ut faciam voluntatem Patris mei.* — Quinquagesimo mentalis ad Deum elevationis, Ioan. 4, 24: *In spiritu oportet eum adorare.* — Quinquagesimoprimo desiderii ad salutem peccatoris, Ioan. 4, 32: *Ego alium cibum habeo manducare, quem vos nescitis* etc. — Quinquagesimosecundo favoris temporalis declinationis, Ioan. 6, 15: *Iesus fugit, cum turba vellet eum facere regem.* — Quinquagesimotertio proximi informationis, Ioan. 13, 15: *Exemplum dedi vobis, ut, quemadmodum ego feci vobis, sic et vos aliis faciatis.* — Quinquagesimoquarto mutui amoris et affectionis, Ioan. 13, 35: *In hoc cognoscent homines, quod sitis mei discipuli, si dilectionem ad invicem habueritis.* — Quinquagesimoquinto pacis prosecutionis, Ioan. 14, 27: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis* etc. — Quinquagesimosexto divinae semper supplicationis, Ioan. 17, 1 sq.: *Sublevatis Iesus oculis in caelum, dixit: Pater, clarifica* etc. Praefatis ergo et aliis pluribus possibilibus adduci patet, quomodo Salvator sua doctrina praedicavit et docuit nos virtutes accipere; et sic patet, quod docuit secundum, scilicet acceptanda, id est virtutes.

Tertio docuit Salvator quaedam expavenda, scilicet poenam inferni aeternam; et hoc ostendendo, qualis est, Matth. 25, 41: *Ignis aeternus, qui paratus est diabolo et angelis eius,* et Matth. 8, 12: *Mittentur in tenebras exteriores; ibi erit fletus et stridor dentium,* et Matth. 13, 42: *Mittent eos in caminum ignis* etc.; et sic in pluribus locis poenam esse acerbissimam ostendit, et per consequens vitandam et formidandam. Insuper hanc ostendit declarando, quibus datur, et causa. Nam poena inferni datur primo ratione convicii, Matth. 5, 22: *Qui dixerit fratri suo: fatue, reus erit gehennae ignis.* — Secundo ratione pravi operis, Matth. 5, 30: *Expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus eat in gehennam.* — Tertio ratione pravae intentionis, Matth. 7, 19: *Omnis arbor, quae non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur.* — Quarto ratione infidelitatis, Matth. 8, 12: *Filii autem regni mittentur in tenebras exteriores.* — Quinto datur poena inferni non recipientibus Christum et discipulos, Matth. 10, 14 sq.: *Quicumque non receperint vos* etc.; et sequitur: *Tolerabilius erit in die iudicii terrae Sodomorum, quam illi civitati.* — Sexto datur non imitantibus Christum, Matth. 10, 33: *Qui me negaverit coram hominibus, negabo eum coram Patre meo, qui in caelis est.* — Septimo ingratis, Matth. 11, 21 sq.: *Vae tibi Corozain, vae tibi Bethsaida;* et sequitur:

(*a*) As et edd. *corporis.* — (*b*) As *hoedos.*

Olim in cinere et cilicio poenitentiam egissent; et sequitur: *In die iudicii tolerabilius.* — Octavo blasphemantibus, Marc. 12, 31: *Spiritus blasphemiae non remittetur.* — Nono verbis malis utentibus, Matth. 12, 37: *Ex verbis tuis condemnaberis.* — Decimo impoenitentibus, Matth. 12, 41: *Viri Ninivitae surgent in iudicio contra generationem istam et condemnabunt eam.* — Undecimo haereticis, Matth. 13, 30: *Colligite primum zizania, et alligate ea in fasciculos ad comburendum.* — Duodecimo scandalum facientibus, Matth. 13, 41 et 49: *Mittet Filius hominis angelos suos, et colligent de regno eius omnia scandala;* nam *separabunt malos de medio iustorum.* — Decimo tertio malis et pravis, Matth. 13, 49 sq., ut dictum est: *Separabunt angeli malos de medio* etc., *et mittent eos in caminum ignis.* — Decimo quarto templum Dei despicientibus, Matth. 21, 12: *Fecit flagellum et eiecit* etc., et Ioan. 2, 15, idipsum habetur. — Decimo quinto diversis vitiis occupatis, Matth. 23, 14: *Vae vobis, scribae et pharisaei* etc. — Decimo sexto non paratis, Matth. 24, 51: *Partem eius ponet cum hypocritis; illic erit fletus et stridor dentium.* — Decimo septimo gloriam mundi appetentibus, Matth. 25, 10, nam cum fatuis virginibus deputantur, quibus *est clausa ianua.* — Decimo octavo talento abutentibus, Matth. 25, 30: *Inutilem servum eiicite in tenebras exteriores; ibi erit* etc. — Decimo nono immisericordibus, Matth. 25, 42 et 46: *Esurivi, et non dedistis mihi manducare* etc.; et sequitur: *Ibunt hi in supplicium aeternum.* — Vigesimo in Christo non manentibus, Ioan. 15, 6: *Si quis in me non manserit, mittetur foras, sicut palmes, et arescet, et in ignem mittetur et ardet.* Quibus apparet, quomodo doctrina Christi et praedicatio docet, qualis est poena peccato parata, scilicet inferni, et quibus datur; et sic claret, quomodo Christus praedicat quaedam expavenda.

Quarto praedicat et docet Christus quaedam appetenda, scilicet gloriam, quae consistit, ut ipse dicit, Ioan. 17, 3: *Haec est vita aeterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Iesum Christum,* in Patris et Filii et Spiritus sancti visione, fruitione et tentione vita stat aeterna, gloria et beatitudo essentialis humanarum mentium. Sed quibus datur haec gloria, Iesus ostendit: quia, scilicet primo poenitentiam agentibus, Matth. 4, 17: *Poenitentiam agite; appropinquabit enim regnum caelorum.* — Secundo Dei voluntatem facientibus, Matth. 7, 21: *Qui facit voluntatem Patris mei, qui in caelis est, ipse intrabit in regnum caelorum.* — Tertio fidelibus, Matth. 8, 11: *Recumbent cum Abraham, Isaac et Iacob in regno caelorum.* — Quarto conversis ad Dominum, Matth. 11, 12: *Regnum caelorum vim patitur, et violenti rapiunt illud.* — Quinto Christum diligentibus, Matth. 12, 50: *Ipse meus frater, soror et mater* [*est*]. — Sexto continentibus, Matth. 19, 12: *Sunt eunuchi, qui se castraverunt propter regnum caelorum.* — Septimo parvulis et humilibus, Matth. 18, 3: *Nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum caelorum.* — Octavo servantibus divina mandata, Matth. 19, 17: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* — Nono largientibus omnia pro Deo, Matth. 19, 21: *Si vis perfectus esse, vade et vende omnia, quae habes, et da pauperibus, et habebis thesauros in caelo.* — Decimo Christum sequentibus, Matth. 19, 28: *Amen dico vobis, quod qui secuti estis me* etc., sequitur: *Centuplum accipietis, et vitam aeternam possidebitis.* — Undecimo laborantibus in vinea, Matth. 20, 9: *Acceperunt singulos denarios.* — Duodecimo calicem, scilicet passionem (*a*) Domini, bibentibus, Matth. 20, 22: *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* — Decimo tertio vestem nuptialem possidentibus, Matth. 22, 12 sq.; qui non habet, repellitur. — Decimo quarto lampades plenas gerentibus, Matth. 25, 10: intrant enim tales ad nuptias. — Decimo quinto sancte lucrantibus, Matth. 25, 21: *Euge serve fidelis;* sequitur: *Intra in gaudium Domini tui.* — Decimo sexto misericordibus, Matth. 25, 34: *Venite benedicti Patris mei, possidete regnum* etc. — Decimo septimo baptismum Christi vere recipientibus, Matth. 28, 19 et Marci 16, 16: *Qui baptizatus fuerit, salvabitur.* — Decimo octavo Christum recipientibus, Ioan. 1, 12: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri.* — Decimonono in Christum credentibus, Ioan. 3, 18 et 6, 35: *Qui credit in eum, iam non iudicatur. Qui credit in me,*

(*a*) As *passionis.*

non sitiet in aeternum. — Vigesimo Christum digne manducantibus, Ioan. 6, 55: *Qui manducat carnem meam et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam.* — Vigesimo primo Spiritum sanctum in se continentibus, Ioan. 4, 14: *Aqua, quam ego dedero, fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam.* — Vigesimo secundo verbum Dei audientibus, Ioan. 5, 24: *Amen, amen, dico vobis, qui verbum meum audit, et credit ei, qui misit me, habet vitam aeternam.* — Vigesimo tertio firme Christo adhaerentibus, Ioan. 12, 26: *Ubi ego sum, ibi sit et minister meus,* et Ioan. 17, 24: *Volo Pater, ut ubi ego sum* etc. — Vigesimo quarto in bono perseverantibus, Matth. 10, 22: *Qui autem perseveraverit usque in finem, salvus erit.* Ex praedictis apparet, quomodo Salvator docuit et praedicavit, quae sunt appetenda, scilicet gloriam, et quibus confertur a Deo gratifice, demonstravit. Quibus patet consequenter nonum, quod videndum erat, videlicet quid docuit et praedicavit; quia scilicet vitia fugienda, virtutes prosequendas, poenam abhorrendam et gloriam inquirendam.

Decimum videndum et ultimum est: numquid doctor et praedicator noster Dominus Iesus fuit acceptus. Respondetur, quod scribis et pharisaeis non, et communiter (*a*) Iudaeis. Rationem Christus dixit, Luc. 4, 24: *Nemo propheta acceptus est in patria sua;* tales enim, quia non erant ex Deo, vocem eius non audiebant, Ioan. 8, 47, nec ex ovibus Christi; discipuli vero et alii, quibus *datum erat nosse mysterium regni* [*Dei*] [1], dixerunt: *Domine, verba vitae aeternae habes,* Ioan. 6, 69; et cap. 7, 46 dixerunt ministri Iudaeorum: *Nunquam sic locutus est homo, sicut hic loquitur.* Cuius verborum dulcedine Magdalena attracta *sedebat ad pedes eius, et audiebat verbum illius,* Ioan. 10, 39. Sed quid mirum? Omnia, quae ad praedicatorem et doctorem concurrunt, habebat. Doctor, teste Innocentio [2], in sermonibus habere debet sapientiam, eloquentiam et honestatem. Christus est sapientia Dei et *crescebat sapientia et aetate,* Luc. 2, 52; habuit eloquentiam, *mirabantur doctores super doctrina et responsis eius,* Luc. 2, 47; honestatem tenuit, Ioan. 8, 46: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Et Ioannes Baptista de ipso dixit Ioan. 1, 29: *Ecce agnus Dei, ecce, qui tollit peccata mundi.* — Doctor debet servare tempus congruum ad loquendum, ut dicit Gregorius [3]. Christus per triginta annos a praedicatione cessavit, nam *triginta annorum erat, quando incepit praedicare et docere,* Luc. 3, 23. — Doctor debet « malle placere rebus quam verbis », ut dicit Augustinus, IV *De doctrina christiana* [4]. Christus dixit: *Discite a me,* non scilicet verba sed facta, *quia,* inquit, *mitis sum et humilis corde,* Matth. 11, 29. — Doctor, quae dicit, facere debet, ut dicit Augustinus, *De verbis Domini* [5]. *Christus coepit facere et docere,* Act. 1, 1. — Doctor debet esse clarus in sua doctrina, ut dicit Augustinus, IV *De doctrina christiana* [6]. Apostoli dixerunt Christo, Ioan. 16, 29: *Ecce palam loqueris et proverbium nullum dicis,* et Ioan. 18, 20: *Ego palam locutus sum mundo.* — Doctor, ut dicit Augustinus, IV *De doctrina christiana* [7], « non debet curare, quali eloquentia doceat, sed quanta evidentia ». Christus dicit, Ioan. 10, 38: *Si verbis meis non creditis, operibus credite.* — Doctor debet pensare, ut dicit Gregorius, *Super Ezechielem* [8], « quid loquitur, ut semper eius sermo in sale gratia conditus sit ». Christus dixit Ioan. 8, 26: *Ego, quae audivi a Patre meo, loquor,* et Ioan. 7, 16: *Mea doctrina non est mea, sed eius, qui misit me, Patris;* — cui loquitur; Christus aliquos increpabat, sicut hypocritas pharisaeos; aliquos ad poenitentiam invitabat sicut peccatores; aliquos commendabat sicut centurionem, Matth. 8, 10; aliquos excusabat sicut Magdalenam, Luc. 10, 41; aliquos interrogabat, sicut Matth. 22, 42: *Quid vobis videtur de Christo?* aliis respondebat, et sic secundum diversitatem personarum sermonem faciebat, ut patet conformitate praecedenti; —

(*a*) As *consequenter.*

[1] Marc. 4, 11. — [2] Cfr. e. g. *Sermo* 23 in Pentec. et *Sermo* 4 in consecr. episc. (P. L. 217, 415 sqq. et 665 sqq.). — [3] L. I *Homil. in Ezech.*, hom. 11 n. 14 (P. L. 76, 911). — [4] C. 28 n. 61 (P. L. 34, 119). — [5] *Sermo* 268 n. 1 (P. L. 39, 2244). — [6] C. 8 n. 22 et c. 10 n. 24 (P. L. 34, 99). — [7] C. 9 n. 23 (P. L. 34, 99). — [8] L. I *Homil. in Ezech.*, hom. 11 n. 12 (P. L. 76, 911).

quando loquitur, exemplo Abigail, quae Nabal viro [suo], dum esset ebrius, nihil dixit, sed post, ebrietate digesta, I Reg. 25. Christus aliquando occulte, aliquando publice loquebatur, aliquando informabat uno modo, aliquando alio modo; — qualiter loquitur; nam saepe verba, quae unum ad salutem revocant, alium vulnerant. Sed qualiter locutus est Christus, habitum est fructu et conformitate praecedenti et sequenti etiam dicetur; — quantum loquitur; quia auditori fastidium verba inferre non debent. Christus dixit apostolis, Ioan. 16, 12: *Multa alia habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo;* sed post dixit: *Omnia, quae audivi a Patre meo, nota feci vobis,* Ioan. 15, 15. Et quia dictae doctorum conditiones in Domino Iesu fuerunt, non immerito ipse solus est, *unus magister Christus,* Matth. 23, 8; et cum pharisaeo Simone sibi dicamus: *Magister, dic,* Matth. 24, 16 sq. *Audiam enim, quid loquatur in me Dominus Deus,* ait propheta David [1], et Magdalenae exemplo, Luc. 10, 39, sedeamus ad pedes eius et audiamus verba illius; verba enim ipsius, ut ipse Iesus dicit, Ioan. 6, 64, *spiritus et vita sunt.* Simus ergo de ovibus Christi, *quae eius vocem audiunt,* Ioan. 10, 27, et ipse dat eis vitam aeternam.

Sic ergo apparet, quod Salvator noster fuit magister verax et doctor ac praedicator excellentissimus. Nec solum Iudaeis praedicavit, sed et gentibus; quia mulieri samaritanae et Samaritanis, Ioan. 4, 7 sqq., et aliis pluribus, ut docet evangelium, etsi principaliter ad oves, quae perierant, domus Israel fuerit a Patre destinatus.

Sic ergo patet praefatis expositio primae partis huius conformitatis, quae erat exponenda, scilicet: **Iesus doctor mirabilis.** Sequitur pars secunda.

Secunda pars decimi fructus et conformitatis est:

Franciscus praedicator.

Expositio.

Conformitatis X et fructus secunda pars est: Franciscus praedicator. Et ut huius secundae partis expositio videatur clarius, sunt aliqua videnda.

1. Primum est: quo ad praedicandum beatus Franciscus fuit incitatus. Et quoad haec est sciendum, quod beatus Franciscus inductus fuit ad praedicandum, primo divina monitione; et licet de hoc sit dictum fructu II et conformitate, tamen hic est aliqualiter hoc ostendendum; divina enim monitione et inspiratione beatus Franciscus ad praedicandum fuit incitatus.

Et primo divina inspiratione et praeostensione interna. Ut enim dicit *Legenda trium sociorum* [2] et dominus frater Bonaventura in *Legenda maiori,* parte III [3], beatus Franciscus, postquam habitum eremiticum et vitam peregerat iam duobus annis a sua conversione (*a*), et tribus ecclesiis reparatis, et moram traheret in ecclesia Virginis gloriosae, dum semel missam audiret de apostolis et evangelium esset perlectum, in quo discipulis suis ad praedicandum Christum missis normam singularem tribuit in vivendo, ne scilicet aurum vel argentum nec sacculum vel peram nec panem nec virgam portarent in via nec calceamenta, nec duas tunicas habeant, inquit ipse Franciscus, his auditis: « Hoc, inquit, est quod cupio ». Unde his « memoriae commissis laetanter innititur ad implendum, duplicibusque dimissis, ex tunc iam virga, calceamentis,

(*a*) Codex *conversatione.*

[1] Ps. 84, 9. — [2] N. 25. — [3] C. 3 n. 1.

sacculo vel pera non utitur, faciens sibi tunicam habitualem, valde contemptibilem et incultam[1] », in forma scilicet, qua priorem fecerat, quando mantellum accepit ab episcopo post renuntiationem omnium factam (*a*) patri. Ut enim dicit frater Bonaventura in II parte *Legendae*[2], caemento accepto, quod sibi occurrit, ad modum crucis manu propria dictum mantellum consignans, « operimentum formavit crucifixi et (*b*) pauperis seminudi », et pro corrigia funem sumpsit. Quibus peractis, coepit instinctu divino evangelicae perfectionis annuntiator exsistere, poenitentiamque simpliciter in publicum praedicare, pacem praemittendo dicens: « Dominus det tibi pacem »; et sic « in omni praedicatione, pacem prius annuntians, populum in praedicationis exordio salutabat, quam salutationem, Domino ei revelante, didicerat. Mirum tamen putandum et censendum, quod ad hanc salutationem annuntiandam ante suam conversionem praecursorem habuit beatus Franciscus, qui frequenter per Assisium pergens, dixit salutando populum in hunc modum: ‚Pax et bonum, pax et bonum'. De quo creditum est firmiter, quod, sicut Ioannes Christum praenuntians, Christo incipiente praedicare, defecit, ita et iste, velut alter Ioannes, beatum Franciscum praecesserit in annuntiatione pacis, qui etiam post beati Francisci adventum non comparuit, sicut prius. Subito igitur beatus Franciscus spiritu prophetarum perfusus, iuxta sermonem propheticum statim post dictum suum praeconem annuntiavit pacem, praedicavit salutem; eiusque salutaribus monitis plurimi conversi, verae paci sunt foederati, qui prius discordes a Christo exstiterant a salute longinqui[3] ». Et sic praedicatione hac beati Francisci viri quidam post duos annos a conversione ipsius ac exemplo ad poenitentiam animari coeperunt, et eidem, reiectis omnibus, habitu vitaque coniungi, quos fratres Minores postmodum voluit nominari, etsi ante confirmationem religionis per dominum Innocentium III « viri poenitentiales » nuncuparentur[4]. Sic ergo patet, quomodo beatus Franciscus inspiratione interna a Deo instinctus (*c*) coepit praedicare. — Secundo beatus Franciscus fuit incitatus monitione divina externa, et hoc dupliciter: primo post religionis approbationem factam a domino Innocentio. Prout testatur dominus frater Bonaventura in IV parte *Legendae maioris*[5], coepit « tractare cum sociis, utrum inter homines conversari deberent an ad loca solitaria se conferre. Et cum per orationis instantiam divinae super hoc voluntatis beneplacitum requisisset, supernae revelationis illustratus oraculo, intellexit se ad hoc missum a Domino, ut Christo lucraretur animas, quas diabolus conabatur auferre. Ideoque magis omnibus quam sibi soli vivere praeelegit, illius vocatus exemplo, qui unus pro omnibus mori dignatus est ». Unde se in quodam tugurio recollegit prope Assisium, ut posset pro loco et tempore populis praedicare. Factus igitur evangelicus praeco civitates circuibat et castra, *non in doctis humanae sapientiae verbis, sed in virtute Spiritus sancti*[6], prout dicit regula, « annuntians vitia et virtutes, poenam et gloriam cum brevitate sermonis ». « Coepit ex hoc Christi vinea germinare; nam praedicationis ipsius fervore succensi quamplurimi utriusque sexus in coniugali pudicitia Domino famulantes secundum formam a Dei viro acceptam, novis se poenitentiae legibus vinciebant, quorum ordinem temporis in processu fratrum de poenitentia vir Dei appellandum decrevit. Convertebantur etiam ex hoc virgines ad perpetuum coelibatum, inter quas

(*a*) Codex *fratrum*. — (*b*) As et edd. om. *et*. — (*c*) As *instructus*; edd. *incitatus*.

[1] *Legenda 3 soc.*, l. c. — [2] C. 2 n. 4. — [3] *Legenda 3 soc.*, n. 26. — [4] *Legenda 3 soc.*, n. 37. — [5] C. 4 n. 2. — [6] I Cor. 2, 13.

fuit virgo beata sancta Clara plantula prima pauperum Dominarum. Multi etiam non solum devotione compuncti, sed perfectionis Christi desiderio inflammati, omni mundanorum vanitate contempta, Francisci vestigia sequebantur; qui quotidianis succrescentes profectibus usque ad fines orbis terrae celeriter pervenerunt [1] ». Quae vero Christus per beati Francisci praedicationem gessit, in tertia parte istius expositionis pandetur. Et sic patet, quomodo a Domino praemonitus populo praedicavit, et hoc primo monitione et declaratione externa. Secundo beatus Franciscus fuit monitione divina ad praedicandum temporis in processu inductus, scilicet post annum decimum quartum a sua conversione; licet enim praedicaret, non tamen assidue, ut postea fecit, quia magis orationi quam praedicationi vacabat. Quo videlicet tempore, ut dicit frater Bonaventura in XII parte *Legendae* [*maioris*] [2] et *Legenda* dicit *antiqua* [3], beatus Franciscus fuit in magna cuiusdam dubitationis agonia positus, an videlicet orationi vacaret assidue, an praedicando per mundum discurreret; quam terminandam suis sociis proposuit multis diebus ab orationibus rediens. Hanc dubitationem beatus Franciscus incurrebat bona orationis et praedicationis cogitando. Quod enim deberet eligere assidue orationem (*a*), inducebatur primo, quia, inquit, simplex et imperitus sum sermone; maiorem orandi accepi gratiam quam loquendi; secundo quia « in oratione habetur (*b*) lucrum et cumulatio gratiarum; in praedicatione distributio quaedam donorum (*c*) caelitus acceptorum; tertio in oratione est purificatio interiorum affectuum et unitio ad unum verum et summum bonum cum vigoratione virtutis; in praedicatione spiritualium pulverizatio pedum, distractio circa multa et relaxatio disciplinae; quarto in oratione Deum alloquimur et audimus, et quasi angelicam vitam agentes, inter angelos conversamur; in praedicatione multa oportet uti condescensione ad homines et humane inter eos vivendo humana videre, cogitare, dicere et audire ». Sed pro parte alia, ut videlicet praedicationi vacaret, argumentum erat, « quod prae omnibus ante Deum ponderat, videlicet, quod unigenitus Dei Filius, qui est sapientia summa, propter animarum salutem de sinu Patris descendit, ut suo mundum informans exemplo verbum salutis hominibus loqueretur; quos sacri sanguinis et pretio redimeret et mundaret lavacro et poculo sustentaret, nihil sibi omnino servans, quod non in salutem nostram liberaliter erogaret. Et quia nos omnia debemus agere secundum exemplar eorum, quae videmus in ipso tanquam in monte sublimi, videtur magis Deo placitum, quod intermissa orationis quiete, foras egrediar ad praedicationis laborem ». His argumentis pro partibus exsistentibus, cum per plures dies haec fratribus enarrasset nec certitudinaliter quiret percipere, quid horum sibi foret ut Christo vere acceptius eligendum, et cum multa nosset tam spiritu prophetico, quam irradiatione divina et declaratione, hanc per se ipsum quaestionem dissolvere non valebat ad liquidum, Deo permittente, ut praedicationis sibi iniunctum officium potius divina auctoritate, quam humana voluntate declararetur assumptum ab ipso et a Deo eidem praeceptum et iniunctum. Verum quia humillimus fuit pater beatus Franciscus, non erubescebat a minoribus parva quaerere, qui magna didicerat a Magistro supremo. Assumens itaque duos fratres, scilicet fratrem Massaeum cum uno socio, misit ad fratrem Silvestrum (*d*), qui in monte Subasio in loco de Carceribus

(*a*) As et edd. *esse assidue in oratione*. — (*b*) As et edd. *videtur*. — (*c*) As *bonorum*. — (*d*) Codex *Silvestrem*.

[1] Bonav. l. c. c. 4 n. 5 et 6. — [2] C. 12 n. 2. — [3] *Actus* c. 16.

morabatur, qui frater Silvester tantae erat sanctitatis et gratiae, quod, quidquid in oratione a Deo petebat, statim exaudiebatur, et cum Deo loquebatur sicut amicus cum amico; propterea beatus Franciscus magnam fidem et devotionem habuit in eo. Praefato igitur fratri Silvestro misit dicendo, ut suppliciter Deum rogaret, ut ei indicaret, quid sibi plus placeret, an quod aliis praedicaret, an orationi vacaret continue. Ipsum beatae Clarae misit dicendo, quod ipsa cum aliqua de magis puris et spiritualibus sororibus per orationem divinum beneplacitum flagitaret. Frater Massaeus, socio assumpto, beati Francisci ambaxiatam fecit primo beatae Clarae et demum fratri Silvestro. Quo audito, frater Silvester statim ad orandum perrexit; et cum oraret, divinum illico habuit responsum et ad fratrem Massaeum exiens dixit: « Haec dicit Dominus, ut dicas fratri Francisco, quod ipsum non propter se solum vocavit, sed ut fructum faciat animarum et multas per eum lucretur ». Idipsum beata Clara concorditer dixit fratri Massaeo, se habuisse a Domino, quod et frater Silvester dicebat, quod beneplaciti esset divini, quod beatus Franciscus ad praedicandum exiret. Rediit ergo frater Massaeus ad beatum Franciscum, quem sanctus in caritate recipiens, pedes abluendo et refectionem parando. Cibo vero sumpto, beatus Franciscus vocavit eum ad silvam; et nudato capite, manibus cancellatis, genuflectens interrogavit dicens: « Quid iubet Dominus meus Iesus Christus, ut faciam »? Respondit frater Massaeus, quod tam fratri Silvestro quam sanctae Clarae et [eius] sociae (*a*) una fuit facta responsio Iesu Christi, scilicet quod vult, quod vadas ad praedicandum, quia non vocavit te Deus propter te solum, sed propter salutem etiam aliorum. Quo audito, beatus Franciscus surgens continuo succinxit se, nulla prorsus mora contracta, dixit fratri Massaeo: « Eamus »; assumensque ipsum in socium et fratrem Angelum, ibat cum tanto fervore, ut divinum exsequeretur imperium, tamque celeriter praecurrebat, ac si facta manu Domini super eum, novam induisset e caelo virtutem; quasi enim fulgur impetu spiritus pergebat, non attendendo ad viam seu semitam, et sic eundo, ad quoddam castrum nomine Cannarium devenit; ubi in tanto praedicavit fervore, quod propter praedicationem eius omnes de castro illo mares et feminae volebant, relicto castro, ire post eum. Sanctus vero Franciscus ait ad eos: « Non faciatis; quia ego ordinabo, quid pro vestra salute agere debeatis »; et ex tunc cogitavit facere tertium ordinem, qui dicitur continentium seu fratrum de poenitentia, et sic fecit. Quibus apparet, quomodo beatus Franciscus monitione divina inductus exstitit, ut populo praedicaret; et ideo bene de ipso cantatur [1]: « Sanctus Franciscus, praeviis orationum studiis, quid faciat, instructus, non sibi soli vivere, sed aliis proficere, vult Dei zelo ductus ».

Inductus fuit secundo beatus Franciscus papali iussione. Nam ut dicit frater Bonaventura in *Legenda maiori* in fine III partis [2], papa Innocentius III « approbavit regulam et de poenitentia praedicanda dedit mandatum, et laicis fratribus omnibus, qui servum Dei fuerant comitati, fecit coronas parvulas fieri, ut verbum Dei libere praedicarent »; qua papali auctoritate fretus beatus Franciscus cum fiducia multa versus vallem Spoletanam iter arripuit, ut Christi evangelium faceret et doceret. Nulli est datum mandatum a papa de praedicando, nisi beato Francisco et suis fratribus, iuxta

(*a*) Edd. *sociis*.

[1] *Officium S. Francisci,* ant. 1 ad Laudes. — [2] C. 3 n. 10.

quod cantatur: « Iussa dat Innocentius papa de praedicando [1] ». Et quia obedientiam et reverentiam beatus Franciscus promisit dicto summo pontifici eiusque successoribus canonice intrantibus, hinc est, quod opus praedicationis sibi iniunctum fideliter peregit.

Tertio beatus Franciscus inductus est in regulae professione ad praedicandum; nam nulla [alia] regula de praedicatione facienda loquitur, nisi regula fratrum Minorum, quae praesupponens mandatum apostolicum de praedicando modum declarat: primo quoad locum, quia in omni loco, nisi in episcopatu alicuius episcopi fuerit eis contradictum; secundo quoad sufficientiam et auctoritatem praedicantis, quia nullus, nisi examinatus, audeat populo praedicare; tertio quoad verbum, quia casta debent esse verba. De his tractatur in nono regulae capitulo, de quo dictum est conformitate praecedenti et fructu; vide ibi. Sic ergo, quomodo praedicandum est fidelibus, in hoc nono capitulo declarat, et in duodecimo et ultimo, qualiter infidelibus. Et quia regulam ipse ad litteram servavit, hoc tertio motivo ad praedicandum ipse beatus Franciscus processit.

Sic ergo apparet praefatis de (*a*) tribus motivis, quibus beatus Franciscus ad praedicandum fuit inductus.

2. Videndum est nunc secundo, quibus fretus fuit beatus Franciscus in sua praedicatione, libenter auditus et acceptatus. Et circa hoc insistendo breviter: beati Francisci praedicationem reddebat authenticam et acceptam primo eius aspectus et conditio. Unde frater Bonaventura in IV parte *maioris Legendae* [2] dicit, quod « beatus Franciscus videbatur intuentibus homo alterius saeculi, quippe qui mente ac facie in caelum semper intentus, omnes sursum trahere conaretur ». Verum, qualis esset beatus Franciscus quoad personam et personae conditiones, sic habetur in *Legenda antiqua* [3]; nam, ut dicitur in *Legenda antiqua:* « Beatus Franciscus, pater noster, erat homo facundissimus, facie hilaris, vultu benignus, ignaviae et insolentiae expers, statura mediocris, parvitati vicinior, caput mediocre ac rotundum, facie utcumque oblonga et protensa, frons plana et parva, mediocres oculi, nigri et simplices, fusci capilli et supercilia recta, nasus aequalis et subtilis et rectus, aures erectae (*b*), sed parvae, lingua placabilis, ignea et acuta, vox vehemens, dulcis et clara ac sonora, dentes coniuncti, aequales et albi, barba nigra, pilis non plene respersa, collum subtile, humeri recti, parva brachia, tenues manus, digiti longi, crura subtilia, parvuli pedes, tenuis cutis, caro paucissima, aspera vestis, somnus brevissimus, manus largissima. Et quia erat humillimus, omnem mansuetudinem ostendebat ad omnes homines, omnium moribus utiliter se conformans, sanctior inter sanctos, inter peccatores quasi unus ex illis ». Haec *Legenda antiqua*. Quibus verbis patet de conditionibus personae beati Francisci; ex quibus merito praedicatio ratione personae acceptabilis reddebatur.

Ipsam beati Francisci praedicationem reddebat gratam hominibus secundo eius sancta vita et perfectio. Nam, ut dicit Gregorius [4], « cuius vita despicitur, restat, ut eius praedicatio contemnatur ». Qualis vero vita fuerit beati Francisci, etsi dicetur

(*a*) As et edd. om. *de*. — (*b*) Codex *eidem*.

[1] *Officium S. Francisci*, 9 responsorium ad Matutinum; cfr. Felder, *Liturgische Reimofficien*, pag. 120. — [2] C. 4 n. 5. — [3] I Cel. 83. — [4] L. I *Homil. in Ev.*, hom. 12 n. 1 (P. L. 76, 1119).

fructu et conformitate XXV, sufficiat tamen ad praesens, quod cum vita eius fuerit sancti evangelii ad litteram adimpletio, prout de ipso cantatur [1]: « Franciscus evangelicum nec apicem vel unicum transgreditur nec iota »: quare ipsius vita fuit perfectissima (*a*). Suffragabantur ad haec alia, videlicet mundi contemptus, abnegatio sui, humilitas profunda, caritas viscerosa, austeritas vitae, obedientia prompta, pietas viscerosa, amor paupertatis, martyrii fervor, signorum efficacia, et alia quamplura, quae in ipso fuere et vitam eius perfectam et authenticam reddiderunt.

Tertio praedicationem beati Francisci hominibus acceptam reddidit eius fervida oratio; « nam ambulans et sedens, intus et foris, laborans et vacans, orationi semper erat intentus [2] ». Oratio ei erat praesidium, dum in omnibus, quae agebat, de sua diffidens industria et de superna confidens pietate, per orationis instantiam eius, quod optabat, a Deo votivum (*b*) obtinebat. In oratione, sicut certis est comprobatum indiciis, incerta sibi et occulta divinae sapientiae pandebantur, etsi exterius non vulgaret, nisi quantum Christi urgebat caritas, et proximorum utilitas exigebat. Et quamvis sacrarum litterarum notitiam non habuerit per studium eruditionis humanae, oratione tamen ab aeterna luce illustratus scripturarum profunda miro intellectus scrutabatur acumine. « Dum semel ad petitionem domini Ugonis, cardinalis Ostiensis, qui post fuit papa Gregorius nonus, praedicaturus coram papa et cardinalibus sermonem studiose compositum commendasset memoriae, stetissetque in medio, ut aedificationis verba proponeret, sic oblivioni tradidit omnia, ut effari aliquid omnino nesciret. Et cum haec veridica humilitate narrasset, conferens se ad orationem ad sancti Spiritus gratiam invocandam, tam efficacibus coepit subito verbis affluere, tamque potenti virtute illorum mentes virorum sublimium ad compunctionem inflectere, ut aperte clareret, quod non ipse sed spiritus Domini loquebatur [3] ». Et quia orationis studio a Deo de loquendis populo in praedicatione informabatur, quid mirum, si eius praedicatio erat accepta?

Reddebat beati Francisci praedicationem mirabilem et gratiosam quarto eius locutio. Ut [enim] *Legenda trium sociorum* [4] dicit et *Legenda maior* parte tertia [5], « beati Francisci eloquia non erant inania, nec risu digna, sed virtute Spiritus sancti plena, erant medullas cordis penetrantia, ut in vehementem stuporem audientes converterent ». Et in duodecima parte *Legendae maioris* [6] dicit frater Bonaventura: « Erat enim verbum eius velut ignis ardens, penetrans intima cordis, omniumque mentes admiratione replebat, cum non humanae inventionis ornatum praetenderent, sed divinae revelationis afflatum (*c*) redolerent. Et quoniam sibi primo suaserat opere, quod aliis suadebat sermone, reprehensorem non timens, veritatem fidentissime praedicabat. Nesciebat aliquorum culpas palpare, sed pungere, nec vitam fovere peccantium, sed aspera increpatione ferire. Eadem mentis constantia parvis loquebatur et magnis, eadem spiritus iucunditate paucis loquebatur et multis. Omnis aetas, omnisque sexus properabat novum mundo caelitus virum datum et cernere et audire. Ipse vero, ut dicetur, per diversas regiones progrediens, evangelizabat ardenter, *Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis* [7] ». Mirabantur omnes sermonum eius vir-

(*a*) As et edd. *sanctissima.* — (*b*) As et edd. *notitiam.* — (*c*) As et edd. *afflatu.*

[1] *Officium,* ant. 4 ad 1 Vesperas. — [2] Bonav. l. c. c. 10 n. 1. — [3] Bonav. l. c. c. 12 n. 7. — [4] N. 54. — [5] C. 3 n. 2. — [6] C. 12 n. 7 et 8. — [7] Marc. 16, 20.

tutem et veritatem, quem homo non docuerat; etiam litterati et docti plurimi ipsum videre et audire velut hominem alterius saeculi festinabant. Sic ergo tam dono naturae, cum esset facundissimus, quam Spiritus sancti superventione in ipsum plenissima, locutio eius erat omnibus gratissima.

Quinto praedicationem eius reddidit acceptam operatio, quia quae dicebat verbo, prius opere exercebat Christi exemplo, qui coepit facere et docere. Unde beatus Franciscus loquens de illis, qui solo verbo aedificant et non exemplo, et ostendens, quam sit Deo acceptum praedicationis officium, sic dicit, prout recitat Bonaventura in octava parte *Legendae maioris* [1]: « Hoc officium Patri misericordiarum omni sacrificio est acceptius, maxime si studio fuerit perfectae caritatis impensum, ut ad id laborent magis exemplo, quam verbo, magis lacrymosa prece, quam loquaci sermone; plangendum proinde dixit praedicatorem tanquam vera pietate privatum, sive qui in praedicatione non animarum quaerit salutem, sed propriam laudem, sive qui pravitate destruit vitae, quod aedificat doctrinae veritate. Praeferendum huic dicebat fratrem simplicem et elinguem, qui bono exemplo alios provocat ad bonum. Illudque [2] *Donec sterilis peperit plurimos* sic exponebat: ,Sterilis, inquit, est frater pauperculus, qui generandi in ecclesia filios non habet officium; hic pariet in iudicio plurimos, quia quos nunc privatis orationibus convertit ad Christum, suae gloriae tunc iudex adscribet. *Quae multos habet filios infirmabitur;* quia praedicator vanus et loquax, qui multis nunc quasi sua virtute genitis gaudet, cognoscet tunc, nihil proprium se in eis habere' ». Haec beatus Franciscus. Et quia non aliter docuit quam vixit, sequitur, quod quae verbo docuit, opere adimplevit. Et quia sic est, quod beatus Franciscus gerebat, quod fratres praedicatores docebat perficere, de praedicantibus loquens sic dixit in regula antiqua [3] eos monendo: « Volo ministros verbi Dei tales esse, ut studiis spiritualibus intendentes nullis aliis officiis impedirentur ». Hos enim a quodam magno rege dixit esse electos ad edicta, quae ex eius ore procederent, populis destinanda (*a*), et dicebat: « Prius praedicator haurire debet secretis orationibus, quod postea sacris ostendat sermonibus, prius intus calescere, quam extra verba proferre ». « Reverendum hoc dixit officium, et qui administrarent, forent omnibus reverendi. Isti, ait, vita sunt corporis, impugnatores isti sunt daemonum, isti mundi lucerna. Plangendos tamen dixit praedicatores, qui vendunt saepe, quod faciunt, oleo vanae laudis; talium vero tumoribus tali quandoque medebatur antidoto, dicens eis: ,Cur de conversis hominibus gloriamini, quos fratres mei simplices convertunt?' Illos (*b*) autem, qui magis se rhetores, quam praedicatores laudari cupiunt, ornatu, non affectu loquentes, non amabat. Eos vero male scire dividere dixit, qui praedicationi totum, devotioni vero nihil impendunt. Laudabat praedicatorem, qui pro tempore sibi saperet sibique gustaret ». Haec beatus Franciscus. Qualem esse praedicatorem verbi Dei debere dixit beatus Franciscus, habes fructu et conformitate XII, capitulo de praedicatore.

Sexto reddebat beati Francisci praedicationem acceptam ipsius sancta conversatio, reverentia et subiectio. Beatus enim Franciscus voluit fratres suos praedicatores episcopis, praelatis et clericis per omnia subiici, unde in regula c. 9 interdixit fratribus,

(*a*) As et cdd. *demandanda*. — (*b*) Codex *illi*.

[1] C. 8 n. 1 et 2. — [2] I Reg. 2, 5. — [3] Legendum est *Legenda antiqua;* habentur II Cel. 99 et 100.

quod « in episcopatu alicuius episcopi non praedicarent, cum ab eis illis fuerit contradictum ». Unde in suo testamento posuit: « Et si haberem tantam sapientiam, quantam Salomon habuit, et invenirem pauperculos sacerdotes huius saeculi, in parochiis suis, in quibus morantur, nolo (*a*) praedicare ultra voluntatem ipsorum; et ipsos et omnes alios volo timere, amare et honorare, sicut meos dominos ». Nam cum semel fratres dixissent beato Francisco: « Pater, nonne vides, quod episcopi non permittunt nos aliquando praedicare, et pluribus diebus faciunt nos stare otiosos in una terra, antequam possimus verbum Dei nuntiare? melius esset, quod impetrares a domino papa privilegium super haec, et esset salus animarum »; quibus ipse cum magna reprehensione respondit dicens: « Vos, fratres Minores, non cognoscitis Dei voluntatem et non permittitis me convertere totum mundum. Nam ego volo per sanctam humilitatem et reverentiam primo convertere praelatos; qui cum viderint vitam vestram sanctam et humilem reverentiam ad eos, rogabunt vos, quod praedicetis et convertatis populum, atque ipsum vocabunt ad praedicationem melius quam privilegia vestra, quae vos ducent ad superbiam. Et si fueritis separati ab omni avaritia et induxeritis populum, ut reddant ecclesiis iura sua, ipsi rogabunt vos, quod audiatis (*b*) confessiones populi, licet de hoc non debeatis curare. Nam si conversi fuerint, bene invenient confessores. Ego enim pro me volo hoc privilegium a domino, ut nunquam ab homine habeam aliquod privilegium, nisi omnibus reverentiam facere, et per obedientiam sanctae regulae plus exemplo quam verbo convertere universos [1] ». Et quod sic fecerit beatus Franciscus recitat frater Bonaventura sexta parte *Legendae maioris* [2]. Nam tempore quodam Imolam deveniens, civitatis episcopum adiit humiliterque poposcit, ut cum ipsius beneplacito posset populum ad praedicationem vocare. Cui episcopus dure respondens, « sufficit, inquit, frater, quod ego praedicem populo meo ». Inclinavit caput verus humilis et foras egressus post modicam horam regreditur intro; a quo cum episcopus quasi turbatus requireret, quid iterato petere vellet, humili tam voce quam corde respondit: « Domine, si pater filium uno pepulerit ostio, alio sibi reintrandum est ». Humilitate victus episcopus, alacri vultu amplexatus est eum dicens: « Tu et omnes fratres tui de cetero in episcopatu meo generali mea licentia praedicetis, quia illud humilitas vestra sancta promeruit ».

Sic ergo sex praefatis fretus beatus Franciscus et praedicare populo voluit, et eius praedicatio non contempta, sed grata et accepta omnibus fuit.

Et sic patet secundum videndum, quibus fretus beatus Franciscus a populo in praedicatione fuit acceptatus.

3. Sequitur igitur nunc videre tertio, quibus in locis et qualibus signis ut praedicator Domini fuit per orbem divulgatus. Ut enim dicit dominus frater Bonaventura in XII parte *Legendae maioris* [3], « aderat equidem servo suo Francisco ad quaecumque pergeret, is, qui eum *unxerat et miserat spiritus Domini* et ipsa *Dei virtus et sapientia Christus* [4], ut sanae doctrinae verbis afflueret et magnae potentiae miraculis coruscaret. In virtute namque nominis eius veritatis praeco Franciscus

(*a*) Codex *nollem*. — (*b*) As addit *quod praedicetis et convertatis populum et quod audiatis*.

[1] *Speculum perfectionis* (ed. Lemmens, c. 44 — ed. Sabatier, c. 50). — [2] C. 6 n. 8. — [3] C. 12 n. 7 et 8. — [4] Isai. 61, 1; — deinde I Cor. 1, 24.

eiiciebat daemonia, sanabat infirmos; et quod maius est sui sermonis efficacia obstinatorum mentes ad poenitentiam molliebat, simulque sanitatem corporis reddebat » et mentis, sicut subscripta ostendent exempla declarativa, in quibus [praecipue] locis beatus Franciscus praedicavit.

Et pro ipsorum evidentia sciendum, quod beatus Franciscus praedicavit in multis locis, videlicet in civitate Assisii, et ante regulae institutionem, ut dictum est, quando, forma praedicatorum in evangelio audita, se eidem coaptasset per omnia, tunc incepit poenitentiam praedicare; ad quod secutum est miraculum, quod multi eius exemplo inducti et verbo, relictis omnibus et datis pauperibus, ipsi per omnia cohaeserunt; sicut fecit frater Bernardus de Quintavalle, maior homo de Assisio, frater Petrus Cathanii, canonicus ecclesiae cathedralis, frater Aegidius; et sic de aliis. — In eadem civitate Assisii praedicavit post regulae a domino papa confirmationem et sibi potestatem datam et mandatum ab eodem, et hoc in ecclesia sancti Georgii, ubi iacet nunc corpus sanctae Clarae. In hac siquidem ecclesia primo puerulus litteras didicit, primo praedicavit, et ibi post mortem primo humatus fuit. In qua ecclesia dum praedicare de mane deberet, et in quodam tugurio sito in horto canonicorum in oratione more solito pernoctaret, secutum est mirandum et stupendum miraculum, scilicet quod transfiguratus apparuit; « media enim noctis hora absentatus a fratribus, et quibusdam ipsorum quiescentibus et quibusdam orantibus, currus igneus miri splendoris per ostium domus fratrum intrans, huc atque illuc per domicilium tertio se convertit; supra quem globus lucidus residebat, qui solis habens aspectum noctem clarefecit. Obstupefacti sunt vigilantes, excitati simul et exterriti dormientes; et non minus senserunt cordis claritatem quam corporis, dum ex virtute mirandi luminis alterius alteri conscientia nuda fuit. Intellexerunt concorditer omnes, videntibus invicem universis, sanctum patrem Franciscum absentem corpore, praesentem spiritu, tali figuratum effigie, supernis irradiatum fulgoribus et ardoribus inflammatum, supernali virtute in curru splendente simul et igneo sic demonstrari a Domino, ut tanquam veri Israelitae post illum incederent, qui virorum spiritualium ut alter Elias factus fuerat a Deo *currus et auriga* [1] ». Ad quod secutum est aliud stupendum, quod beatus Franciscus regressus, facta praedicatione ad fratres, « coepit conscientiarum ipsorum secreta rimari et confortare ipsos de ipsa visione mirabili et de profectu ordinis multa futura praedicere. Cumque patefaceret plurima, quae sensum transcendebant humanum, vere cognoverunt fratres, super servum suum Franciscum spiritum Domini in tanta plenitudine quievisse, quod post ipsius doctrinam et vitam eis erat proficisci tutissimum [2] ». — Vice alia praedicavit Assisii in platea, cum quartanarius adhuc esset et debilis. Et praedicatione finita, praecepit populo, ut nullus recederet, donec rediret. Et tunc intrando maiorem ecclesiam spoliavit se tunica habituali, et nudum, solis femoralibus retentis, cum fune ligato ad collum, mandavit fratri Petro Cathanii, quod eum traheret sic usque ad locum, in quo malefactores puniendi consueverant collocari, super quem conscendens, licet esset quartanarius et debilis, et frigus esset intensissimum, quia tempus hiemale, cum multo animi fervore (*a*) praedicavit dicens, quod non erat honorandus ut sanctus, sed contemnendus ut carnalis et gluto,

(*a*) As et edd. *vigore*.

[1] IV Reg. 2, 12. — [2] Bonav. l. c. c. 4 n. 4.

pro eo, quod in sua infirmitate carnes comederat et brodium carnibus conditum. Ad quod secutum est, quod Assisinates praedicta cernentes coeperunt quasi omnes plangere eum prae nimia pietate et compassione, quia tunc erat tempus hiemale et frigus valde intensum, et nondum erat a febre quartana liberatus; et percutientes pectora sua accusabant se ipsos dicentes: « Si iste sanctus pro iusta et manifesta necessitate cum tanta verecundia sui corporis se accusat, cuius vitam novimus esse sanctam, quid faciemus nos miseri, qui toto tempore vitae nostrae viximus et continue vivimus secundum desideria carnis [1] »? — Praedicavit beatus Franciscus Assisii in civitate, ut dictum est supra [2] conformitate VIII, quando misit nudum ad praedicandum fratrem Rufinum; et beatus Franciscus nudus ipsum est secutus, et praedicavit sic nudus de Domini passione. Ad quod secutum est, quod tantus planctus fuit illa die in civitate Assisii de passione Domini, quantus nunquam ante fuerat auditus. — In planitie civitatis Assisii tempore generalis capituli, quod beatus Franciscus tenuit, ubi fuerunt ultra quinque millia fratrum, de quo dicetur conformitate XXIV, et fuit ibi papa Gregorius IX, tunc exsistens cardinalis Ostiensis, et sanctus Dominicus, caput ordinis Praedicatorum, cum septem de suis fratribus, beatus Franciscus praedicavit et proposuit hoc thema: « Magna promisimus, maiora promissa sunt nobis, servemus haec, aspiremus ad illa, brevis voluptas, perpetua poena, modica passio, gloria infinita »; et super hoc devotissime praedicavit. Ad quod secutum est stupendum miraculum, quod, cum beatus Franciscus in meritum obedientiae salutaris mandasset omnibus fratribus, quod nullus curam vel sollicitudinem haberet de aliqua re comestibili aut potabili aut de aliquibus aliis (*a*) corporum (*b*) necessariis, sed solum orationi intenderent et Dei laudi et omnem curam in Christum proiicerent, qui de eis habet curam specialem (*c*); et sic omnes fecerunt currentes hilariter ad orationem. Statim Christus volens ostendere, se habere curam specialem de ipsis, spirando facta est Domini manus super Perusinos, Spoletanos, Fulginenses, Spellenses, Assisinates et cunctas adiacentes terras, et venerunt cum asinis, mulis et equis oneratis pane et vino et fabis et caseo et omnibus bonis, quibus putabant illos beatos pauperes indigere; et sic fratres fuerunt divino miraculo copiose refecti [3]. — In dicta planitie Assisii beatus Franciscus, scilicet extra ecclesiam sanctae Mariae de Portiuncula, coram septem episcopis, videlicet Perusino, Assisinati, Tudertino, Eugubino, Fulginate, Spoletano et Nucerino, praedicavit, indulgentiam per Christum datam et a papa confirmatam remissionis omnium peccatorum in dicta ecclesia esse prima die Augusti, incipiendo a vesperis usque in sequentem vesperam secundae diei. Ad quod secutum est illud miraculum inauditum, scilicet quod, cum episcopi oppositum vellent dicere et crederent dixisse, omnes ut beatus Franciscus sunt locuti. Plura alia fecit praedicando Assisii; sed dicta sufficiant.

In civitate Perusii praedicavit, et hoc in platea et pluries. Sed semel dum in platea dictae civitatis praedicaret, et populus esset in magna multitudine congregatus, milites et nobiles de Perusio inceperunt cum armis ludere et per plateam discurrere ac praedicationem impedire. Et cum ab his (*d*), qui aderant, reprehenderentur, nec acquiescerent, vir sanctus est coram omnibus allocutus dicens: « Quia Creatorem vestrum

(*a*) As *rebus*. — (*b*) As et edd. *corpori*. — (*c*) As *temporalem*. — (*d*) As *hi*.

[1] *Speculum perf.* (ed. Sabatier), c. 61. — [2] Pag. 200. — [3] *Actus* c. 20.

non agnoscitis, nec humilitate, sed superbia erigimini, nisi ad Dominum convertamini, ad punitionem vestram Dominus faciet insurgere unum contra alium; et tantam tribulationem patiemini, quantam vicini vestri vobis inferre non poterunt ». Ad hoc secutum est miraculum impletionis verborum beati Francisci; nam ad paucos dies populus insurrexit contra nobiles et expulit eos; at illi se cum ecclesia iungentes omnia extrinseca et de comitatu destruxerunt [1].

In castro Mevanii (*a*) praedicavit; ubi per ipsum factum est illud miraculum, quod puella oculorum privata luminibus, « cum in Trinitatis nomine sputo suo ter ipsius linivisset oculos, lumen cupitum restituit [2] ».

In castro Alviani praedicavit; ubi illud miraculum evenit, quod « populo congregato, et indicto silentio, propter hirundines nidificantes in eodem loco magnisque garritibus perstrepentes (*b*) audiri vix posset, vir Dei, audientibus cunctis eas allocutus est dicens: ,Sorores meae hirundines, iam tempus est, ut loquar et ego, quia vos usque modo satis dixistis; audite verbum tenentes silentium, donec sermo Domini compleatur'; statimque tacuerunt, nec fuerunt motae de loco, donec fuit praedicatio consummata. Omnes, qui viderunt, stupore repleti Deum glorificaverunt. Huius fama miraculi circumquaque diffusa, multos ad sancti reverentiam et fidei devotionem accendit [3] ».

In civitate Eugubii beatus Franciscus praedicavit. Et post praedicationem fecit unum miraculum, « quod mulier quaedam, dum ambas manus haberet contractas et aridas, adeo ut nihil per illas operari valeret, signo crucis ab ipso in nomine Domini sibi facto, tam perfectam obtinuit sospitatem, quod statim domum rediens, cibos in ministerium eius et pauperum quasi altera socrus Simonis propriis manibus praepararet [4] ». — Vice alia, dum ad praedictam civitatem Eugubii praedicationis gratia accessisset, reperit, quod dicta civitas a lupo ferocissimo, qui non solum animalia, sed homines et feminas devorabat, erat obsessa, ita quod cives, quando terram egrediebantur, eius timore et peste armati erant, ac si ad bella deberent procedere; nec sic armati mordacis lupi rabiem poterant declinare. Beatus Franciscus, etsi cives contradicerent timentes, ne a lupo laederetur, dicto lupo obviam exiit cum socio; et ecce, multis cernentibus in locis, in quibus ad speculandum ascenderant, lupus ille terribilis contra sanctum Franciscum et socium aperto ore cucurrit; contra quem beatus Franciscus opposuit signum crucis, et tam a se quam a socio ipsum virtute divina compescuit et cursus eius retinuit, ac os truculentum apertum clausit, et demum illum ad se vocans dixit: « Veni huc ad me, frater lupe, et ex parte Christi tibi praecipio, quod nec mihi nec alteri noceas ». Mirabile dictu! statim facta cruce, conclusit os illud terribile, et facto mandato, statim ad pedes sancti Francisci, iam factus quasi agnus ex lupo, capite inclinato, se prostravit. Cui dixit beatus Franciscus: « Frater lupe, tu facis multa damna in partibus istis et horrenda maleficia perpetrasti, creaturas Dei sine misericordia destruendo, et quod maius est, homines ad imaginem Dei factos et alias bestias occidis, propter quae dignus es morte, et tota civitas ista iuste contra

(*a*) Codex *Menavii;* est Bevagna in Umbria. — (*b*) Edd. addunt *ut*.

[1] Cfr. II Cel. 2, 6 et *Speculum perfectionis* (ed. Sabatier), c. 105. — [2] Cfr. Cel. *Tract. de miraculis,* n. 124; Bonav. l. c. c. 12 n. 10. — [3] Bonav. l. c. c. 12 n. 14. — [4] Bonav. l. c. c. 12 n. 10.

te clamat; sed ego, frater lupe, volo inter te et cives istos facere pacem, ita quod a te in nullo laedantur, et ipsi tibi omnem dimittant offensam, nec homines nec canes te amplius persequentur ». Et lupus gestibus et caudae atque aurium atque totius corporis inclinatione illa, quae sanctus Franciscus dixit, se acceptare ostendebat. Et ait iterum beatus Franciscus: « Ex quo, frater lupe, placet tibi facere pacem, ego promitto tibi, quod faciam tibi dari expensas, quamdiu vixeris, per homines istius civitatis, ita quod nunquam amplius famem patieris, quia ego scio, quod, quidquid mali facias, propter famis rabiem facis; sed ex quo acquiram tibi talem gratiam, volo, quod tu promittas mihi, quod nunquam aliquod animal laedes vel hominem. Promittis tu ista mihi »? Et lupus evidens inclinato capite signum fecit, quod promittebat illa facere, quae sibi imponebantur a sancto Francisco. Et beatus Franciscus ait: « Frater lupe, da mihi fidem, ut possim credere, quod promittis ». Et cum beatus Franciscus manum extendisset pro fide recipienda, lupus levavit pedem anteriorem dextrum et blande posuit super manum beati Francisci signo, quo poterat, fidem dando. Tunc sanctus Franciscus ait: « Frater lupe, praecipio tibi in nomine Domini nostri Iesu Christi, ut venias modo mecum, nihil dubitans, ad faciendum pacem istam in nomine Domini »; et lupus obediens statim incepit ire cum sancto Francisco tanquam mansuetissimus agnus. Quod videntes illi de civitate coeperunt vehementer admirari, et novitas haec statim per totam civitatem intonuit (*a*), ita quod omnes tam parvi quam magni, viri et mulieres ad plateam civitatis convenirent. Congregata igitur populi multitudine, surgens beatus Franciscus fecit eis mirabilem praedicationem dicens inter alia, quomodo propter peccata tales pestilentiae evenire permittuntur, et quanto periculosior est vorans flamma gehennae, quae habet in aeternum devorare damnatos, quam rabies lupi, quae non potest occidere nisi corpus, et quam sit pavendum in profundum baratri demergi, quando unum parvum animal tantam multitudinem in tanto timore et periculo detinebat. « Revertimini ergo, carissimi, ad Dominum, et facite dignam poenitentiam, et a lupo liberabit vos Dominus in praesenti et in futuro a devoratione ignis baratri ». Et his dictis ait: « Audite; frater lupus, qui coram vobis stat, promisit mihi et de promissione fidem exhibuit, facere pacem vobiscum, et nunquam vos laedere in aliquo, si tamen vos promittatis eidem omni die dare expensas; et pro fratre lupo ego fide iubeo, quod pactum pacis firmiter observabit ». Tunc omnes ibidem congregati promiserunt lupum continue nutrire. At sanctus Franciscus coram omnibus dixit lupo: « Et tu, frater lupe, promittis pactum servare istis, quod nec animal nec personam laedas »? Et lupus se ingeniculans cum inclinatione capitis et gestibus corporis et caudae et aurium blandimentis, se servaturum pacta promissa, omnibus demonstravit evidenter. Et sanctus Franciscus ait: « Frater lupe, ego volo, quod sicut tu mihi dedisti fidem, cum essemus extra portam, ita et hic coram toto isto populo des mihi fidem, quod ista observabis et me in ista promissione minime derelinquas »; tunc lupus levato pede dextro fidem dedit in manu sancti Francisci fideiussoris sui coram cunctis astantibus. Et facta est tanta admiratio et gaudium omnium tam pro devotione sancti Francisci, quam pro novitate miraculi, quam insuper pro pace lupi, ut omnes clamarent ad sidera laudantes et benedicentes Dominum Iesum Christum, qui ad eos misit beatum Franciscum, cuius meritis de ore ferae pessimae eos liberavit,

(*a*) As et edd. *innotuit.*

et de tam horrenda peste in pace reposuit et quiete. Ex illo die lupus populo et populus lupo pacta servavit per sanctum Franciscum ordinata; et lupus per annos duos vivens et per civitatem ostiatim victitans neminem laedens nec ab aliquo laesus fuit curialiter enutritus; et mirum valde, quod nunquam aliquis canis latrabat contra eum. Tandem frater lupus senio mortuus est; de cuius morte cives quamplurimum doluerunt, quia ipso vivente beati Francisci sanctitatem et virtutem ad ipsorum memoriam continue revocabant [1].

In civitate Castelli beatus Franciscus praedicavit; et post praedicationem illud fecit miraculum, quod mulierem a furibundo et nequam spiritu obsessam, mandando spiritui, ut abscederet, liberam discedendo reliquit [2].

In castro Cisternae, dioecesis Castellanae, populo congregato, cum vellet praedicare, et quercui cuidam adhaereret, et tota formicis esset plena, eis, ut recederent, imperavit; quae statim recesserunt. Unde, ut libere abirent iussit populo, ut locum darent sororibus formicis; et mirabile, nunquam ad dictam quercum amplius accesserunt. Sed dum praedicaret, aliud accidit stupendum et formidandum. Quaedam mulier superveniens cum cymbalo pulsabat et eius praedicationem impediebat; sed a sancto Francisco praemonita, ut recederet vel quiesceret, et ipsa infelix nullatenus assensum praeberet, sanctus Franciscus tandem dixit: « Tolle, tolle, diabole, quod tuum est »; statim capta est mulier misera et in aerem levata, deinceps amplius nunquam est visa [3].

In civitate Aretii dum vellet praedicare, et hac de causa ipsam adiisset, illud evenit mirabile, de quo dicetur fructu et conformitate XXI, quod ipsam totam plenam reperit daemonibus; qui cives inducentes ad malum, intestino quassabatur belli et discordiae excidio; sed oratione beati Francisci et mandato daemones abscedentes, civitas in pace remansit, et beatus Franciscus postea praedicavit [4].

In Castro sancti Gemini praedicatione facta, « a quodam viro devoto susceptus hospitio, cuius uxor a daemonio vexabatur, post orationem in virtute obedientiae daemoni imperando, ut exiret, eumque potestate divina tam subito effugavit, ut vere claresceret, quod obedientiae sanctae virtuti pervicacia daemonis non obsistit [5] ».

In civitate Narniensi cum praedicaret, « oblatum paralyticum quendam membrorum omnium officio destitutum, cum eum signo crucis a capite usque ad pedes consignasset, perfectae restituit sanitati »; et ibidem mulierem in ecclesia illuminavit [6].

In civitate Ortensi post praedicationem puer unus ita glomeratus (*a*) est praesentatus, ut caput pedibus portaret applicitum et ossa nonnulla haberet confracta; qui ad preces lacrymabiles parentum ab ipso susceptus, subito extensus illico exstitit liberatus [7].

In urbe Romana pluries praedicavit, et specialiter, ut dictum est, coram papa et cardinalibus; ubi evenit illud mirandum, quod oblitus sermonis, quem providerat, dum ad scholas sancti Spiritus se convertisset, tam efficaciter est locutus, ut omnes adverterent, Spiritum sanctum eum perfectissime (*b*) replevisse dono linguae et scientiae salutaris.

(*a*) As et edd. *conglomeratus*. — (*b*) As et edd. *plenissime*.

[1] Idem *Actus* c. 23. — [2] Bonav. l. c. c. 12 n. 10. — [3] Idem in Ms. Coll. S. Ant. fol. 51 r. — [4] Bonav. l. c. c. 6 n. 9. — [5] Bonav. l. c. c. 12 n. 10. — [6] Bonav. l. c. c. 12 n. 9 et 10. — [7] Bonav. l. c. c. 12 n. 9.

In civitate de Interamne, cum beatus Franciscus in platea civitatis populo praedicasset, episcopo astante, finita praedicatione, episcopus surrexit et populo ait: « Dominus ab initio, ex quo plantavit ecclesiam suam et aedificavit, semper illustravit sanctis viris, qui eam verbo excolerent et exemplo. Nunc autem hora novissima illustravit eam isto pauperculo et despecto et illiterato homine Francisco, propter quod tenemini ex hoc Deum diligere et honorare et a peccatis vobis cavere. Non enim fecit taliter omni nationi ». Quibus verbis finitis, dum episcopus de loco, in quo steterat, descendisset et ecclesiam episcopatus intrasset, beatus Franciscus ad ipsum accessit et inclinatus ad eius pedes ait: « In veritate dico vobis, domine episcope, quod nullus fecit mihi unquam tantum honorem in hoc saeculo, quantum fecistis mihi hodie. Nam alii homines dicunt: iste est sanctus homo, attribuentes mihi gloriam et sanctitatem, et non Deo; sed vos tanquam discretus separastis pretiosum a vili, Deo et non mihi gloriam tribuendo, cui est soli gloria reddenda et honor [1] ».

In civitate Tuscanella dum gratia praedicationis esset, a quodam milite beatus Franciscus devote est susceptus; cuius filius unicus erat a nativitate contractus; quem ad instantiam patris manu elevans, sanum reddidit et fortem, ut statim exsurgeret ambulans et exsiliens ac Deum laudans [2].

In civitate Senensi dum praedicasset beatus Franciscus, et esset eius socius frater Massaeus, ut dictum est supra [3] fructu et conformitate VIII, illud evenit stupendum, quod, cum civitas esset ad arma, et iam aliqui interfecti, tam sancte, tam divine beatus Franciscus eis praedicavit, ut ad pacem, omni discordia semota, civitas ipsa statim veniret [4].

In civitate Gaietae dum « semel in littore maris praedicaret, et turbis prae devotione in eum irruentibus, cum ipsorum vellet declinare applausum, in unam inhaerentem littori naviculam exsiliit solus. Illa vero tanquam si rationis particeps motore moveretur intrinseco, sine aliquo remige, cernentibus et mirantibus cunctis, se longius a terra protraxit. Cum autem aliquanto spatio in maris altitudinem secessisset, stetit inter fluctus immobilis, quamdiu vir sanctus, turbis exspectantibus, in littore praedicavit. Cumque audito sermone et viso miraculo ac benedictione accepta, multitudo cederet, ne ipsum amplius molestaret, navicula proprio ductu ad terram est reversa [5] ».

In civitate Barensi cum praedicasset beatus Franciscus et ibi imperator cum sua esset curia, scilicet Fredericus II, et contra vitium luxuriae beatus Franciscus multa detestando dixisset, et curialibus, utpote lubricis et carnalibus, displicuisset, invitatus cum socio ad coenam per ipsum imperatorem comedit; et demum data eidem et soli camera ad quiescendum, abscondita est ibi in camera una pulcherrima iuvenis (*a*). Clausa igitur a foris camera, mulier ex abditis exiens, coepit beatum Franciscum de actu nefando sollicitare, omnia tamen audientibus et videntibus per rimas ostii ipso imperatore cum suis. Beatus igitur Franciscus videns sic se delusum et, cum ibi esset magna pars prunarum ex igne diurno relictarum, quia hiems erat, subito tunica habituali exuta, et sparsis prunis, nudum se super prunas posuit dicens mulieri, quod in tali lecto, si vellet, cum ipso concumberet. Quod cernens mulier statim aufugit. Im-

(*a*) As *virgo*.

[1] II Cel. 3, 80, *Speculum perfectionis* (ed. Lemmens) c. 13, et *Speculum perfectionis* (ed. Sabatier) c. 45 (ubi « in Reate »). — [2] Bonav. l. c. c. 12 n. 9. — [3] Pag. 194. — [4] *Actus* c. 11 n. 11. — [5] Bonav. l. c. c. 12 n. 6.

perator vero et alii intrantes cameram et beatum Franciscum cernentes stetisse super carbones, et nullam laesionem ignis, nec adustionem habere in sua carne, valde sunt mirati, et ex tunc habuerunt ad beatum Franciscum reverentiam et devotionem [1].

In castro et loco de Greccio praedicavit multoties beatus Franciscus, ubi Deus fecit meritis beati Francisci magnum et inauditum miraculum. Cum enim loci illius indigenae malis multiplicibus gravarentur, scilicet luporum rapacium bruta et homines comedentium, ac tempestatum grandinis, qui blada et vineas devastabat, beatus Franciscus eis compatiens in publica praedicatione dixit dicti castri hominibus, quod, si vellent confiteri et dignos poenitentiae fructus facere, quod mala praefata cessarent, et in bonis temporalibus et spiritualibus ipse fidem iubebat, quod Deus multiplicaret. Attamen praedicebat eis, quod, si ingrati de beneficio ad vomitum reverterentur, innovaretur plaga, duplicaretur poena, et ira Dei maior in ipsos desaeviret. Homines hoc audientes poenitentiam agere coeperunt. Statim « cessaverunt clades, periere pericula, nec molestiae quidquam intulere lupi vel grandines; immo quod maius est, si quando vicinorum arva grando pervaderet, istorum terminis appropinquans terminabatur ibidem aut in partem aliam divertebat [2] ». Et istud servatum est per maximum tempus; modo tamen a triginta (*a*) annis citra lupi reintrarunt et damna inferunt multa, iuxta prophetata eis a beato Francisco, ubi vomitum repetiissent.

In civitate Bononiae praedicavit beatus Franciscus. Ad quam civitatem cum accederet, et populus eius adventum cognovisset, factus est concursus omnium ad ipsum, ita quod vix ire per terram poterat; omnes enim eum tanquam novum florem mundi et tanquam angelum Dei (*b*) videre et audire cupiebant, ita quod ad plateam civitatis pervenit cum magna poena. Populo vero ibidem maximo congregato, tam virorum, quam mulierum, et multorum etiam scholarium, exsurgens beatus Franciscus in medium tam miranda et stupenda, Spiritu sancto dictante, praedicabat, quod non homo, sed angelus videbatur. Nam verba eius velut *sagittae potentis acutae* [3] de arca divinae sapientiae procedere videbantur, quae corda audientium tam valide penetrabant, quod maximam multitudinem virorum et mulierum a statu peccati ad poenitentiae lamenta tunc convertit, et praecipue duos scholares nobiles de Marchia, videlicet Riccerium de Muccia et Peregrinum de domo (*c*) nobilium de Fallerono, de quibus habitum est supra conformitate VIII in tractatu de provincia Marchiae; vide ibi [4]. — Fecit etiam ibidem beatus Franciscus tunc unum singulare miraculum. Cum enim puer quidam super unum oculorum maculam haberet, quae sic ipsum operiebat, ut nihil prorsus videre posset, nec medicinae ad hoc posset iuvari remedio, « post signum crucis a capite usque ad pedes factum a Dei viro, visum recuperavit tam limpidum, ut post ordinem Minorum ingressus », et vocatus frater Petrus de Lavecchia, qui diu vixit et sancte, et semper « se longe clarius videre assereret de oculo prius infirmo, quam de oculo semper sano [5] ».

In civitate Alexandriae Lombardiae etiam praedicavit. Ubi Deus ostendit illud miraculum, quod, cum a quodam esset ad prandium invitatus et pie annuisset, et ad comedendum capones idem praeparasset, pauperi eleemosynam petenti unum frustum

(*a*) As et edd. *pluribus*. — (*b*) As *Deum*. — (*c*) Codex *dozo*.

[1] Idem fusius in Ms. Coll. S. Ant. fol. 68 v. — [2] Bonav. l. c. c. 8 n. 11. — [3] Ps. 119, 4. — [4] Pag. 283 et 284. — [5] Bonav. l. c. c. 12 n. 10 (ubi deest nomen fratris).

beatus Franciscus misit caponis; qui malitiose ipsum reservans, dum sequenti die beatus Franciscus populo praedicaret, ille miser sancto volens detrahere [dixit], quod non erat ei credendum, quia capones comedebat, in cuius signum ecce frustum caponis, quod heri mihi dedit; et dum nequam homo crederet carnes extrahere et ostendere, piscem ostendit, in quem caponis frustum erat divina virtute conversum; et sic fuit confusus [1].

In Monte Feltro beatus Franciscus praedicavit. Ad ipsum enim locum cum novae militiae festum ageretur, beatus Franciscus dixit ad socium: « Eamus, quia cum Dei adiutorio inter eos aliquem fructum faciemus »; in dicto enim festo multi nobiles de diversis partibus confluxerant; inter quos fuit dominus Orlandus de Clusio, qui beato Francisco sacrum montem dedit Alvernae, facta praedicatione. Beatus enim Franciscus volens praedicare tunc in dicto festo, proposuit illud thema: « Tam bonum et tantum est, quod a me exspectatur, quod faciliter omnis poena in praesenti toleratur (*a*) »; et « tam divine Spiritus sanctus per os Francisci eructavit, probando dictum verbum per poenas martyrum, apostolorum martyria, poenas duras poenitentiae confessorum, multasque tribulationes sanctorum et sanctarum, quod omnes stabant suspensa mente quasi Dei angelum attendentes [2] »; sed in fine praedicationis dictus dominus Orlandus habens colloquium de salute animae suae cum beato Francisco tandem montem Alvernae beato Francisco dedit, ut conformitate XXXI dicetur.

In Sancto Severino Marchiae Anconitanae praedicavit beatus Franciscus. Et dum praedicaret, frater Pacificus, qui erat saecularis et poeta laureatus, vidit duos enses valde fulgentes in modum crucis beatum Franciscum complecti; quo miraculo viso, mundo abrenuntians, factus est frater Minor; ut dictum est supra [3] fructu et conformitate VIII in tractatu de provincia Marchiae.

In multis aliis locis Thusciae, Marchiae Anconitanae et Tervisinae, Sclavoniae (*b*), Lombardiae, Patrimonii, Campaniae praedicavit et regni Apuliae; in quibus prodigia et signa multa faciendo, attendebantur, quae dicebantur ab ipso, acsi angelus Domini loqueretur.

Ad praedicandum in Francia beatus Franciscus elegerat, dum paucos haberet fratres; sed per dominum Ostiensem apud Florentiam legatum exsistentem fuit prohibitus. Attamen ad Franciam, ut dicetur conformitate sequenti, misit fratrem Pacificum, qui fuit primus minister in Francia, et cum eo misit multos fratres, scilicet fratrem Angelum de Pisis, qui conventum fundavit Parisiensem, et postmodum ad provinciam Angliae missus est minister illuc a beato Francisco. Raro in aliquo [loco] beatus Franciscus firmus stabat, sed per provincias Italiae assidue discurrebat, sua praedicatione multos convertendo ad Christum. Et quia zelo praecipuo ducebatur animarum, ipsum mirificabat Deus signis et portentis; ac eius voci per omnia condescendebat, sicut patuit, quando ad praedicandum ibat inter Lombardiam et Marchiam Tervisanam. Cum enim iret (*c*) iuxta Padum, et noctis obscuritas supervenisset, ac via multis esset exposita periculis propter tenebras, flumina (*d*) et paludes, ac socius eidem diceret: « Ora Deum, ut de instantibus periculis liberemur », ipse vir sanctus hoc solum protulit verbum: « Potens est Deus, si suae placet dulcedini, tenebrarum effugata ca-

(*a*) Codex *tollatur*. — (*b*) As et edd. om. *Sclavoniae*. — (*c*) As *erat*. — (*d*) As et edd. *fluvium*.

[1] II Cel. 3, 24. — [2] *Actus* c. 9. — [3] Pag. 285.

ligine, beneficium impendere suae lucis ». « Vix sermonem compleverat, et ecce, tanta illico lux coepit circa eos superna radiare virtute, ut (*a*), nocte alias exsistente obscura, ipsi luce clara viderent, non solum viam, sed et plurima circumquaque; cuius lucis ducatu, per non modicum viae spatium corporaliter directi et spiritualiter confortati usque ad locum hospitii, cum divinis hymnis et laudibus incolumes pervenerunt [1] ».

Quo et aliis apparet, beatum Franciscum ut perfectum zelatorem animarum, ad instar magistri summi Christi, et Deum praecipue ipsum prosequi, et in opportunis sibi semper affuisse.

Utebatur ipse pater ad convocandum populum pro praedicatione cornu eburneo albo, cuius sonitu gentes congregabat; ac quando eos silentium tenere volebat, duobus parvis baculis pro quolibet mensurae unius palmi ad invicem collisis, quorum insimul percussione silentium observari a populo imperitabat (*b*); et quocumque pergebat, praedicta secum ferebat; et haec ornata argento in sacristia conventus Assisii servantur [2].

Non solum [beatus] pater Franciscus praedicavit fidelibus, immo etiam infidelibus. Sexto enim conversionis ipsius anno ad praedicandum saracenis et aliis ad partes Syriae disposuit adire. Verum ventis non secundis flantibus, compulsus est partes Sclavoniae arripere. Et cum ad partes Anconitanas redire vellet et navim quandam latenter intrasset cum socio, eidem multipliciter divina providentia (*c*) affuit. Nam quidam est missus a Deo, ferens secum necessaria victus; quodam Deum timente vocato ad se, dixit: « Haec omnia pro pauperibus fratribus in navi latitantibus conserva fideliter, ac necessitatis tempore amicabiliter subministra ». Mira Deus operatus est beati Francisci meritis. Cum enim per dies plures vi ventorum navis ad portum aliquem applicare non posset, consumptis cibariis navis, sola eleemosyna superfuit a viro Dei collata; « quae cum esset permodica, tantum divina virtute suscepit augmentum, ut diebus pluribus in mari propter tempestatem continuam contrahentibus moram usque ad portum Anconae omnium necessitatibus plenarie subveniret [3] ». Nautae tam a maris periculo quam famis per beatum Franciscum se liberatos videntes, gratias egerunt omnipotenti Deo, qui semper in suis amicis et servis mirabilem et amabilem se ostendit. — « Verum, quia amor animarum et fidei animam ipsius gladio fervoris pertransibat, dum videret se ad partes Syriae non habere in voluntate Dei accessum, versus Marrochium iter arripuit, ut Miramolino (*d*) et eius genti Christi evangelium praedicaret et ad palmam optati martyrii si quomodo veniret. Ibat tanto desiderio, ut, quamvis corpore imbecillis esset, peregrinationis suae socium praecurreret et ad exsequendum, quod decreverat, festinus, ut ebrius spiritu advolaret; et cum usque ad Hispaniam accessisset, infirmitate superveniente gravissima, quod cupiebat, adimplere nequivit [4] ». — Tertio tandem ad partes infidelium accessit, ut et

(*a*) As *ac*. — (*b*) As *imputabat*. — (*c*) As *gratia*. — (*d*) As *Miramamolino*.

[1] Bonav. l. c. c. 5 n. 12. — [2] In cod. 344 bibl. S. Francisci civitatis Assisii exstant fol. 73 sqq. « rubricae de reliquiis, quae populo ostenduntur in ecclesia S. Francisci ». Inter quas « habentur cornu sancti Francisci et duo baculi », cum inscriptione: « Cum ista campana beatus Franciscus populum ad praedicationem convocabat. Et cum istis duobus baculis insimul percutiendo ei silentium imponebat » (cfr. *Bartholi*, Introd. pag. CXX). — [3] Bonav. l. c. c. 9 n. 5. Cfr. I Cel. 55 et *Tract. de Miraculis* n. 33. — [4] Bonav. l. c. c. 9 n. 6.

fidem praedicando eisdem converteret et si non ad palmam gloriosi martyrii perveniret. Verum cum se tertiodecimo anno a sua conversione ad partes Syriae, ut soldano praedicaret, disponeret adire, multi fratres eum usque ad partes Anconae sunt secuti, volentes cum ipso illuc accedere. Sed ipse hoc considerans, ac quod (*a*) grave esset tot fratres simul nautis deducere, nec ipse vellet aliquem inconsolatum dimittere, eos, dum esset in portu Anconae, sic est allocutus: « Carissimi fratres, omnes vos vellem pro vestra consolatione ducere mecum; sed nautae non sinunt; et quia unum ego eligendo et alium dimittendo, vobis materiam praeberem scandali et divisionis, ideo super hoc placeat vobis velle consulere Domini voluntatem, quam sic sciemus ». Nam vocavit unum parvum puerum, qui neminem illorum agnoscebat, et dixit fratribus: « Interrogemus hunc puerum, si vobis placet »; et cum omnibus placuisset, dixit beatus Franciscus puero: « Estne, puer, voluntas Dei, ut omnes [isti fratres] transeant mecum »? Respondit, quod non. « Et quos vult Deus transfretare mecum »? Respondit tangendo fratres: « Iste et iste et ille »; et sic tetigit undecim fratres de illis, et dixit beato Francisco: « Isti tecum ibunt, quia sic est voluntas Dei ». Et tunc omnes fuerunt contenti, qui tacti non fuerant per puerum, Dei voluntatem agnoscentes [1]. Beatus autem Franciscus, dictis fratribus assumptis, navim intravit et ad partes Syriae cum eisdem pervenit. Sed « cum guerra inter saracenos et christianos tunc esset implacabilis, campi utrorumque ex adverso locati sic erant, ut via mutui transitus sine mortis discrimine non pateret. Exierat enim a soldano edictum crudele, ut quicumque caput alicuius christiani afferret, bizantium auri pro mercede reciperet. Sed intrepidus Christi miles Franciscus, sperans in proximo suum adipisci propositum, definivit iter arripere mortis pavore non territus, sed desiderio provocatus. Oratione praemissa, confortatus a Domino iter arripuit. Et cum processisset ulterius, occurrerunt ei satellites saraceni, qui tanquam lupi celeriter currentes ad oves, Dei servos feraliter comprehensos crudeliter et contemptibiliter pertractarunt, afficientes conviciis, affligentes verberibus et vinculis alligantes; tandem afflictos multipliciter et attritos, divina disponente clementia,ad soldanum iuxta viri desiderium perduxerunt. Cum igitur princeps ipse perquireret, a quibus et ad quid et qualiter missi essent, et quomodo advenissent, intrepido corde respondit vir Dei Franciscus, non ab homine, sed a Deo altissimo se fuisse transmissum, ut ei et populo suo viam salutis ostenderet et annuntiaret evangelium veritatis. Tanta mentis constantia, tanta vero virtute animi, tantoque fervore spiritus praedicto soldano praedicavit Deum trinum et unum et Salvatorem omnium Iesum Christum, ut illud evangelicum (*b*) claresceret in eo fore completum: *Ego dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere et contradicere omnes adversarii vestri* [2]. Nam et soldanus admirandum fervorem spiritus in viro Dei conspiciens et virtutem, libenter ipsum audiebat et ad moram contrahendam cum eo instantius invitavit. Christi vero servus, superno illustratus oraculo: ,Si vis, inquit, converti cum populo tuo ad Christum, ob ipsius amorem vobiscum libentissime commorabor. Quodsi haesitas propter fidem Christi legem Maumeti dimittere, iube ignem accendi permaximum, et cum sacerdotibus tuis ignem ingrediar, ut vel sic cognoscas, quae fides certior et sanctior non immerito sit

(*a*) As et edd. *quam*. — (*b*) Codex *evangelium*.

[1] Apud auctores priores non invenimus. — [2] Luc. 21, 15.

tenenda'. Ad quem soldanus: ,Non credo, quod aliquis de sacerdotibus meis se vellet igni propter fidem suam defensandam exponere vel genus aliquod subire tormenti'; viderat enim aliquem de presbyteris suis, virum antiquum (*a*) et longaevum, hoc audito verbo, statim de suis conspectibus aufugisse. Ad quem vir sanctus: ,Si mihi velis promittere pro te et populo tuo, quod ad Christi cultum, si ignem illaesus exiero, veniatis, ignem solus intrabo; et si combustus fuero, imputetur peccatis meis; si autem divina me protexerit virtus, *Christum, Dei virtutem et sapientiam*, verum Deum et Salvatorem omnium agnoscatis'. Soldanus autem hanc optionem accipere se non audere respondit, quia seditionem populi formidabat. Obtulit tamen ei multa munera pretiosa, quae vir Dei non mundanarum rerum, sed salutis animarum avidus, sprevit omnia quasi lutum. Soldanus vero videns virum sanctum tam perfectum rerum mundialium contemptorem, admiratione permotus maiorem erga ipsum devotionem concepit. Et quamvis ad fidem christianam pro tunc transire nollet vel forsitan non auderet, rogavit tamen devote famulum Christi, ut praedicta susciperet pro salute ipsius, christianis pauperibus vel ecclesiis erroganda; ipse vero, quia pondus fugiebat pecuniae et in animo soldani verae pietatis non videbat radicem, nullatenus acquievit [1] ». « Et ex tunc eum libentissime audiebat et beatum Franciscum rogavit, quod ad ipsum frequenter accederet. Insuper sibi et sociis suis concessit, quod, quocumque vellent, libere irent, et ubique per totum imperium suum libere praedicarent. Et dedit eis quoddam signaculum, quo viso a nemine laederentur. Habita igitur hac liberali licentia, sanctus Franciscus socios suos binos hinc inde transmisit in diversis partibus paganorum. Ipse vero cum uno socio, fratre suo (*b*) Illuminato, ad quandam partem iens, cum pervenisset ad quoddam hospitium, ubi sibi erat pro quiete necessarium commorari, invenit ibi quandam mulierem corpore speciosam et facie, sed turpissima mente, quae ipsum sanctum de actu nefario requisivit. Cui sanctus Franciscus ait: ,Si tu vis, quod ego tibi assentiam, volo etiam, quod tu mihi assentias'; ait illa: ,Accepto, quod dicis. Eamus ergo et lectum paremus'. Sanctus vero Franciscus ait: ,Venias mecum, et ducam te ad lectum pulcherrimum'; et duxit illam ad magnum ignem, qui tunc in illa domo fiebat, et in fervore spiritus exspolians se in lare illo ignito nudum tanquam in lecto se collocavit, et vocans illam dixit: ,Exspolia et festina frui hoc lecto splendidissimo, florido et mirando, quia hic te oportet esse, si tu vis mihi obedire'. Ille autem ignis nihil beatum Franciscum laesit; sed super larem illum ardentem ignitum quasi super flores hilariter accubabat. Illa autem mulier tam mira cernens et stupens non solum a stercore peccati, sed etiam a tenebris infidelitatis est conversa ad Dominum Iesum Christum, et effecta est tantae sanctitatis, quod, iuvantibus meritis beati Francisci, multas animas ad Dominum Iesum Christum in illis partibus acquisivit. Videns autem beatus Franciscus, quod fructum, quem desiderabat, ibidem facere non poterat, Domino revelante sibi, disposuit, recongregatis sociis ad partes fidelium remeare. Et rediens ad soldanum suum propositum de reditu indicavit. Cui soldanus dixit: ,Frater Francisce, ego libenter ad fidem Christi converterer; sed timeo modo hoc facere, quia isti saraceni me et te cum tuis sociis, si sentirent, statim interficerent; sed cum tu multum adhuc possis proficere, et ego

(*a*) Bonav. *authenticum*. — (*b*) As et cdd. *scilicet*.

[1] Hucusque Bonav. l. c. c. 9 n. 7 et 8; sequitur *Actus*, c. 27 n. 5-19.

quaedam magna negotia pro salute animae habeam expedire, nollem libenter mortem tuam et meam ita inopinate inducere. Sed indica mihi modum, quo salver; et ego sum paratus tibi in omnibus obedire'. Et sanctus Franciscus dixit ei: ,Domine, ego quidem modo recedam, sed postquam ad partes meas rediero et ad caelum, Domino vocante, transiero, post mortem meam secundum dispositionem divinam, mittam vobis duos de fratribus meis; a quibus baptismum recipietis et salvus eritis, sicut Dominus meus Iesus Christus mihi revelavit; vos autem interim ab omni negotio dissolvite, ut, cum gratia Christi venerit, inveniat vos fide et devotione paratum'. Cui soldanus gaudenter assentiens fideliter obedivit; sanctus autem Franciscus ad partes fidelium rediit ». Sed qualiter dictus soldanus sit per beatum Franciscum salvatus, dicetur fructu et conformitate XXXVIII. — Dum in partibus esset ultramarinis beatus Franciscus, scilicet in civitate Antiochiae, quae tunc a christianis tenebatur, evenit illud, de quo dictum est supra [1] conformitate praecedenti, quod monachi de Montana Nigra, quae ab Antiochia per octo milliaria distat, una cum abbate vitam considerantes et mores beati Francisci et sociorum, possessiones omnes monasterii patriarchae resignantes et locum monasterii solum retinentes, facti sunt omnes fratres Minores; et in dicto loco plura miracula Deus ostendit, ut dictum est.

Sic ergo praefatis apparet, quod beatus Franciscus non solum, ut converteret fideles ad Christum, praedicavit, sed etiam infideles, ad praedicandum eisdem per maximam distantiam accessit. Verba enim beati Francisci mira in audientes operabantur (*a*). Beata Clara praedicatione beati Francisci ad Dominum conversa fuit. Haec dum semel audiret beatum Franciscum praedicare et nominare Dominum Iesum, tantam virtutem in suo Deus posuit corde, quod ex tunc in antea nulla tribulatio, nulla adversitas sibi difficilis fuit. O quot et quam magni vita sunt conversi et praedicatione beati Francisci ad Christum? nullus posset verbo exprimere aut calamo exarare. Tres enim ordines sunt ab ipso instituti ortum ab eius habentes vita et praedicatione; quorum magnitudo et sanctitudo fructum exprimunt beati Francisci doctrinae et praedicationis.

Et quia beatus Franciscus sua praedicatione exhibuit miraculum quoddam singularissimum, quia non reperi locum in superioribus, ipsum non posui, quod tamen hic insero, ut sicut de isto, sic et de multis aliis factis etsi non scriptis, deberet praesumi. In *veteri* beati Francisci *legenda* narratur, quod beatus Franciscus invitatus a quodam nobili ad comedendum cum ipso, dum esset in quodam loco gratia praedicandi, acceptavit secum prandere, praedicatione finita. Superveniente hora praedicationis ad eius praedicationem dictus nobilis accessit cum uxore et tota familia, dimisso puero, parvo filio, in domo cum una puella, ut curam haberet de puero et coquina. Quae puella sic dimissa ait intra se: « Omnes vadunt ad audiendum istum hominem, vadam et ego, et statim revertar ». Et sic faciens puerum dimittendo et domum ad praedicationem accessit. Et dum esset in praedicatione recordata de puero, quem dimiserat, statim surgens ad domum rediit. Quo reversa invenit dictum puerum in caldariam plenam aqua calidissima cecidisse mortuum et totum decoctum. Cuius ossa cum maximo planctu et timore accipiens posuit in arca.

(*a*) As om. *verba—operabantur*.

[1] Pag. 452.

Interim vir ipse nobilis, qui beatum Franciscum ad prandium invitaverat, ad domum reversus et praefata reperiens dixit uxori rogans eam, ut propter reverentiam beati Francisci, qui comedere cum eis deberet, a lacrimis abstineret. Praedicatione finita et aliis, beatus Franciscus cum socio ad domum dicti nobilis pervenit, et a dicto nobili et eius uxore receptus gratifice, sederunt ad mensam. Et postquam beatus Franciscus comederat, dixit beatus Franciscus dicto nobili, quod faceret portare poma, et ille [cum] se excusaret, quod non haberet, quia tempus non erat pomorum, beatus Franciscus dixit ei: « Vade ad illam arcam, quia ibi sunt ». Quo pater pueri pergens, cum aperuisset arcam, stabat filius eius puer pulcherrimus a mortuis resuscitatus habens duo poma, unum in una manu et aliud in alia manu; et puer extendit manum patri dicens: « Baba (*a*) ». Quod videns ipse nobilis pater pueri stabat stupefactus; cui beatus Franciscus: « Porta huc, ipsa sunt poma, quae volebam. Dominus enim quae acciderant, mihi revelavit; et Deum pro vobis rogando, quod videtis, concessit ». De quo miraculo et dono tam ipse nobilis quam eius uxor Deo et beato Francisco gratias retulerunt. — De miraculo facto per beatum Franciscum, dum post praedicationem factam in castro Celani invitatus esset a milite, cui mortem adesse praedixit beatus Franciscus [1], quia fructu XVIII et conformitate dicetur, hic praetermittitur.

Beatus igitur pater Franciscus praedicationem suam non solum extendit ad fideles et infideles, sed etiam ad carentia ratione, utpote volatilia et aves. Cum enim per fratrem Massaeum socium suum, quem miserat ad fratrem Silvestrum et beatam Claram, divinum beneplacitum agnovisset, quod suae voluntatis erat, ipsum ad praedicandum pergere, dictumque fratrem Massaeum et fratrem Angelum in socios accipiens ad praedicandum exiisset, ac ipso recedente de castro Cannarii, in quo primo praedicaverat, et iret versus Mevanium, ad quendam locum devenit, in quo diversi generis avium maxima multitudo convenerat; quas cum sanctus Dei vidisset, alacriter cucurrit ad locum, et eas velut rationis participes salutavit. Omnibus vero exspectantibus et convertentibus se ad eum, ita ut, quae in arbustis erant, inclinatis capitibus, cum appropinquaret ad eas, insolito modo in ipsum intenderent, usque ad eas accessisset, et omnes, ut verbum Dei audirent, sollicite admonuit dicens: « Fratres mei volucres, multum debetis laudare Deum Creatorem vestrum, qui plumis vos induit, et pennas tribuit ad volandum, puritatem concessit aeris et sine vestra sollicitudine vos gubernat ». Cum autem eis haec et his similia loqueretur, aviculae modo mirabili gestientes, coeperunt extendere colla, protendere alas, aperire rostra et in illum attente respicere. Ipse vero cum spiritus fervore mirando per medium ipsorum transiens, tunica contingebat easdem, nec tamen de loco aliqua mota est, donec, signo crucis facto, et licentia data, cum benedictione viri Dei omnes se in altum levantes, simul magnum et mirabilem cantum fecerunt. Quo expleto iuxta signum crucis a beato Francisco eis factum, cruciformiter se diviserunt in quatuor scilicet partes mundi, et una pars perrexit ad orientem, alia versus occidentem, alia ad meridiem, alia ad aquilonem, innuentes per signiferum Christi Franciscum, quod crucis vexillum eius praedicatione et fratrum suorum erat fidelibus declarandum et mentibus fidelium implantandum. Haec omnia dicti socii viderunt, ipsum in via exspectantes [2]. Quo in-

(*a*) As et edd. *babo*.

[1] Cfr. Cel., *Tract. de miraculis*, n. 41. — [2] *Actus* c. 16.

nuitur, quod praedicatio beati Francisci a rationalibus, scilicet hominibus et mulieribus, erat acceptanda, ex quo aviculae ratione privatae tam avide et mirabiliter eam audierant. Sicque patet, quod beatus Franciscus, prout de eo cantatur, « invitat aves, bestias et creaturas alias ad laudem Conditoris ».

Praefatis igitur luculenter apparet, beati Francisci doctrinam et praedicationem authenticam fuisse, vita et perfectionibus placibilem et gratam hominibus, tam ex dulcedine verborum quam signis et prodigiis [ostensis] praedicationem eius et summa devotione audientibus et quibusdam ipsam audire negligentibus, sicut patuit de nobilibus de Perusio et conformitate XVIII de quibusdam aliis dicetur.

Quibus omnibus patet secunda pars huius decimi fructus et conformitatis declarata, videlicet: *Franciscus praedicator.*

UNDECIMUS FRUCTUS ET CONFORMITAS:
Iesus Mandans Discipulis — Franciscus Destinator.

Expositio primae partis: **Iesus mandans discipulis.**

Sator ille caelestis et agricola Dominus Iesus Christus exiens a sinu Patris factus homo, ut semen verae doctrinae, quo salus habetur, in cordibus fidelium velut in agro plantaret, id sic egit per se ipsum, primo apostolorum mentes irradiando, ut demum iam plantatum et ad fructum deductum per ipsos (a) in aliis fidelibus sereret et mandaret; sic tamen, ut ipsi plantando, augmentum non ipsi, sed ipse praeberet et daret, quia incrementum homo non dat, sed Deus. Verum hoc sanctae doctrinae semen, sicut in veteri testamento hominum electorum cordibus implantavit per se ipsum illuminationibus internis [et] loquendo inspirationibus et per alios, scilicet angelos, patres, patriarchas et prophetas exterius plebi suae promulgando, sic et in novo fecit testamento, quia primo per se ipsum, ut conformitas et fructus praecedens ostendit, praedicando et alloquendo fideles, et specialiter apostolos, continue de regno Dei; secundario vero per ipsos fecit apostolos, prout habetur Matth. 10, 5, Marc. 6, 7 et Luc. 9, 1, prout hic noster praesens fructus et conformitas declarare intendit dicens: *Iesus mandans apostolis,* quia eis praecepit, ut irent ad praedicandum, quia messis quidem matura (b), operarii autem pauci. Ideo apostolos duodecim, quos elegerat, ad praedicandum misit, ut habetur Matth. 10, 2 sq. Sed quare apostolos elegit et demum septuaginta duos alios discipulos, dictum est fructu et conformitate VIII supra; vide ibi.

Hic est videndum, qualiter et quomodo apostolis mandando, ut irent ad praedicandum, qualiter eos misit et direxit. Ubi advertendum, quod Dominus Iesus aliqua peregit, sic eos dirigendo:

1. Et primo potestatem faciendi miracula concessit et dedit; unde Matth. 10 dicitur in principio: *Convocatis duodecim discipulis suis, dedit eis potestatem spirituum immundorum, ut eiicerent eos, et ut curarent omnem languorem et omnem infirmitatem.* Circa quam partem videndum est: primo, quid ipsa potestas in apostolis poneret. Respondetur, quod ponebat assistentiam prae solito divinae potestatis ad faciendum quidquid ipsi in nomine Christi fieri imperarent. — Secundo videndum est, quare dictam potestatem eis ad praedicandum missis dedit. Respondetur, quod hoc egit: primo, ut doctrina fidei per miracula roboraretur et firmaretur, quia operibus miris; secundo, quia non fidelibus, sed infidelibus habebant praedicare; qui secundum apostolum *signa quaerunt,* I Cor. 1, 22, et signa potius movent, quam

(a) As *ipsum.* — (b) As et edd. *multa.*

verba. — Tertio videndum est, quare potius ipsis apostolis haec potestas data est quam eorum successoribus. Respondetur, quod ratio prima assignatur ad hoc, quia ipsi fundatores primi ecclesiae et magistri fuerunt fidei; quae utique fuit plus fundanda in virtute Dei et miraculis quam in humana ratione. Secunda ratio datur, quia ipsi habebant infidelibus, ut dictum est, praedicare; quare et signa habebant facere; non sic postea, nisi quando, propter abiectionem fidei per haereses, sanctis diversis haec potestas est collata, ut beatus Gregorius de pluribus ponit, in libro *Dialogorum*. Tertia ratio ex parte Christi est; fuerunt enim speciales eius socii et legati, et ideo singularibus privilegiis insigniendi; quia hoc ad honorem Christi eos destinantis redundabat. Cum enim nomine Christi, ut patet Luc. 10, 17, praedicta agerent, ad eius reflectebatur honorem, quod (*a*) per ipsos magnifice fiebat; et quamvis ad praesens in successoribus apostolorum non sit haec specialis potestas, est tamen spiritualiter loquendo, prout deducit beatus Gregorius in *Homilia Ascensionis* [1]. — Quarto videndum est, an Iudae Iscarioth haec potestas sit tradita. Respondetur, quod sic, ut dicit Matth. 10, 4; nec haec potestas eius lapsui contradixit, quia, ut dicit Christus, Luc. 10, 20: *In hoc nolite gaudere, quia spiritus vobis subiiciuntur;* sed *gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in caelis;* Matth. 7, 22 s. habetur: *Multi dicent mihi in illa die: Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, daemonia eiecimus et signa fecimus? Et ego respondebo eis: Amen, dico vobis, quia nescio vos.* Sic ergo operatio signorum non repugnat communicari et dari malis et peccatoribus. Insuper si aliis hanc potestatem dedisset et non sibi, occasionem praebuisset ei male agendi, quod non decebat. Hoc primo a Christo exhibito (*b*) datur documentum, videlicet, quod ab operibus diaboli debet esse immunis, qui praedicationi alterius debet instare (*c*), ne alterius procurando salutem ipse suam omittat; contra nonnullos, qui aliis viam demonstrantes perfectionis, ipsi (*d*) in operibus diaboli semper manent implexi.

2. Secundo ad praedicandum destinavit; dicit Matth. 10, 5: *Hos duodecim misit,* scilicet ad praedicandum, *Iesus.* Ubi adverte, quod sancti apostoli missi a Christo primo nominantur: *Duodecim discipulorum nomina sunt haec: Petrus et Andreas* etc., ut per quos sit fundata ecclesia advertatur, et quibus mundus credit; quia non doctoribus et sapientibus secundum carnem, sed simplicibus, non divitibus, sed pauperibus, prout declarat apostolus, 1 Cor. 2, 26. Ponuntur etiam nomina apostolorum, ut eorum dignitatis et virtutis eminentia in nominibus declaratis attendatur, secundum Hieronymum [2]. — Secundo destinantur; quia dicitur, quod misit eos. Quo praestatur documentum, quod officium praedicationis nullus debet a se assumere, nisi mittatur ab alio, idest approbetur et destinetur, ut patuit in Ioanne Baptista, Luc. 3, 2: *Factum est verbum Domini super Ioannem filium Zachariae in deserto;* et sequitur: *Venit in omnem regionem Iordanis praedicans* etc.; in Christo, Luc. 4, 18, Is. 61, 1: *Spiritus Domini super me, evangelizare pauperibus misit me* etc.; in Paulo et Barnaba, Act. 13, 2, 4: *Separate mihi* etc., sequitur: *Illi missi a Spiritu sancto* etc.

Sed hic sunt aliqua dubia; et primum est: quare Christus, ut incepit praedicare, discipulos ad praedicandum non misit, sed post, scilicet temporis in processu? Respondetur, quod primo ipse Salvator decebat per se populum informare, quia ad hoc erat a Patre missus; secundo, quia apostoli inscii non debebant praedicare (*e*), sed informati; quod utique fuisset, si statim ad praedicandum directi a Christo fuissent. Quare informandi erant primo a Christo et postea dirigendi; informati fuerunt et verbis et operibus Christi. — Secundum dubium: cur Christus elegit Iudam Iscarioth in apostolum, cum sciret eum damnandum et ab ipso se prodendum (*f*)?

(*a*) As *et.* — (*b*) As *exhibitore*, edd. *exhibitione.* — (*c*) As et edd. *insistere.* — (*d*) As *Christi.* — (*e*) As et edd. *mitti.* — (*f*) Codex *prodeundum.*

[1] *Homil. in Evang.*, l. II hom. 29 n. 4 (P. L. 76, 1215); ubi et loci sequentes citantur. —
[2] *Comment. in Evang. Matth.*, l. I n. 56 (P. L. 26, 61); ibidem et alii loci paulo post citati.

Et cur, cum sciret eum malum, ad praedicandum cum aliis apostolis destinavit? Respondetur ad primum, quod hunc Christus elegit, primo ut scriptura verificaretur Psalmi 40, 10, dicentis: *Homo pacis meae, in quo sperabam* etc.; secundo ut nullus de sua electione et primatu praesumat et superbiat, sed potius timeat suum casum; tertio ut caveamus avaritiam, per quam iste Iudas in tantum facinus prolapsus est, et praesertim viri apostolici; quarto ut eidem praeberet materiam potius iuste et sancte agendi, quam oppositum, eum ad tam magnificum statum vocando et sublimando. — Ad secundam dubii partem dicitur, quod Iudas tunc malus non erat. Item divina providentia scit uti malis ad bonorum confortationem et consolationem, quare et Iudae, si pro tunc fuisset malus, velut per plumbeam fistulam, aquam salutaris doctrinae ad fideles diffundere; et ut dictum est, materiam Dominus semper subtraxit male agendi, quare ipsum una cum aliis ad praedicandum direxit. — Tertium dubium: si misit omnes simul ad unam terram vel unum solum vel duos. Respondetur, ut habetur Matth. 10, quod simul omnes miserit, est certum ex textu; sed quod omnes ad unam terram, non habetur certum; sed quod binos miserit, potest haberi ex hoc, quia bini in textu nominantur, scilicet copulative; et potest etiam haberi ex capitulo Luc. 10, 1, ubi dicit, quod septuaginta duos discipulos misit illos binos, a fortiori duodecim apostolos; et Marcus dicit ad litteram 6, 6, quod *misit illos binos;* et hoc congrue factum est in signum socialis concordiae et geminae caritatis.

3. Tertio, ne ad gentes et gentiles transirent ad praedicandum, mandavit dicens, Matth. 10, 5: *In viam gentium,* id est gentilium, *ne abieritis, et ne in civitates Samaritanorum intraveritis,* scilicet causa praedicandi vel curandi, quia *Samaritanis Iudaei non coutebantur,* Ioan. 4, 9; quia, etsi circumcisionem et quinque libros haberent Moysis, in aliis gentiliter vivebant.

Sed hic est dubium: quare hoc eis praecepit. Respondetur, quod Christus hoc egit: primo ut perficeret promissa patribus; secundo ut scandalum vitaret Iudaeorum, secundum Hieronymum, ne dicerent, se Christum reiecisse, quia ad gentes et Samaritanos, et non ad eos apostolos misisset; tertio ad ostendendum magis gratiam suam in Iudaeos, et sic daret eis maiorem occasionem veniendi ad eum et maiorem inexcusabilitatem, si venire nollent; quarto ad ostendendum modum praedicationis, ut primo in loca fiat propinqua et divino cultui dedicata; quinto ad exercendum prius apostolos in facilioribus secundum Chrysostomum [1], quam in difficilioribus; sexto ad declarandum, quod prius est praedicandum his, de quibus praesumendum est, quod sint aptiores ad fructificandum, usquequo per evidentiam facti oppositum pateat. — Secundum dubium est: quia, quod hic praecipitur, contradicit, quod dicitur in ultimo capitulo Marci [2]; ibi dicitur: *Euntes docete omnes gentes.* Respondet Hieronymus, quod non repugnant; quia quod hic dicitur, dictum est ante resurrectionem; illud vero, quod dicitur ibi, dictum est post resurrectionem; et mandatum hoc de non eundo ad gentes intelligebatur scilicet usque ad tempus, in quo ipse per Spiritum sanctum diceret, eundum esse ad gentes. Documentum tamen hic datur in eo, quod interdicit praedicatorem accedere ad gentes; quia praedicator, etsi communis debet esse, se affabilem et benignum omnibus suo verbo reddendo, ab omnibus tamen debet esse vita separatus, sciens, quod « cuius vita despicitur, restat, ut eius praedicatio contemnatur [3] ».

4. Quarto, quibus sit praedicandum, demonstravit dicens, quod ire ad praedicandum debent *ad oves, quae perierant,* tam per originalem miseriam quam per actualem culpam; et innuit, quod malitia faciente Iudaeorum synagoga tunc temporis erat quasi perdita. Ad oves domus Israel, quia ipse de se dicit, Matth. 15, 24: *Non sum missus,* scilicet principaliter,

---

[1] *Homil. in Matth.,* hom. 32 n. 4 (P. G. L. 57, 381). — [2] Marc. 16, 15; ad litteram Matth. 28, 19. — [3] Haec S. Gregor.; cfr. supra pag. 468 not. 4.

nisi ad oves, quae perierant, domus Israel. Ad oves domus Israel praedicatio dirigitur, quia, etsi fiat generaliter omnibus, tamen ipsa ad oves dominicas solum transit, quae debent dici domus Israel, id est Deum videre; quia ad hoc fit praedicatio, ut in praesenti sint oves pascuae Domini, et demum in futuro domus Israel, id est eorum, qui Deum cernunt.

5. Quinto, quae sunt praedicanda, ordinavit dicens: *Euntes autem praedicate* etc.; sequitur *Appropinquavit regnum caelorum.* Ubi vide, quod Salvator eo modo, quo incepit, et quae praedicavit, et ipsi praedicent. Sic ipse incepit: *Poenitentiam agite, appropinquat enim regnum caelorum,* Matth. 4, 17 et Marc. 1, 15. Sed vide, quod poenitentia est praedicanda omnibus; quia, ut ipse dicit, Matth. 9, 13: *Non veni vocare iustos, sed peccatores* ad poenitentiam; vel potest dici, quod Salvator ostendit, quae sunt praedicanda; quia, inquit, *appropinquavit regnum caelorum,* hoc est non terrena, sed caelestia; et de regno Dei iuxta exemplum ipsius, qui docebat discipulos continue de regno Dei, Matth. 21. Quo datur documentum, quod homo fabulas et similia in praedicationibus debet omittere et quae sunt Dei praedicare. Et addit Salvator, quod praedicator facere debet spiritualiter, si non valet corporaliter; nam debet suo verbo infirmos curare, id est pusillanimes roborare, ut bonum agere praesumant; mortuos suscitare, quia debet, ut homo peccator a peccati morte recedat, laborare; leprosos mundare, id est ut homines avaritiam, radicem omnium malorum, detestentur; daemones expellere, id est superbiam abiicere, tam a se, ne tumescat inani gloria, quam ab aliis. Ecce, ad quid praedicator debet attendere, videlicet omnia vitia, quae in praefatis consistunt, ab hominibus eradicare et ad virtutes (*a*) arripiendas inducere.

6. Sexto, quod praedicatio fiat intentione recta, Salvator noster hic reseravit; quia *gratis accepistis,* inquit, *gratis date.* Hoc potest referri tam ad praedicationem, quam ad sanitatum praemiorum collationem; quia hoc debet gratis fieri, quia homo hoc non habet a se, sed habet a Deo, dicente apostolo, I Cor. 4, 7: *Quid habes, quod non accepisti, et quid gloriaris, quasi non acceperis?* et alibi [1]: *Non sumus sufficientes cogitare* etc., *sed sufficientia nostra ex Deo est.* Quia ergo haec data sunt nobis a Deo non ex meritis, quare gratis, et sic consequenter *gratis date.* Quo prohibet omnem simoniacam pravitatem et sinistram intentionem in administrando populis divina. Quod enim fit propter cupiditatem aut inanem gloriam, non fit gratis, etsi pactum nullum interveniat. Quo sequitur, quod praedicator, si praedicat, ut placeat, non gratis dat et mercedem intentam amittit.

7. Septimo, a quibus abstinere debeant, informavit dicens: *Nolite possidere aurum, neque argentum* etc.

Ubi primo prohibet possessionem thesaurorum, dicens: *Nolite possidere aurum vel argentum,* et sic divitias habere, secundum Hieronymum et Rhabanum [2], vetat. Sed adverte, quod interdicendo possessionem mobilium, a fortiori et immobilium prohibet; et quia iam talia dimiserant in vocatione, de talibus non facit mentionem, quia subintelligitur. Sed dubium est: quare eis possessionem auri interdicit et argenti. Respondent doctores Chrysostomus, *Homil. 32 super Matth.:* Quia radix omnium malorum est possidere aurum et argentum; et interdicit non solum possessionem, sed undecumque (*b*) perceptionem, ut perniciosam; Hieronymus dicit, ne suspectos redderet discipulos, quibus praedicarent; viderentur enim non causa salutis hominum, sed causa lucri praedicare; Ambrosius [3] rationem assignat, ut scilicet ab omni eos sollicitudine eruat et vacationem omnem sermoni tribuant. Sic ergo interdicit posses-

(*a*) Codex *adversitates.* — (*b*) As *unamquamque.*

[1] II Cor. 3, 5. — [2] *Comment. in Matth.,* l. III c. 10 (P. L. 107, 893). — [3] Cfr. *Expos. in Lucam,* l. VII n. 57 (P. L. 15, 1713).

sionem talium rerum mobilium, praesupponens immobilium abiectionem. Sed de auro et argento facit mentionem, quia illecebriora sunt et cupiditatem fortius incendentia, et quia occultius haec possunt servari quam illa, et ne crederent, illis dimissis, haec pro suis posse (*a*) servare necessitatibus, scilicet aliquem thesaurum. Sic ergo patet causa, quare expresse prohibet mobilia quam immobilia.

Secundo interdicit Christus portationem nummorum, cum dicit: *Neque pecuniam in zonis vestris;* idem habetur Matth. 6, 19 et 20 et Luc. 9, 3. Ubi sciendum, quod Salvator non solum interdicit congregationem auri domi servando, et pro tempore longiori, sed etiam portationem, quae fit pro continuis expensis. Ratio, quia ipse vult, totam mentem (*b*) praedicatoris in Deum ferri; cui cura est de omnibus, Matth. 6, 31 sq. dicens: *Primum quaerite regnum Dei et iustitiam eius, et haec omnia adiicientur vobis; et nolite solliciti esse animae vestrae, quid manducetis* etc. *Scit enim Pater vester, quod his omnibus indigetis.* Sed hic est dubium: quare Iesus voluit in praedicatione ire discipulos [suos] sicut pauperes. Respondetur, quod iuste fecit et sapienter: primo propter ipsius paupertatis multiplicem perfectionem, de qua dicetur conformitate XVI; secundo ad vitandum omnem speciem cupiditatis, secundum Ambrosium; tertio ad tollendum omnem suspicionem hypocrisis vel simulatae intentionis, secundum Chrysostomum; quarto ad elevandum et firmandum eos totaliter in fide et spe divinae providentiae, secundum Ambrosium; quinto ut conversio mundi fienda per eos nulli temporali potentiae aut favori vel gloriae posset adscribi; sexto ut facilius et promptius percurrerent mundum, nullius rei temporalis onere vel sollicitudine praegravati; septimo ut cum maiori fiducia omnes ad eos possent pro gratiis adire, videntes eos de temporalibus non curare; octavo ut ostenderet, quod discipulos dirigebat, ut traherent homines potius ad Deum diligendum et cupiendum aeternum, quam ad diligendum temporalia vel optandum possidere; nono ut ostenderet, quod in contemptu mundanorum stat apostolica vita et Domini beneplacitum potius quam in opposito. Et si quaeratur, cur potius in missione apostolorum ad praedicandum forma datur et traditur paupertatis quam in aliis, respondetur, quod Christus paupertatem assumere docuit in apostolorum vocatione, sed ipsam tenere ut quid perfectum et meritorium docuit, Matth. 19, 21, quando dixit: *Vade et vende omnia, quae habes, si vis perfectus esse, et da pauperibus, et habebis thesauros in caelo.* Sed in praecepto eius observantiam posuit in missione apostolorum ad praedicandum propter iam dictas rationes. Insuper cum sancti apostoli vicem gererent praelatorum, ostendit, quod observantia paupertatis utilis est tam praelatis quam subditis; nec labores excusant eos. Insuper ostendit, quod, si magistri et doctores essent instituti a Christo, per munera non debent corrumpi, sed omni desiderio paupertatem amplecti.

Tertio interdicit eis deportationem victualium et ciborum dicens: *Non peram in via.* Hieronymus et Rhabanus: qui divitias detruncaverat, quae per aurum et argentum et aes signantur (*c*), propemodum et vitae necessaria amputat, ut amplius doctores verae religionis se ipsos ostenderent, nihil de crastino cogitando. Per peram ergo non solum deportatio ciborum intelligitur, sed ne etiam vacua portetur sub spe acquirendi cibos, qui postmodum per viam portentur. Et si dicatur, quod hoc est contrarium illi, quod habetur Luc. 22, 36, ubi Christus dicit apostolis, quod *tollant peram* etc., respondetur, quod duplex fuit missio apostolorum, videlicet prima ante passionem et resurrectionem, alia fuit post. In prima missione libenter audiebantur apostoli, quia non praedicabant inaudita, sed regnum, unde fuit eis pax et sufficientia victualium; in secunda autem propter incredibilia, quae de Christo praedicabant, odio habebantur, secundum illud Matth. 10, 20: *Eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum;* quare et tunc necessaria non [habebant seu non] inveniebant, I Cor. 4, 11: *Usque in hanc horam esurimus et sitimus.* Ideo dicit Beda [1]: « Non ea vivendi regula

(*a*) Codex *possent.* — (*b*) As et edd. *fiduciam.* — (*c*) As et edd. *significantur.*

[1] *Expos. in Lucam,* l. VI c. 22 (P. L. 92, 601).

persecutionis, qua pacis tempore, discipulos informavit »; in prima discipulis nihil defuit, Luc. 22, 35, sed in secunda, ut dicit apostolus, et esurierunt et sitierunt.

Quarto prohibet deportationem calceamentorum, duplicitatem indumentorum et gestationem baculorum, dicens: *Neque duas tunicas,* id est superfluas. Beda in glossa super hoc verbo Luc. 9, 3 [1], dicit: « Simplex vestimentum est, quidquid est necessarium alicui secundum qualitatem loci vel temporis; duplex est, quod ultra necessitatem est »; Hieronymus et Rhabanus idem dicunt; unde per tunicam vestimentum intelligimus, ne alio vestiti, aliud nobis futurorum timore reservemus. Basilius in regula c. 11 [2], hoc exponit dicens: « Ne alia quidem sint nobis vestimenta ad procedendum parata et alia ad usum domesticum, et rursus alia in die et alia in nocte; sed oportet unum esse vestimentum, quod nobis sufficere possit ad omnia ». *Neque calceamenta;* prohibet portationem calceamentorum. Dicit Bonaventura *Super Luc.* c. 9 [3], quod calceamenta prohibet sicut et tunicas, non prout sunt ad necessitatem, sed prout sunt ad superfluitatem; vel non (*a*) prohibet calceamenta habita, quia utebantur sandaliis, Marc. 6, 9, [sed quod] exceptis calceamentis, quae habebant, alia non debebant deferre. Prohibet virgam defensionis et offensionis et vindictae; sed correctionis (*b*), de qua habetur I Cor. 4, 21, et sustentationis propriae imbecillitatis non prohibuit.

8. Octavo, quid a praedicatore sit accipiendum insinuavit dicens: *Dignus est operarius cibo suo.* Ubi vide, quod Salvator noster non dicit, quod praedicator sit dignus magna opulentia vel magnis divitiis, sed cibo suo, id est victu necessario. Per cibum more scripturae intelligit omnia necessaria sibi et suo officio. Nam alias non posset idonee suum officium exsequi, quia ad illud exsequendum exigitur assiduitas orationis et sapientialis speculationis et providae (*c*) corporis gubernationis. Ad hoc in suis epistolis Paulus apostolus plures dat rationes, licet apostolus laboraret manibus, unde acciperet necessaria vitae suae, Act. 20, 34.

9. Nono exposuit, ubi praedicator debet hospitari dicens: *In quamcumque civitatem* etc. Ubi adverte, quod Dominus vult sollicite et diligenter a praedicatore interrogari de hospite, apud quem est hospitaturus, et quidem non, ut quaeratur, an sit dives, sed quis in ea dignus sit. Dignitas haec refertur ad famam et conversationem et bonam voluntatem in recipiendo. Non enim decet cum sceleratis aut notatis de aliqua infamia praedicatorem hospitari, ut non det occasionem aliis ei non credendi nec eum sequendi. Insuper cum sit magna dignitas recipiendi Christum et consequenter discipulos eius, debet recipiens esse dignus. Et si dicatur: Christus ipse oppositum fecit, cum publicanis et in domo ipsorum comedendo, ut patet de Matthaeo, Matth. 9, 10, respondet Chrysostomus, quod erant conversi et per consequens digni effecti.

10. Decimo declarat, quantum praedicator debet in hospitio residere et morari, dicens: *Et ibi manete, donec exeatis,* scilicet de toto castro vel urbe.

Sed cur hoc vult Christus fieri? Respondetur: primo ut evitet notam levitatis et instabilitalitis; secundo notam gulositatis, quia sic creditur multoties; tertio contra contemptum hospitalitatis, ne infamiam incurrat crudelitatis; quarto ut impleat scripturam veritatis, quae dicit, Eccli, 29, 31: *Vita nequam hospitari de domo in domum;* praedicator enim debet esse sobrius et quietus, stabilis et maturus, et hospitibus suis reverens et gratus. Sed si hospes propter avaritiam vel inopiam gravaretur de talium mora et permansione, respondetur, quod tunc est evidens ratio ad alium eundi; et si alius eos vellet recipere, non interdicitur, dum tamen hospitis primi honor servetur, et sine eius fiat offensa.

(*a*) As et edd. *unde non.* — (*b*) Edd. *correptionis.* — (*c*) As *proinde.*

[1] Ita *glossa ordinaria* in hunc locum; cfr. Beda, l. c. l. III c. 9 (P. L. 92, 417). — [2] *Reg. fusius tractat.,* interrog. 22 (P. G. 31, 979). — [3] N. 7 (Opera omnia, t. VII pag. 218).

11. Undecimo ponit Salvator, quid a praedicatore eum recipientibus (*a*) debet imprecari dicens: *Intrantes domum salutate eam dicentes: Pax huic domui.* Ubi advertendum, quod, si ad formam vocis exterior attenditur, haec videtur potius instructio, quam praeceptum; si vero aspiciatur actus interni desiderii, et quoad eius signum efficax, quia tenebantur aliorum optare salutem et pacem, ad quos intrabant, est praeceptum.

Sed cur Christus hanc formam salutandi docuit eos? Respondetur: primo ad ostendendum, quod tempus divinae reconciliationis et pacis ad nos advenerat; secundo ut per hoc amicabiles et suaves omnibus se ingererent; tertio, quod (*b*) ad pacem Dei et hominum in eis reformandam advenerant; quarto secundum Hieronymum, quia salutandi, scilicet dicendo « Ave », erat consuetudo Iudaeorum et Syrorum; quinto, ut ostenderet, quod, nisi quies et pax adsit, ab ira et discordia et turbationum tumultu ad veram illuminationem mentis, quae fit per praedicationem, quis venire non potest. Et subdit, quid effectus talis salutatio consequitur, dicens, quod, *si domus illa fuerit digna, veniet pax vestra super eam* etc.; vel secundum praedestinationem divinam digna potest vel consensu paci oblatae dici pax vestra, scilicet ei praedicata et annuntiata seu vestro (*c*) merito impetrata, vel ministerio mediante ibi diffundenda stabit; *si autem non fuerit digna, ad vos revertetur,* quia meritum non amittetis de vestra bona intentione in precatione et salutatione.

12. Duodecimo ponit Salvator, quid debet fieri a praedicatore et operari, si non contingat eum recipi aut eius praedicationem auscultari, dicens: *Et quicumque non receperint vos neque audierint sermones vestros* etc. Ubi Salvator mandat pulverem de pedibus excutiendum; secundum Hieronymum hoc egit « in testimonium laboris », quem pro eis salvandis assumpserunt, et quod ad eos pervenit praedicatio apostolica; unde pulvis dimissus et locus calcatus testimonium ferent Deo contra illos in iudicio, propter quod addit Salvator: *Amen dico vobis, quod tolerabilius* etc. Sed quomodo est hoc verum, cum illi essent, scilicet Sodomitae, [pessimi] coram Domino, sicut habetur Genesis c. 19. Respondetur, quod peccatum spirituale est maius corporali; Sodomitae in genere peccati corporalis fuerunt pessimi; sed repellentes praedicationem apostolorum, scilicet Iudaei principaliter, fuerunt deteriores, quia spirituali peccato deliquerunt, quia contra Christum ferebantur; fuit eis praedicatum, oblata gratia, poenitentia, veritas declarata et salus promissa; et nihil horum Sodomitis; quare coram Deo excusabiliores sunt Sodomitae Iudaeis. Verum quia doctrina Christi, quae erat praedicatione apostolorum mundo tradenda contra carnem erat et sanguinem, contra idololatriam, quibus oberrabant omnes alii a Iudaeis, et contra omnia mundana, et tota erat sancta, perfecta et divina, et quod nova testa capit, sapit dum veterascit, hinc est, quod causa praefatae praedicationis (*d*) doctrinae contra iam dicta tribulationes et persecutiones varias et a diversis recipere debebant. Salvator ut futurorum praescius praedixit eis talia passuros docens, quid agendum in talibus, et demum fructum consequendum ex talibus.

Sed sciendum est, quod Christus tribulationes, quas erant passuri, eis praedixit: primo quia scita tribulatio et praecognita minus frangit, dicente Gregorio [1]: « Minus enim iacula feriunt, quae praevidentur »; secundo ut de tanta potestate tradita a Christo non superbiant cogitantes, quid eis eventurum esse deberet (*e*); tertio ut suam praescientiam eis pandat; qui sicut omnia novit, sic et omnia rite disposuit, tribulationibus propter ipsum susceptis, praemium apponendo; quarto ut, quia Deus liberat a tribulatione, totam ipsorum fiduciam dirigendam ad Deum haberent.

Praedicit ergo Salvator eos passuros persecutiones in generali et ab extraneis, cum dicit: *Ecce, ego mitto vos sicut oves in medio luporum.* Appellat lupos eorum persecutores. Ad idem

(*a*) As *impedientibus.* — (*b*) Codex *quoad.* — (*c*) As *nostro.* — (*d*) As et edd. *praedicandae.* — (*e*) Codex *ipsa deberet,* edd. *esset.*

[1] *Homil. in Evang.*, l. II hom. 35 n. 1 (P. L. 76, 1259).

facit quod sequitur: *Tradent enim vos in conciliis, et in synagogis suis flagellabunt vos* etc.; et ibi, cum dicit: *Et eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum.* His generalibus persecutionibus Salvator dat plura remedia: primum prudentiae dicens: *Estote,* contra lupos, *prudentes sicut serpentes et simplices sicut columbae.* Hieronymus: « ut per prudentiam devitent insidias et per simplicitatem non faciant malum »; et hoc est, quod subdit: *Cavete autem ab hominibus.* Quia dixerat, quod ducerentur *in conciliis* etc., dat eis secundum adiutorium de divina subventione in eloquentiae subministratione, dicens: *Cum autem tradent vos, nolite cogitare, quomodo aut quid loquamini; dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini. Non enim vos estis, qui loquimini; sed spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis;* et ipse ostendet vobis, quomodo, id est modum loquendi, id est ordinandi verba vestra; et quid, id est de qua materia, loqui debeatis: non vetat Dominus verba praemeditanda praedicatorum et aliorum, cum scriptura divina dicat oppositum; sed quia homo ignorat, quando ducitur ad concilia, quid sibi proponetur, Salvator docet, quod pro tunc a Deo in loquendo dirigentur.

Secundo ponit persecutiones inferendas in speciali ab intraneis, quia non solum ab extraneis, sed a propinquis; quia *frater tradet fratrem, pater filium, et filii parentes, et morte eos afficient.* Addit primum remedium, quod est cogitare, persecutiones ipsorum magistro Christo illatas et nostro patri, dicens: *Non est discipulus super magistrum, nec servus super dominum;* sed *sufficit discipulo, ut sit sicut magister eius,* scilicet Christus, qui est magister noster, *et servo, sicut dominus eius.* Secundum remedium addit cogitando finale iudicium (*a*), in quo apparebunt ipsorum bona et mala aliorum; ideo dicit: *Nihil occultum, quod non reveletur* tunc. Tertium ponit adiutorium ad tolerandam passionem, scilicet animae immortalitatem cogitando, dicens: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.* Quartum auxilium indicat, cum dicit: *Sed potius eum timete, qui potest animam et corpus perdere in gehennam,* scilicet persecutorum vestrorum, tales ibunt in tenebras exteriores, Matth. 22, 13. Quintum est divinae voluntatis attentio. Nam Christus venit separare filium a patre et filiam a matre, et sic a parentibus; rationem assignat, quia, *qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus.* Sextum remedium tangit de fuga facienda, id est reservare se ad meliora, ut fecit apostolus Paulus, dum fugit de Damasco [1]; et hoc cum dicit: *Cum autem persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam,* id est ad meliora peragenda vos reservate. Adiungit Salvator praemium praefatarum persecutionum, ut facilius tolerentur, et hoc, cum dicit: *Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Et qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo, qui in caelis est* etc., et cum dicit: *Vestri capilli capitis omnes numerati sunt* etc., et cum dicit: *Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.* Et quia Salvator noster dixerat, quid fiet illis, qui ipsorum non reciperent praedicationem, possent apostoli dicere Domino: Ecce, mittis nos ad praedicandum, quid mercedis fiet nos recipientibus? subdit dicens: *Qui recipit vos, me recipit; et qui me recipit, recipit eum, qui misit me* etc.; et concludit: *Amen, dico vobis,* quod talis vos recipiens *non perdet mercedem suam.*

Sic ergo patet, quod Christus apostolos et discipulos ad praedicandum misit, quomodo et ad quid. Quod erat primum et principaliter videndum pro expositione primae partis huius conformitatis, scilicet Iesus mandans discipulis, scilicet ut irent ad praedicandum. Videndum est nunc, quomodo ut veri obedientes Domini mandato euntes ad praedicandum quid egerunt. Et quod ad praedicandum iverint, patet Luc. 9, 6, ubi dicitur: *Egressi autem circuibant per castella evangelizantes verbum et curantes;* sed quem fructum fecerint, ostenditur Luc. 10, 17, in hoc, quod dicitur ibi, quod *reversi sunt septuaginta duo cum gaudio,* scilicet quia perfecerant imperata et fructum fecerant, et quia miracula exercuerant dicentes: *Domine, daemonia in nomine tuo subiiciuntur nobis* etc.

(*a*) As *remedium.*

[1] II Cor. 11, 33.

Sic ergo patet de prima apostolorum ad praedicandum missione. Et hoc fuit ante Christi passionem et eius sacram resurrectionem. Consequenter videndum esset de ipsorum ad praedicandum a Christo missione secunda, et quid fructuositatis tali missione evenerit. Secundo enim misit Salvator noster discipulos, scilicet post suam resurrectionem, ad praedicandum, non solum *ad oves, quae perierant domus Israel* [1], sed ad omnes gentes. Et hoc ostenditur, Matth. 28, 19, cum dixit eis: *Euntes ergo docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti* etc., et Marc. 16, 15: *Euntes in mundum universum praedicate evangelium omni creaturae* etc. Et quia de ista secunda missione et de fructu praedicationis apostolorum in generali et in speciali dicetur infra conformitate et fructu XXXVIII: *Iesus mittens apostolos,* hic ad praesens dimittatur.

Patet ergo expositio primae partis conformitatis XI, videlicet **Iesus mandans discipulis**, et ipsa pars prima declarata.

Secunda pars undecimi fructus et conformitatis est:

Franciscus destinator.

Expositio.

Vir Dei Franciscus, ut conformitas ostendit praecedens, factus evangelicus praeco et praedicator, ad diversas partes praedicaturus accessit, et diversis gentibus praedicando fructum peregit Deo acceptum. Et non solum ipse personaliter praedicationis eidem iniunctum effecit officium, sed et per fratres suos eidem divina bonitate coniunctos idipsum exercere sollicite procuravit. Sed quomodo et qualiter id perfecerit, praesens pars XI conformitatis, cum dicit: *Franciscus destinator*, declarare intendit.

1. Et pro evidentia huius est sciendum, quod beatus Franciscus suos fratres ad praedicandum multoties destinavit: et primum in principio religionis. Cum enim habitu, vita et voluntate dominus Bernardus, qui frater Bernardus de Quintavalle est dictus, dominus Petrus, canonicus maioris ecclesiae Assisii, qui dictus est frater Petrus Cathanii, et alius vir, nomine Aegidius, qui frater Aegidius est vocatus, istos ergo tres cum haberet (*a*) fratres et socios, ad profectum maiorem [animarum] immensa perfusi laetitia et gaudio Spiritus sancti, beatus Franciscus fratrem Bernardum et fratrem Petrum ad unam partem misit; ipse vero cum fratre Aegidio in Marchiam Anconitanam perrexit. « Euntes autem in Marchiam exsultabant vehementer in Domino, et beatus Franciscus alta et voce clara laudes Domini gallice decantans, benedicebat et glorificabat Altissimi bonitatem. Licet autem vir Dei nondum plene populo praedicaret, quando tamen per castella et civitates transibat, hortabatur omnes, ut amarent et timerent Deum atque poenitentiam agerent de peccatis. Frater Aegidius, eius socius, admonebat audientes, ut ei crederent, quia eis optime consulebat. Qui vero eos audiebant dixerunt: ‚Quid sunt isti, et quae sunt verba, quae dicunt'? [Erat enim amor Dei et timor quasi ubique exstinctus, et via poenitentiae penitus nesciebatur, immo stultitia reputabatur]. Praevaluerat enim carnis illecebra, mundi cupiditas et superbia vitae, adeo quod totus mundus in his tribus malignitatibus positus videbatur. De eis erat diversa opinio; alii vero dixerunt omnes (*b*) stultos vel ebrios; alii autem asserebant, quod talia verba

(*a*) Edd. *isti tres cum adhaesissent.* — (*b*) As et edd. *alii dicebant eos.*

[1] Matth. 28, 10.

non ex stultitia procedebant; unus vero de audientibus dixit: ‚Aut propter summam perfectionem Domino adhaeserunt aut certe insani sunt; quia desperata videtur eorum vita, cum pauco cibo utantur et nudis pedibus ambulent atque vilissimis vestibus sint induti'. Inter haec tamen, licet quidam timorem incurrerent, visa forma sanctae conversationis eorum, non eos tamen adhuc aliqui sequebantur; sed et mulieres iuvenculae videntes eos a longe fugiendo pavebant, ne forte insania vel stultitia ducerentur. Sic ergo, postquam circuierunt illam provinciam, redierunt ad locum sanctae Mariae de Angelis de Assisio [1] ». Et ista fuit prima missio fratrum ad praedicandum plus exemplo quam verbo.

2. Secundo beatus Franciscus destinavit fratres ad praedicandum, secunda vice videlicet. Nam ipso stante cum tribus sociis praefatis, quatuor alii viri de Assisio eidem adhaeserunt, scilicet Sabbatinus, Moricus et Ioannes de Capella, et unus alius, cuius nomen non ponit frater Bonaventura in *Legenda maiori*, parte tertia, supplicantes beato Francisco, ut eos in fratres reciperet; et beatus Franciscus eos recepit humiliter et benigne. « Iam sterilis et paupercula simplicitas sancti patris pepererat septem et desiderabat universitatem fidelium ad poenitentiae lamenta vocatam Christo Domino parturire [2] ». Unde volens eos ad praedicandum destinare beatus Franciscus primo eis [prae]dixit ordinis dilatationem divina clementia fiendam in proximum; quam beatus Franciscus cognovit, « dum in quodam solitario loco *annos suos in amaritudine recogitans* [3] deploraret; Spiritus sancti in eum superveniente laetitia, certificatus est de remissione plenaria omnium delictorum; raptus deinde supra se ac in quoddam mirandum lumen totus absorptus, dilatato mentis sinu, quae circa se et filios suos futura erant, luculenter aspexit, unde fratribus post dixit: ‚Confortamini, carissimi, et gaudete in Domino; nec quia pauci estis, efficiamini tristes, neque vos terreat mea vel vestra simplicitas; quoniam, sicut mihi a Domino in veritate ostensum est, in magnam multitudinem faciet nos crescere Deus, suaeque benedictionis gratia multipliciter dilatabit'. Deinde postquam plura de regno Dei, de contemptu mundi, de abnegatione propriae voluntatis corporisque castigatione pronuntiasset, propositum suum dimittendo illos in quatuor partes mundi aperuit. At illi coram servo Dei humiliter se prosternentes in via cum gaudio spiritus suscipiebant obedientiae sanctae mandatum. Ipse vero dixit cuilibet sigillatim: *Iacta cogitatum tuum in Domino, et ipse te enutriet* [4]. Quod verbum beatus Franciscus solitus erat dicere, quotiescumque fratrem aliquem ad obedientiam dirigebat [5] ». Mittens ergo eos sic est allocutus dicens: « Consideremus, fratres carissimi, vocationem nostram, qua vocavit nos misericorditer Deus, non tantum pro nostra, sed pro multorum salute, ut eamus per mundum exhortando omnes plus exemplo, quam verbo ad agendam poenitentiam de peccatis suis et ad habendam memoriam [de mandatis] Dei. Et nolite timere, quia pusilli et insipientes videmini, sed secure annuntiate simpliciter poenitentiam, confidentes in Domino, qui vicit mundum; qui spiritu suo loquetur per vos et in vobis ad exhortandum omnes, ut convertantur ad ipsum et eius mandata observent. Ite ergo, annuntiantes hominibus pacem, praedicate poenitentiam in remissionem peccatorum; invenietis quosdam homines fideles,

---

[1] *Leg. 3 soc.*, n. 33 et 34. Haec « prima missio », quam nec Celanensis nec S. Bonaventura narrant, iure in dubium vocatur; cfr. Lemmens, *Documenta ant. franc.*, p. I pag. 18-20. — [2] Bonav., *Leg. mai.* c. 3 n. 7. — [3] Is. 38, 15. — [4] Ps. 54, 23. — [5] Bonav. l. c. c. 3 n. 6 et 7. Cfr. I Cel. 29.

mansuetos et benignos, qui cum gaudio vos et verba [vestra] recipient, et per oppositum alios infideles, superbos, blasphemos, qui exprobrantes resistent vobis et his, quae dicetis. Ponite ergo in cordibus vestris patienter et humiliter omnia tolerare ». Cum[que] fratres haec audissent, timere coeperunt. Ad quos sanctus ait: « Nolite timere, quoniam non post multum tempus venient ad nos multi sapientes et nobiles, eruntque nobiscum (*a*) praedicantes regibus et principibus et populis multis. Multi vero convertentur ad Dominum, et per universum mundum multiplicabit Dominus familiam suam et augebit [1]. Estote ergo in tribulationibus patientes, in orationibus vigiles, in laboribus strenui, in sermonibus modesti, in moribus graves et in beneficiis grati; quia pro his omnibus vobis regnum [Dei] praeparatur aeternum [2] ». Sic ergo cum haec dixisset et benedixisset illis, ad tres partes orbis profecti sunt. Ipse vero sciens, se aliis datum in exemplum, ut prius faceret quam doceret, cum uno sociorum versus unam partem orbis perrexit, reliquis [a] se ad modum crucis tribus aliis [mundi] partibus deputatis.

« Abierunt ergo viri Dei devote monita eius observantes. Cum autem inveniebant aliquam ecclesiam sive crucem, inclinabant se ad orationem et devote dixerunt: ,Adoramus te, Christe, et benedicimus tibi per (*b*) omnes ecclesias, quae sunt in universo mundo, quia per sanctam crucem tuam redemisti mundum'. Credebant enim semper invenire locum Dei, ubicumque crucem vel ecclesiam invenissent. Quicumque autem videbant eos, plurimum mirabantur, eo quod habitu et vita dissimiles erant omnibus, et quasi silvestres homines videbantur. Quocumque vero intrabant, civitatem scilicet vel castellum aut villam vel domum, annuntiabant primo pacem, confortantes omnes, ut timerent Deum et amarent [Creatorem] caeli et terrae, eiusque servarent mandata. Quidam libenter eos audiebant; quidam e contrario deridebant; plerique eos quaestionibus fatigabant, quibusdam dicentibus: ,Unde estis vos'? aliis quaerentibus, quis esset ordo ipsorum; quibus, licet esset laboriosum, tot quaestionibus respondere, simpliciter tamen confitebantur, quod erant viri poenitentiales de civitate Assisii oriundi; nondum enim ordo ipsorum dicebatur religio. Multi vero eos deceptores vel fatuos iudicabant et nolebant eos recipere in domum suam, ne tanquam fures eorum res furtim auferrent; propterea in multis locis, illatis multis iniuriis, hospitabantur in ecclesiarum porticibus vel domorum [3]. Frater vero Bernardus de Quintavalle cum socio Florentiam advenientes, post multas susceptas iniurias, cognitus tandem est; et aliquos ad Dominum exemplo et verbo convertens ad beatum Franciscum deduxit, videlicet Assisium; et quia de hoc dictum est supra [4], conformitate VIII, in tractatu de vita fratris Bernardi in provincia beati Francisci, ideo praefata hic ulteriori modo non pono. Beatus vero Franciscus, cum iret cum socio, et frater ille diceret iuxta mandatum beati Francisci hominibus: « Dominus det vobis pacem », quam salutationem beatus Franciscus, Christo revelante, ut dictum est conformitate et fructu praecedenti, didicerat, prout ipse in suo scripsit testamento, et quia homines non audierant, adhuc fieri ab aliquibus religiosis talem salutationem, inde plurimum mirabantur. Et quia per viam sic incedens frater ipse homines et mulieres et exsistentes in agris salutabat, aliqui cum indignatione dicebant eis: « Quid sibi vult ista vestra salutatio »? ita quod frater ille incepit ex hoc verecundari. Unde dixit beato Francisco: « Dimitte me dicere

(*a*) Codex *propter*. — (*b*) As et edd. *vobiscum*.

[1] *Leg. 3 soc.*, n. 36. — [2] Bonav. l. c. c. 3 n. 7. — [3] *Leg. 3 soc.*, n. 37 et 38. — [4] Pag. 180.

aliam salutationem »; et ait illi beatus Franciscus: « Dimitte illos dicere, quia non percipiunt, quae sunt Dei; sed et noli inde verecundari, quoniam adhuc nobiles et principes huius mundi de hac salutatione tibi et fratribus reverentiam exhibebunt [1] ». « Modico autem elapso post tempore benignus pater Franciscus suae prolis exoptans praesentiam, cum in unum omnes per se convocare non posset, per eum orabat hoc fieri, qui *dispersiones congregabit Israelis* [2]. Sicque factum est, ut absque humana vocatione omnes ex insperato post modicum temporis iuxta eius desiderium, divina operante clementia, non sine ipsorum admiratione pariter convenirent [3] ». « Quando autem se invicem reviserunt, tanta iucunditate et gaudio repleti sunt, ac si nihil recordarentur eorum, quae passi fuerant ab iniquis [4] ».

« Solliciti tamen erant quotidie orare et laborare manibus suis, ut omnem otiositatem animae inimicam a se penitus effugarent. Surgebant in media nocte sollicite et orabant devotissime cum immensis lacrimis et suspiriis. Amore intimo se diligebant; et serviebat unus alteri ac nutriebat eum sicut mater filium unicum et dilectum. Tantum caritas ardebat in eis, quod facile ipsis videbatur tradere corpus suum morti pro salute animae vel corporis suorum confratrum. Unde quadam die, cum duo ex ipsis fratribus simul irent, invenerunt quendam fatuum, qui coepit iactare lapides in eos; videns ergo unus eorum lapides iactari in alterum, opposuit se statim ictibus lapidum, volens potius se percuti, quam fratrem suum, propter caritatem mutuam, qua flagrabat; sicque parati erant unus pro alio ponere vitam suam. Erant etiam in humilitate et caritate radicati et fundati in tantum, ut unus alterum revereretur tanquam patrem et dominum, atque illi, qui officio praedicationis vel aliqua gratia praecellebant, humiliores et viliores ceteris viderentur. Omnes quoque se totos ad obediendum praebebant, ad praecipientis voluntatem se continuo praeparantes. Non discernebant inter iustum et iniustum praeceptum; quia quidquid praecipiebatur, putabant esse secundum Domini voluntatem; et ideo implere praecepta erat eis facile et suave. A carnalibus autem desideriis abstinebant, semetipsos iudicantes atque caventes, ne unus alterum offenderet ullo modo. Et si quando contingebat, ut unus alteri diceret verbum, quod posset illum turbare, tantum conscientia mordebatur, quod non poterat quiescere, donec diceret culpam suam, prosternens se in terram, ut pedem fratris turbati faceret poni super os suum. Quod si frater turbatus pedem super os alterius ponere nolebat, si erat praelatus ille, qui turbaverat alterum, praecipiebat illi, ut poneret pedem super os suum; si vero erat subditus, faciebat hoc illi praecipi a praelato. Sicque studebant, ut omnis rancor et malitia fugaretur ab eis, et perfecta semper inter ipsos dilectio servaretur, satagentes pro posse singulis vitiis singulas virtutes opponere, praeveniente et adiuvante eos gratia Domini nostri Iesu Christi. Nihil insuper sibi proprium vindicabant, sed libris et aliis collatis eisdem utebantur communiter secundum formam ab apostolis traditam et servatam. Cum autem inter eos et in eis esset vera paupertas, erant tamen liberales et largi, de omnibus sibi pro Deo collatis libenter dantes ipsius amore petentibus, et maxime pauperibus eleemosynas eis datas. Quando vero ibant per viam et inveniebant pauperes petentes aliquid ab eis amore Dei, cum non haberent aliud, quod praeberent, dabant aliquam partem de vestibus suis, licet vilibus. Quandoque enim

---

[1] *Speculum perf.* (ed. Sab.), c. 26. — [2] Ps. 146, 2. — [3] Bonav. l. c. c. 3 n. 7. — [4] *Leg. 3 soc.*, n. 41.

dabant capucium, dividentes ipsum a tunica, [quandoque manicam, quandoque partem aliam, dissuentes eam a tunica], ut evangelicum illud implerent: *Omni petenti te tribue* [1]: Quando vero declinabant divites huius saeculi ad eos, recipiebant eos alacriter et benigne, studentes eos revocare a malo et ad poenitentiam provocare. In paupertate plurimum laetabantur, quia non concupiscebant divitias, sed omnia transitoria spernebant, quae possunt a mundi huius amatoribus concupisci, praecipue vero pecuniam quasi pulverem pedibus conculcabant. Et sicut a sancto fuerant edocti, ipsam cum stercore asini aequali pretio et pondere ponderabant. Gaudebant in Domino continue, non habentes inter se nec intra se, unde possent aliquatenus contristari. Quanto enim a mundo erant magis divisi, tanto magis erant Deo coniuncti, per viam crucis et semitas incedentes iustitiae et observationis evangelicae offendicula removebant, ut posteris iter fieret planum et securum [2] ». Sic ergo patet secunda fratrum a beato Francisco missio ad praedicandum et destinatio.

3. Tertio et beati Francisci destinatio tertia fratrum ad praedicandum fuit post approbationem regulae et confirmationem factam per dominum papam Innocentium III. Nam cum post reversionem praefatorum octo ad sanctam Mariam, quos ad praedicandum direxerat, quatuor aliis sibi adhaerentibus, ad numerum duodenarium excreverunt (*a*), et beatus Franciscus cum undecim praefatis sociis Romam pergens, obtenta regulae confirmatione a domino Innocentio, ac ab ipso habito de praedicanda poenitentia mandato, et laicis fratribus, qui eum fuerant comitati, suo iussu coronis parvulis factis, ut verbum Dei libere praedicarent, beatus Franciscus cum praefatis versus vallem Spoletanam reversus, ut evangelium Christi faceret et doceret, ipse beatus pater non solum praedicare coepit, sed et dictos socios ad praedicandum destinare.

Sed in quibus libris voluit fratres suos beatus Franciscus studere? Non certe in libris Aristotelis et philosophorum, non Galieni et medicorum, [non Tullii et rhetoricorum] non Ptolomei et astrologorum, non in libris legum et decretalium; sed in quo? Certe dicit frater Bonaventura in IV parte *Legendae maioris* [3]: « Vacabant divinis praeceptis incessanter, mentaliter potius quam vocaliter studio intendentes orationis devotae; et quia libris carebant, loco illorum librum crucis continuatis aspectibus diebus et noctibus revolvebant exemplo patris et eloquio eruditi, qui iugiter faciebat eis de Christi cruce sermonem ». Sicque fratres conformes apostolo Paulo nihil sciebant, nisi Christum, et hunc crucifixum; qui eis *factus est sapientia, sanctificatio* (*b*), *iustitia et redemptio* [4].

Qua in re Domino praeeunte fratres et corda audientium commonente et linguas ipsorum dirigente, in terris (*c*), ad quas pergebant, maximum fructum faciebant. Ipse (*d*) enim duodecim socios, binos et binos dirigendo more dominico, ad diversas mundi partes ipsos direxit. Fratrem enim Bernardum de Quintavalle misit Bononiam, ut habes supra [5] conformitate VIII, tractatu de vita fratris Bernardi, qui post multa suscepta patienter convicia agnitus a populo et locum accepit Bononiae et prae nimio honore, qui sibi impendebatur, recedens abinde ad beatum Franciscum est reversus. Et tunc beatus Franciscus, praedicatione sociorum multiplicatis fratribus, misit fratres

(*a*) Codex *exercuerunt*. — (*b*) As et edd. *sanctitudo*. — (*c*) Codex *ad terras*. — (*d*) Codex *Ipsos*.

[1] Luc. 6, 30. — [2] *Leg. 3 soc.*, n. 41-46. — [3] C. 4 n. 3. — [4] I Cor. 1, 30. — [5] Pag. 181.

Bononiam et ad Lombardiam ad praedicandum et morandum; et tandem ipse beatus Franciscus, ut dictum est conformitate praecedenti [1], et Bononiam et ad Lombardiam accessit.

Hac tertia vice beatus Franciscus, postquam socios destinarat, ipse adire Franciam gratia praedicationis elegit cum fratre Massaeo; verum, cum divina inspiratione prius Romam adiissent ad visitandum apostolorum limina, ut dictum est conformitate VIII et tractatu de fratre Massaeo [2], beatis apostolis beato Francisco apparentibus, non ad Franciam [profectus], sed ad vallem Spoletanam est reversus. Vice alia ad Franciam voluit adire, et usque Florentiam pergens, a domino Ugone, episcopo Ostiensi, ordinis protectore prohibitus fuit. Et hac vice fratres praedicationibus et exemplis tantum fructum fecerunt, quod fratres adeo sunt multiplicati, ut beatus Franciscus bis in anno ad capitulum apud Sanctam Mariam de Angelis eos convocaret. Et haec est tertia missio fratrum a beato Francisco.

4. Quarto et quarta vice beatus Franciscus misit fratres ad praedicandum, dum, iam fratribus multiplicatis, ordinasset, quod bis in anno fratres ad capitulum convenirent, videlicet in festo Pentecostes et sancti Michaelis de mense septembris, et hoc in loco sanctae Mariae de Angelis; cuius ordinationi fratres parentes (*a*) conveniebant omnes. In quo capitulo « tractabant, qualiter regulam melius possent observare; et tunc constituebant fratres per diversas provincias, qui populo praedicarent et fratres alios in suis provinciis collocarent [3] ». « Expleto autem capitulo, benedicebat fratribus omnibus et ad singulas provincias singulos destinabat. Quicumque ex ipsis habebat spiritum Dei et eloquentiam idoneam ad praedicandum, sive clericus sive laicus esset, dabat ei licentiam praedicandi. Ipsi vero benedictionem ipsius recipientes cum magno gaudio spiritus, tanquam peregrini et advenae per mundum ibant, nihil in via portantes, nisi tantum libros, in quibus possent dicere horas suas [4] ». « Faciebat namque sancta paupertas, quam solam deferebant pro sumptibus, ipsos ad omnem obedientiam promptos, robustos ad labores et ad itinera expeditos; et quia nihil terrenum habebant, nihil amabant, nihilque timebant amittere, securi erant ubique, nullo pavore suspensi, nulla cura distracti, tanquam qui absque mentis perturbatione vivebant, et sine sollicitudine diem crastinum et serotinum hospitium exspectabant. Multa quidem eis in diversis partibus orbis inferebantur convicia, tanquam personis despicabilibus et ignotis; verum amor evangelii Christi adeo ipsos patientes effecerat, ut quaererent potius ibi esse, ubi persecutionem paterentur in corpore, quam ubi, cognita sanctitate ipsorum, mundano possent gloriari honore (*b*). Ipsa quoque rerum penuria superabundans eis videbatur ubertas, dum iuxta consilium Sapientis [5] *pro magno ipsis minimum complacebat* [6] ». Quibus beatus Franciscus dixit: « In nomine Domini ite bini et bini per viam humiliter et honeste et maxime cum stricto silentio a mane usque post tertiam orantes Dominum in cordibus vestris; et verba otiosa et inutilia non nominentur in vobis; licet enim ambuletis, tamen conversatio vestra sit ita humilis et honesta, sicut si in eremitorio aut in cella essetis. Nam, ubicumque sumus et am-

(*a*) As et edd. *obtemperantes.* — (*b*) As et edd. *favore.*

[1] Pag. 478. — [2] Pag. 195. — [3] *Leg. 3 soc.*, n. 57. — [4] *Leg. 3 soc.*, n. 59. — [5] Eccli. 29, 30. — [6] Bonav. l. c. c. 4 n. 7.

bulamus, habemus semper cellam nobiscum; fratrum enim corpus est cella nostra, et anima est eremita, qui moratur intus in cella ad orandum Dominum et meditandum de ipso (*a*); unde, si anima non manserit in quiete in cella sua, parum prodest religioso cella manufacta (*b*) [1] ». « Talis sit vestra conversatio inter gentes, ut quicumque vos audiet vel videbit, glorificet Patrem caelestem et Deum laudet devote. Nullus per vos provocetur ad iram vel scandalum, sed omnes per mansuetudinem vestram ad pacem, benignitatem et concordiam provocentur. Nam ad hoc vocati sumus, ut vulneratos curemus, alligemus confractos et erroneos revocemus. Multi enim videntur nobis esse membra diaboli, qui adhuc erunt discipuli Christi [2] ». Sicque informati illi abierunt.

« Dedit autem illis Dominus verbum et spiritum secundum temporis opportunitatem ad proferendum verba acutissima penetrantia corda iuvenum atque senum, qui patrem relinquentes et matrem et omnia, quae habebant, sequebantur fratres, eorum religionis habitum assumendo. Vere enim tunc separationis gladius missus est in terra, dum iuvenes veniebant ad religionem, dimittentes parentes suos in faecibus peccatorum. Illos tamen, quos ad ordinem recipiebant, ducebant ad beatum Franciscum, ab eo suscepturos religionis habitum humiliter et devote. Non solum autem viri sic convertebantur ad ordinem, sed et multae virgines et viduae ad eorum praedicationem compunctae secundum ipsorum consilium per civitates et castra monasteriis ordinatis recludebant se ad poenitentiam faciendam. Quibus unus ex fratribus constitutus fuit visitator et corrector earum, videlicet sanctus frater Philippus Longus, primus visitator pauperum Dominarum; qui in labiis ab angelo tactus fuit calculo ignito, ut Isaias. Similiter et viri uxorati et mulieres maritatae a lege matrimonii discedere non valentes de fratrum salubri consilio in domibus propriis arctiori poenitentiae se committebant; unde postmodum per beatum Franciscum Trinitatis cultorem triplex ordo ex praedictis, sicut tres erexerat ecclesias, est institutus; quorum ordinum quilibet tempore suo a summo pontifice exstitit confirmatus [3] ».

Hac vice quarta destinationis fratrum, sicut beatus Franciscus ad infideles voluit ipse bis personaliter accedere ad praedicandum, sed prohibitus a Deo fuit, sic et ad partes infidelium fratres ad praedicandum direxit. Fratrem Aegidium cum pluribus sociis misit Tunitium; qui cum de navi ad terram descendissent et fidem coepissent ferventissime praedicare, christiani, qui ibi erant, timentes, ne sibi tali praedicatione personarum immineret periculum, ipsos fratres ceperunt et posuerunt in navi, et contra velle eorum ad partes fidelium remiserunt [4]. Misit etiam beatus Franciscus fratres ad praedicandum saracenis, qui tunc morabantur in civitate Hyspalensi et in Hispania et in Marochio; sex enim fratres illuc direxit, scilicet fratrem Vitalem, sed iste remansit in regno Aragoniae, alii accesserunt ad saracenos, scilicet fratres Beraldus (*c*), Petrus, Adiutus, Accursus (*d*) et Otto, et glorioso martyrio sunt coronati, quorum exemplo promotus (*e*) sanctus Antonius noster ordinem intravit Minorum. Tempore etiam beati Francisci quidam frater laicus passus est martyrium, ut dictum est de istis conformitate et fructu VIII [5].

(*a*) As *Christo.* — (*b*) As *manifesta.* — (*c*) As *Berardus.* — (*d*) Edd. *Accursius.* — (*e*) As et edd. *provocatus.*

---

[1] *Speculum perf.* (ed. Sab.), c. 65. — [2] *Leg. 3 soc.*, n. 58. — [3] *Leg. 3 soc.*, n. 60; ubi desunt verba « videlicet frater Philippus—ut Isaias ». — [4] Cfr. supra pag. 207. — [5] Cfr. supra pag. 322 et 336.

Hac missione quarta, ut credo, evenit illud, quod ponit frater Bonaventura in IV parte *Legendae maioris* [1], dicens, quod fratres aliqui, cum praedicationis causa partes adiissent infidelium, « contigit, ut quidam saracenus pietate ductus pecuniam eis offerret pro necessario victu; illis autem recusantibus accipere, admiratus est ille cernens, quod inopes erant; intellecto tandem, quod amore Dei pauperes effecti pecuniam possidere nolebant, tanta est eis affectione coniunctus, ut offerret se ad ministrandum necessaria omnia, quamdiu facultatum sibi aliquid superesset ». Et haec fuit quarta fratrum missio ad praedicandum per beatum Franciscum.

5. Quinto misit fratres beatus Franciscus ad praedicandum, quando nono anno « ab inceptione religionis, multiplicatis numero et meritis fratribus, electi fuerunt ministri et missi cum aliquot fratribus ad praedicandum quasi per omnes mundi provincias, in quibus fides catholica colitur et servatur. Qui recipiebantur in aliquibus provinciis, sed non permittebantur praedicare et habitacula construere; de quibusdam vero provinciis expellebantur, ne forte essent homines infideles; quia licet dominus Innocentius papa ordinem et regulam approbasset ipsorum, non tamen hoc suis litteris confirmavit; et propterea fratres a clericis et laicis tribulationes plurimas sunt perpessi, unde ex hoc compulsi sunt fratres fugere de diversis provinciis; atque sic angustiati et afflicti, necnon et a latronibus spoliati et verberati, ad beatum Franciscum cum magna amaritudine sunt reversi; haec enim passi erant quasi in omnibus partibus ultramontanis, ut in Alamania, Ungaria et pluribus aliis [2] ». Et sic tunc evenit, quod dictum est conformitate praecedenti [3], quod fratres rogabant beatum Franciscum, ut peteret privilegium, ut possent populo, irrequisitis episcopis et clericis aliis, praedicare; et ipse habuit respondere, quod nolebat, ut dictum est. Verumtamen omnia praedicta (*a*) illata fratribus notificavit beatus Franciscus domino Ugoni protectori ordinis cardinali Ostiensi.

6. Sexto misit beatus Franciscus fratres, quando scilicet secundam regulam, qua utimur nunc, perfecerat; et per dominum papam Honorium pontificatus sui anno octavo cum bulla confirmata [fuit] in capitulo sequenti; quod credo fuisse illud, in quo ultra quinque millia fratrum multitudo fuit, de quo dicetur conformitate XXIV. In dicto « capitulo generali data licentia a beato Francisco ministris recipiendi fratres ad ordinem, misit eos ad provincias supradictas ad praedicandum et morandum, portantes litteras cardinalium cum regula bulla apostolica confirmata [4]. Sic ubique (*b*) morantibus et praedicantibus fratribus in illis provinciis, multi videntes eorum humilem et sanctam conversationem atque audientes eorum verba altissima, moventia et inflammantia mentes ad amorem Dei et poenitentiam faciendam, venerunt ad ipsos, et sanctae religionis habitum ferventer et humiliter susceperunt [5] ». Tunc beatus Franciscus misit cum

(*a*) As *edicta*, edd. *praedictis*. — (*b*) As et edd. *itaque*.

[1] C. 4 n. 7. — [2] *Leg. 3 soc.*, n. 62. — Ipsa hanc missionem « expletis undecim annis ab inceptione religionis » i. e. anno 1219 factam dicit; plures vero rationes tempus a Pisano indicatum: « nono anno », i. e. 1217, commendant (cfr. Lemmens, *Doc. ant. franc.*, p. I pag. 22 seq.). — [3] Pag. 471. — [4] Errat Pisanus cum *Leg. 3 soc.* Missio ista fuit anno 1221 (Iord. n. 16); et fratres non portabant « regulam bulla apostolica confirmatam », quae bulla data est 1223, sed litteras papae commendatitias (cfr. Anal. Franc. t. III pag. 14 not. 9 aliosque). — [5] *Leg. 3 soc.*, n. 66.

pluribus fratribus fratrem Pacificum, regem versuum, qui viderat beatum Franciscum duobus ensibus valde fulgentibus in modum crucis transversaliter exsistentibus consignatum, ministrum in Francia; et dictus frater Pacificus custodem Parisiensem fecit fratrem Agnellum de Pisis, qui primus fuit, qui Parisiensem conventum aedificavit. Demum per beatum Franciscum frater Agnellus de Pisis [praedictus] factus est minister Angliae; et missus est illuc cum aliquibus fratribus, et specialiter cum fratre Alberto de Pisis, qui eidem successit in officio ministeriatus; et demum cum esset minister Angliae, electus est tertius post beatum Franciscum generalis minister ordinis, de quibus dictum est conformitate VIII [1]. Sed quem fructum fecerit in partibus Angliae, patet ex dictis conformitate VIII et fructu et conformitate IX. Abbas enim de Abidon factus est frater Minor; episcopus Erfordiensis dominus Rodulfus, episcopatu dimisso, factus est frater Minor; et alii plures magistri in theologia facti sunt fratres Minores. Sic et Parisiis et in Francia et in Alamania multi solemniter praebendati, multi magistri in sacra pagina et multi nobiles facti sunt fratres Minores, de quibus dictum est conformitate VIII et IX.

Qualiter vero beatus Franciscus praemonuerit fratres praedicatores, etsi in parte dictum sit conformitate praecedenti, aliqua tamen sunt hic addenda; sed copiosius habentur conformitate sequenti, c. 12 de praedicatore. «Nolebat enim beatus Franciscus pater sanctissimus fratres suos esse cupidos scientia et libris; sed volebat et praedicabat eis, ut studerent fundari super sanctam humilitatem et imitari puram simplicitatem, sanctam orationem et dominam paupertatem; et hanc solam dixit esse viam securam ad salutem propriam et aliorum aedificationem faciendam; quoniam Christus, ad cuius imitationem sumus, inquit, vocati, hanc solam nobis ostendit et docuit verbo pariter et exemplo. Ac ipse pater futura prospiciens cognoscebat per Spiritum sanctum et multoties fratribus dixit, quod multi fratres occasione aedificandi alios dimittent vocationem suam, videlicet sanctam humilitatem, puram simplicitatem, orationem et devotionem atque dominam nostram paupertatem; et continget illis, quod, unde putabant magis imbui, id est impleri devotione et accendi amore et illuminari Dei cognitione propter intellectum scripturae, inde occasionaliter remanebunt intus frigidi et vacui, et sic ad pristinam vocationem redire non poterunt, quia tempus vivendi secundum vocationem suam in vano et falso studio amiserunt; et timeo, quod illud, quod videbuntur habere, auferetur ab eis; quia id, quod datum erat illis, id est vocationem suam, tenere et imitari penitus neglexerunt. Et dixit: ‚Sunt multi fratres, qui totum suum studium et totam sollicitudinem suam ponunt in acquirendo scientiam, dimittentes vocationem suam extra viam sanctae humilitatis et sanctae orationis mente et corpore evagando; qui cum populo praedicaverint et noverint, aliquos inde aedificari vel ad poenitentiam converti, inflantur et extollunt se de opere et lucro alieno, cum tamen magis in condemnationem et praeiudicium suum praedicaverint et nihil ibi secundum veritatem operati fuerint, nisi tanquam instrumenta illorum, per quos vere Dominus fructum huiusmodi acquisivit. Nam quos credunt per scientiam et praedicationem suam aedificari et ad poenitentiam converti, Dominus orationibus et lacrymis sanctorum pauperum humilium et simplicium fratrum aedificat et convertit; licet ipsi sancti fratres id nesciant ut plurimum; sic enim est

[1] Pag. 329.

voluntas Dei, ut illud ignorent, ne inde valeant superbire. Isti sunt fratres mei, milites tabulae rotundae, qui latitant in desertis et remotis locis, ut diligentius vacent orationi et meditationi, sua et aliorum peccata plorantes, viventes simpliciter et humiliter conversantes; quorum sanctitas a Deo cognoscitur, et aliquando fratribus et hominibus est ignota. Horum animae ab angelis Domino praesentabuntur. Et tunc Dominus ostendet illis fructum et mercedem laborum suorum, videlicet multas animas, quae suis exemplis, orationibus et lacrymis sunt salvatae'; et dicet illis: ,Filii mei dilecti, ecce, tot et tales animae salvatae sunt vestris orationibus, lacrymis et exemplis; et *quia super pauca fuistis fideles, supra multa vos constituam* [1]. Alii enim praedicaverunt et laboraverunt sermonibus sapientiae et scientiae suae, et ego meritis vestris fructum salutis operatus sum; ideo suscipite mercedem laborum eorum et fructum meritorum vestrorum, qui est regnum aeternum, quod per humilitatis et simplicitatis vestrae atque orationum et lacrymarum vestrarum violentiam rapuistis. Sic isti *portantes manipulos suos* [2], id est fructus et merita sanctae humilitatis et simplicitatis suae, intrabunt in gaudium Domini laetantes et exsultantes; illi vero, qui non curaverunt, nisi scire et aliis viam salutis ostendere, nil operantes pro se, ante tribunal Christi stabunt nudi et vacui, et solius confusionis, verecundiae et doloris manipulos deferentes. Tunc veritas sanctae humilitatis et simplicitatis sanctaeque orationis et paupertatis, quae est vocatio nostra, exaltabitur, glorificabitur et magnificabitur; cui veritati ipsi inflati vento scientiae detraxerunt vita (*a*) et vanis sermonibus sapientiae suae dicentes, ipsam veritatem esse falsitatem, et esse inquam (*b*) caecos eos, qui ambulant in veritate, crudeliter persequentes. Tunc error et falsitas opinionum suarum, per quas ambulaverunt, quas veritatem esse praedicaverunt, per quas in caecitatis foveam multos praecipitaverunt, in dolore, confusione et verecundia terminabitur; et ipsi cum suis tenebrosis opinionibus in tenebras exteriores cum tenebrarum spiritibus demergentur [3]' ». « Dicebat etiam beatus Franciscus: ,Fratres mei, qui scientiae curiositate ducuntur, in die tribulationis invenient manus suas vacuas; ideo vellem eos roborari virtutibus, ut, cum tempus venerit tribulationis, secum haberent in angustia Dominum. Nam, et ventura est tribulatio, qua libri ad nihilum utiles in fenestris et latebris proiicientur'. Non haec dixit, quod lectio sacrae scripturae sibi displiceret, sed ut a superflua cura discendi retraheret universos; volebat enim ipsos potius caritate bonos, quam scientiae curiositate sciolos. Ponderabatur (*c*) etiam tempora non longe ventura, in quibus sciebat iam scientiam inflativam debere esse occasionem ruinae. Unde beatus Franciscus post mortem suam quendam sociorum suorum praedicationum studio nimis intentum apparens ei reprehendit atque prohibuit, iussitque illi, ut studeret viam humilitatis et simplicitatis incedere [4] ».

Insuper beatus Franciscus ministros et praedicatores admonebat et inducebat ad humilitatis opera exercenda; « dicebat enim, quod propter praelationis officium et sollicitudinem praedicandi non debent dimittere sanctam orationem et devotam, ire pro eleemosyna, aliquando operari manibus suis et alia humilitatis opera facere; sicut alii fratres propter bonum exemplum et lucrum animarum suarum et aliorum. Et dicebat: ,Multum enim aedificantur fratres subditi, cum eorum ministri et praedica-

(*a*) As *vitae*. — (*b*) *Speculum* l. c. *et tanquam*; edd. om. — (*c*) *Speculum* l. c. *praeodorabat*.

[1] Matth. 25, 21. — [2] Ps. 126, 6. — [3] *Speculum perfectionis* (ed. Sab.), c. 72. — [4] *Speculum* cit. c. 69.

tores vacant libenter orationi et inclinant se ad opera (*a*) humilitatis et vilitatis. Aliter enim non possunt absque sui confusione, praeiudicio et condemnatione de hoc fratres alios admonere; oportet enim exemplo Christi prius facere quam docere, ac simul facere et docere [1] ' ». Haec beatus Franciscus. Multa alia beatus Franciscus habuit dicere praedicatoribus fratribus, ut patet fructu sequenti, c. de praedicatore.

Dictis ergo beati patris primi fratres per omnia inhaerentes maximum fratrum (*b*) suis praedicationibus effecerunt fructum. Et quod fratres tam tempore beati Francisci quam post, eius monitis et inductione magnum fecerint fructum, patere potest, si attendatur:

I. multitudo locorum ordinis, in quibus locis quidam fratres vita praedicarunt et exemplis, miraculis coruscantes; quidam tam verbo, vita, quam et miraculis, ut fratres clerici, quidam saltem verbo incessanter docent et populum ad bonum erudiunt et inducunt. Et pro evidentia dicendorum est sciendum, quod beato Francisco, dum oraret in ecclesia sancti Iacobi, ad quam visitandam ipse cum sociis accesserat, revelatum est ei a Domino, quod ubique loca caperet, quia suus ordo per totum mundum erat dilatandus [2]. Et sicut ipse beatus Franciscus dixerat domino cardinali eum prohibenti, ne ad partes ultramontanas accederet: « Domine, putatis vos, quod Dominus solummodo propter istas provincias miserit fratres? sed dico vobis in veritate, quod Dominus elegit et misit fratres propter profectum et salutem animarum omnium hominum huius mundi; et non solum in terris fidelium sed in terris infidelium recipientur, et multas animas lucrabuntur [3] »; et sic factum est, quod quasi non est terrae angulus, ubi non sit fratrum Minorum aliquis locus, ut iuxta dictum prophetae David de apostolis, dictum et de apostolicis fratribus beati Francisci ordinis possit et dici: *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terrae verba eorum* [4].

Ad quod videndum primo videndum est de locis fidelium, id est in terris fidelium aedificatis, et primo in Italia, secundo extra Italiam, et deinde tertio de locis in terris infidelium situatis.

PROVINCIA S. FRANCISCI [5].

Quantum ad Italiam, incipiendo a prima provincia ordinis, videlicet beati Francisci, haec provincia sancti Francisci habet haec loca, videlicet 80 per 9 custodias.

Custodia ASSISII [6] habet loca 9, scilicet: locum de Assisio, in quo sunt hi solemnes praedicatores, verbo, vita et miraculis praedicantes in vita et post mortem: primus est beatus pater noster Franciscus, secundus frater Bernardus de Quintavalle,

---

(*a*) As et edd. *obsequia*. — (*b*) As et edd. om. *fratrum*.

---

[1] *Spec.* cit. c. 73. — [2] Cfr. *Actus* c. 3 et *Chron. 24 gen.*, pag. 9. — [3] *Spec.* cit. c. 65. — [4] Ps. 18, 4. — [5] In notis initio singularum custodiarum appositis nomina conventuum scripsimus, sicut sonant in lingua vernacula, secuti praecipue *Andrée, Handatlas*. Cfr. etiam notas, quas Sbaralea in tomo IV *Bullarii* ad bullas addidit, quibus Nicolaus IV multas ecclesias ordinis indulgentiis dotavit. Asteriscus additus indicat, nomina deesse in *Provinciali ordinis Minorum* (quod edidit P. Eubel). — [6] Assisi, Porziuncola, S. Chiara, S. Damiano, Carceri, Spello, Bettona, Bastia, Rocchiciola.

tertius frater Silvester, quartus frater Electus, quintus frater Leo, sextus frater Gulielmus de Anglia, septimus frater Angelus de Reate, octavus frater Massaeus Mariguani, nonus frater Rufinus, decimus frater Guido de Senis laicus, undecimus frater Aegidius (*a*) de Cappotiis, duodecimus frater Valentinus de Narnio. Quales hi fuerunt, dictum est supra fructu VIII et conformitate, in tractatu de provincia beati Francisci [1]. Habet locum sanctae Mariae de Portiuncula sive de Angelis; ubi ordo Minorum incepit; in quo iacent praedicatores singulares miraculis coruscantes: frater Petrus Cathanii, quatuor fratres de sociis beati Francisci, frater Iacobus et frater Ioannes. Locum sanctae Clarae, ubi beatus Franciscus fuit primo tumulatus; et ibi iacet nunc beata Clara cum multis sanctis fratribus et sororibus. Locum sancti Damiani, cuius ecclesiam crucifixi mandato beatus Franciscus reparavit; et multa mira ibi fecit Deus per beatum Franciscum et beatam Claram, sicut acta utriusque attestantur. In dicto loco beatus Franciscus ex patientia infirmitatis oculorum a Deo subarrhatus fuit de regno obtinendo aeternorum, et beata Clara multa miracula fecit; ut eius legenda docet, quinquaginta duobus annis ibi stetit. Locum de Carceribus sive montis Subasii; in quo fuerunt fratres, sanctissimi hactenus et nunc exemplo ipsorum, dum ibi stant, poenitentiam peragendam praedicantes. Locum de Spello, in quo inter alios fuit ibi frater Andreas sacerdos et praedicator, maximis fulgens in vita et post mortem miraculis. Habet locum de Bettonio, in quo sunt duo praedicatores praeclari in vita et post signis praedicantes, scilicet frater Ioannes de Laudibus et frater Iordanus laicus et sanctissimus. Locum de Insula, ubi fuit sepultus ille praedicator excellens frater Conradus de Offida, qui quinque mortuos suscitavit. Locum habet de Ricchictiola, in quo multi sancti fratres fuerunt, qui suo tempore vita et verbo homines informarunt.

Custodia PERUSII [2] habet loca 14. Habet locum de Perusio, in quo iacet ille sanctitate praeclarus frater Aegidius, raptus ad tertium caelum, scientia, verbo et vita singularissimus. Iacent ibi tres alii sancti fratres, scilicet frater Conradus de Offida, translatus de loco Insulae Perusium, frater Ventura et frater Nicolaus de Assisio, signis homines in vita et post quotidie informantes. Multi fratres egregii praedicatores fuerunt de Perusio, et in sacra pagina magistri, eorum lingua erudita populum edocentes. Locum de Monte, qui est in Perusio, in quo frater Aegidius longo tempore stetit et famosum fecit et facit sua conversatione singulari. Locum de Gello (*b*); in hoc loco frater Aegidius fuit raptus a post vesperas usque ad galli cantum, et demum apparuit tantum lumen, quod lumen omne lunae absorbuit et accepit. Locum de Cibectolo (*c*), in quo sanctus Ludovicus noster claret signis et miraculis gloriosis. Locum de Diruta, ubi etiam frater Aegidius moram fecit. Habet locum de Marciana; locum de Corciano; locum de Pregio; locum de Farneto; locum de Civitella; locum Montis Iovis, in quo iacet frater Sensus, homo magnae contemplationis et raptus et illuminationis; locum de Insula laci

(*a*) As *Guido*. — (*b*) Edd. *Agello*. — (*c*) As et edd. *Ciboctola*.

[1] Pag. 178 sqq. — [2] Perugia, Al Monte, Agello, Cibottola, Deruta, Marsciano, Corciano, Preggio, Farneto, Civitella, Monte Giove, Isola di lago, Monte Lucido *, S. Maria degli Angeli *.

Perusini, ubi beatus Franciscus fecit unam quadragesimam, in qua solum medietatem panis unius comedebat (a) [1]; et in dicto loco multis beatus Franciscus fulget signis; locum Montis Lucidi, quem fecit papa Martinus; locum sanctae Mariae de Angelis, ubi iacet frater Philippus, socius beati Francisci et primus visitator sororum [2].

Custodia CASTELLI [3] habet locum de Castello, in quo iacet frater Iacobus laicus, qui multis claruit miraculis. Locum de Burgo Sancti Sepulchri, in quo iacet frater Raynerius laicus, qui duos mortuos suscitavit; et alios ultra quinquaginta novem, ut patet in instrumento publico, a diversis infirmitatibus liberavit [4]. Ad quatuor milliaria ad Burgum Sancti Sepulchri in montibus est locus Montis Casalis, in quo beatus Franciscus stetit et fecit plura, et praecipue tres famosos convertit latrones, qui hoc modo sunt conversi. Cum enim beatus Franciscus ad dictum locum accessisset, quidam iuvenis nobilis de Burgo accedens ad beatum Franciscum rogavit eum, ut eum ad ordinem reciperet; cui beatus Franciscus respondit: « Fili, tu es iuvenis delicatus et nobilis; forte non poteris paupertatem et asperitatem nostram sustinere ». Et ille respondit: « Pater, nonne vos estis homines, sicut et ego? Sicut ergo vos, qui estis mei similes, sustinetis, sic et ego cum Dei adiutorio potero sustinere ». Quae responsio multum placuit beato Francisco; et statim recepit eum et benedixit et fratrem Angelum appellavit. Qui ita gloriose se habuit, quod paulo post beatus Franciscus ipsum in dicto loco montis Casalis guardianum instituit. Huic fratri Angelo semel, cum beatus Franciscus diceret, quod iret ad Burgum sancti Sepulchri et nuntiaret populo, quomodo esset praedicaturus [eis] die tali, et ipse propter parentes ire distulisset, beatus Franciscus mandavit eidem, ut nudus illuc accederet et praedicta nuntiaret. Cui, cum frater Angelus diceret: « Pater, quid ex hoc habebo »? respondit beatus Franciscus: « Securo te, quod habebis vitam aeternam »; statim frater Angelus, hoc audito, cum summa alacritate nudus per beatum Franciscum iniuncta perfecit.

Dum ergo dictus frater Angelus esset in loco de Casali dicto guardianus, in illis diebus erant tres famosi latrones in partibus illis, qui undique multa maleficia perpetrabant. Hi die quadam ad iam dictum locum accedentes rogaverunt fratrem Angelum guardianum, ut eis de comestibilibus provideret; ipse vero guardianus eos rigida reprehensione exarguens dixit eis: « Vos fures et saevissimi homicidae (b), non solum non erubescitis labores aliorum praedari, sed insuper praesumitis, ut effrontes eleemosynas servis Dei exhibitas devorare, cum sitis digni, quod terra vos non sustineat, quia nullum hominem reveremini et Deum, qui vos creavit, contemnitis; ite ergo pro factis vestris, et huc amplius non accedatis ». At illi indignati plurimum recesserunt. Beatus vero Franciscus iverat pro quaesta panis; et portaverat unam tascham de pane et unam succham (c) de vino. Cui cum frater Angelus, quae facta erant et dicta, retulisset, beatus Franciscus eum valde dure redarguit dicens, quod impie gesserat; nam peccatores melius reducuntur cum dulcedine pietatis, quam cum

(a) As et edd. *comedit.* — (b) As *homines.* — (c) Edd. *zuccham.*

[1] *Actus* c. 6. — [2] Supra pag. 243 lin. 27 de ipso dixerat: « Ubi iaceat, nulla est mentio aut memoria ». — [3] Città di Castello, Borgo Sansepolcro, Monte Casale*, Fratta, Montone, Cerbaiolo, Citerna. — [4] Cfr. supra pag. 242 not. 1.

increpatione crudeli; nam et Christus, magister noster, cuius evangelium servare promisimus, ait: *Non est valentibus opus medicus, sed male habentibus,* [et *Non veni vocare iustos, sed peccatores* [1]]; et ideo frequenter cum peccatoribus manducabat. « Quia ergo contra caritatem et contra exemplum Iesu Christi fecisti, per sanctam obedientiam praecipio tibi, quod statim accipias hanc tascham panis et vasculum vini, quae acquisivimus, et sollicite per montes et valles dictos quaeras latrones, donec invenias; et postea coram eis genuflectes et de incurialitate et crudelitate tua dices eis humiliter culpam tuam; et roga eos ex parte mea, quod amplius mala ista non faciant, sed Deum timeant et proximos non offendant; et si haec fecerint, ego promitto eis de necessariis providere continue pro ipsorum sustentatione; et cum haec [illis humiliter] dixeris, revertaris ». Interim autem beatus Franciscus pro eis rogabat Dominum, ut eorum corda ad poenitentiam emolliret. Frater Angelus pergens omnia sibi imperata perfecit; unde factum est, quod, eleemosynas illas cum latrones illi a sancto Francisco transmissas comederent, ad invicem coeperunt conferre et dicere: « Heu nos miseros et infelices, quam durus infernalis cruciatus nos exspectat, qui pergimus non solum homines praedando et vulnerando, sed etiam mutilando et occidendo; et tamen de tam horrendis sceleribus et homicidiis nullo modo Dei timore et conscientiae compunctione stimulamur; et ecce, iste sanctus frater, qui venit ad nos, modo propter aliqua verba iusta propter nostram malitiam in nos irrogata se coram nobis tam humiliter accusavit; et insuper sancti patris Francisci tam liberale promisssum retulit et panis et vini attulit caritatem. Vere isti sancti sunt Dei, qui caelestem patriam promerentur. Nos vero filii perditionis aeternae, qui flammas ultrices quotidie nostris nefandis operibus nobis cumulamus. Nescio, utrum de patratis facinoribus et commissis flagitiis possimus a Deo misericordiam invenire ». Uno vero illorum praedicta verba dicente, reliqui duo dixerunt: « Quid ergo faciendum est nobis »? Et ille: « Eamus, inquit, ad fratrem Franciscum, et si ipse nobis confidentiam tribuat, quod possimus de peccatis nostris misericordiam a Deo invenire, quidquid ipse mandaverit, faciamus, ut possimus animas nostras de inferni baratro liberare ». In quo consilio omnes tres pariter consenserunt. Et venerunt festinantér ad beatum Franciscum dicentes: « Pater, nos propter multa et pessima scelera nostra non confidimus, nos posse Dei misericordiam invenire; sed si tu confidis, quod Deus nos ad suam misericordiam suscipiat, ecce, parati sumus tecum poenitentiam agere et in omnibus, quae praeceperis, obedire ». Quos beatus Franciscus benigne et caritative recipiens, exemplis eos multiplicibus exhortando, certos eos de inveniendo misericordiam Dei reddidit. Insuper se illis acquisiturum a Domino ipsam misericordiam et gratiam repromisit, instruens illos et ostendens, quomodo divinae misericordiae immensurabilis magnitudo cuncta peccata nostra, etsi infinita essent, praecellit, et quomodo, testante evangelio et apostolo Paulo, Christus benedictus in hunc mundum pro peccatoribus venit redimendis. Propter quae tam salubria hortamenta tres praedicti latrones abrenuntiaverunt mundo; et recepti a sancto patre sibi tam animo quam habitu adhaeserunt. Duo autem illorum parvo tempore viventes post laudabilem mutationem de praesenti saeculo, Domino vocante, migraverunt; tertius vero superstes considerans multa magna peccata, quae fecerat, tali se poenitentiae subegit, quod per quindecim annos, exceptis communibus

---

[1] Matth. 9, 12 et 13.

quadragesimis, quas sicut alii faciebat, continue ter in septimana panem tantum et aquam manducabat; et contentus tantum una tunica (*a*) incedebat discalceatus continue et post matutinum nunquam dormiebat. Infra vero illud quindecim annorum tempus sanctus Franciscus transivit de hoc mundo ad patriam caelestem. Cum autem praedictus frater districtionem hanc poenitentiae annis plurimis tenuisset, quadam nocte post matutinum tanta somnolentia sibi supervenit, quod nullis argumentis poterat somno resistere nec, prout solitus erat, poterat vigilare; qui cum reluctare nequiret nec valeret orare, tentationi succumbens ivit ad lectum, ut dormiret. Statim autem, ut posuit caput in lecto, fuit ductus in spiritu in montem excelsum valde, in quo erat ripa profundissima, et hinc inde saxa praerupta et diversi scopuli prominentes inaequaliter. Ille vero, a quo ducebatur, impulit eum de cacumine dictae ripae, qui in praeceps ruendo per saxa collisiones de rupibus in rupes sustinendo, quando ad profundum ripae pervenit, omnia sua membra videbantur disrupta et ossa confracta. Qui dum iaceret sic collisus, a suo ductore vocatur, ut surgeret, quia magnum adhuc iter ipsum facere oportebat; cui frater respondit: « Durus homo videris et indiscretus, quia, cum videas me usque ad mortem contritum, tu dicis, quod surgam ». Qui ductor accedens ad eum et tangens eum statim ab omni collisione membrorum perfecte sanavit; et tunc ostendit ei magnam planitiem repletam acutis lapidibus et spinis et tribulis et lutosis atque aquosis sabinulis, unde oportebat eum incedere et ad finem planitiei illius accedere, ubi erat fornax ignea, quae a longe videbatur, in quam etiam ille debebat intrare. Cum autem planitiem illam cum magna angustia pertransisset et ad fornacem illam pervenisset, dixit angelus ad eum: « Ingredere fornacem istam, quia sic est necessarium fieri ». Et ille respondit: « Heu, qualis ductor es, quia, cum me videas per istam planitiem angustam tam poenaliter tribulatum, cum maxima quiete indigeam, et tu dicis: ,Intra in fornacem' ». Cum autem aspiceret circa fornacem, vidit undique daemones cum furcis ignitis adstantes; quem differentem intrare, cum ipsis furcis impulerunt subito. Qui cum in ipsum ignem intrasset et per spatium aliquod processisset, invenit ibi quendam suum comparem, qui totus ardebat; et exclamans dixit: « O infelix compar, quomodo huc venisti »? Qui ait: « Procede aliquantulum in isto igne, et invenies uxorem meam, commatrem tuam, quae tibi causam damnationis narrabit ». Cum autem aliquantulum processisset in ignem, et ecce, apparuit ipsa commater totaliter ignita sedens in quadam mensura frumenti constricta. Et ille ait: « O commater infelix et misera, quare in tale supplicium corruisti »? Quae respondit: « Quia tempore magnae famis, quam beatus Franciscus praedixerat, cum ego et vir meus venderemus frumentum, mensuram falcavimus (*b*); et propterea in ista mensura angusta comburor ». Et his dictis angelus expulit eum extra ignem et dixit: « Praepara te ad iter, quia adhuc habes horribile periculum pertransire ». Cui ille dixit: « O durissime ductor, qui nulla compassione moveris! vides, quod sum quasi totus combustus, et dicis adhuc: ,Veni ad horribile periculum' ». Angelus vero tetigit eum et perfecte sanavit et duxit eum ad quendam pontem, qui transvadari non poterat sine ingenti periculo, quia erat nimis extremus et excessive politus. Sub ponte vero fluvius terribilis defluebat, serpentibus, draconibus et scorpionibus et bufonibus horrendis ac foetoribus plenus. Dixit autem angelus: « Transi pontem istum, quia scilicet (*c*) penitus te transire convenit ». Ille autem re-

(*a*) As et edd. *tunicula.* — (*b*) As *falsavimus;* edd. *difalcavimus.* — (*c*) As et edd. om. *scilicet.*

spondit: « Et quomodo possim transire, quin cadam in tam periculosum flumen »? Et respondit angelus dicens: « Veni post me, et ponas scilicet pedem tuum, ubi tu vides positum meum, et bene transibis ». Qui incedens post angelum pedem suum ponendo, ubi praecedens angelus ponebat, pervenit ad pontis medium cum salute. Cum vero essent in medio pontis, angelus volando recessit et ascendit in altum ad quoddam habitaculum valde mirabile in altissimis collocatum. Et ille bene adnotavit, quo angelus advolavit. Sed cum ipse remansisset absque duce in ponte, et illa terribilia animalia fluminis iam capita elevarent ad devorandum illum, si caderet, stabat in tanto terrore, quod nullo modo sciebat, quid faceret, quia non poterat retro nec ante procedere. Unde in tanta tribulatione positus et periculo, inclinavit se et amplexatus est pontem et videns, quod non erat ei refugium nisi Dei, ex intimis cordis coepit invocare Dominum Iesum Christum, ut per suam sanctissimam misericordiam sibi succurrere dignaretur. Et facta oratione visum est sibi mittere alas, de quo valde gavisus exspectavit, donec crescerent alae, sperans ultra flumen ad locum, ad quem volaverat angelus, transvolare. Sed cum nimis festinasset volare, quia alae non bene creverant, a volatu deficiens cecidit super pontem et omnes pennae pariter ceciderunt. Qui territus valde iterum pontem amplexatus est et Christi misericordiam lacrymabiliter implorabat; et iterum visum est sibi, ut mitteret alas. Sed sicut prius ante perfectionem alarum ad volandum festinans, cecidit iterato super pontem, et pennae similiter ceciderunt, ut primitus. Qui attendens, quod propter festinationem volare perfecte non poterat, dixit in corde suo: « Si tertio alas emisero, tamdiu exspectabo, quod non deficiam a volatu amplius »; et visum est ei, quod inter primam et secundam et tertiam missionem alarum per annos CL et amplius exspectasset. Cum autem sibi videretur, quod alas optime complevisset, hac tertia vice levavit se valenter in altum et usque ad praedictum habitaculum, quo volaverat angelus, advolavit. Cum vero ad illius admirabilis habitaculi ianuam pervenisset, dixit ei portanarius: « Quis es tu, qui huc venisti »? Qui respondit: « Ego sum frater Minor ». Et ille: « Exspecta, inquit, ut dicam sancto Francisco et ducam eum huc, si te cognoscit ». Cum autem ille iret pro beato Francisco, ille incepit respicere muros illius civitatis mirabiliter; et ecce, muri illius civitatis tanta erant claritate perspicui, quod omnia, quae intus fiebant, et choros sanctos mirabiles, qui intus erant, clare cernebat. Et cum respiceret, ecce, beatus Franciscus et sanctus frater Bernardus et sanctus frater Aegidius et post beatum Franciscum tanta multitudo sanctorum et sanctarum Dei, qui beati Francisci vestigia fuerant secuti, quod quasi innumerabilis videbatur. Et cum sanctus Franciscus venisset ad eum, dixit portanario: « Permittas eum ingredi, quia de fratribus meis est ». Et tunc beatus Franciscus duxit eum interius multa mirabilia ostendendo. Statim vero quod illuc est ingressus, tantam consolationem et dulcedinem sensit, quod oblitus est omnium tribulationum, quas ante praesenserat, acsi nunquam in mundo fuisset. Post haec dixit ei beatus Franciscus: « Oportet te, fili, redire ad mundum et septem diebus manere, in quibus te praepara omni praeparatione, qua vales, quia post septem dies ego pro te veniam, et tunc mecum venies ad locum istum mirabilem beatorum ». Sanctus vero Franciscus erat chlamydatus chlamyde toto stellis pulcherrimis decorato; et quinque eius stigmata erant sicut quinque pulcherrimae stellae, quae tanta luce fulgebant, quod videbantur totam illam civitatem illustrare; frater vero Bernardus habebat coronam stellarum in capite pulcherrimam; frater Aegidius erat etiam totus mirando lumine decoratus; et multos

alios fratres Minores vidit ibidem cum beato Francisco gloriosos, quos nunquam viderat; et socios suos gloriosos vidit. Licentiatus vero a beato Francisco, quamvis cum multo taedio, ad mundum rediit. Et, cum rediisset, fratres ad primam pulsaverunt; et non plus temporis fluxerat quam a post matutinum usque ad auroram, quamvis sibi videretur stetisse per multos annos. Ipse autem frater iussionem (*a*) et terminum septem dierum per ordinem guardiano recitavit, et statim febricitare coepit. In septima autem die veniens beatus Franciscus [iuxta promissum] cum gloriosa comitiva sanctorum animam illius fratris, angelo deducente, bene purgatam duxit ad gaudia beatorum [1].

In hoc siquidem loco Montis Casalis veniebant et alii latrones pro pane aliquando; et quidam fratres dicebant, quod non erat bonum dare illis eleemosynam; alii vero ex compassione dabant, admonendo eos ad poenitentiam. Et cum fratres super hoc requirerent a beato Francisco, qui ad locum tunc venerat, consilium, an esset bonum dare eis eleemosynam, respondit beatus Franciscus: « Si feceritis, sicut ego dico vobis, confido in Domino, quod lucrabimini animas eorum. Ite ergo, et acquirite de bono pane et de bono vino, et deferte illis in silvam, ubi morantur, et clamate dicentes: ‚Fratres latrones, venite ad nos, quia fratres sumus, et portamus vobis bonum panem et bonum vinum'. Illi statim venient. Vos autem extendite tobaleam in terra, et desuper ponite panem et vinum, et servite eis humiliter et laetanter, donec manducaverint. Post comestionem vero dicetis eis de verbis Domini; et finaliter petatis ab eis amore Dei hanc primam petitionem, ut scilicet promittant vobis, quod non percutient aliquem nec alicui malum facient in persona; si enim omnia simul petieritis, non vos exaudirent. Et ipsi propter humilitatem et caritatem vestram statim promittent vobis. Altera autem die propter bonam promissionem apportate eis cum pane et vino ova et caseum; et serviatis eis, donec comederint; et post comestionem dicatis eis: ‚Quid hic statis tota die ad moriendum fame et tolerandum tot adversa, et cum hoc facitis tot mala voluntate et operatione, pro quibus perditis animas vestras, nisi ad Dominum convertamini? Melius est, ut Domino serviatis, et ipse in hoc saeculo tribuet vobis necessaria corporis et finaliter salvabit animas vestras'. Tunc eis Dominus inspirabit, ut propter humilitatem et caritatem vestram, quam illis ostenderitis, convertantur ». Fecerunt itaque fratres omnia, sicut eis dixit beatus Franciscus. Et ipsi latrones per gratiam et misericordiam Dei exaudiverunt ad litteram de puncto ad punctum omnia, quae fratres ab eis humiliter petierunt; immo propter humilem familiaritatem fratrum circa illos coeperunt et ipsi fratribus humiliter servire portantes in humeris suis ligna usque ad eremitorium; et tandem aliqui ex ipsis intraverunt religionem; alii vero confitentes peccata sua egerunt poenitentiam de commissis, promittentes in manibus fratrum, de cetero se velle vivere de labore manuum suarum et nunquam similia perpetrare [2]. Multa mira fecit beatus Franciscus in hoc loco Montis Casalis; sed hunc locum fratres relinquentes (*b*), incolitur modo per fratres de tertio ordine ibidem poenitentiam agentes. Habet etiam custodia Castelli locum de F r a t t a (*c*); locum M o n t o n i i; locum C e r b a r o l i, ubi etiam beatus Franciscus stetit; et locum C i s t e r n a (*d*), ubi beatus Franciscus fecit miraculum de formicis et de muliere portata per daemones, quae eius impediebat praedicationem [3].

(*a*) As et edd. *visionem.* — (*b*) As et edd. *hic locus a fratribus relictus.* — (*c*) As et edd. *Fracta.* — (*d*) Edd. *de Citerna.*

---

[1] Idem *Actus* c. 29. — [2] Idem *Speculum perf.* (ed. Sab.), c. 66. — [3] Cfr. supra pag. 476.

Custodia TUDERTINA [1] habet locum de Tuderto, in quo miraculis praedicant continue frater Gulielmus, qui tres mortuos suscitavit; frater Rogerius, de quo fit mandato apostolico ibidem festum; frater Petrus de Gallitio (*a*); frater Iacobus Benedictoli; alii fratres fuerunt ibidem notabiles, scilicet magister Matthaeus de Aquasparta cardinalis, qui opus pulcherrimum fecit ad praedicandum, et frater Bentivenga cardinalis. Habet locum de Amelia, qui praedicantem ante mortem et post habuit fratrem Simonem de Cortiano (*b*) miraculis coruscando; locum de Aquasparta, de quo fuit magister Matthaeus cardinalis; locum de Heremita devotissimum, quem fecit beatus pater Franciscus, et continue tenuit fratres regulam ad litteram observantes; locum de Sancta Illuminata, in quo iacent duo sancti, scilicet frater Tentialbene et frater Ioannes de Avelino (*c*), qui miraculis advocant ad vitam perfectam christicolas indesinenter; locum de Monteaione (*d*); locum de Pantanellis; locum de Lognano; locum de Canali.

Custodia EUGUBINA [2] habet locum de Eugubio; in quo miraculis praedicavit frater Thomas etiam post mortem; locum de Gualdo; locum de Noceria, in quo beatus Franciscus fecit illud insigne miraculum, quod cuiusdam maledici (*e*) filium primogenitum prius occidit et contritum suscitando restituit [3]; locum de Capricornio et locum Collestactiario (*f*).

Custodia NARNIENSIS [4] habet locum de Narnio, in quo iacet frater Matthaeus, praedicationem suam signis firmans multis; habuit multos praedicatores praeclaros etiam nostris diebus; locum de Interampne, ubi beatus Franciscus praedicavit et miracula egit, ut dictum est conformitate praecedenti; ibi gloriose praedicant signis frater Petrus de Podio [et] frater Simon de Campo regali; locum Sancti Gemini, in quo sanctus Franciscus uxorem cuiusdam sui hospitis a daemonio, a quo vexabatur, liberavit; locum Pedisluci; locum Strauconii, in quo et fuerunt et sunt devoti, verbo et exemplo populum assidue informantes; locum de Carbio et locum de Arrone.

Custodia vallis SPOLETANAE [5] habet locum de Fulgineo, ubi praedicant et docent continue de regno Dei frater Hermannus et frater Martinus suis signis et assiduis miraculis; locum de Spoleto, ubi frater Simon, in vita praedicator insignis, innumeris miraculis coruscando, etiam clamat converti ad Dominum post mortem; id ipsum peragit sanctus frater Theobaldus in dicto loco tumulatus; locum de Trevio; locum Iani; locum de Pisquia (*g*), ubi clamat suis assiduis miraculis et praedicat sanctus frater Ioannes de Vallibus; locum Montis Falconis et locum Menavii, in quo frater Nicolaus de Pater noster suis signis praedicationem agit ad populum.

(*a*) As et edd. *Galliculo.* — (*b*) As *Tosciano.* — (*c*) As et edd. *Alviano.* — (*d*) As et edd. *Montaione.* — (*e*) Edd. *medici.* — (*f*) Edd. *Colle stacialio.* — (*g*) Edd. *Pistia.*

[1] Todi, Amelia, Acquasparta, Eremita, Alviano, Montaione, Pantanelli, Lugnano, Canale. — [2] Gubbio, Gualdo, Nocera, Caprignone, Costacciaro. — [3] Cel. *Tract. de miraculis,* n. 43. — [4] Narni, Terni, San Gemini, Piediluco, Stroncone, Calvi, Arrone (S. Francesco di Castel del Lago). — [5] Foligno, Spoleto, Trevi, Giano, Brugliano, Montefalco, Bevagna, Monteluco*. Cfr. infra pag. 511 lin. 17.

Custodia MONTANORUM [1] habet locum de Nursia, in quo frater Antonius praedicat suis signis; locum Cassiae, in quo frater Pax clamat ad populum suis virtutibus et miraculis; locum de Visso (*a*); locum Montis sancti Martini; locum Cerreti; locum Vallis; locum Hospitalis; locum Occosii (*b*); locum sanctae Mariae Magdalenae.

Custodia REGNI [2] habet locum Montis Regalis; locum Conissae (*c*); locum Lapostae; locum Montis Leonis; locum Arquatae, in quo frater Paulus suis signis praedicationem facit continue; locum Amatricis; locum de Monticellis; locum Accumuli; locum Civitatis Regalis.

Ista sunt loca, quae hodie (*d*) sunt in provincia beati Francisci; in quibus fratres vita et verbo notabiles fuerunt et sunt, qui praedicationibus et exemplis ad Dominum multos converterunt (*e*). Ut enim patet ex dictis hic et conformitate octava, ultra quinquaginta duo, qui miraculis coruscarunt, in hac provincia reperiuntur; et nullum credo esse locum tam in dicta provincia quam in toto ordine, in quo beati Francisci meritis Dominus Iesus non modica signa ostenderit et miracula, etsi fratrum negligentia sint oblitterata et suppressa.

In Custodia vallis Spoletanae omissus est unus locus, scilicet de Monte Luco (*f*) prope Spoletum, in quo fratres sunt vita austera coetum mundi ad bonum provocantes.

DE PROVINCIA MARCHIAE.

Provincia Marchiae habet 7 custodias.

Et prima Custodia dicitur ESCULANA [3], quae habet haec loca, videlicet, locum de Esculo, in quo fuerunt egregii praedicatores, videlicet sanctus frater Conradus, de quo festum agitur ibidem; frater Hieronymus, in theologia magister et papa romanus, vocatus Nicolaus papa quartus; frater Iacobus de Esculo in theologia magister, et plures alii sufficientia et vita famosi. Locum de Pignano; de quo exstitit oriundus magister Franciscus Rubeus de Marchia, suo tempore praedicatione et aliis virtutibus (*g*) valde clarus; locum de Vena Rupta; locum sanctae Victoriae; locum Pulegii; locum Montis Alti; locum Castilionis; locum Ripae Transonis, de quo fuit magister Ioannes, qui tempore suo nullum habuit ingenio et

(*a*) Edd. *Iusso.* — (*b*) As *Occusii.* — (*c*) As et edd. *Leonissae.* — (*d*) As et edd. om. *hodie.* — (*e*) As et edd. om. sequentia. — (*f*) As et edd. habent in fine custodiae Spoletanae. — (*g*) As et edd. om. *virtutibus.*

[1] Norcia, Cascia, Visso, Monte S. Martino, Cerreto, Valle, Ospedale, Occosia, S. Maria Maddalena *. — *Provinciale* enumerat Hospitale et Occosium in custodia Regni. Cfr. Sbaralea, *Bullarium*, t. IV pag. 253. — [2] Custodia Regni, in regno Neapolitano sita, habuit conventus Montereale *, Leonessa, Posta, Monteleone, Arquata, Amatrice, Monticelli, Accumoli, Cittareale *. — *Provinciale* Arquatum et Amatricem in Custodia Montanorum habet. — [3] Ascoli-Piceno, Appignano *, Venarotta, S. Vittoria, Poggio Canoso, Montalto, Castignano, Ripatransone, Montefalcone, Offida, Montefiore, Acquaviva Picena, Force, Cossignano.

verbo potiorem, ut eius scripta attestantur; locum Montis Falconis; locum de Offida; de quo exstitit oriundus sanctus frater Conradus de Offida, insignis praedicator et sanctus; locum de Monte Florum, qui illum virum habuit excellentem, scilicet fratrem Gentilem, magistrum in theologia et ecclesiae romanae cardinalem; locum de Aquaviva; locum de Furce; et locum de Cossignano (*a*).

Custodia CAMERINI [1] habet locum de Camerino, cuius est praedicator assiduus frater Ioannes de Parma, theologiae magister et ordinis Minorum generalis minister, suis claris et innumeris miraculis; locum de Tolentino; locum de Sancto Severino, in quo iacet frater Bentivola, praedicans continue suis claris miraculis (*b*) et signis; locum de Monte Sancto; locum Civitatis Novae. De hoc siquidem loco fuit quidam sanctus frater Iacobus valde spiritualis et devotus, qui in oratione multoties rapiebatur; et multas consolationes in oratione percipiendo, rogavit guardianum, ut eum ab officio coquinae, quod faciebat, et aliis officiis absolveret, ut liberius orationi posset vacare; cui guardianus annuendo dixit: « Ego omnia faciam; orationi vacetis, sicut placet ». Unde ipse frater Iacobus absolutus a coquina et aliis officiis statim omnem perdidit gratiam, quam in oratione prius habebat; quod cernens cum maximis lacrymis a guardiano petiit, quod eum reponeret, ut prius in coquina; et statim, ut fuit in officio repositus humilitatis, gratiam, quam amiserat, recuperavit. Hic frater, ut in nativitate Domini posset communicare de mane et missae interesse, decoxit carnes de nocte et ipsas iuxta ignem dimisit; sed cum guardianus videret istum stare ad totum officium, miratus ivit ad coquinam et invenit ollas fractas et omnia diffusa et carnes comestas per canes et musipulas. Et reversus ad ecclesiam dixit fratri Iacobo: « Vade in coquinam »; et ille statim ivit. Et inveniens praedicta contristatus est vehementer; unde genuflectens cum lacrymis coepit Dominum rogare, ut sibi tribulationem praefatam auferret. Mirabile dictu! statim ad eius preces omnia sunt reintegrata et restituta ad pristinum statum, acsi nullam habuissent laesionem. Hic post multa patrata miracula requievit in Domino, sepultus in ecclesia saeculari, ubi assiduis praedicat miraculis. Locum de Macerata; locum Montis Luponis; locum de Trabe Bonantis; in hoc loco beatus Franciscus, ut daret potum ipsum aedificantibus locum, oratione fontem aquae convertit in optimum vinum. In hoc loco dum staret frater Bentivola, de quo dictum est, et solus custodiret quendam leprosum, a loco coactus obedientia recedere, et nolens illum leprosum relinquere, involuto eo in pannis et in humeris posito, in parvo tempore, scilicet ab aurora usque ad ortum solis, per quindecim milliaria de loco de Trabe usque ad montem sancti Vicini (*c*) portavit; quod si aquila fuisset, sic in brevi non potuisset volare. Multi sancti fratres in hoc loco degerunt informantes populum praedicatione tam morum quam doctrinae. Locum de Serra; locum de Murro; de quo fuit frater Ioannes de Murro, in theologia magister, ordinis Minorum generalis minister, cardinalis sanctae romanae ecclesiae, episcopus Portuensis, protector ordinis Minorum

(*a*) As *Cassignano*, edd. *Consignano*. — (*b*) As et edd. *operibus*. — (*c*) Codex *Vincini*.

[1] Camerino, Tolentino, S. Severino, Montesanto (nunc Potenza Picena), Civitanova Marche, Macerata, Montelupone, Ponte La Trave, Serra, Murro, Pioraco, Montemelone (nunc Pollenza).

et ordinis sanctae Clarae; qui beatum Ludovicum, filium regis Caroli primogenitum, ad ordinem et professionem recepit. In hoc loco de Murro clamat tuba miraculorum et populum informat frater Massaeus; qui cum esset plebanus et fratrem Bentivolam in aere sublevatum vidisset, dimisso mundo, factus est frater Minor perfectissimus. Locum Plorati et locum Milionis (*a*).

Custodia ANCONITANA [1] habet locum de Ancona novum; sed in antiquo loco frater Servusdei de Barbino vidit fratrem Petrum de Monticulo per sex cubitos in aere levatum usque ad pedes crucifixi [2]; locum Forani; locum de Auximo, in quo suis miraculis praedicat frater Cathalanus zelator altissimae paupertatis; locum de Rachaneto, quem sua vita et miraculis illustravit frater Benvenutus, homo sanctissimus et laicus; qui cum devotione praecipua ferveret ad audiendum missam, quia multoties sibi videbatur, quod in suis brachiis Christum teneret, propter excessivam et singularem, quam habebat ad corpus Christi, devotionem, evenit, quod semel coquinam ad ignem dimittens venit ad ecclesiam, ut corpus Domini videret, ut eo viso ad coquinam statim rediret; sed dum in ecclesia esset, tantum fuit a devotione et consolatione illo mane attractus, quod stetit usque ad horam tertiarum, non rediens aliquando ad coquinam. Sed hora tertiarum audita recordatus de coquina fuit in corde valde tristis effectus, ne videlicet coquina esset totaliter destructa; et pergens ad coquinam, ut posset aliquid de oleribus recuperare, dum ipsam intrat, invenit ibidem iuvenem pulcherrimum capicem tenentem in manu; qui dixit illi: « Ne timeas, accipe capicem, et de ista coquina da secure fratribus, quia Dominus de ipsa habuit curam »; et illico disparuit. Frater Benvenutus dedit de ista coquina fratribus et dixit: « Fratres mei, comedite valenter, quia est de coquina Domini ». Hac coquina nulla fuit aliquando melior comesta. Et frater Ioannes de Alverna fuit unus de manducantibus et alii omnes, qui comederunt, erant in sanctitate praecipui [3]. Habet locum de Cingulo, de quo fuit ille praedicator insignis frater Angelus, sanctitate et paupertate praeclarus; qui divinitus linguam graecam accepit et grammaticam graecam et Ioannem Climacum de graeco transtulit in latinum, dialogum beati Macarii pulcherrimum et quendam librum devotissimum beati Ioannis Chrysostomi [4]; qui qualis fuerit, eorundem librorum stilus profundus evidenter declarat. Hic in praedicatione et aliis fuit magister fratris Simonis de Cascia ordinis Eremitarum, praedicatoris famosi, prout in quadam epistola lugubri de morte (*b*) dicti fratris Angeli asserit ipse frater Simon [5]. Locum secundum in Forano; locum de Monticulo, de quo fuit frater Petrus, fama sanctitatis praedicator (*c*) excellens; de quo conformitate VIII plura sunt dicta; locum de Tornosano; locum Castri Milii; locum de Camorano; locum Castrificardi; locum Siroli, in quo quiescit dictus frater Petrus de Monticulo.

(*a*) As et edd. *Montis Milonis.* — (*b*) Codex *mente.* — (*c*) As et edd. *praedicatione.*

[1] Ancona, Forano, Osimo, Recanati, Cingoli, Montecchio, Tornasano, Castrimiglio, Camerano, Castelfidardo, Sirolo. — [2] *Actus* c. 53 n. 6, ubi *Servadeo de Urbino.* — [3] Cfr. *Chron. 24 gen.*, pag. 189. — [4] Cfr. supra pag. 340 not. 1. — [5] Edidit P. Ehrle in *Archiv für Litteratur—und Kirchengeschichte des Mittelalters,* t. I pag. 535.

Custodia AESINA [1] habet locum de Aesio, de quo fuit frater Crescentius in utroque iure peritus; qui summam in iure fecit, et fuit generalis minister ordinis Minorum, cuius mandato fratres Leo, Rufinus et Angelus, beati Francisci socii, legendam beati Francisci composuerunt pulchram et sermone luculentam. Qui frater Crescentius filium, quem habebat in ordine, cum quaedam indebite egisset, graviter punivit. Locum de Pira; locum de Matelica; locum de Serra Sancti Quirici; locum de Rocha; locum de Serra Comitum; locum de Saxoferrato; locum de Stabulo; locum Montis Novi; locum de Senegallia; locum de Fabriano, in quo iacet praedicator devotus frater Franciscus miraculis gloriosus; locum de Monte Albedii (*a*).

Custodia FIRMANA [2] habet locum de Firmo; locum de Lauro; locum Sancti Genisii (*b*); locum Molliani, in quo iacet frater Iacobus de Fallerono, pater spiritualis fratris Ioannis de Alverna, praedicator vita et doctrina singularis; locum de Cessa Columbo (*c*); locum de Monte Rubano (*d*); locum de Fallerono, de quo fuit frater Peregrinus Bononiae, dum esset studens, a beato Francisco ad ordinem receptus, perfectionis magnae et sanctitatis. Locum Branfortii (*e*); ad hunc locum fuerunt reliquiae translatae multorum sanctorum fratrum, qui in loco steterunt Suffiani, ut dictum est supra conformitate VIII; locum de Monte Ulmi, de quo fuit sanctus frater Petrus de Monte Ulmi (*f*), vita et miraculis praeclarus praedicator, ut dictum est conformitate VIII; locum Montis Granarii; locum Montis Actionis (*g*); locum Sancti Elpidii; locum Montis Sanctae Mariae; locum Montis Sancti Petri; locum de Massa, de quo fuit frater Iacobus, qui historiam acceptionis loci montis Alvernae habuit a fratre Leone, et de miris factis in dicto monte et de stigmatibus sacris, ut dicetur infra conformitate XXXI [3]. Locum de Amandula; locum Sancti Angeli; locum de Penna Sancti Ioannis; in quo iacet frater Ioannes de Penna, mirabilis praedicator sua vita perfecta, ut dictum est conformitate VIII [4].

Custodia FANENSIS [5] habet locum de Fano; locum Montis Avium; locum Fori Simfronii; locum Pensauri; locum Sanctae Victoriae; locum de Pergula; locum de Corinalto; locum de Saltaria; locum de Scotoneto, in quo praedicat assiduis nunc miraculis quidam frater laicus, ibi tumulatus, nomine frater Sanctus; locum Montis Formisini.

Custodia FERETRANA (*h*) [6] habet locum de Urbino; locum Saxicorbarii; locum de Fagiola (*i*); locum Montis Florentini; locum Pennae Sancti Ma-

(*a*) As et edd. *Albedinis.* — (*b*) Edd. *Genesii.* — (*c*) Edd. *colimbo.* — (*d*) As et edd. *Cubano.* — (*e*) As et edd. *Brnforti.* — (*f*) As et edd. om. *de Monte Ulmi.* — (*g*) Edd. *Actonis.* — (*h*) As et edd. *Feletrana.* — (*i*) Edd. *Frigiola.*

[1] Iesi, Apiro, Matelica, Serra S. Quirico, Rocca, Serra de' Conti, Sassoferrato, Staffolo, Montenovo, Senigallia, Fabriano, Montalboldo. — [2] Fermo, Loro, S. Ginesio, Mogliano, Cesapalombo, Monterubbiano, Falerone, Sarnano, Monte del-l'Olmo, Monte Granario, Monte Ottone (?), S. Elpidio, Monte Giorgio, Monte di S. Pietro, Massa, Amandola, S. Angelo, Penna S. Giovanni. — [3] Cfr. *Actus* c. 9 n. 71. — [4] Pag. 286. — [5] Fano, Mondavio, Fossombrone, Pesaro, S. Vittoria, Pergola, Corinaldo, Saltara, Montebarroccio, Mondaino. — [6] Urbino, Sassocorvaro, Faggiola, Montefiore, S. Marino, Lunano, Urbania, Mercatello, S. Angelo in Vado, S. Leone. Cagli.

rini, ubi fratres Dominicus, Petrus de Monte Ulmi, Gratianus suis signis praedicatores egregii ad populum habentur; locum Leonani (*a*); locum Duranti; locum Mercatelli; locum Sancti Angeli in Vado; locum Sancti Leonis; locum Calvii.

Praefata loca sunt in provincia Marchiae; in quibus fuerunt fratres spirituales quam plurimi. Necnon et de dicta provincia fratres alii, scilicet Martinus, Riccerius, Matthaeus de Monte Rubiano, Pacificus, Paulus, Lucidus antiquior (*b*), fuerunt, qui omnes lingua et sanctitate mirabiles etiam exstiterunt miraculis in vita et post mortem ad bonum peragendum fideles inducentes. Haec enim Marchiae provincia sanctis fratribus, sicut caelum stellis, sic ipsa (*c*) est adornata, et de qua egregii praedicatores fuerunt, ut dictum est.

PROVINCIA ROMANA.

Provincia Romana habet 7 custodias.

Custodia ROMANA [1] habet locum sanctae Mariae de Aracaeli; et fuit palatium et camera Octaviani imperatoris, prout habetur in legenda de nativitate Domini [2]. In quo loco praedicat frater Iuniperus, ioculator Christi, suis innumeris virtutibus, quibus fuit adornatus, et praecipue paupertatis et patientiae; cuius praedicationem, dum spiritum emitteret, sancta Clara voluit audire; frater Sabatinus, unus de duodecim primis beati Francisci sociis, cum sancto fratre Electo populum advocant suis claris virtutum insigniis. Multi in dicto loco fratres fuerunt notabiles de domo Columniensium, Ursinorum, sancti Eustachii et aliorum principum romanorum, pro tempore suo verbo et opere ad Christi imitationem populum invitantes. Locum sancti Francisci trans Tiberim; locum de Sutrio; locum Campagnani; locum Civitatis Castellanae; locum Montis Compatrum, in quo sancti fratres plures fuerunt; et praecipue fratres Angelus de Monte Leone et frater Raynaldus de partibus Reatinis, cum multis aliis, qui in dicto loco quiescunt, miris pluribus in vita et post plebem Christi edocentes.

Custodia VITERBIENSIS [3] habet locum de Viterbio; in quo est sepultus ob devotionem ordinis papa Adrianus de Flisco (*d*); et de isto loco fuit frater Marcus, magister in theologia, generalis minister ordinis ac sanctae romanae ecclesiae presbyter cardinalis. Iacet ibidem nobilis praedicator frater Soldanerius, qui solem dedit mundo vita et doctrina. Locum de Tuscanella, in quo beatus Franciscus filium cuiusdam nobilis a nativitate contractum sanavit; et in hoc loco praedicavit frater Gulielmus de Cordella miraculis factis in vita prius et post mortem. Locum de Corneto, ubi beatus Franciscus post suam mortem puerum a valvis ecclesiae oppressum et conquassatum resuscitavit; locum Montis Alti; locum de Monte Flascone; locum civitatis Ortensis, ubi beatus Franciscus puerum conglomeratum signo crucis extendit et reformavit [4].

(*a*) As *Leoni*. — (*b*) Edd. addunt *Ioannes dictus de Alverna*. — (*c*) As et edd. om. *sicut—ipsa*. — (*d*) Edd. *Frisco*.

---

[1] Roma (2), Sutri, Campagnano, Civita Castellana, Monte Compatri — [2] Cfr. supra pag. 68 not. 4. — [3] Viterbo, Toscanella, Corneto, Montalto, Montefiascone, Orte. — [4] Cel., *Tract. de miraculis*, n. 175, n. 54 et n. 178.

Custodia URBEVETANA [1] habet locum de Urbeveteri; in quo inter alios praedicatores excellentes ibidem praedicant frater Ambrosius, qui plures mortuos suscitavit, et frater Moricus, unus de beati Francisci duodecim sociis, sanctis exemplis et miris. Locum de Balneo regio; de quo fuit ille magistrorum praecipuus et praedicator frater Bonaventura, magister in theologia, decem et octo annis generalis minister ordinis Minorum, et sanctae romanae ecclesiae primus ordinis nostri cardinalis, episcopus Albanensis. Locum de Bolsena; locum de Aquapendente; locum de Praeceno, in quo frater Tobias spiritu prophetico radiatus multoties praedidicavit; locum Pitiliani.

Custodia REATINA [2] habet locum de Reate, de quo fuit frater Angelus primus miles, qui ordinem intravit, et multa de beato Francisco novit; iacens Assisii in ecclesia beati Francisci tumulatus. Locum Fontis (*a*) Columbae in quo beatus Franciscus, ieiunando quadraginta diebus, regulam nostram, qua nunc ordo utitur, confecit, prout a Christo audivit, et sic esse Christus ter de caelo coram ministris inclamando asseruit. In hoc loco antiquitus fuerunt multi singulares fratres Deo devoti et mundo praedicantes sanctitatis exemplo. Locum Civitatis Ducalis; locum Longoni; locum Vallis; locum Arcis Simbaldi (*b*); locum de Grechio, in quo beatus Franciscus fecit miraculum de grandine destruente annuatim blada et vineas et a lupis liberavit incolas eius [3]. In hoc loco beatus Franciscus faciens repraesentationem dominicae Nativitatis a domino Ioanne, milite de Grechio, visus est Iesum tenere puerum in ulnis, et plura miranda hic egit. In hoc loco stetit magno tempore frater Ioannes de Parma, qui fuit generalis, et Camerini tumulatus miraculis coruscat; ac multi sancti fratres ibi fuerunt poenitentia mundo praedicando et verbo. Locum Podii Busconii (*c*); locum Taranii; locum Maliani; locum Montis Leonis; locum Sancti Alexandri (*d*); locum Sancti Iacobi.

Custodia TIBURTINA [4] habet locum de Tibure; locum Ruviani; locum de Cellis; locum Sufflagii; locum Vicovarii; locum Civitellae.

Custodiae MARITIMAE [5] habet locum de Terracina; locum Piperni, ubi egit Deus miraculum, quod, dum more solito fratres irent pro pane, et quaedam mulier avaritia ducta eis dare noluisset, filio ferens panem exsistenti in agro, dum scinditur, totus sanguinolentus ab intus reperitur; quo miraculo perculsa mulier cum filio, proponentes semper panem dare fratribus, panis cruoris vestimentum (*e*) statim amisit [6]. Locum Secciae; locum Nymfae; locum Albani; locum Neptuni; locum Velletri.

(*a*) As *Montis*. — (*b*) Edd. *Sinibaldi*. — (*c*) As *Bastonii*. — (*d*) As om. *locum Montis Leonis; locum Sancti Alexandri*. — (*e*) As et edd. *vestigium*.

---

[1] Orvieto, Bagnorea, Bolsena, Acquapendente, Proceno, Pitigliano. — [2] Rieti, Fonte Colombo, Cittaducale*, Longone, Valle, Rocca Sinibalda, Greccio, Poggio Bustone, Tarrani, Magliano, Monte Leone, Toffia, Radicaro. — [3] Cfr. supra pag. 478. — [4] Tivoli, Roviano, Celle(?), Subiaco, Vicovaro, Civitella. — [5] Terracina, Piperno, Sezze, Sermoneta, Albano, Nettuno, Velletri. — [6] *Dialogus* pag. 118.

Custodia CAMPANIAE [1] habet locum Anagniae; in quo iacet frater Haymo in theologia magister et ordinis Minorum generalis minister; qui breviarium correxit et plures rubricas apposuit ac antiphonas ad laudandum beatam Virginem post completorium instituit et ordinavit. Multique alii fratres sunt ibidem sepulti notabiles et singulares. De hoc loco fuit sanctus Andreas, qui Pilii iacet, cardinalis, nepos papae Alexandri quarti, et frater Iacobus, nepos domini Bonifacii octavi, qui fuit sanctae ecclesiae romanae cardinalis. Locum Vallis Montonis; locum Alatri; locum de Ferentino et locum de Pilio, ubi iacet frater Andreas, qui cardinalatui renuntiavit, et nunc tuba miraculorum ad contemptum mundi omnes praedicat et inducit. Locum Segaroli et locum Sonnini.

Romana provincia notabiles habuit fratres, qui in provinciis ordinis gubernacula (*a*) exercentes verbo pariter et exemplo cunctis se egregios ostenderunt praedicatores. Hanc provinciam beatus Franciscus frequentando, specialiter Reatinas partes et Romanas, mira faciendo et docendo venerabilem reddidit et insignem.

DE PROVINCIA TUSCIAE.

Provincia Tusciae habet custodias 7.

Custodia PISANA [2] habet locum de Pisis; qui habuit fratres praedicatione et vita praeclaros, videlicet fratrem Albertum, ordinis Minorum generalem ministrum, qui minister erat Angliae, dum ad generalatus officium fuit assumptus; fratrem Agnellum, primum custodem Parisiensem et primum in Anglia ministrum, per cuius praedicationem et vitam ac miracula post mortem Angliae provincia fundata est et dilatata, et conventus originatus Parisiensis. Multos habuit alios fratres excellentes in theologia magistros et in aliis virtutibus decoratos. Locum de Vico Pisano, in quo beatus Franciscus fuit et praedicavit; locum Sancti Martini; locum Serzanae (*b*) et locum de Pontremulo.

Custodia LUCANA [3] habet locum de Luca; et habuit fratrem unum inter alios magnum praedicatorem, videlicet fratrem Antonium de Luca, qui multa quadragesimalia fecit, in quibus claret eius subtilitas ingenii et scientia, et primo minister fuit Marchiae et demum provinciae Tusciae. Locum de Piscia; locum de Ficeclo; locum Sancti Miniatis, qui multos habuit fratres bonos et specialiter magistrum Antonium, qui Parisius et in Tuscia fuit notabilis homo et praedicator. Locum Pistorii, in quo iacet frater Petrus de Cansano, generalis minister ordinis; et locum de Carmignano.

Custodia FLORENTINA [4] habet locum de Florentia; in quo multi fuerunt fratres singulares. Habuit enim fratrem Ioannem Parentis, qui fuit primus minister generalis post mortem beati Francisci istius ordinis; etsi dicatur de provincia Romana, fuit

(*a*) As *miracula*. — (*b*) Edd. *Sarazanae*.

[1] Anagni, Valmontone, Alatri, Ferentino, Piglio, Zagarolo*, Sonnino*. — [2] Pisa, Vico Pisano, S. Martino*, Sarzana, Pontremoli. — [3] Lucca, Pescia, Fucecchio, S. Miniato, Pistoia, Carmignano. — [4] Firenze, Prato, Castel Fiorentino*, Bosco, Borgo S. Lorenzo, Figline, Barberino.

tamen de Florentia natione. Hunc locum primo fundavit frater Bernardus de Quintavalle, qui fuit primus frater missus a beato Francisco Florentiam. In hoc loco fratres Humilis de Perusio, magnae perfectionis in Florentia reputatus et sua vita praedicator notabilis, Accursus et Benedictus iacent virtutibus illustres. Hic locus semper habuit aliquem fratrem notabilem prae aliis vita et exemplo. In hoc loco, praedicando scilicet in platea, frater Ioannes de Alverna, pluvia descendente super alios, ipsum et pulpitum intactos dimisit. Ad informandum huius civitatis populum omni anno praedicator eligitur potior inter fratres, qui non modicum, ut creditur, fructum faciunt animarum. Locum de Prato, de quo oriundus fuit frater Arlottus, magister in theologia et ordinis Minorum generalis minister, et concordantiarum librum pro magna parte confecit. Habuit et alios fratres ministeriatus officiis in provinciis ordinis exemplo et regimine venustatos. Locum de Castro Florentino; hic habet apud se sepultum fratrem Donatum de Ferraria spiritu prophetico radiatum. Habet et alium fratrem Iacobum de Trisanto (*a*), qui triginta duo quadragesimalia et multos alios sermones tam dominicales quam festivos ad praedicandum peregit. Locum de Nemore, in quo fuerunt plures fratres regulae observantiae decorati; locum Burgi Sancti Laurentii, in quo fuit beatus Franciscus, et ubi sedit, in devotione banca tenetur (*b*). In loco de Nemore etiam fuit beatus Franciscus, et frater Bonaventura, cardinalis noster primus, ibidem capellum recepit. Locum de Figino (*c*) et locum de Barberino.

Custodia SENENSIS [1] habet locum de Senis, qui ab antiquo loco per iactum distat balistae. In quo loco antiquo beatus Franciscus, revertendo de Roma de sero, baculum figendo in terram in arborem excrevisse pulcherrimam de mane invenit. In eodem loco beatus Franciscus fecit aliud miraculum de ferro ignito per tympora sibi a medico immisso propter infirmitatem oculorum, et tamen ab ipso igne non est laesus. In dicto loco visitatus a magistro in theologia et interrogatus de quodam dubio et conscientiae scrupulo, beatus Franciscus utrumque declarando dictum magistrum informavit. In loco, ubi modo fratres stant, fuerunt multi venerabiles fratres scientia regiminis, exemplo vitae et doctrinae in ordine speciales et praedicatores nominati; et inter alios fuit frater Bindus, qui multos sermones praedicabiles egit (*d*) et ordinavit. In hoc siquidem loco, dum duo iuvenes essent in horto, videlicet frater Minus (*e*) Altimanni, qui fuit postea minister Tusciae, et Guido de Solvena (*f*), et loquerentur de Deo, Dominus Iesus in specie pueri apparuit inter eos, prout clare vidit sanctus frater Petrus Pectinarius de tertio ordine, qui tunc per hortum Deum contemplando pergebat. In hoc loco receptus ad ordinem quidam fuit novitius, qui, ut mulierem quandam haberet, diabolo se dedit et chirographum suo sanguine et manu propria scriptum de hoc eidem dedit; qui cum magistro suo rem aisset, confortatus ab ipso, cum pro ipso pluries celebrasset, meritis Salvatoris in sacramento contenti et sui magistri, chirographum, quod diabolo dederat, in signum indulgentiae recepit, dum missam magister celebraret, collapsum de caelo. In hoc loco beatus Ludovicus noster, dum esset episcopus Tolosanus, paropsides lavit in signum humilitatis. Locum de Sancto Geminiano (*g*), de quo exstitit oriundus frater Ioannes de Caulibus,

(*a*) Codex *Crisanto*. Cfr. Sbaralea, *Supplementum*, pag. 378. — (*b*) As et edd. invertunt ordinem. — (*c*) As *Fighini*, edd. *Fichini*. — (*d*) As et edd. *composuit*. — (*e*) Cfr. supra pag. 261, ubi Codex *Nunus*. — (*f*) As et edd. *Solvengo;* supra pag. 261 Codex *Bolsena*. — (*g*) As *Germano*.

[1] Siena, S. Gimignano, Colle Val d'Elsa, Volterra, Poggibonsi, Asciano.

magnus praedicator et devotus, qui meditationes super evangelia fecit pulchras; locum de Colle; locum de Vulterris; locum de Podio Bonizi et locum de Asciano.

Custodia ARETINA [1] habet locum de Aretio, in quo beatus Franciscus fecit miraculum de expellendo daemones a civitate et ipsam pacificando. In hoc loco iacet sanctus frater Benedictus, primus minister Antiochiae, qui imperatorem Constantinopolitanum et regem Ierusalem Ioannem ad ordinem recepit; hic suis claris miraculis multos et vita praedicando illustravit. Locum sacri montis Alvernae, quem Dominus Iesus suis saepissimis apparitionibus factis fratribus et stigmatizatione beati Francisci sanctissimum reddidit et honore dignissimum; quem sancti angeli sibi in singularem montem vindicarunt, volentes, quod iste mons angelorum vocetur, sicut cuidam guardiano Florentiae, qui ad ipsum montem ob devotionem perrexerat, est per angelos indicatum. Cum enim in capella beati Francisci vellet celebrare et fuisset indutus et inciperet « Introibo ad altare Dei » etc., subito factus in ecstasi, vidit quendam angelum dicentem sibi: « Frater, de quo vis celebrare »? Cui frater respondit: « de cruce ». Cui angelus: « non celebrabis de cruce ». Cui frater: « igitur celebrabo de beato Francisco ». Cui angelus dixit: « nullo modo ». Cui frater: « igitur celebrabo de Domina nostra ». Cui angelus: « non facias ». Cui cum frater diceret: « de quo celebrabo »? respondit: « de angelis; totus enim iste mons est angelorum »; et frater ad se reversus, sicut erat admonitus, missam de angelis celebravit. In hoc siquidem monte iacent fratres sancti Ioannes de Alverna, Gulielmus de Radicofano, Clemens et multi alii, etsi non nominentur, virtute praeclari, qui huius montis assiduitatem praedicant omnibus amplexandum. Locum de Puppio, in quo iacet frater Iacobus Barlectanus, certificatus a Christo de remissione plenaria peccatorum; in cuius signum ipsius fratris manus in suas ponendo, odor suavissimus in fratris manibus tamdiu remansit, quamdiu post magnum temporis spatium manus non lavit. Locum de Gangareto, ubi beatus Franciscus fuit et fontem in silva fecit; locum de Monte Varci; locum de Lucignano; locum de Castillione, de quo fuit frater Mansuetus, qui a sancto Ludovico Francorum rege partem habuit coronae spinarum Christi, ut ipsius regis patet littera [2]; locum de Cortonio, in quo est crux, quam fecit sancta Helena filio Constantino, dum iret ad bellum; ponebatur enim super caput equi; ipsa mediante victoriam obtinebat. Crux ipsa multa miracula fecit et facit, ignem multoties in civitate apprehensum sui ostensione statim exstinguendo [3]. In loco antiquo de Cortonio, ubi stetit beatus Franciscus, stetit frater Guido, qui mirandis fulgens signis per populum abinde levatus in civitatem deductus, sepultus est in ecclesia cathedrali.

Custodia CLUSINA [4] habet locum de Clusio; locum de Castro Plebis; locum de Sciptona (*a*), ubi beatus frater Aegidius habuit a Deo mirabiles consolationes, ut dictum est conformitate VIII. In quo iacet sanctus frater Guido, qui spiritu prophetico

(*a*) As et edd. *Scetona*.

[1] Arezzo, Alverna, Poppi, Gangareto, Montevarchi *, Lucignano, Castiglione Fiorentino, Cortona. — [2] Cfr. Sbaralea, *Supplementum* pag. 507. — [3] Videtur loqui de reliquia sanctae Crucis, quam portavit ex Graecia fr. Elias (cfr. Lempp, *Frère Èlie de Cortone,* pag. 150). — [4] Chiusi, Città della Pieve, Cetona, Sarteano, Radicofani, Piano, S. Processo, Colombaia, Montalcino, S. Quirico, Pienza, Montepulciano.

et sanctitate fuit plenus, aliusque frater noster, qui canonicus fuerat sanctae Mustiolae (*a*) de Clusio, vitae sanctissimae; in die Purificationis a Virgine visitatus, Iesum habuit in suis ulnis ad instar sancti senis Simeonis. Plures alii sancti fratres in hoc loco devotissimo fuerunt. Locum de Sartiano; cui ad duo milliaria est eremitorium propinquum, in quo beatus Franciscus stetit, atque carnis tentatione inquietatus, faciendo uxorem et filios et filias de nive atque se in foveam glacie et nive plenam proiiciendo, ipsam cum diabolo superavit [1]. Locum de Radicofano; locum de Plano, de quo fuit frater Andreas de Plano, homo vitae perfectae et magister multorum fratrum; ad quem Christus, in dicto loco dum staret et iuxta silvam, in specie seraph a caelo descendendo venit. Locum de Sancto Processo; locum de Columbaria (*b*); in quo iacet frater Guido de Solvena; qui cum esset Senis novitius et de Deo cum alio fratre, nomine Mino, loqueretur, Christus in specie pueri pulcherrimi apparuit in medio eorum et usque ad primum signum pro vesperis cum ipsis stetit. Huic iam antiquato gattus quidam eundo venatum avem unam omni die portabat ad comedendum; et frater Franciscus de Monte Ilcino (*c*), qui sibi serviebat, accipiendo avem, eam praeparando eidem. Die quadam, cum frater Franciscus ad eius cellam more solito perrexisset, invenit eum acerrime plorantem; et cum causam quaereret, inquit frater Guido: « Propinqua ad me, et ego dicam tibi ». Cumque ille fecisset, frater Guido coepit eum cum baculo, quem in manibus gerebat, percutere; cumque ille de hoc miraretur et diceret, cur sic faceret, respondit: « Ego te percutio, ut quae tibi dicam, impressius habeas in memoria. Causa ploratus mei est ista: Dominus mihi revelavit, quod hinc ad paucos dies (*d*) insurget quaedam secta in ordine et sub praetextu observantiae regulae dividetur ab aliis fratribus, qui multa impie agent et erunt Deo [per omnia] odiosi; quare, fili, cum haec videris, non iungas te eis; sed fuge eos sicut Dei hostes et suae regulae transgressores ». Hunc migrasse dictus frater Franciscus invenit, dum ad locum redisset de via, quam perfecerat obedientiae sanctae mandato, atque gattum, qui sibi avem deferebat, ad ostium cellae pariter invenit exstinctum. Multi alii sancti fratres in hoc loco fuere, circumquaque habitantes suae vitae praedicatione ad Deum convertentes. Locum Montis Ilcini (*e*), ubi sanctus [frater] Philippinus miraculis coruscando conversionem gentium ad Christum praedicat continue; locum Sancti Quirici; locum de Corsignano (*f*) et locum de Monte Polizano (*g*), qui habuit multos fratres scientiae et virtutis; et praecipue habet nunc fratrem Leonardum, iudicio omnium eum agnoscentium inter omnes fratres in ordine degentes in omnibus singularissimum (*h*).

Custodia MARITIMAE [2] habet locum de Massa, in quo est sepultus frater Bernardinus (*i*) signis gloriosus; hic locus habuit plures praedicatores solemnes; locum de Plumbino; locum de Grosseto; locum de Castillione; locum de Suvareto (*k*); locum de Monteno. Dicta loca probos fratres habuerunt litteratos et praedicatores praecipuos.

(*a*) Codex *Mastiolae*. — (*b*) Codex *Columbano*. — (*c*) Codex *Ilano*. — (*d*) As et edd. *annos*. — (*e*) Codex *Ilani*, As *Yleni*. — (*f*) Edd. om. *locum sancti Quirici; locum de Corsignano*. — (*g*) As et edd. *Policiano*. — (*h*) As et edd. om. *et praecipue—singularissimum*. — (*i*) Cfr. supra pag. 253, ubi *Bernardus*. — (*k*) As et edd. *Severeto*.

[1] II Cel. 3, 59. — [2] Massa, Piombino, Grosseto, Castiglione, Suvereto, Montieri*.

Iam dicta sunt loca provinciae Tusciae, in quibus fuerunt notabiles fratres verbo et vita apud saeculares famosos, quorum nomina, etsi non sunt multum notata per fratres, sufficit, quod a Christo sunt inter electos adscripta, quia et opera plura fecerunt Deo accepta et mundo, et specialiter ad praedicandum.

PROVINCIA BONONIAE.

Provincia Bononiae habet 5 custodias.

Custodia BONONIAE [1] habet locum de Bononia. In quo iacent fratres sanctitate praeclari, scilicet Nicolaus, qui in vita mortuum suscitavit ac novos oculos habenti erutos tribuit; Bonizius, qui cum beato Francisco fuit, quando regulam nostram, qua utimur, perfecit; Guido de Spatis, praedicator devotus; Matthaeus de Faventia et Gulielmus de Cortimilio; quorum miris et praedicatione tota renovata fuit Bononia. In loco Bononiae fuit illud de crucifixo, videlicet: Nam cum quidam frater tempore capituli generalis ibidem celebrati falso (*a*) fuisset generali ministro incusatus, frater incusatus ad crucifixum, qui est (*b*) in ecclesia, accessit, conquerens, quomodo ipse, cum esset iustus (*c*), permitteret, ipsum sic iniuste infamari et accusari. Et crucifixus tunc per versus eidem respondit dicens [2]:

Et ego quid demerui — Pendens inter latrones?
Oravi nec obtinui — Carnis petitiones.
Calicem mortis sorbui — Patri placere studui
Per carnis passiones.

Ergo non murmur exeat — Si non fit quod orasti.
Nec orasse poeniteat — Quamvis non impetrasti.
Dum fraudat desiderium — Ad maius beneficium
Datorem obligasti.

Ad me si levas oculum — Vides argento vendi
Tradi quoque per osculum — Et dure comprehendi.
Ac alligari funibus — Confici verberibus
Sine lege parcendi.

Relinquor ab amantibus — Velut iam desperatus.
Praesentor pontificibus — Quasi latro ligatus.
Si quos amavi fortius — Ab his inquam citius
Sum spretus et negatus.

Ibi clamor, derisio — Severitas minarum
Et capitis velatio — Et ictus maxillarum.
Omnes impune feriunt — Et quidquid mihi faciunt
Videtur esse parum.

Saturatus opprobriis — Ducor ad Pilatum.
Renovatus iniuriis — Ruunt in accusatum.
Hinc homicidam liberant — Et me cruenter verberant
Ad mortem iudicatum.

(*a*) As et edd. om. *falso.* — (*b*) As et edd. *erat.* — (*c*) As *non esset iustus si.*

[1] Bologna, S. Francesco, Lugo de Paci, Vergnana, Pianoro, S. Giovanni in Persiceto, Confortino, Crespellano, Ronchi, Riccardina, Calderara di Reno. — [2] Cfr. Dreves, *Analecta hymnica medii aevi, XXXI,* 53.

Ibi nil valet veritas — Sive ius allegando.
Sed aemula clamositas — Praevalet insultando.
Nec praeses dat praesidia — Nec curam gerit curia
De iusto liberando.

Quasi vile mancipium — Dant in Herodis manus.
Mox producor in medium — Deludor ut insanus.
Tandem remissus Pontio — Diro mortis supplicio
Condemnor ut profanus.

Extra muros eiicior — Et ipse crucem fero.
Matre vidente spolior — Vestimentis, quae gero.
Tandem clavis confodior — Et cum in cruce morior
De vita non despero.

Tu ergo vermis non turberis — Si statim non consequeris
Quidquid a Patre quaeris.

Frater vero, his auditis, stupefactus ex locutione et reverberatus (*a*) ex verbis Christi, quidquid sibi fuisset impositum, libenter excepisset; sed Domino faciente, eius innocentia est reperta. Frater iste dicitur fuisse magister Ioannes Peccian Anglicus, qui fuit Angliae minister et archiepiscopus Cantuariensis. Fratres vero praefati, scilicet Matthaeus de Faventia et Guido de Spatis, egregii praedicatores fuerunt, et frater Guido semper de passione Domini praedicando clavum quendam ob memoriam passionis semper in manu ferebat, dum praedicaret; et magnum fructum faciebat animarum. Locum Sancti Francisci cum monasterio; locum Domini Pacis; locum Uragnanae; locum Planorii; locum Sancti Ioannis, de quo exstitit oriundus frater Bonagratia, qui fuit ordinis Minorum generalis minister; locum Confortini; locum Crespollani; locum Argelatae; locum Riccardinae; locum Caldérariae (*b*).

Custodia FERRARIAE [1] habet locum de Ferraria; in quo evenit hoc, videlicet, quod, cum quidam iuvenis esset in dicto loco et locum optaret solitudinis, ut liberius Deo vacaret, diabolus hoc agnoscens se in formam angeli transfigurans, eidem apparens dixit, quod bonum erat, quod optabat; attamen, quia sibi licentiam non darent fratres, suasit fratri, quod post completorium in horto maneret, et fovea horti transita, ipsum duceret, quo optabat; et sic sine licentia praelatorum frater disponens a loco recedere, cum clauderetur hortus de sero, ibidem absconse remansit. Dum sic exspectaret, diabolus luce obscura ultra foveam apparens et loci terminum fratrem vocavit et ei dixit, ut foveam transiret saltando. Sed frater timens facere propter latitudinem et profunditatem foveae, dixit ei: « Transfer me ad aliam partem », cui diabolus: « Ego ultra foveam transire non valeo, quia est terminus loci ». Et cum frater de causa peteret, respondit diabolus, quia a dicta oratione completorii: « Visita quaesumus, Domine, habitationem istam » etc., quam fratres cum magna dicunt et audiunt devotione, nullus daemon usque ad horam diei primam terminum loci valet intrare. Cui frater: « Ergo diabolus es tu »? Respondit: « Sum; qui te, ubi terminum

(*a*) As et edd. *roboratus.* — (*b*) Edd. addunt *locum Sanctae Mariae in Monte.*

[1] Ferrara, Modena, Fanano *, Carpi, Mirandola, Reggio, Montefalcone *.

loci praeteriisses, quia sine obedientia (*a*) recedebas et apostatare intendebas, illico in hac fovea submersissem; sed non valeo causa praedicta »; et statim disparuit. At frater vocatis fratribus cuncta, quae contigerant, narravit eisdem, et in ordine deinceps permansit providus et devotus. In hoc loco, quia cum summa devotione antiquitus divinum persolvebatur officium, sancti angeli et visi sunt et auditi cum fratribus laudes matutinales Domino decantare (*b*); locum de Mutina, in quo iacet frater Gerardus, coruscans miraculis et magnus praedicator, de cuius praedicatione habes conformitate VIII, et dicetur conformitate XXXVIII. De hoc loco fuit frater Thomas de Ferignano, in theologia magister, praedicator maximus; qui fuit generalis minister ordinis Minorum (*c*) et cardinalis sanctae romanae ecclesiae, episcopus Tusculanus. Locum de Fanano (*d*); locum de Carpo; locum Admirandulae; locum de Regio, de quo fuit frater, qui fecit librum, qui dicitur *Mamotrectus*, et locum Montis Falconis.

Custodia PARMAE [1] habet locum de Parma; de quo fuit [sanctus] frater Ioannes de Parma, magister in theologia et ordinis Minorum generalis minister; et iacet Camerini assidue coruscans miraculis. De hoc loco fuit alius frater, qui stetit (*e*) in Monte Compatrum, provinciae Romanae, cuius sanctitatem ostendit ramus olivae benedictus, quem habuerat in die Palmarum, quem de sero terrae infigendo, de mane reperit in arborem pulcherrimam excrevisse. Habuit alios magistros iste locus et fratres praedicatores egregios et probitate vitae praeclaros. Habuit istis temporibus quendam fratrem, licet parum vixerit in ordine, filium cuiusdam marchionis Malaspinae, cuius castrum cum inimici cepissent, patrem et fratres interfecerunt, ipsum vero, quia puer erat quinque annorum forte, per fenestram arcis proiecerunt coram sua matre, sine dubio propter altitudinem loci maximam vita cariturum. Sed dum sic proiiceretur, mater clamavit: « Sancte Francisce, adiuva filium meum ». Mirum certe! puer descendit per spatium unius magni milliarii, et in nullo fuit laesus. Et cum inimici a castro essent expulsi, puer ante portam castri fuit portatus et ibi dimissus; et cum eiularet, mater vocem filii audiens fecit aperiri castri portam, et filium sine laesione [aliqua] reperit. Puer autem dixit, quod quidam eum tenuerat frater; quod mater intelligens, ipsum fuisse beatum Franciscum cognovit, quem pro filio adiuvando invocaverat. Statim mater: « Ex quo beatus Franciscus te liberavit, inquit, beati Francisci amodo filius eris »; et veniens Parmam fecit eum indui; sed secundae pestis tempore decessit. Locum de Cremona; in quo fuerunt duo fratres ambo sufficientes et in theologia magistri; locum Burgi sancti Dompnini, in quo beatus Franciscus fecit miraculum de panibus. Nam cum de nocte illuc pervenisset cum pluribus fratribus et famesceret, nec castrum, quia clausum erat, possent ad panem acquirendum adire, nec in loco esset panis, oratione facta, misit fratrem ad locum, ubi panis reponi consueverat, dicens: « Porta canistrum plenum panibus, quod ibi invenies »; quo cum perrexisset, sicut beatus Franciscus praedixerat, invenit; et beatus Franciscus cum sociis ex ipso fuit plene refocillatus et recreatus. Locum de Placentia, in quo multi sunt insigniti titulo magisterii; in conventu est sepultus magister Franciscus de

(*a*) As *licentia.* — (*b*) Edd. addunt *In Ferraria extra muros est alius locus devotorum fratrum.* — (*c*) As et edd. addunt *deinde patriarcha Gradensis.* — (*d*) As *Favano,* edd. *Fenano.* — (*e*) As *stat.*

[1] Parma, Cremona, Borgo S. Donnino, Piacenza, Bobbio, Casalmaggiore*.

Mayronis; et multos fratres probos habuit et bonos praedicatores. Locum de Bobio; locum Casalis Maioris.

Custodia RAVENNAE [1] habet locum Ravennae; in qua civitate et loco daemon per os unius mulieris, nomine Zantesae, coactus, multis veritatem pandidit indulgentiae sanctae Mariae de Portiuncula de Assisio, et multa dixit de gloria beati Francisci, sicut conformitate XIV et XXXVIII dicetur. Locum de Imola; ubi beatus Franciscus primo ab episcopo repulsus, ne praedicaret, deinde episcopus beati Francisci victus humilitate, sibi et aliis fratribus liberrime praedicandi licentiam impartivit. Locum de Faventia, de quo fuit frater Matthaeus, qui Bononiae iacens in vita et post signis emicuit; locum Cerviae; locum Montis Regis; locum Tossignani; locum de Lugo; locum de Bagnocavallo, in quo beatus Franciscus ab incendio domum cuiusdam Bertae sororis de tertio ordine eripuit, prout conformitate XL dicetur.

Custodia FORLIVIENSIS [2] habet locum de Forlivio; locum de Arimino; in quo beatus Franciscus plura fecit miracula, ut dicetur conformitate XL; et beatus Antonius ibidem stetit et miraculum de piscibus ad suam praedicationem audiendam fecit, veritatem corporis Christi asinae adoratione monstravit haereticis, et plura alia mira ibidem peregit. Iacent ibi fratres Ioannes Barontii et Andreas, vitae primo exemplaritate et nunc signis hominibus praedicantes. Locum Cesenae, de quo fuit frater Michael, in theologia magister et ordinis Minorum generalis; locum Sancti Archangeli; locum Meldulae; locum Longiani; locum Sanctae Agathae; loca duo in Veruchio (*a*); locum Fractae; locum Bertenorii (*b*); locum Castrocarii (*c*).

In hac siquidem Bononiae provincia rigiditas [magna] viguit observantiae regularis ac studia scientiarum. Et de ipsa provincia fuerunt fratres plures fama, vita, verbo et scientia singulares, a quibus fratres aliarum provinciarum, de praefatis trahentes exempla, suis personis in moribus et scientia nativas provincias decorarunt.

PROVINCIA SANCTI ANTONII.

Provincia Sancti Antonii habet custodias 4.

Custodia PADUANA [3] habet locum de Padua. In quo iacent duo fratres sanctissimi et praeclarissimi praedicatores, videlicet sanctus Antonius catalogo sanctorum adscriptus, de quo dictum est diffusive supra conformitate VIII; quo nullo suo tempore in mundo melior fuit praedicator et acceptior Deo et hominibus. Cuius lingua in huius signum manet integra et incorrupta, reliquo corpore in cinerem resoluto. Praedicationis ipsius exstant opera quadragesimalia, dominicalia et festiva, quae ipse peregit (*d*); multosque suo verbo ad fidem haereticos convertit, et in tantum omnium corda commovit, quod ad confessiones audiendas sacerdotes, cuiuscumque essent status,

(*a*) As *Vernechio.* — (*b*) As *Bertonorii.* — (*c*) As et edd. *Castrocari.* — (*d*) As et edd. *composuit.*

[1] Ravenna, Imola, Faenza, Cervia *, Monte del Re, Tossignano, Lugo, Bagnacavallo. — [2] Forlì, Rimini, Cesena, S. Arcangelo, Meldola, Longiano, S. Agata, Verucchio, Fratta, Bertinoro, Castrocaro. — *Provinciale* addit « Forolivii Papilii ». — [3] Padova, Vicenza, Monselice, Este, Lendinara, Rovigo, Pieve di Sacco, Bassano, Quartarolo, Bovolenta, Montagnana *.

non sufficiebant, ac Deus ipse, ut conformitate VIII est dictum, plura mira ostendit. Frater Lucas, eius socius tam in sanctitate quam doctrina et praedicatione, iacet ibidem, qui praeter miracula dominicale pulcherrimum ad praedicandum edidit et subtile. In hoc etiam loco nunc sanctus Ludovicus noster maximis fulget miraculis. Iacet in hoc loco sanctus homo frater Fidentius; et multoties (*a*) alios fratres probos hic locus habuit. Locum de Vicentia; locum Montis Silicis; locum Estensem; locum Lendenariae; locum Rodigii; locum de Plebe Sacci; locum Basiani; locum Quartaroli; locum Begnlentae; locum Montignani (*b*).

Custodia VENETIARUM [1] habet locum de Venetiis. In quo loco reconditi sunt fratres Carissimus de Clugia, assidue clarens signis, et Gentilis de Marchia; qui sua praedicatione multos infideles ad Dominum convertit; fuit enim in partibus illis multo tempore et ibi terminavit dies suos; corpus tamen eius ductum fuit Venetias per dominum Marcum Corneyo (*c*), qui fuit post dux Venetiarum. In hac civitate de ordine nostro fuerunt positi praecipui praedicatores pro consolatione civium dictae civitatis; et de civitate ipsa fuerunt multi notabiles fratres; sed inter alios fuit frater Nicolaus Mutio, qui opera beati Gregorii per materias distinguendo fecit opus maximum, multum pulchrum et notabile; ipsumque domino Gregorio XI (*d*) praesentavit (*e*). Locum Sancti Nicolai; locum de Vineis; locum Sancti Francisci de Contrata, quem locum fecit quidam civis videndo in raptu excellentiam beati Francisci et statum in vita beata; in dicto loco multa miracula fecit beatus Franciscus et facit. Locum de Tarvisio (*f*); locum de Corneglano, in quo conditus est frater Marcus signis clarus; locum de Clugia; locum Civitatis Belluni; locum de Feltro; locum Serravallis et locum Assilii.

Custodia FORIIULII [2] habet locum de Utino; in quo iacet frater Odoricus suis virtutibus in patriarchatu Aquilegiensi canonizatus, qui quasi totum orbem visitavit (*g*) praedicando et informando. Locum Portus Gluarii (*h*); locum Civitatis Austriae; locum de Glemona; locum Castelli; locum Villae Altae; locum Fulanitii (*i*); locum Glutiae (*k*).

Custodia VERONENSIS [3] habet locum de Verona; locum de Mantua, in quo iacet frater Benevenutus, qui signis exstitit gloriosus; locum Tridenti; locum de Ripa et locum Coloniae.

Provincia beati Antonii plures habuit et habet magistros de Padua, de Venetiis, de Mantua et aliis locis, et alios fratres, qui scientia praediti praedicatores fuerunt praeclari et opera praedicationum fecerunt.

(*a*) As et edd. *multos.* — (*b*) As et edd. addunt *locum Sancti Petri de Viminaro; locum Sanctae Ursulae; locum Galzignani.* — (*c*) As *de Cornerio.* — (*d*) As om. *XI;* edd. *IX.* — (*e*) As et edd. *Habuit etiam locus ipse Venetiarum fratrem Ludovicum magistrum in theologia, qui fuit generalis ordinis, et postmodum sanctae romanae ecclesiae cardinalis.* — (*f*) As et edd. *Trevisio.* — (*g*) As et edd. *perambulavit.* — (*h*) As et edd. *Gruarii.* — (*i*) As *Falcinicii,* edd. *Fulcinicii.* — (*k*) As et edd. *Goriziae.*

[1] Venezia, S. Nicoletto, La Vigna*, S. Francesco in Contrada, Treviso, Conegliano, Chioggia, Belluno, Feltre*, Serravalle*, Asolo. — [2] Udine, Portogruaro, Cividale, Gemona, Castello, Villa Alta*, Pulcenigo, Gorizia (Görz). — [3] Verona, Mantova, Trento, Riva, Cologna.

PROVINCIA MEDIOLANI.

Provincia Mediolani habet 5 custodias.

Custodia MEDIOLANI [1] habet locum de Mediolano; qui olim fuit hortus Philippi [2]; in quo sancti martyres Gervasius et Protasius, Narborius (*a*) et Nazarius et multi alii sancti martyres sunt sepulti. Habuit locus Mediolani fratrem Leonem archiepiscopum Mediolani, sanctum hominem, et fratrem Petrum de Archagnano inquisitorem; qui nolens delere haereticos de libro inquisitorum, ab ipsis est occisus; ac fratrem Antonium de Rosate, qui a saracenis fuit interfectus. Locum de Lauda, in quo fuit episcopus frater Leo de Laude sanctitate praeclarus; qui corrigendo suos clericos ab eis est fortissimo veneno potionatus, sed in nullo laesus. Locum de Pozzolo; locum Galeratae et locum Sorani.

Custodia MODOETIAE [3] habet locum de Modoetia; locum Oppretii (*b*); locum Vicemercati; locum de Cantu (*c*); locum Detii (*d*); locum Margliani.

Custodia BRIXIENSIS [4] habet locum de Brixia; locum de Pergamo; locum de Iseo; locum de Gregano (*e*); locum Vallis Canonicae (*f*) et locum de Crema.

Custodia CUMANA [5] habet locum de Cumis; locum Varisii; locum Luguani (*g*), locum Lucorani.

Custodia VERCELLENSIS [6] habet locum de Vercellis; locum Novariae; locum Yporegiae; locum Oxellae (*h*); locum Austae.

Haec Mediolanensis provincia plures habuit et habet notabiles fratres magistros et non magistros, qui apud suos cives praecipue in fama fuerunt notabiles.

PROVINCIA IANUAE.

Provincia Ianuae habet custodias 6.

Custodia IANUAE [7] habet locum de Ianua; in quo iacet frater Belengerius de Monteacuto (*i*) miraculis insignis, et frater Bonifacius de Riparolo, dictae provinciae minister, vitae sanctae et scientiae profundae. De hoc loco fuit magister Henricus de Iardino (*k*) homo sufficientiae magnae et praedicator egregius; qui super Ioannem scripsit luculenter et quadragesimalia plura (*l*) peregit. Habuit locus Ianuensis magi-

(*a*) Edd. *Nabor.* — (*b*) As *Opprini,* edd. *Oppreni.* — (*c*) Edd. *Canturio.* — (*d*) Edd. *Desii.* — (*e*) Edd. *Gregnano.* — (*f*) Edd. *Camonicae.* — (*g*) As *Lugnani,* edd. *Lugani.* — (*h*) As *Moellae,* edd. *Meellae.* — (*i*) As et edd. *Montecuto.* — (*k*) As *Monte Iordano,* edd. *Monte Iardino.* — (*l*) As et edd. addunt *utilia.*

[1] Milano, Lodi, Pozzuolo, Gallarate, Saronno. — [2] Cfr. *Acta SS.*, t. III iunii pag. 821 seqq. — [3] Monza, Oreno, Vimercate, Cantú, Desio, Mariano. — [4] Brescia, Bergamo, Iseo*, Gargnano, Valcamonica, Crema*. — [5] Como, Varese, Lugano, Locarno. — [6] Vercelli, Novara, Ivrea, Biella, Aosta*. — [7] Genova, Savona, Chiavari, Albaro, Chiapetta, Sestri Ponente, Cairo.

strum Bartholomaeum de Cucurno, bonum praedicatorem; qui romanae ecclesiae cardinalis fuit; habuit fratrem (*a*) de Mari, qui summam fecit in theologia; et plures alios habuit fratres vita et scientia decoratos. Locum de Savona, de quo etiam fratres fuerunt notabiles; locum de Clavaro; locum de Albario; locum de Capella; locum Sexti, et locum de Cario (*b*).

Custodia ASTENSIS [1] habet locum de Asth; de quo fuit frater Astesanus, qui singularem summam edidit ex theologia, legibus et decretalibus, multum utilem et bene confectam (*c*). Habuit alium fratrem [2], qui postillam pulchram super omnia evangelia dominicalia et quadragesimalia edidit, et appellatur postilla. Locum Albae; de quo fuit frater Iacobus Binatus (*d*), qui per conclusiones omnes philosophiae libros compilavit et regi Roberto direxit; locum de Aquis; locum Montis Calvi et locum Cortimilii.

Custodia ALBIGNANAE [3] habet locum Albignanae (*e*); locum de [Nobo] (*f*); locum de Vigintimilio; locum de Ceva; locum Montis Vici; locum Fossani et locum de Cuneo.

Custodia PEDEMONTIS [4] habet locum Pignoroli (*g*); locum Cherii; locum Montis Calerii; de quo fuit frater Philippus, qui postillam notabilem super omnia evangelia dominicalia et quadragesimalia fecit. Locum Taurini; locum Secusiae; locum de Riparolo, de quo fuit frater Martinus de sancto Georgio magister in theologia et generalis ordinis Minorum; locum Clavaxii.

Custodia MONTISFERRATI [5] habet locum de Alexandria; de quo fuit magister Alexander, qui scripsit super omnes libros *Sententiarum*, super libros metaphysicae, et de anima multum excellenter, et fuit ordinis Minorum minister generalis. De hoc loco fuit frater Franciscus de Alexandria, martyrizatus in Armalech in Tartaria. In hoc loco beatus Franciscus dum fuit, miraculum fecit de membro caponis in piscem verso, ut dictum est conformitate praecedenti [6]. Locum de Casali; hic locus habuit fratrem Ioannem magistrum in theologia virum sufficientem, qui plures quaestiones (*h*) edidit in philosophia et in theologia. Locum Valentiae; de quo fuit magister Antonius de Valentia, sufficiens homo et post episcopus Gaietanus [7]; locum Cassinae.

Custodia PAPIENSIS [8] habet locum Papiae; locum Terdonae; locum Vigheriae, et locum Castri Novi.

(*a*) In Codice lacuna; As *Iacobum Marinis*, edd. *Antonium*; cfr. Sbaralea, *Supplementum*, pag. 81. — (*b*) Edd. *Cairo*. — (*c*) As et edd. om. *et bene confectam*. — (*d*) As et edd. *Brancus*; cfr. Sbaralea, *Supplementum*, pag. 364 sub *Iacobus Alexandrinus*. — (*e*) Edd. *Albigauni*. — (*f*) In Codice lacuna. — (*g*) As et edd. *Pinaroli*. — (*h*) As *libros*.

---

[1] Asti, Alba, Acqui, Moncalvo, Cortemilia. — *Provinciale* ponit Acqui in custodia Montisferrati. — [2] Est Franciscus de Abbate; de quo cfr. Sbaralea, *Supplementum*, pag. 240. — [3] Albenga, Noli, Ventimiglia, Ceva, Mondovì, Fossano, Cuneo. — [4] Pinerolo, Chieri, Moncalieri, Torino, Susa, Rivarolo, Chivasso. — [5] Alessandria, Casale, Valenza del Po, Cassine. — [6] Pag. 478. — [7] 1341-1344. — [8] Pavia, Tortona, Voghera, Castelnovo.

Haec siquidem communitate (*a*) fratrum sufficientium provincia Ianuae multum antiquitus viguit et viget; habuit multos magistros et habet et fratres alios scientia praeditos et virtute; qui in partibus propriis saltem (*b*) praedicatores famosi fuere.

PROVINCIA SCLAVONIAE.

Provincia Sclavoniae (*c*) habet custodias 4.

Custodia RAGUSINA [1] habet locum Ragusii; locum Duratii; de quo fuit frater Antonius miraculis fulgens, qui archiepiscopus fuit Duratii; hic multis annis fuit in partibus infidelium saracenis praedicans fidem Christi. Locum Dulcini et locum de Cataro, ubi quiescit frater Adam, dicti fratris Antonii primo socius praedicatione infidelium et nunc gloria et signis; locum de Scutaro; locum Antibari et locum Daxae (*d*).

Custodia ARBANENSIS (*e*) [2] habet locum Arbi; locum Veglae; locum Modrosae (*f*); locum Segniae; locum Chersi, in quo iacet frater Michael, homo sanctitate et prodigiis fulgidus.

Custodia IADRENSIS [3] habet locum Iadrae (*g*); locum Spaleti; locum Pagi (*h*) locum Sibenici; locum Tragurii, in quo tumulatus manet frater Ioannes, cuius corporis lotura sanavit infirmos; locum Breberii, in quo quiescit sanctus frater Andreas, qui plura mira exercuit, et locum Scandonae (*i*).

Custodia ISTRIAE [4] habet locum Capitis Istriae (*k*); locum Polae, ubi sanctus frater Otto multis fulget (*l*) miraculis; locum Iustinopolis, ubi iacet frater Monaldus, qui summam fecit Monaldinam in decretalibus (*m*); locum Vallis; in quo iacet frater Iulianus, de quo ibi fit festum; locum Piranii et locum Parentii.

PROVINCIA TERRAE LABORIS.

Provincia Terrae Laboris habet 5 custodias.

Custodia NEAPOLITANA [5] habet locum Sancti Laurentii; ubi quiescit frater Augustinus de Assisio, primus minister dictae provinciae, qui beatum Franciscum vidit post mortem caelum adire. Locum Sanctae Clarae sive Corporis Christi; locum Sanctae Mariae Novae; locum Sanctae Crucis; locum Sanctae Mariae dominae reginae; locum Sanctae Mariae Magdalenae et Sanctae Mariae, Aegyptiacae. Omnia haec loca sunt in civitate Neapolitana. De Neapolim

---

(*a*) Codex *hic siquidem comitante.* — (*b*) As et edd. om. *saltem.* — (*c*) As et edd. *Dalmatiae.* — (*d*) As et edd. addunt *et locum Corzulae.* — (*e*) As et edd. *Arbensis.* — (*f*) As et edd. *Medrusiae.* — (*g*) Edd. addunt *Locum extra Iadram super insulam, qui S. Hieronimi vocatur.* — (*h*) As et edd. addunt *locum de Pazman;* edd. adhuc *locum Podnovi.* — (*i*) As ed edd. *Scardonae.* — (*k*) As et edd. om. bene *locum Capitis Istriae;* est idem ac « Iustinopolis in Capite Istriae ». — (*l*) Edd. *fulsit.* — (*m*) As et edd. addunt *locum Mugliae; locum Trigesti; Provinciale* om. locum Vallis et addit Trigestum.

---

[1] Ragusa, Durazzo, Dulcigno, Cattaro, Scutari, Antivari, Daxa. — [2] Arbe, Veglia, Modrus *, Sinj, Cherso. — [3] Zara, Spalato, Pago, Sebenico, Traù, Bribir, Skradin. — [4] Capo d' Istria, Pola, Valle, Parenzo, Pirano. — [5] Napoli, Capua, Aversa, Teano, Sessa, Mignano, Maddaloni, Nola, Carinola.

fuit magister Landulfus, magnus praedicator ad populum et clerum; qui postillam pulcherrimam incepit super omnia evangelia et super epistolam ad Hebraeos et super Zachariam, et multos sermones scholasticos et collationes fecit; scripsit multum luculenter super quattuor libros *Sententiarum*, vestigia sequendo Scoti, ipsum in omnibus declarando, et fuit archiepiscopus Malfitanus. Locum Capuae, in quo beatus Franciscus fecit plura miracula, ut conformitate dicetur XL; locum Adversae (*a*); locum Tyani; locum Suessae; locum Mignani (*b*); locum Matoloni (*c*); locum Nolae et locum Taleni (*d*).

Custodia SALERNITANA [1] habet locum Salerni; locum Surrenti (*e*); locum Castrimaris; locum de Malfi; locum Sancti Severini (*f*); locum Ravelli; locum Giffonis, de quo fuit frater Leonardus, magister in theologia et generalis minister ordinis Minorum; locum Sarvi (*g*); locum Nuceriae.

Custodia PRINCIPATUS [2] habet locum Marsici; locum de Moleta (*h*); locum de Muro; locum Diani; locum de Saponaria; locum de Ebolo; locum Cuculi (*i*); locum Montis Ylaris (*k*); locum Agloboli et locum Sanctae Mariae.

Custodia BENEVENTANA [3] habet locum de Benevento; locum Avelini; locum Sanctae Agathae; locum Cerreti; locum Ariani; locum Aquae Putridae, de quo fuit frater Franciscus, qui conclusiones fecit librorum philosophiae; locum Montis Sarculi; locum Montis Fescoli (*l*) et locum Alisiae (*m*).

Custodia SANCTI BENEDICTI [4] habet locum Gaietae, ubi beatus Franciscus populo praedicando navis in mari stetit immobilis; locum Traiecti; locum de Fundis; locum Ytri; locum Vici Albi; locum Sancti Germani; locum Sorae; locum Arpini; locum Ceperani (*n*); locum Arveti (*o*); locum Aquini et locum Romulae (*p*).

Praefata loca habet provincia Terrae Laboris, de qua praesumendum est, notabiles fuisse fratres; ubi tantus rex fuit et inclytus dominus rex Robertus; cui complacuit et filio ipsius, scilicet Carolo Calabriae duci, per dies plures habitum assumere Minorum, ut apud Christum, sicut prius semper corde, sic et ultimo veste fratres haberentur Minores.

(*a*) As et edd. *Averse.* — (*b*) Edd. *Nugiani.* — (*c*) As et edd. *Mataloni.* — (*d*) As et edd. *Caleni.* — (*e*) As *Garreti*, edd. *Gurreti.* — (*f*) Edd. om. *Sancti Severini.* — (*g*) As *Sarani*, edd. *Sarni.* — (*h*) As et edd. *Oleta.* — (*i*) As *Luculi*, edd. *Suculli.* — (*k*) As *Laris*, edd. *Montelaris.* — (*l*) As *Foscoli*, edd. *Fostuli.* — (*m*) As et edd. *Olive.* — (*n*) Edd. *Temperani.* — (*o*) As et edd. *Oliveti.* — (*p*) As et edd. *Maronule.*

---

[1] Salerno, Sorrento, Castellammare, Amalfi, Sanseverino*, Rovella, Giffoni, Sarno, Nocera. — [2] Marsico, Auletta, Muro, Diano, Saponara, Eboli, Cuccaro (?), Moliterno (?), Agropoli, S. Maria (Righini, *Provinciale Ord. Min.*, pag. 38, iam addiderat « quis sit, requirant alii »; nec nos quidquam invenire potuimus). — *Provinciale* addit locum Potentiae (Potenza). — [3] Benevento, Avellino, S. Agata, Cerreto, Ariano, Mirabella, Montesarchio, Montefusco, Alife. — [4] Gaeta, Traietto, Fondi*, Itri, Vicalvi, San Germano, Sora, Arpino, Ceprano, Alvito, Aquino, Maranola.

PROVINCIA PENNENSIS.

Provincia Pennensis (*a*) habet 6 custodias.

Custodia AQUILAE [1] habet locum de Aquila, de quo fuit frater Petrus de Aquila, in theologia magister; hic fecit opus super *Sententias* et breviavit (*b*) opus Scoti, quod dicitur Scotellum (*c*), satis pulchre et sententiose. In dicto loco iacet frater Thomas Ybernicus, qui sibi pollicem amputavit, ne ad sacerdotium promoveretur (*d*). Locum Monticularum (*e*); locum Offeni; locum Castri Veteris; locum de Sulmona; de quo fuit frater Petrus de Cansano, generalis ordinis Minorum minister et in theologia magister; locum Poperi.

Custodia PENNENSIS [2] habet locum de Penna; locum Cataviani (*f*); locum Aladi; locum Pontariae (*g*); locum Laureti; locum Celani; de quo [3] fuit frater Thomas, qui mandato apostolico scripsit sermone polito legendam primam beati Francisci, et prosam de mortuis, quae dicitur in missa, scilicet « Dies illa, dies irae » (*h*) etc. dicitur fecisse. In hoc castro beatus Franciscus, dum deberet cum milite comedere, eius mortem praevidit et praedixit. Locum de Manupello (*i*) et locum Tocti.

Custodia THEATINA [4] habet locum Theatinum; locum Lasani; locum de Ortona; locum Piscariae; locum Palevae (*k*); locum Guardiae; locum Francae Villae (*l*); locum Luclani (*m*).

Custodia ADRIENSIS [5] habet locum de Adria, de quo fuit frater Andreas, sanctus homo, ut dictum est conformitate VIII; locum Peleni (*n*); locum Vallis; locum Civitatis Sancti Angeli; locum Silvici et locum Montis Silvani.

Custodia APRUSINA (*o*) [6] habet locum Sanctae Iustae; locum Sancti Omeri; locum Teranii; locum de Camplo; locum Civitellae; locum Murri; locum Contraguerrae (*p*).

Custodia MARSICANA [7] habet locum Marsicanum; locum Selani; locum Sancti Petri; locum Avezani; locum Corbarii; locum Tagliacozzii et locum Balsorani.

Dicta sunt loca provinciae Pennensis (*q*).

(*a*) As *Sancti Bernardini sive Aquilae sive Pennensis.* — (*b*) As et edd. *abbreviavit.* — (*c*) As et edd. *Scotellus.* — (*d*) As et edd. *cogeretur.* As pergit *Et sanctus frater Bernardinus de Senis, qui exstitit praedicator magnus, qui innumeris coruscat miraculis.* — (*e*) As et edd. *Fonticularum.* — (*f*) As *Cathaniani.* — (*g*) As *Poncarie.* — (*h*) As et edd. transponunt. — (*i*) As *Mamipello.* — (*k*) As et edd. *Palene.* — (*l*) As et edd. *Francaville.* — (*m*) As *Lucani*, edd. *Ludani.* — (*n*) As *Pleni*, edd. *Poleni.* — (*o*) As *Aprutina.* — (*p*) As *Contraverre.* — (*q*) As *sancti Bernardini sive Pennensis.*

[1] Aquila, Fontecchio, Ofena, Castelvecchio, Solmona, Popoli. — [2] Penne, Catignano, Alanno*,? (cfr. Cervone, *Compendio di Storia de' Frati Minori nei tre Abruzzi,* pag. 207), Loreto Aprutino, Cellino*, Manoppello, Tocco. — [3] Probabilius de alio Celano, in Marsicana dioecesi; cfr. Eduardus Alenc., *S. Francisci Vita auctore fr. Thoma de Celano,* pag. IX sqq. — [4] Chieti, Lanciano, Ortona, Pescara, Palena, Guardiagrele, Francavilla al Mare, Bucchianico. — [5] Atri,? (cfr. Cervone, l. c. p. 211), Isola del Gran Sasso, Città S. Angelo, Silvi, Montesilvano. — [6] S. Giusta in Montorio, S. Omero, Teramo, Campli, Civitella del Tronto, Morro d'Oro, Controguerra. — [7] Piscina, Celano, Albe, Avezzano, Corvaro, Tagliacozzo, Balsorano.

PROVINCIA SANCTI ANGELI.

Provincia Sancti Angeli habet 4 custodias.

Custodia COMITATUS [1] habet locum Yserniae (*a*); locum Venafri (*b*); locum Boiani; locum Campibassi; locum Agloni (*c*); locum Lunosani (*d*) et locum Planitii.

Custodia CIVITATIS [2] habet locum Guilionisii (*e*); locum Alereni (*f*); locum Civitatis; locum Praecinae; locum Termularum; locum Vasci (*g*) et locum Montis Odorici.

Custodia MONTIS SANCTI ANGELI [3] habet locum Sancti Angeli; locum Manfredoniae; locum Sancti Ioannis Rotundi; locum Vestarum; locum Pasquitii; locum Rodi; locum Camani et locum Ischitellarum.

Custodia CAPTINATAE (*h*) [4] habet locum Lucerinum; locum Sancti Severi; locum Fogiae, in quo iacet frater Iacobus de Assisio liberans a multis (*i*) infirmitatibus; locum Sasalis (*k*) Novi; locum Troiae; locum Esculi (*l*); locum Cornoti; in quo iacet [sanctus] frater Benvenutus, in dicto episcopatu canonizatus.

PROVINCIA APULEAE.

Provincia Apuleae habet 5 custodias.

Custodia BAROLITANA [5] habet locum Barulum, in quo praedicat suis exemplis et miraculis frater Adam Rufus; locum Andriae, in quo iacet frater Landus de Tarento, minister Apuleae, sanctitate praedicationem suam et signis decorans; locum de Melfia, in cuius terminis, etsi non in locis fratrum, in monasterio sancti Stephani iacet sanctus vir frater Sigismundus (*m*); locum Canusii et locum Venusii.

Custodia BARENSIS [6] habet locum de Baro; locum Botonti; locum Melicanum; locum Vigiliensem; locum Trani, in quo iacet frater Petrus, qui signa multa fecit; locum Caurati et locum Iuvenatii.

Custodia TARENTI [7] habet locum Tarenti; locum de Orea; locum Hostunii (*n*); locum Ioae et locum Monopolim (*o*).

Custodia BRUNDUSII [8] habet locum Brundusii; locum Neritoni; locum Litii; locum Ydronti (*p*) et locum Alexini.

(*a*) As *Yservie.* — (*b*) As *Venaferri.* — (*c*) As et edd. *Angloni.* — (*d*) Edd. *Limosani.* — (*e*) As *Guilionensi.* — (*f*) As *Alrevi*, edd. *Allareni.* — (*g*) As et edd. *Vasti.* — (*h*) As et edd. *Captivate.* — (*i*) As et edd. *liberans multos ab.* — (*k*) As et edd. *Casalis.* — (*l*) Edd. *Estuli.* — (*m*) As et edd. *Gismundus.* — (*n*) As *Ostanii*, edd. *Hostimii.* — (*o*) Edd. *Monopolis.* — (*p*) As *Ydidutii.*

[1] Isernia, Venafro, Bojano, Campobasso, Agnone, Limosano,? — [2] Guglionesi, Larino, Civita Campomarano, Procina, Termoli, Vasto, Monteodorisio. — [3] Monte S. Angelo, Manfredonia, S. Giovanni Rotondo, Vieste, Peschici, Rodi, Cagnano, Ischitelli. — [4] Lucera, S. Severo, Foggia, Casalnuovo, Troia, Ascoli-Satriano, Corneto. — [5] Barletta, Andria, Melfi, Canosa, Venosa. — [6] Bari, Bitonto, Molfetta*, Bisceglie, Trani, Corato, Giovinazzo. — [7] Taranto, Oria, Ostuni, Gioia, Monopoli. — [8] Brindisi, Nardò, Lecce, Otranto, Alessano.

Custodia MATERANA [1] habet locum de Matera (*a*); locum de Gravina (*b*); locum Montis Pilosi et locum Tricarici.

PROVINCIA CALABRIAE.

Provincia Calabriae habet custodias 4.

Custodia REGII [2] habet locum de Regio; locum Gerasii; locum de Torpia; locum Montis Leonis et locum Seminariae.

Custodia COTRONAE [3] habet locum de Cotrono (*c*); locum Cantazarii; locum Squilatii et locum Mucastri (*d*).

Custodia VALLIS [4] habet locum de Amanthea; locum Bisimani (*e*); locum Consentiae et locum Matorariae (*f*).

Custodia CASTROVILLERII [5] habet locum Castrivillarum; locum Sancti Marci (*g*); locum Curiliani; locum Scaleae.

De ista provincia fuit minister frater Daniel, qui cum sex sociis in civitate Ceptae passus est martyrium pro fide Christi. In provincia Calabriae iacet frater Petrus, minister, vir sanctitate praeclarus.

PROVINCIA SICILIAE.

Provincia Siciliae habet 5 custodias.

Custodia MASSANA [6] habet locum de Massana (*h*), in quo iacet frater (*i*) Symon Aymonis, qui in vita et post mortem fulsit miraculis, et frater Electus, filius domini Andreae; cui in vita Christus apparuit in cella sua in specie columbae invitans eum ad secum comedendum; hic post mortem claruit prodigiis. Locum de Cathania (*k*); locum Randatii; locum Tauromenii (*l*) et locum Pactis (*m*).

Custodia AGRIGENTINA [7] habet locum de Agrigento; locum de Platea (*n*); locum Castri Ioannis; locum Narii (*o*); locum Terrae Novae et locum Castri Novi.

Custodia PANORMITANA [8] habet locum Panormi; in quo iacet beatus Gerardus, frater mirae sanctitatis (*p*), assidue praedicans novis signis; frater Ioannes Bucha iacet ibidem, qui signis claruit post decessum. Locum Polizii, in quo requiescit frater Gandolfus, qui plura egit mira. In hoc loco beatus frater Gerardus adiutus fuit ab

(*a*) As *Macera.* — (*b*) As *Grarana.* — (*c*) Edd. *Cutrono.* — (*d*) As et edd. *Novi Castri.* — (*e*) As *Bisunani*, edd. *Bisniani.* — (*f*) As *Matoratii*, edd. *Mocoronii.* — (*g*) As om. *sancti*, edd. *Mara.* — (*h*) Edd. *Messana.* — (*i*) As *Petrus Simon.* — (*k*) As *Cathina.* — (*l*) As *Tauromerii.* — (*m*) As *Paccis*, edd. *de Pactis.* — (*n*) Edd. *Placca.* — (*o*) As *Varii.* — (*p*) As et edd. om. *mirae sanctitatis.*

[1] Matera, Gravina, Montepeloso, Tricarico. — [2] Reggio, Gerace, Tropeia, Monteleone, Seminara. — *Provinciale* addit Nicoterram. — [3] Cotrone, Catanzaro, Squillace, Nicastro. — [4] Amantea, Bisignano, Cosenza, Martirano. — [5] Castrovillari, S. Marco, Corigliano, Scalea. — [6] Messina, Catania, Randazzo, Taormina, Patti. — [7] Girgenti, Piazza Armerina, Castrogiovanni, Naro *, Terranova, Castelnuovo *. — [8] Palermo, Polizzi, Termini, Cefalù, Castelbuono. — *Provinciale* addit Curilionem.

angelo in die Resurrectionis in officio coquinae; nam fratribus eius oratione per angelum coquina est a Deo praeparata. Locum de Termis; locum Cefaludi et locum Castriboni.

Custodia TRAPANI[1] habet locum de Trapano; locum Mazzariae; locum Marsaliae; locum Montis Sancti Iuliani; locum Alcanii, et locum Salem (*a*).

Custodia SYRACUSANA[2] habet locum de Syracusa; in quo iacet frater Ioannes, qui portavit ignitum lapidem manibus in nullo laesus de coquina usque in infirmariam; locum Leontini; locum Noti; locum Ragusiae et locum Calatagironi, in quo quietem habet frater Richardus, qui post mortem plures sanavit infirmos.

Haec Siciliae provincia multos habuit probos praedicatores et habet; quibus scientia cum lingua conformis et concors fuit.

PROVINCIA ROMANIAE.

Provincia Romaniae habet 3 custodias.

Custodia NIGROPONTIS[3] habet locum de Nigroponte; in quo iacent duo sancti fratres, [videlicet] frater Petrus et frater Matthaeus, de quibus dictum est supra conformitate VIII; locum de Candida (*b*) et locum Caneae.

Custodia THEBANA[4] habet locum de Thebis; locum Athenarum et locum Corinthi.

Custodia CLARENTIAE[5] habet locum de Clarentia; locum de Corono; locum de Patras; locum Andrevillae; locum Iacincti; locum de Saxaro et locum Zefaloniae.

PROVINCIA TERRAE SANCTAE.

Provincia Terrae Sanctae habet 2 custodias.

Custodia NICOSIAE[6] in Cypro habet locum Nicosiae, in quo est sepultus rex Cypri Henricus cum habitu, et fecit signa; locum Famogustae; locum de Papho; locum Notii (*c*) et locum de Simiso.

Custodia SYRIAE[7] habet locum Montis Syon; locum Sepulchri Domini; locum Betlehem et locum de Beruto (*d*); et in Nazareth fuit etiam locus, etsi modo ob pravitatem saracenorum sit dimissus.

(*a*) As *Saleni.* — (*b*) Edd. *Candia.* — (*c*) As *Papho Imuotii,* edd. *Papho; locum Namotii.* — (*d*) As et edd. *Baruto.*

---

[1] Trapani, Mazzara, Marsala, Monte S. Giuliano *, Alcamo *, Salemi. — [2] Siracusa, Lentini, Noto, Ragusa, Caltagirone. — [3] Negroponte, Kandia, Canea. — [4] Thivae, Athinae, Korinthos. — [5] Kyllini prope promontorium Glarentza, Koroni, Patras, Andravis, Zante, Lixurion, Kephallinia. — *Provinciale* pro *Corono* habet Corvi (Korfu). — [6] Nicosia, Famagosta, Pafo, Limassol. Locus *Notii* et locus *de Simiso* uni soli conventui — Limassol — conveniunt; cfr. Golubovich, *Serie Cronologica dei Superiori di Terra Santa* (Gerusalemme 1898), pag. 233. — [7] Mons Sion, Sepulchrum Domini, Bethlehem, Beyruth.

In terra sancta et provincia ob praedicationem fidei catholicae inter alios passi sunt 31 martyres de ordine nostro, ut conformitate VIII est dictum. Multi in hac provincia fuerunt fratres sanctitate praeclari, etsi non sint eorum nomina hic scripta. Qui primus frater Minor, qui praedicavit in Terra Sancta, fuit beatus pater Franciscus, quando cum undecim sociis soldanum adiit.

PROVINCIA SANCTI IACOBI.

Provincia Sancti Iacobi habet 8 custodias.

Custodia SANCTI IACOBI [1] habet locum Sancti Iacobi, scilicet Compostellae; locum Coruiensem; locum Bizacensem (*a*) et locum Pontis Veteris.

Custodia AURIENSIS [2] habet locum Auriensem; in quo iacet frater Gonsalvus Santii, qui fuit nobilis genere et latro magnus et homicida; sed ad Dominum conversus, factus frater Minor, fuit tantae perfectionis, quod tam in vita quam post miracula effecerit; locum Lucensem; locum Vivariensem; locum Ripaviensem; locum Villae Francae, in quo iacet quidam sanctus frater, qui signis perluxit, et locum Montis (*b*) Regii.

Custodia LEGIONENSIS [3] habet locum Legionum; locum Astoricae, in quo etiam est sepultus frater quidam Ioannes, qui miraculis illustris fuit; et habetur etiam alius Ioannes laicus, qui etiam signa facit; locum Ovetensem; locum Abilisiensem; locum Cinegiensem.

Custodia SAMOTENSIS [4] habet locum Samotensem (*c*); locum de Thauro; in quo quidam sanctus frater sacrista, dum crucifixum in ecclesia vellet aptare et iam scalas posuisset, daemone scalas elevante, cecidit frater et crus habuit fractum usque in diem mortis suae; hoc tamen Deus operabatur in eo, quod, cum non posset pedibus stare, tamen celebrando nullam laesionem vel fracturam crus pro illo tempore habere videbatur. Locum Benaventensem (*d*); locum Vilaripadensem (*e*); locum Maioricensem.

Custodia SALAMANTINA [5] habet locum Salamanticae; in quo beatus Franciscus singulare prodigium his ostendit temporibus. Cum enim rex Castellae olim Ioannes pro antipapa se determinare vellet, in dicto loco fratrum id fieri decrevit. Superveniente hora, qua a suo palatio egredi debebat ad fratrum locum perrecturus pro dicta determinatione peragenda, subito tot tonitrua, tot fulgura et tanta pluvia descendit, quod ipse infelix rex limen ostii egredi non valuit. Quod totus populus beato Francisco tribuit, ne in ipsius ecclesia et loco tam enorme committeretur periculum. Habet locum Civitatis, in quo beatus Franciscus episcopum suscitavit a

(*a*) As *Biscicensem*. — (*b*) Edd. om. *Montis*. — (*c*) As *Samorensem*. — (*d*) As *Beneventensem*. — (*e*) Edd. *Villarigodensem*.

[1] Santiago, Coruña, Betanzos, Pontevedra. — [2] Orense, Lugo, Vivero, Ribadeo, Villafranca, Monterey. — [3] León, Astorga, Oviedo, Avilés, Cangas de Tineo. — [4] Zamora, Toro, Benavente, Villalpando, Mayorga. — [5] Salamanca, Ciudad Rodrigo, Plasencia, Bejar, Badajoz, S. Maria de Angelis*.

mortuis, ut conformitate XXXIX dicetur; locum Placentinum; locum Beiarensem (*a*); locum Pacensem (*b*); locum eremitorii Sanctae Mariae de Angelis.

Custodia COLIMBRIENSIS [1] habet locum de Colimbria; locum de Portu; locum Vimarii; locum Bregantium; locum Gardiensem; locum Covaliniensem (*c*) et locum Lamacensem.

Custodia ULIXBONAE [2] habet locum de Ulixbona; locum Santaremensem; locum Coiulamensem (*d*); locum Lancariensem (*e*).

Custodia ELBORENSIS [3] habet locum Elborensem; locum Boiensem; locum Extremocensem; locum Tamiensem (*f*) et locum Portolatrensem.

De ista provincia fuit frater Gonsalvus, homo sanctus, magister in theologia et ordinis Minorum generalis minister; qui in suo officio generalem (*g*) habuit curam, ne aedificia fierent sumptuosa in ordine, et iam facta plura destruxit. Ipsius tempore frater Iacobus, primogenitus regis Maioricarum, factus est frater Minor, et rex Ioannes, Armeniae, dimisso regno nepoti suo Leoni, ordinem intravit Minorum. In hac provincia sancti Iacobi in loco Ulixbonae iacent tres reges Portugalliae, rex Alphonsus cum habitu, quem assumpsit ante mortem cum uxore sua minorissa in ecclesia cathedrali Ulixbonae; rex Petrus, rex Fernandus in conventu Ulixbonae cum habitu iacent, quem ante mortem mira sumpsere devotione. In hac provincia in monte de Valdearo iacet frater Rodoricus Rabiccii (*h*), qui locum ibidem coepit, et fuit homo poenitentiae mirabilis, paupertatis amator, mundi despector et spiritu prophetico clarus, ut dictum est conformitate VIII. Iacet etiam in hac provincia sancti Iacobi frater Benencasa de Tuderto, qui in vita et post fecit mira.

PROVINCIA CASTELLAE.

Provincia Castellae habet 8 custodias.

Custodia YSPALENSIS [4] habet locum de Yspali; locum Cordubae; locum Giricensem; locum Insulae Viridis sive de Algizaria (*i*); locum Gibennensem (*k*); locum Beatiensem; locum Ubetensem.

Custodia TOLETANA [5] habet locum Toleti, in quo iacent frater Hervaeus (*l*) et frater Antonius laicus de Burgis Hispaniae, qui clari miraculis in vita et post insignes [fuerunt et] habentur. In hoc loco iacet cum habitu nostro quidam primogenitus regis Castellae. In Toleto in ecclesia cathedrali iacet cum habitu, quem sumpsit ante mortem, rex Santius. Alius rex, scilicet Fernandus Castellae, infirmatus in civitate Gibennensi,

(*a*) As *Beiacensem.* — (*b*) As et edd. *Paracensem.* — (*c*) As *Conalimensem.* — (*d*) As *Coralamensem,* edd. *Covaliniensem.* — (*e*) Edd. *Lamacensem.* — (*f*) As *Taimensem,* edd. *Tamensem.* — (*g*) As et edd. *singularem.* — (*h*) Ed. 1 *Cabiccii,* ed. 2 *Abiccii.* — (*i*) Edd. *Algizara.* — (*k*) As *Ghinensem.* — (*l*) As *Heuricus.*

[1] Coimbra, Porto, Guimarães, Bragança, Guarda, Covilhã, Lamego. — [2] Lisboa, Santarem, Cezimbra, Alemquer. — *Provinciale* hanc et sequentem custodiam sub « custodia Ulixbonensis » affert cum 4 conventibus « Ulixbonam, Beziam, Tamira, Laule ». — [3] Evora, Beja, Extremoz, Tavira, Portalegre. — [4] Sevilla, Córdoba, Jerez, Algeciras, Jaen, Baeza, Ubeda. — [5] Toledo, Guadalajara, Talavera, Ciudad Real, Madrid.

habitum assumpsit, et cum ipso decessit sepultus Toleti; qui habitus assumptione per beatum Franciscum tanquam frater ipsius a damnatione aeterna fuit liberatus. Locum Gadalfaiariae; locum Talaverae (*a*); locum Villae Regalis; locum Macerensem (*b*).

Custodia MURTIENSIS [1] habet locum Murtiae; locum Conchiae; locum Liveti; locum Optae.

Custodia SEGAVIENSIS [2] habet locum Segaviae (*c*); locum Abulae; locum Cuellaris (*d*); locum Arenoli; locum Oliveti et locum Metinae de Campis.

Custodia PALENTINA [3] habet locum Palentiae (*e*); locum Vallisoleti; locum Carrionis; locum Sancti Facundi et locum Pennae Fidelis.

Custodia BURGENSIS [4] habet locum Burgi; locum Lacronii; locum Castri Caesaris; locum Beneforati et locum Palentiolae.

Custodia BITTORIENSIS [5] habet locum Bittoriae (*f*); locum Sanctae Anderiae (*g*); locum Metinae de Pomario (*h*); locum Frigiae; locum Bermei et locum Mirandae.

Custodia SORIENSIS [6] habet locum Soriae; locum Almasani (*i*); locum S. Stephani; locum Ayllonis (*k*); locum Sancti Dominici de Sillis et locum Atyensem (*l*).

PROVINCIA ARAGONIAE.

Provincia Aragoniae habet 7 custodias.

Custodia BARCHINONAE [7] habet locum de Barchinona; in quo est sepultus frater Pontius Carbonelli, sanctus homo, magister sancti Ludovici nostri, qui totam bibliam postillavit, dicta omnium doctorum ponendo. In loco fratrum cum habitu iacent duo reges, scilicet Alphonsus et Iacobus, qui in morte habitum assumpserunt. Locum Gerundae, in quo diabolus asportavit fratrem, qui peccatum commissum noluit unquam confessione purgare; locum Vici; locum Castilionis; locum Villae Francae (*m*) et locum Bergae.

Custodia YLERDAE [8] habet locum de Ylerda (*n*); ubi iacet rex Alphonsus cum habitu nostro, quem sumpsit ante mortem. In hoc loco beatus Franciscus facit multa

(*a*) As *Calanere.* — (*b*) Edd. *Macriensem.* — (*c*) As *Sagamae.* — (*d*) As et edd. *Aiellaris.* — (*e*) As *Palentine.* — (*f*) As et edd. *Bictorie.* — (*g*) Codex *Andeme.* — (*h*) Edd. *Pomatio.* — (*i*) As *Abuasam.* — (*k*) As et edd. om. *locum S. Stephani; loeum Ayllonis.* — (*l*) As et edd. *Atrence.* — (*m*) As et edd. *Franche.* — (*n*) As et edd. *Hilerde.*

[1] Murcia, Cuenca, Albacete *, Huete. — [2] Segovia, Avila, Cuellar, Arévalo *, Olmedo, Medina del Campo. — [3] Palencia, Vallodolid, Carrión de los Condes, Sahagún, Peñafiel. — [4] Burgos, Logroño, Castrogeriz, Velorado, Palenzuela. — [5] Vitoria, Santander, Medina de Pomar, Frias, Bermeo *, Miranda de Ebro. — *Provinciale* addit Castrum. — [6] Soria, Almazán, San Esteban de Gormaz, Aillón, Santo Domingo de Silos, Atienza. — [7] Barcelona, Gerona, Vich, Castellón de Ampurias, Villafranca Berga *. — [8] Lérida, Tarragona, Tortosa, Cervera, Morella, Montblanc, Monzón, Tárrega.

miracula, et specialiter, quia subito Ioannem quendam atrociter vulneratum sanavit. Locum Terraconensem (*a*); locum Dertusiae; locum Zervariae; locum Morellae; locum Montis Albi; locum Montissoni et locum Terrage.

Custodia CAESARAUGUSTAE [1] habet locum Caesaraugustae, in quo cum habitu sepultus est dominus Petrus [infans], primogenitus regis Aragoniae; locum Ossae; locum Tyraschiae (*b*); locum Iaccae; locum Oxeae; locum Barbastri; locum Burgi et locum Terregenae (*c*).

Custodia MAIORICARUM [2] habet locum Maioricarum; locum Civitadellae et locum Iussae.

Custodia VALENTINA [3] habet locum Valentiae, ubi duo fratres nostri tempore infidelium a saracenis pro fide martyrizati sunt; locum Zacinae; locum Muri Veteris.

Custodia NAVARRAE [4] habet locum de Pampilone; locum Tutellae; locum Sanguosae; locum Oleti et locum Stellae.

Custodia SARANIAE [5] habet locum Calatavilii; locum Turoli; locum Derossae et locum Molinae.

Haec provincia Aragoniae plures habuit fratres scientia et verbo gratos, qui fructum suis praedicationibus magnum fecerunt, et plures libros pro praedicationibus ediderunt, et in theologia habuit magistros et habet (*d*) sufficientes.

PROVINCIA AQUITANIAE.

Provincia Aquitaniae 10 habet custodias.

Custodia TOLOSANA [6] habet locum de Tolosa; in quo requiescunt sanctus frater Stephanus, inquisitor et martyr, cum socio ab haereticis interfectus; locum de Sarnano (*e*), qui habet nunc (*f*) magistrum venerabilem fratrem Arnaldum de Sarnano, qui magno tempore fuit Aquitaniae minister; homo vitae laudabilis et sufficientiae, qui omnia, quae potuit de beato Francisco invenire, transscripsit; locum Rivorum; locum Castri Novi, de quo fuit magister Gulielmus de Podio, prae aliis tempore suo singularissimus praedicator ad populum et ad clerum; locum Murelli; locum Appanuarum (*g*); locum de Insula; locum de Mirapisce (*h*) et locum Vauri. Haec custodia Tolosana habuit famosum virum magistrum Franciscum de Fabrica, ministrum provinciae sancti Francisci, qui in partibus Auxitanis famosus fuit plurimum vita, scientia et praedicatione; et plures alios habuit fratres magistros et non magistros, praedicatione praeclaros et populo acceptos.

(*b*) As *Traconensem,* edd. *Tarraconensem.* — (*b*) As *Traschie,* edd. *Ciraschie.* — (*c*) As et ed. 1 *Cerregene,* ed. 2 *Certegene.* — (*d*) As addit *plures;* As et edd. om. *et habet.* — (*e*) As *Sarrano.* — (*f*) As et edd. *habuit.* — (*g*) As *Appannarum,* edd. *Appamiarum* — (*h*) Edd. *Miraspice.*

[1] Zaragoza, Huesca, Tarazona, Jaca, Ejea, Barbastro, Borja, Sariñena. — [2] Mallorca, Ciudadela, Inca. — *Provinciale* enumerat hos conventus sub custodia *Barcinonae.* — [3] Valencia, Játiva, Murviedro. — [4] Pamplona, Tudela de Navarra, Sangüesa, Olite, Estella. — [5] Calatayud, Teruel, Daroca, Molina de Aragón. — *Provinciale* hos 4 conventus hic et sub custodia Valentiae enumerat. — [6] Toulouse, Seranne (cfr. *Bull. Franc.,* t. VI pag. 458), Rieux, Castellaudary, Muret, Pamiers, l'Jsle-Iourdain, Mirepoix, Lavaur.

Custodia ALBIENSIS [1] habet locum Albium; locum de Ripastagno (*a*); locum Laustrucii (*b*) et locum de Castris.

Custodia AUXITANA [2] habet locum de Auxo; locum de Tarbia; locum de Lectoria (*c*); locum Vallis Caprariae; locum de Nugarolio; locum Mirandae (*d*).

Custodia AGENENSIS [3] habet locum de Ageno; locum de Maso; locum Candomii (*e*); locum Marmadae; locum Neriaci; locum Castrigelosii et locum de Penna.

Custodia RUTHENNENSIS [4] habet locum Ruthennae; de quo fuit magister Gerardus Oddonis, scientia et verbo famosissimus, generalis minister ordinis Minorum, patriarcha Antiochenus et administrator ecclesiae Catheniensis in Sicilia, qui opera in logica, philosophia morali et in theologia ac alia edidit opuscula, et officium de stigmatibus beati Francisci fecit. Locum de Figiaco; in quo iacet frater Aldemarius, qui mortuos suscitavit et alia miracula fecit. De isto loco fuit dominus cardinalis frater Bertrandus de Turri, in theologia magister, qui postillavit omnia evangelia et epistolas totius anni et plura alia fecit (*f*); factus cardinalis per dominum Gregorium XI. Locum Aureliaci, in quo iacet frater Rigaldus, sanctus homo, qui multa miracula egit; locum Sancti Affricani, in quo obiit frater (*g*) Gulielmus, qui multa miranda fecit; locum Villae Franchae; locum Ameliaci (*h*).

Custodia CATURCHI [5] habet locum de Katurcho; locum de Gordonio (*i*); qui habuit magistros tres generales ministros ordinis Minorum successive, scilicet magistrum Fortonerium, archiepiscopum Ravennatem, patriarcham Gradensem et demum cardinalem ecclesiae (*k*) factum per dominum Innocentium VI; magistrum Gulielmum cardinalem factum per dominum Innocentium VI et magistrum Ioannem de Buco, qui uno anno fuit generalis minister. Locum Marcelli; locum Montis Albani; locum Sancti Antonii; locum Montis Casi.

Custodia PETRAGORICENSIS [6] habet locum Petragorarum; locum de Sancta Fide; locum Montiniaci; locum Brageniaci (*l*); locum de Alba Terra; locum Salati et locum Oxidolii.

Custodia LEMONICENSIS [7] habet locum Lemonicarum; locum Sancti Iuniani; locum Nuntronii; locum Donzimaci et locum Bruvae (*m*).

Custodia BAIONAE [8] habet locum Baionae; locum Montis Marziani; locum de Aquis; locum de Morlaviis et locum Olori (*n*).

(*a*) Edd. *Rispastagno.* — (*b*) As et edd. *Laustricii.* — (*c*) As et edd. *Lectora.* — (*d*) As et edd. *Mitande.* — (*e*) As et edd. *Candonii.* — (*f*) Codex *fecit. De isto loco est magister Bertrandus, factus cardinalis* etc. — (*g*) As *beatus.* — (*h*) Edd. *Amoliaci.* — (*i*) As et edd. *Gordomo.* — (*k*) As et edd. addunt *sanctae Dei.* — (*l*) As *Bragemati.* — (*m*) As *Brinne;* edd. *Brivie.* — (*n*) As *Cedi;* edd. *Oleri.*

[1] Albi, Rabastens, Lautrec, Castres. — [2] Auch, Tarbes, Lectoure, Valcabrère, Nogaro, Mirande. — [3] Agen, Le Mas d'Agenais, Condom, Marmande, Nérac, Casteljaloux, Penne. — [4] Rodez, Figeac, Aurillac, St. Affrique, Villefranche, Amilly. — [5] Cahors, Gourdon, Martel, Montauban, St. Antoine-de-Salins, Montcuq. — [6] Périgueux, S. Foy, Montignac, Bergerac, Aubeterre, Sarlat, Excideuil. — [7] Limoges, S. Iunien, Nontron, Donzenac, Brive. — [8] Bayonne, Mont-de-Marsan, Dax, Morlaas, Oloron.

Custodia BURDEGALENSIS [1] habet locum Burdegalae; locum Regulae; locum Sancti Macharii; locum Assarii; locum Sancti Emiliani et locum Linorii.

Ista provincia Aquitaniae sufficientibus et bonis praedicatoribus semper claret et claruit, et habuit illum magistrum facundum fratrem Petrum Aureoli, qui luculenter scripsit super *Sententias*, fecit compendium bibliae et plura alia; archiepiscopus tandem fuit Aquensis. In hac Aquitaniae provincia apud magnates et principes ibi exsistentes Deus per beatum Franciscum multa et stupenda egit miracula, propter quae beatus Franciscus et fratres in magna habentur reverentia et devotione ab eisdem. Habuit etiam ultra iam dictos duos (*a*) alios cardinales, videlicet magistrum Vitalem de Furno et magistrum Helyam de Anibalis, qui etiam in scriptura opera ediderunt, et praesertim super Apocalypsim Ioannis (*b*). De ista siquidem provincia Aquitaniae fuit frater Ioannes de Blesa [2], qui de triplici ordine beati Francisci tres tractatus edidit, etsi solum de primo ordine, scilicet Minorum, parvum viderim tractatum. De ista provincia plures fratres assumpti sunt ad praelationis officia, [videlicet] archiepiscopatus et episcopatus; plures enim vidi meo tempore (*c*).

DE PROVINCIA PROVINCIAE.

Provincia Provinciae habet 7 custodias.

Custodia MARSILIAE [3] habet locum de Marsilia; in quo iacet (*d*) sanctus frater Ludovicus noster per ecclesiam canonizatus, innumeris se praedicans miraculis assidue et inauditis. In hoc loco, ut dictum est conformitate IX [4], Deus ostendit singulare iudicium per beatum Franciscum exsecutum de custode et lectore mortuo, [ipsos] ad infernum transmittendo, eo quod multos habuerant libros. In hoc loco est alius sanctus frater sepultus, [scilicet] frater Ugo, qui mirabilis fuit doctrina, vita et signis. Locum Brignolae, in quo beatus Ludovicus noster ortus est et ibidem, cum ad renuntiandum episcopatui Romam iret, diem clausit extremum; locum Righignani (*e*); locum de Aquis; locum de Grassa (*f*); locum Arearum et locum de Nizzia.

Custodia ARELATENSIS [5] habet locum de Arelato; ubi, beato Antonio de titulo crucis fratribus praedicante in capitulo, beatus Franciscus in remotis agens, in aere ad ostium capituli in modum crucis benedicens fratribus apparuit, ut frater Monaldus aspexit; qui frater Monaldus fulgens signis, una cum fratre Beltrando (*g*) est tumulatus in hoc loco. In hac civitate beatus Franciscus duos mortuos suscitavit, ut dicetur conformitate XXXIX. Locum Terasconis; locum Sollonis; locum Maviassae (*h*) et locum Relaviae (*i*).

Custodia AVINIONIS [6] habet locum de Avinione; locum Auraycae; locum Valriaci; locum Montiliorum; locum Insulae et locum Aptae (*k*).

(*a*) As *tres*. — (*b*) As addit *et fratrem Petrum, filium comitis de Fuso, cardinalem*. — (*c*) As et edd. om. *plures—tempore*. — (*d*) As et edd. *quiescit*. — (*e*) As *Richiguam*. — (*f*) As *Grossa*. — (*g*) As *Bertrando*. — (*h*) As *Inamasse*, edd. *Maivasse*. — (*i*) As *Relame*. — (*k*) As *Aperte*.

[1] Bordeaux, Réole, S. Macaire, Bazas, S. Emilion, Libourne. — *Provinciale* addit Rinotium (Rioms) et Spartam (Lesparre). — [2] Est frater Bernardus de Bessa; de quo cfr. *Chron. 24 gen.*, pag. 377 et Anal. Franciscana, t. III pag. 665 seqq. — [3] Marseille, Brignoles, Draguignan, Aix, Grasse, Hyères, Nizza (Nice). — [4] Pag. 477. — [5] Arles, Tarascon, Salon, Manosque, Raillane. — [6] Avignon, Orange, Valréas, Montelier, l'Isle-Venaissin, Apt.

Custodia ALESTI [1] habet locum de Alesto; locum Marologii (*a*); locum Minatis (*b*); locum Sancti Aegidii; locum Argentarii; locum Albenarii; locum Usetiae; locum Balneolis et locum Andusiae.

Custodia MONTIS PESSULANI [2] habet locum de Monte Pessulano; in quo fuit lector sanctus Antonius noster et quidam frater Bernardus, qui sancto (*c*) fratri Rogerio diem sui obitus pro Dei parte apparendo eidem nuntiavit. In hoc loco sanctus frater Ludovicus noster praedicavit populo, et post praedicationem tactu sui mulier a fluxu sanguinis est liberata. Alia mulier impositione manuum post praedicationem sancti Ludovici super eius caput a capitis dolore, quem habuerat per longum tempus, sanata est; et fratrem quendam infirmum dum visitasset, benedicendo sibi, a febre continua liberavit in dicto loco. In hoc loco semper fuerunt fratres lectores, qui fuerunt scientia et praedicatione famosi. Locum de Aquis Mortuis; locum Neumasi (*d*); locum Lunelli; locum Agarae; locum Ginnaci (*e*); locum Florenziaci; locum Londonae et locum Agantici.

Custodia CISTARICI [3] habet locum Cistarici (*f*); de quo loco fuit magister Franciscus de Mayronis (*g*), qui fuit excellens homo verbo, scientia et vita, qui opera plura sermonum super libros Augustini et super *Sententias* composuit; locum Carpetras; locum Dignae; de quo fuit frater Ugo de Digna, qui regulam nostram multum aperte (*h*) et laudabiliter declaravit; locum Folquarquerii (*i*); locum Vapinqui; locum Embrundunii et locum Regii.

Custodia NARBONENSIS [4] habet locum de Narbona; in quo facta sunt plura capitula generalia; et tempore unius, cum diu non pluisset, et cives fratres rogassent, ut Dominum exorarent, precibus eorum pluviam largifluam dedit terris. Idipsum evenit in capitulo quodam Barchinonae celebrato. In hoc loco iacet sanctus frater Electus laicus, qui multa signa fecit. Locum de Biterris; de hoc loco fuit frater Petrus Ioannis, qui famosissimus fuit vita et scientia et quasi totam bibliam postillavit multum profunde, composuit in theologia opus et plura alia opuscula edidit; verum quaedam dixit, quae in capitulo generali per fratrem Hieronymum, tunc generalem et postmodum summum pontificem, fuit coactus retractare, et idipsum fecit in capitulo provinciali suae provinciae. Locum Villae Francae; locum de Parpignano (*k*); locum Auxiliani; locum Carcasonae; locum Limosi; locum Podii et locum Fordani (*l*). In hac Narbonensi custodia in locis pluribus beatus

(*a*) As *Maragolii.* — (*b*) As *Ninatis.* — (*c*) As om. *sancto.* — (*d*) As *Neumansi.* — (*e*) As *Germaci.* — (*f*) As *Castaria.* — (*g*) As *Marronis.* — (*h*) As et edd. *compte.* — (*i*) As et edd. *Folqualquerii.* — (*k*) As *Perpignano,* edd. *Pirpignano.* — (*l*) As *Fordiani.*

[1] Alais, S. Jean-de-Maruéjols, Mende, S. Chély, Largentière, Aubenas, Uzès, Bagnols, Anduze. — [2] Montpellier, Aigues Mortes, Nimes, Lunel, Agde, Gignac, Florensac, Lodève, Ganges. — Cfr. *Provinciale,* pag. 36 not. 100: « In Pisano dempta custodia Nemausi, quae hic est quarta, loca Nemausi, Lunelli, Agare, (Agate), de Aquis Mortis numerantur in custodia Montispessulani, loca Belicadri et Sumidrii desunt omnino ». — [3] Sisteron, Carpentras*, Digne, Forcalquier, Gap, Embrun, Riez. — [4] Narbonne, Béziers, Villefranche, Perpignan, Azille, Carcassonne, Limoux, Puigcerda — Cfr. *Provinciale* pag. 36 not. 103: « Unum locum Barth. Pis. in duo loca divisit, cum scriberet: locum Podii, locum Fordani ».

Franciscus multa miracula fecit et plures mortuos suscitavit, ut fructu et conformitate dicetur XXXIX.

Haec provincia Provinciae multos habuit magistros solemnes et famosos. Frater Raymundus Gaufredi nobilis genere fuit generalis ordinis Minorum et in theologia magister; hic absolutus a generalatu per dominum Bonifacium VIII et factus archiepiscopus Mediolani episcopatum noluit et frater simplex remansit; postea, quia scandala plura in ordine suscitavit, malo fine terminavit. Haec provincia habuit cardinalem fratrem Pastorem, factum per dominum Clementem VI, qui magister in theologia fuit et archiepiscopus Enbrundunensis (*a*). Haec provincia habuit quendam fratrem singularissimum in sanctitate, scilicet fratrem Rogerium, de quo dictum est supra conformitate VIII. De ista provincia multi fratres doctrinam fratris Petri Ioannis sequentes, una cum fratre Ubertino de Casali provinciae Ianuae et aliis pluribus fratribus diversarum provinciarum, schisma in ordine magnum posuerunt, sed tandem omnes sunt auctoritate apostolica per ordinem exterminati.

PROVINCIA BURGUNDIAE.

Provincia Burgundiae habet 6 custodias;

Custodia LUGDUNENSIS [1] habet locum de Lugduno; in quo iacet venerabilis pater frater Bonaventura de Balneo Regio, sanctae romanae ecclesiae cardinalis, de quo dictum est conformitate VIII. Locum Matisconis (*b*); locum Cari Loci; locum Montis Brisonis (*c*); locum Villae Franchae et locum Burgi.

Custodia DIVIONIS [2] habet locum Divionis; locum Belnae; locum Castilionis; locum Bari et locum Castrivillarii.

Custodia BISUNTINA [3] habet locum Bisuntinum (*d*); locum Salinensem (*e*); locum Ledonensem; locum Graiaci et locum Dolensem.

Custodia LAUSANNAE [4] habet locum Lausannae; locum Gebenensem; locum Grationopolis (*f*); locum Camberiaci (*g*); locum Nuriduni (*h*); locum Grandusoni; locum Moyrenci et locum Camerae.

Custodia VIENNAE [5] habet locum Viennae; in quo iacent fratres Michael, qui aquam mutavit in vinum, Drodo, cui angeli in missa servierunt, Gulielmus, qui spiritu prophetico claruit; locum de Podio; ubi beatus Antonius noster in magna habetur reverentia (*i*), quia ibidem praedicavit, et multa mira tam in vita quam post edidit; locum Annoniaci, in quo iacet frater Gulielmus, cuius iussu navicula a longe posita statim ad eum venit; locum Valentiae, in quo iacent martyrio co-

(*a*) As et edd. om. *Haec provincia—Enbrundunensis.* — (*b*) As et ed. 1 *Macisconis* ed. 2 *Macisonis.* — (*c*) As *Brusonis.* — (*d*) As *Bisimtinum.* — (*e*) As *Salmensem.* — (*f*) Ed. 1 *Granicopolis*, ed 2. *Granipolis.* — (*g*) As *Camberraci.* — (*h*) As *Nundini*, edd. *Nividuni.* — (*i*) As *veneratione.*

[1] Lyon, Mâcon, Charlieu, Montbrison, Villefranche, Bourg*. — [2] Dijon, Beaune, Châtillon, Bar-sur-Aube, Châteauvillain. — [3] Besançon, Salins, Lons-le-Saunier, Gray, Dôle*. — [4] Lausanne, Genève (Genf), Grenoble, Chambéry, Yverdon, Grandson, Moirans, La Chambre*. — [5] Vienne, Le Puy, Annonay, Valence, Romans, Die, Crest, Montelie.

ronati ab haereticis ob officium inquisitionis fratres Petrus et frater Cathalanus; locum de Romanis et locum Diensem, in quo frater Electus sanctissimus homo requiescit; locum Cristae et locum Montilii.

Custodia ALVERNAE (*a*) [1] habet locum de Claromonte; locum Brivatensem (*b*); locum Sancti Portiani; locum Riomi (*c*); locum Montisferradi (*d*) et locum Silvigiaci (*e*).

Haec provincia Burgundiae multos habuit fratres notabiles verbo, scientia et vita, qui accepti fuerunt tam Deo quam hominibus, et specialiter magistrum Ioannem de Mirabello, qui sermone ad clerum et populum fulsit.

PROVINCIA TURONIAE.

Provincia Turoniae habet 5 custodias.

Custodia SANTONENSIS [2] habet locum de Santonis; locum de Ripella; Olerum [3]; locum de Insula; locum Sancti Ioannis; locum Berberili (*f*); locum de Pontibus et locum Compriaci.

Custodia BITURICENSIS [4] habet locum de Biturica; ubi sanctus Antonius noster praedicando (*g*), tempestas et grando et pluvia, quae supervenerunt, eius interventu nullum de audientibus tetigit, ut dictum est conformitate VIII; locum Turonis; locum Niveris (*h*); locum Esolduni; locum Andegavis; locum de Lochas (*i*); locum Castri Radulfi et locum Salmuri (*k*).

Custodia BRITANIAE [5] habet locum Burgi Novi; locum Nanetis (*l*); locum Rodonis; locum Dinani (*m*); locum Guyncampi (*n*); locum Corrizopici (*o*); locum Venetum. In Rodoniis iacet frater Rodolfus, cui angeli in missa servierunt.

Custodia PICTAVIENSIS [6] habet locum de Pictavis; in quo iacet frater Gualterus, homo sanctus, qui ad praedicandum fecit opus, quod dicitur *Rudimentum;* valet enim ad omnem statum informandum; fecit etiam in theologia multa, et signis et vita mundo praedicavit. Ibidem frater Symon, minister provinciae Turoniae, quiescit, ad cuius os visus est Spiritus sanctus in specie columbae; locum de Morto; locum Sancti Maxentii; locum de Mirabello; locum Losduni (*p*); locum Partiniaci (*q*) et locum Castri.

(*a*) As et edd. *Alvernie.* — (*b*) As *Birnacensem,* edd. *Urivatensem.* — (*c*) As et edd. *Xiomi.* — (*d*) As *Ferrandi.* — (*e*) As et edd. *Silvimaci.* — (*f*) As *Berbocili,* edd. *Berbetili.* — (*g*) As et edd. *dum praedicaret.* — (*h*) As *Iuveris.* — (*i*) Edd. *Lothas.* — (*k*) As *Salircuri,* edd. *Falmuri.* — (*l*) As et edd. *Navetis.* — (*m*) As et edd. om. *locum Dinani.* — (*n*) Edd. *Giuncampi.* — (*o*) As *Corricopti.* — (*p*) As *Lofoum,* ed. 2 *Josduni.* — (*q*) As et edd. om. *locum Partiniaci* et addunt *locum Columbae.*

[1] Clermont, Brioude, S. Pourçain, Riom, Montferrand, Seignelay. — [2] Saintes, La Rochelle, Ile d'Oléron, S. Jean-d'Angely, Barbézieux, Pons, Compreignac. — *Provinciale* addit Engolismam (Angoulême). — [3] Pisanus confundit haec duo loca, ad quae separanda addidimus virgulam cum puncto. — [4] Bourges, Tours, Nevers, Issoudun, Angers, Loches, Châteauroux, Saumur. — [5] Bourgneuf, Nantes, Rennes, Dinan, Guingamp, Quimper, Vannes. — [6] Poitiers, Niort, S. Maixent, Mirebeau, Loudon, Parthenay, Châtellerault.

Custodia AURELIANENSIS [1] habet locum Aureliani; locum Castri Duni (*a*); locum de Cenomannis, in quo iacet sanctus frater Electus; locum Vendeami (*b*); locum de Allesis (*c*).

Haec provincia habuit fratres valoris plures et praecipue magistrum Ioannem de Rupella, qui opus fecit in theologia, et tempore suo in ordine, sicut et Parisius, magister fuit verbo et scientia et vita famosus.

PROVINCIA FRANCIAE.

Provincia Franciae habet 9 custodias.

Custodia PARISIENSIS [2] habet locum de Parisius, quem aedificavit frater Agnellus de Pisis, qui fuit primus custos Parisiensis, et deinde factus est Angliae minister. In hoc loco iacet magister Alexander de Halis, qui, etsi anglicus fuerit natione, in civitate Parisiensi magno tempore legit. Hic magister prae aliis magistris in universitate Parisiensi in magna habetur reverentia, opusque suum a 72 magistris scriptura propria ac sigillis est approbatum, et demum per bullam domini Alexandri papae IV, quae omnia habentur Parisius in sacristia conventus [3]. Magister hic miraculose venit ad ordinem nostrum. Nam, etsi fratres nostros diligeret, decreverat tamen ordinem intrare Praedicatorum, quia non erat sic rigidus ut noster. Cum enim disposuisset mundum relinquere, Deum rogavit, ut, quem ordinem introire deberet, sibi indicaret; dictum est ei, quod illum, cuius fratres pro eleemosyna petenda hospitium eius sequenti mane prius advenissent; et cum fratres Minores prius aliis accessissent, factus est frater Minor. Verum, cum ipse esset antiquus et delicate vixerat, rigiditatem ordinis incepit ferre moleste adeo, quod decreverat ab ordine recedere; sed id minime cum nollet facere inconsulta divina bonitate, ad orationem perrexit, rogans, ut super hoc Deus suum beneplacitum demonstraret. Statimque arreptus (*d*) a somno fuit visione mirabili a Domino declaratus; vidit enim scalam a terris protensam usque ad caelum et multos vidit fratres per ipsam ascendentes et caelum intrantes; et cum ipse ascenderet et ad medium devenisset, ulterius progredi nulla vi potuit, licet toto conamine niteretur; ad se tandem reversus cognovit, per scalam sibi ordinem et religionem demonstrari, per quam frater Minor ascendit caelum, sed usque in finem perseverando (*e*). Et quia ipse idipsum facere nolebat, quia quod inceperat per voluntatem exeundi non finaliter perficere intendebat, ad caelum pertingere non valebat; unde intelligendo, quod, si perseveraret in ordine, caelum finaliter adiret, in ordine ex tunc permansit [4]. Vita, verbo et doctrina et suis scripturis tam in theologia quam postillis super scripturam sacram confectis non solum Franciam, sed totam ecclesiam sanctam illuminavit; unde ex hoc intitulari promeruit fons vitae.

Iacet etiam Parisius magister Ioannes Guallensis, natione anglicus, qui Parisius magistratus sanctitate vitae et doctrinae ibidem tam fratribus quam saecularibus po-

(*a*) As *Diuri.* — (*b*) As et edd. *Vendecini.* — (*c*) Edd. *Allofis.* — (*d*) As et edd. *arripitur.* — (*e*) Edd. *si perseverat.*

[1] Orleans, Châteaudun, Le Mans, Vendôme, Blois. — [2] Paris, Mantes-sur-Seine, Chartres, Pontoise, Meaux, Senlis, Etampes. — [3] Cfr. supra pag. 309 not. 4. — [4] Aliquanto differenter referunt *Chron. 24 gen.*, pag. 218 et 219.

situs exstitit in speculum singulare; summam enim multum utilem cum diversis tractatibus compegit. Scripsit luculenter super sacram scripturam et theologiam; quibus promeruit, ut arbor vitae esset vocitatus post mortem; et in huius signum arbor sculpta manet in lapide sui sepulchri. Hic de sua glorificatione securus cum [magno] gaudio perrexit ad Dominum. In hoc loco iacet magister Nicolaus de Lira, gallicus natione, qui totam scripturam divinam postillavit et alia opera fecit, celeber in orbe toto sua doctrina. Iacet etiam in dicto loco magister Ugo de Castronovo; qui luculenter scripsit in theologia et tractatum pulcherrimum edidit de antichristo et de finali iudicio.

Multi alii magistri fuerunt in hoc loco famosi, scilicet magister Bonaventura de Balneo Regio; magister Ioannes de Rupella; magister Gualterus (*a*); magister Rigaldus; magister Alexander de Alexandria; magister Ioannes Scotus; magister Petrus Aureoli; magister Franciscus de Marchia; magister Franciscus de Marronis; magister Ioannes de Marra; magister Ioannes de Marchia; magister Astensius de Aquitania; magister Iacobus de Spinello; et sic de aliis; qui omnes fuerunt magistri in dicta universitate et bachalarii dum essent et magistri famosissimi.

In loco de Parisius, dum quidam esset studens et a diabolo vellet edoceri, et sic esset factum, in una dierum a diabolo strangulatus fuit; cuius cella fuit in dormitorio antiquo et destructo, nec unquam propter persecutionem diaboli a quoquam valuit inhabitari.

In hoc loco quidam frater devotus et studens, dum post completorium per magnum spatium in ecclesia ad orandum stetisset et postea ad cellam ad quiescendum vellet ire, cum ecclesiam exiret, invenit totum claustrum primum daemonibus plenum; per quod oportebat eum ire, saltem per spatium, si dormitorium vellet adire; qui pavore prostratus nullum sciens aliud remedium ad tabernaculum, ubi erat corpus Domini, cum reverentia accedens pyxidem, in qua erat corpus Domini, capiens ad claustrum exivit, statimque omnis illa multitudo daemonum abscessit; portavitque frater ipsum ad cellam, et de mane ad tabernaculum corpus Domini deferendo, quae sibi contigerant, fratribus enarravit. Multa facta sunt devota in hoc loco, ut habitum est supra fructu et conformitate IX.

In hoc loco iacet frater Iulianus theotonicus, qui legendam beati Francisci composuit [1] et responsoria nocturnalia, cantumque beati Francisci quoad hymnos et omnia ipse composuit; fuit enim in cantu magister summus in aula regis Francorum et fuit in ordine sanctus frater et devotissimus. In hoc loco iacent duo generales ministri, [videlicet] frater Arlottus de Prato et frater Gonsalvus de provincia sancti Iacobi, ambo magistri praeclari Parisienses.

Locum Medanti; locum Carnoti; locum Pontisoyae (*b*); locum de Meldis; locum Silvanecti; locum de Stampis (*c*).

Custodia CAMPANIAE [2] habet locum de Senonis; locum de Trechis; locum Antisiodori; locum Pruvini (*d*); locum Versiliaci; locum Senzaniae.

(*a*) As et edd. *Gualterius*. — (*b*) As *Pontisare*, edd. *Pontisere*. — (*c*) Edd. *Stanipis*. — (*d*) As et edd. *Privini*.

---

[1] Cfr. supra pag. 308 not. 3. — [2] Sens, Troyes, Auxerre, Provins, Vezelay, Sézanne.

Custodia ATTREBATENSIS [1] habet locum de Attrebato; locum Tornaci; locum de Valencenis; locum de Insulis; locum de Montibus; locum Cameraci; locum Betunii et locum Duraci.

Custodia VIROMANDIAE [2] habet locum de Royo; locum Yrduni; locum Abbatis Villae (*a*); locum Sancti Quintini; locum Beluaci; locum de Ambianis; locum Noviomi (*b*); locum Peroni.

Custodia LOTHORINGIAE [3] habet locum Novi Castri; locum Ulduni; locum Tulli et locum de Methis.

Custodia FLANDRIAE [4] habet locum de Brugis; locum de Gandavo; locum de Ypra; locum Aldenardi (*c*) et locum Sancti Odomari (*d*).

Custodia NORMANIAE [5] habet locum de Calisia (*e*); locum Vernonacensem; locum Vernolii; locum Rothomagi; locum de Baiocis; locum de Eboracis (*f*); locum Cadomae (*g*); locum Fasii; locum de Bernayo.

Custodia LEODIENSIS [6] habet locum Leodii; locum Nivelli; locum Hoyi; locum Dinantii (*h*) et locum Namurci.

Custodia REMENSIS [7] habet locum de Remis; locum Lauduni; locum Catalani; locum Compendii; locum Suessionis.

Haec Franciae provincia saepe decorata fuit multis probis et valentibus fratribus, tam in theologia magistris quam non magistris, qui multa opera ediderunt tam super bibliam, quam in theologia, quam etiam in decretalibus. Frater Durandus, qui edidit summam magnam et pulchram de casibus conscientiae, fuit de provincia Franciae. Qui librum edidit de proprietatibus rerum, de provincia Franciae fuit (*i*) [8].

PROVINCIA ANGLIAE.

Provincia Angliae habet 7 custodias.

Custodia LONDONIENSIS [9] habet locum Londoniarum; locum Cantuariae; in qua ecclesia magister Ioannes Peccian fuit archiepiscopus, [homo] magnae sanctitatis et scientiae, qui multos in diversis scientiis tractatus edidit; locum Wernichelseyae (*k*); locum Subtantonae (*l*); locum Warae (*m*), de quo fuit magister Ioannes [10],

(*a*) As et edd. *Vallis.* — (*b*) As *Noveoni,* edd. *Noveani.* — (*c*) As et edd. *Aldendi.* — (*d*) Edd. *Domati.* — (*e*) As et edd. *Falegio.* — (*f*) As et edd. *Eboracos.* — (*g*) As et edd. *Cadoniae.* — (*h*) As et edd. *Dinacii.* — (*i*) As et edd. addunt: *Sic et qui summam composuit de virtutibus, frater [noster] provinciae Franciae fuit.* Cfr. supra pag. 341 not. 2. — (*k*) As *Winchelseye,* ed. 1 *Uberrinchelseie,* ed. 2 *Uberrinchelsie.* — (*l*) As et edd. *sub cantone.* — (*m*) Edd. *Vuarre.*

[1] Arras, Tournay, Valenciennes, Lille, Mons, Cambrai, Béthune, Douai. — *Provinciale* addit Lendium (Lens). — [2] Roye, Hesdin, Abbeville, S. Quentin, Beauvais, Amiens, Noyon, Péronne. — [3] Neufchâteau, Verdun, Toul, Metz. — [4] Brügge (Bruges), Gent, Ypern (Ypres), Oudenarde, S. Omer. — [5] Falaise, Vernon, Verneuil, Rouen, Bayeux, Evreux, Caen, Faches, Bernay. — *Provinciale* addit Cetenum (Sées). — [6] Liége, Nivelles, Huy, Dinant, Namur. — [7] Reims, Laon, Châlons-sur-Marne, Compiègne, Soissons. — [8] Est frater Bartholomaeus Anglicus; de quo cfr. Felder l. c. pag. 248-253 et Golubovich, *Biblioteca bio-bibliografica,* pag. 276-279. — [9] London, Canterbury, Winchelsea, Southampton, Ware *, Lewes, Chichester, Salisbury, Winchester. — [10] Cfr. supra pag. 337 not. 2.

qui scripsit super *Sententias*, et fuit, ut dicitur, magister doctoris subtilis Scoti; locum Levisiae; locum Michestriae (*a*); locum Salisber (*b*); locum Vinconiae (*c*).

Custodia EBORACENSIS [1] habet locum de Eboraco; ubi factus est archiepiscopus dominus frater Bonaventura de Balneoregio, sed renuntiavit, et generalis minister remansit; quae ecclesia erat tunc pinguissima ultra centum millia florenorum; locum Duncastriae; locum Linconiae; locum Sancti Botulfi; locum Beverlaci et locum Scardebrigiae; locum Germisceriae (*d*).

Custodia CANTABRIGIAE [2] habet locum Cantabrigiae; locum Norvici; locum Colcestriae (*e*); locum Sancti Egmundi; locum Dunvici; locum Balsingin; locum Gervermicae (*f*); locum Gempnici (*g*); locum Lenniae (*h*).

Custodia BRISTOLENSIS [3] habet locum Bristoli; locum Gloncestriae; locum Burgevalteri; locum Efordiae (*i*); locum Oxoniae (*k*); locum Carmerdiniae; locum Bodnimiae (*l*); [locum Ocestae; locum Verdiniae].

Custodia OXONIENSIS [4] habet locum Oxoniae, quem locum primum aedificavit frater Agnellus de Pisis, factus primus minister Angliae a beato Francisco, ubi sepultus fuit miraculis pluribus decoratus. In hoc loco quodam sero, dum in completorio (*m*) fratres riderent nimis dissolute, crux lignea, quae stat super ostium chori, fragore stupendo se vertit ad fratres et timorem maximum eis incussit, et plures eorum in brevi decesserunt ex hac vita. Locum Radigiae; locum Betfordiae; locum Stanfordiae (*n*); locum Notingamiae (*o*); locum Nartatonae (*p*); locum Leycestriae; locum Gracamae (*q*).

Custodia NOVICASTRI [5] habet locum Novicastri; locum Dundae; locum Dunfres; locum Adintoniae; locum Carlioli; locum Herspelliae (*r*); locum Bervici; locum Rothisburgiae (*s*); locum Richemundiae.

Custodia VIGORNIAE [6] habet locum de Vigorna; locum Prescenae; locum Brigurtae (*t*); locum Salopiae; locum Coniunctoriae (*u*); locum Cestriae; locum Helfordiae (*v*); locum Lamasiae et locum Scafordiae (*x*).

In hac siquidem Angliae provincia fratres semper fuerunt et sunt ad divinum officium, missas et alias ordinationes nostri ordinis specialiter ordinati; propter quae

(*a*) As *Michesce*, edd. *Michesten.* — (*b*) As et edd. *Saliscere.* — (*c*) As et edd. *Vintonie.* — (*d*) Edd. *Germiscenie.* — (*e*) Edd. *Colcestie.* — (*f*) Edd. *Genermice.* — (*g*) Edd. *Gepnici.* — (*h*) As *Lemme,* edd. *Lemnie.* — (*i*) As *Exphordie,* edd. *Erphordie.* — (*k*) Edd. *Exonie.* — (*l*) As et edd. *Bodminie.* — (*m*) As et edd. *post completorium.* — (*n*) Edd. *Scanfordie.* — (*o*) Edd. *Lotigamie.* — (*p*) Edd. *Natatone.* — (*q*) As *Gramaye,* edd. *Graanne.* — (*r*) As et edd. *Herripellie.* — (*s*) As et edd. *Lothisburgie.* — (*t*) As *Bugurte,* edd. *Bigurte.* — (*u*) As *Convictorie.* — (*v*) As *Elfoldie,* edd. *Hehfoldie.* — (*x*) As *Stafordie,* edd. *Strafordie.*

[1] York, Doncaster, Lincoln, Boston, Beverley, Scarborough *, Grimsby. — [2] Cambridge, Norwich, Colchester, Bury S. Edmunds, Dunwich, Walsingham *, Yarmouth, Ipswich, Kings Lynn. — [3] Bristol, Gloucester, Bridgwater, Hereford, Exeter, Carmarthen, Bodmin, Dorchester, Cardiff. — [4] Oxford, Reading, Bedford, Stamford, Nottingham, Northampton, Leicester, Grantham. — [5] Newcastle, Dundee, Dumfries, Haddington, Carlisle, Hartlepool, Berwick, Roxburgh, Richmond. — *Provinciale* pag. 40 plura huius custodiae loca repetit sub « vicariatu Scociae ». — [6] Worcester, Preston, Broughton, Shrewsbury, Coventry, Chester, Hereford, Hamely, Stafford. — *Provinciale* hic omittit locum *Helfordiae* est addit Lichfeldiam (Lichfield).

Deus eos auxit numero, bonis temporalibus et scientia [1]. Habuit enim magnam copiam semper magistrorum et proborum. De hac siquidem provincia fuit magister Ioannes Scotus, doctor subtilis, cuius memoria quoad sufficientiam erit perpetua, qui multa opera fecit; magister Alexander de Halis, etsi Parisius steterit magno tempore. Habuit haec provincia fratrem Gulielmum Occham, qui multa opera fecit in logica et in theologia (*a*) et alios libros plures; fratrem Robertum Bachon, hominem singularissimum, in omnibus scientiis expertissimum, qui etiam plures libros fecit et tractatus. Innumeros alios habuerunt magistros, qui opera fecerunt, scilicet magistrum (*b*) Rodimpton; magistrum Gulielmum Cepton (*c*); magistrum Adam Codan; magistrum Rodulfum (*d*) Elifath; magistrum Rogerium Conoe (*e*) et sic de aliis, quorum operibus est plenus totus ordo. Ac multi praelati et magistri in theologia et in aliis scientiis decorati, vitam attendentes sanctam fratrum ordinis, in hac Angliae provincia ordinem intraverunt, ut dictum est fructu et conformitate IX. Vita enim sancta et praedicatione hodie in partibus Angliae ad sequendum Christum multi trahuntur, mundo abiecto.

PROVINCIA YBERNIAE.

Provincia Yberniae habet 5 custodias.

Custodia DULBINENSIS (*f*) [2] habet locum Dulbiniae (*g*); locum Kildariae (*h*); locum Clariae (*i*); locum de Mortoto; locum Deserti; locum Bichilo (*k*); locum Veyesereforudiae.

Custodia CASELLENSIS [3] habet locum de Casello; locum Bullieniae; locum Iochil; locum Rossae (*l*); locum Vacrifordiae (*m*) et locum Clanmel (*n*).

Custodia CORTIGENSIS [4] habet locum Cortigiae; locum de Ardarch (*o*); locum Bachoniae; locum Luasiae; locum Tagivolagi (*p*).

Custodia VENATENSIS [5] habet locum de Venath; locum Claratboy (*q*); locum Kyllerth (*r*); locum Galvy; locum Elonramadae; locum Blessiniae; locum Aramatiae.

Custodia PONTENSIS [6] habet locum de Ponte; locum Trun; locum Dundavae; locum Malifarnan; locum Durni et locum Occagfregis.

In hac Yberniae provincia iacent fratres Nicolaus de Guatfordia, qui mortem suam fratribus praedixit, et frater Ioannes de Vaffordia, ad cuius sepulchrum occisi suscitantur, et infirmi omnes (*s*) curantur.

(*a*) As *in philosophia et theologia*, edd. *in philosophia*. — (*b*) In Codice sequitur lacuna; As *magistrum Thomam;* edd. omittunt nomen; cfr. supra pag. 339, ubi vocatur *Rodulfus*. — (*c*) Edd. *Tepton*. — (*d*) As et ed. 1 *R.*, ed. 2 *Reliphat*. — (*e*) Edd. *Pogerium Conte*. — (*f*) Edd. *Dalbinensis*. — (*g*) Edd. *Dubine*. — (*h*) As et edd. *Kaldarie*. — (*i*) As *Olane*, edd. *Clane*. — (*k*) As et edd. *Bachilo*. — (*l*) Edd. *Kosse*. — (*m*) Edd. *Vacripordie*. — (*n*) As *Clavinel*. — (*o*) Edd. *Ardach*. — (*p*) Edd. *Tagmolagi*. — (*q*) As *Claracoy*, edd. *Clararoi*. — (*r*) As *Rillerch*, edd. *Chilleich*. — (*s*) As et edd. om. *omnes*.

[1] Cfr. supra pag. 339 et Little, *The Grey Friars in Oxford* (Oxford 1892). — [2] Dublin, Kildare, Clane, Maynooth,?, Wicklow, Wexford. — [3] Cashel, Kilkenny, Youghal, Ross, Waterford, Clonmel. — [4] Cork, Ardagh,?, Limerick, Timoleague. — [5] Nenagh, Clare, Killaloe, Galway, Clonard,?, Armagh. — *Provinciale* addit Athlon (Athlone). — [6] Drogheda, Trim, Dundalk, Multyfarnham, Down, Carrickfergus.

PROVINCIA DATIAE.

Provincia Datiae habet 8 custodias.

Custodia NORWEGIAE [1] habet locum Mastracis (*a*); locum Orugellae; locum Tusterini (*b*); locum Asloyae; locum de Bergis.

Custodia OCTOVERENSIS [2] habet locum Octoveriae (*c*); locum Mystath (*d*); locum Symerburch.

Custodia LYNDENSIS [3] habet locum de Lyndis; locum Trelburch (*e*); locum Ustath (*f*).

Custodia LANCOPENSIS [4] habet locum Ymicopiae (*g*); locum de Scaris; locum Werislu (*h*); locum Lincopiae; locum Senyrcopiae.

Custodia RIPENSIS [5] habet locum de Ripis; locum Sclerich (*i*); locum Flensburch; locum Caldig (*k*); locum Tanduc.

Custodia URBERGENSIS (*l*) [6] habet locum Urbinch; locum Raudey (*m*); locum Orsnis (*n*) et locum Alarburch.

Custodia SCOTOLENSIS [7] habet locum de Scotelene (*o*); locum Crebi (*p*); locum Perpsallan (*q*) et locum Nyncopiae.

Custodia RISCHILDENSIS [8] habet locum de Rischildis; locum Caludburch; locum Nestueth et locum Luminis (*r*).

Haec provincia multum est in territorio lata; habet enim tria regna, scilicet Datiae, Norwegiae et Swegiae; nec dubitandum est, habuisse et habere fratres, qui suis praedicationibus ac vita ad Christum plures converterunt et ducunt.

PROVINCIA COLONIAE.

Provincia Coloniae habet 7 custodias.

Custodia COLONIENSIS [9] habet locum Coloniae, in quo iacet doctor subtilis frater Ioannes Scotus, qui ibidem lector decessit; locum de Nussia (*s*), in quo iacet frater Nicolaus, qui in vita et post signis multis claruit et mortuos suscitavit; ibidem

(*a*) As et edd. *Mestracis.* — (*b*) Edd. *Tusterim.* — (*c*) As et edd. *Octonie.* — (*d*) As et edd. *Mistach.* — (*e*) As *Tresburch*, edd. *Tralburch.* — (*f*) As et edd. *Ustach.* — (*g*) As *Unicopie.* — (*h*) As *Verbislu.* — (*i*) As *Scerich*, edd. *Sclerisch.* — (*k*) Edd. *Caldis.* — (*l*) As et edd. *Verbergensis.* — (*m*) As *Randei*, edd. *Randet.* — (*n*) Edd. *Orfuis.* — (*o*) As *Scotosne*, edd. *Stotocne.* — (*p*) As *Trobi.* — (*q*) As et edd. *Psallam.* — (*r*) As *Hamnis*, edd. *Amnis.* — (*s*) As et edd. *Missia.*

[1] Marstrand, Kungelf, Tönsberg, Oslo (Kristiania), Bergen. — [2] Odense, Nyborg, Svendborg. — [3] Lund, Trelleborg, Ystad. — [4] Iönköping, Skara, Visby, Linköping, Falköping. — [5] Ribe, Schleswig, Flensburg, Kolding, Tondern. — [6] Viborg, Randers, Horsens, Aalborg. — [7] Stockholm, Örebro, Upsala, Nyköping. — *Provinciale* addit Enecopiam (Enköping). — [8] Roskilde, Kalundborg, Nästved, Kopenhagen. — [9] Cöln, Neuss, Duisburg, Roermond, Bonn, Seligental, Cleve, Aachen.

est reconditus frater Electus, qui suo tactu sanabat infirmos. Locum Dulbrich (*a*) locum Roremundae; locum Bunnae (*b*); locum Vallis Felicis; locum Clivis (*c*); locum Aquisgrani.

Custodia TREVERENSIS [1] habet locum Treveris; locum Luzcenburch (*d*); locum Merliae; locum Confluentiae; locum Wesaliae; locum Lymburch (*e*); locum Andernaci, in quo iacent sancti viri frater Theodoricus et frater Ogerus de Saxonia; locum de Vetzflaria (*f*).

Custodia WESTFALIAE (*g*) [2] habet locum Tremoniae; locum Susati (*h*); locum Padeburnae; locum Erfordiae; locum Uxariae; locum Osnabruggae (*i*), et locum in Monasterio, in quo iacet frater Henricus de Affrica et frater Ioannes de Peyrna, qui mira fecerunt.

Custodia HOLLANDIAE [3] habet locum Traiecti inferioris; locum Dordraci (*k*); locum Zirixcae (*l*); locum Buscridis; locum Middelburch.

Custodia BRABANTIAE (*m*) [4] habet locum Thenis; locum Machelliniae; locum Bruxellae; locum Dyest (*n*); locum Sancti Trudonis; locum Traiecti super Mosam et locum Lovanii (*o*). In hac custodia iacet sanctus frater Petrus, qui a pueris, dum communicaret, visus est, quod puerum manducaret.

Custodia DAVENTRIAE [5] habet locum Daventriae; locum de Felda; locum Firclariae; locum de Campis; locum de Herderwike et locum Grismariae (*p*).

Custodia ASSIAE (*q*) [6] habet locum de Groninghe (*r*); locum de Gronimberch (*s*); locum de Erfellia; locum Marburch; locum Sisclariae (*t*); locum Fubdae (*u*) et locum Gersmariae.

In provincia hac Coloniae, in Turgone iacet frater Hasso (*v*); in Kylone iacet frater Adolfus, quondam comes Alsathiae [7]; frater Electus est alius frater Electus, de quibus dictum est conformitate VIII. Haec provincia Coloniae est notabilis provincia in fratribus valoris et bonitatis; et multi fuerunt in dicta provincia notabiles praedicatores et sunt, quorum fructus in aula caeli reperiuntur.

(*a*) As *Dusbruch.* — (*b*) Edd. *Bumie.* — (*c*) Edd. *Divi.* — (*d*) As et edd. *Lucilburch.* — (*e*) As *Leburch*, edd. *Leporth.* — (*f*) As et edd. *Vesteparma.* — (*g*) As et edd. *Boffalie.* — (*h*) As *Sussari*, edd. *Fussari.* — (*i*) As et edd. *locum Hosne, locum Brugge.* — (*k*) As *Dofoaci*, edd. *Dosdaci.* — (*l*) Edd. *Zirxe.* — (*m*) Edd. *Barbantie.* — (*n*) Edd. *Derste.* — (*o*) Edd. *Lovanure.* — (*p*) As et edd. *Custodia Daventriae habet locum de Folda; locum Firclarie; locum Grismarie.* — Pisanus repetit haec tria loca, nominibus paulum mutatis, in custodia Assiae, cuius revera fuerunt, et omittit in custodia Daventriae tria loca, quae *Provinciale* pag. 25 hoc modo exhibet: Gronignie, Bodelstuerde, Falerne. — (*q*) Codex *Frisie.* — (*r*) Edd. *Guerohing.* — (*s*) As *Gravenburch*, ed. 1 *Grovenberg.* — (*t*) Edd. *Fisclarie.* — (*u*) As et edd. *Subde.* — (*v*) As om. *in Turgone iacet fr. Hasso.*

---

[1] Trier, Luxemburg, Merl, Coblenz, Oberwesel, Limburg, Andernach, Wetzlar. — [2] Dortmund, Soest, Paderborn, Herford, Höxter, Osnabrück, Münster. — [3] Utrecht, Dordrecht, Zierikzee, s' Hertogenbosch, Middelburg. — [4] Thienen (Tirlemont), Mecheln (Malines), Brüssel (Bruxelles), Diest, S. Trond (S. Truijen), Maastricht, Löwen (Louvain), — [5] Deventer, Kampen, Harderwijk, Groningen, Bolsward, Gross-Faldern. — [6] Göttingen, Grünberg, Hersfeld, Marburg, Fritzlar, Fulda, Hofgeismar. — [7] Cfr. supra pag. 325 not. 7.

PROVINCIA ARGENTINAE.

Provincia Argentinae sive Almaniae Superioris habet 6 custodias.

Custodia ALSATHIAE (*a*) [1] habet locum Argentinae; locum Rubiaci; locum Prisaci; locum Sarburch; locum Columbariae; locum Offimburch (*b*); locum Agnoniae et locum Misinburch.

Custodia BASILIENSIS [2] habet locum Basileae; locum Tannis; locum Friburgi Inferioris; locum Mishusin; locum Solodri; locum Berni; locum Friburgi Superioris; locum Burgtorf.

Custodia LACI CONSTANTIAE [3] habet locum Constantiae; locum Scafusanae (*c*); locum Lyndaniae; locum Tareti; locum Borlingenae; locum Filinguenae; locum Luceriae et locum Campi Regis.

Custodia BAVARIAE [4] habet locum Papenberch; locum Nigoldasi (*d*); locum Ratispone, in quo quiescit frater Bertuldus egregius praedicator, qui etiam in vita multa miracula fecit; locum Lanisocae; locum Mordlingani; locum Monaci; locum Verimberch et locum Augustae.

Custodia SUEVIAE [5] habet locum Oblingae; locum Herbipolis; locum Forsinae; locum Rothinburch; locum Tuyngensis (*e*); locum de Hallis; locum Kamundae (*f*); locum Cylippii (*g*); locum Hulmae (*h*) et locum Rutrilinguenae.

Custodia RENENSIS [6] habet locum Tepurch; locum de Spira; in quo iacent frater Ioannes, qui post mortem mortuum revocavit ad vitam, et frater Colinus minister Argentinae, qui multa miracula fecit; locum Francinfordiae; locum Lutri; locum Frideburch; locum Kelinusin (*i*); locum Opinhemae (*k*); locum Heidelberch et locum Maguntiae, in qua quidam frater noster fuit archiepiscopus [7].

In hac Argentinae provincia, scilicet in Augusta, iacent frater David et frater Tartericus (*l*), Argentinae minister, viri sanctitatis et perfectionis. In Huxaria iacet frater Hudo (*m*), sanctus homo. Multos haec provincia fratres praeclaros et magnae (*n*)

(*a*) As et edd. *Alphatie.* — (*b*) As *Offenburch*, edd. *Effinburch.* — (*c*) Edd. *Strifusanie.* — (*d*) As *Inyoldach*, edd. *Nigoldath.* — (*e*) As *Taygensis.* — (*f*) As *Ramunde*, edd. *Pamunde.* — (*g*) As *Eylichpii*, edd. *Eilithpii.* — (*h*) As *Olive*, edd. *Ulmere.* — (*i*) Edd. *Keilinhirsin.* — (*k*) Edd. *Opinheve.* — (*l*) Edd. *Tertericus.* — (*m*) As *Ugo.* — (*n*) As et edd. om. *magnae.*

[1] Strassburg, Ruffach, Breisach *, Saarburg, Colmar, Offenburg, Hagenau, Weissenburg. — [2] Basel, Thann, Freiburg in Brisgovia, Mühlhausen, Solothurn, Bern, Freiburg in Helvetia, Burgdorf. — *Provinciale* addit Novum Castrum (Neuburg). — [3] Konstanz, Schaffhausen, Lindau, Zürich, Ueberlingen, Villingen, Luzern, Königsfelden. — [4] Bamberg, Ingolstadt, Regensburg, Landshut, Nördlingen, München, Nürnberg, Augsburg. — [5] Esslingen *, Würzburg, Pforzheim *, Rothenburg, Tübingen *, Hall, Schwäbisch Gmünd, Heilbronn *, Ulm, Reutlingen. — [6] Dieburg, Speyer, Frankfurt, Kaiserslautern, Friedberg, Gelnhausen, Oppenheim, Heidelberg, Mainz. — *Provinciale* addit Vormaciam (Worms). — [7] Scilicet Henricus Knoderer, 1286-1288.

litteraturae habuit, per quos multi ad Dominum sunt conversi; ac in locis huius provinciae beatus Franciscus plura signa fecit, ut conformitate XL patebit.

PROVINCIA SAXONIAE.

Provincia Saxoniae habet 12 custodias.

Custodia BREMENSIS [1] habet locum de Brema; in quo iacet frater Electus, qui cantando: « Ascendo ad Patrem meum » etc. tradidit spiritum; locum Hamburch; locum Lunenburch (*a*), in quo iacet sanctus (*b*) frater Ioannes; locum de Stadio et locum Kiliven (*c*).

Custodia HALBERSTADENSIS [2] habet locum de Halberstat; locum Heldesim, in quo iacet frater Conradus, cognomine Pater Sancte; locum Hanover (*d*); locum de Bruunswijck (*e*) et locum de Quedlingburch.

Custodia MAYDEBURGENSIS [3] habet locum Maydeburch; locum de Osterwerlimburch (*f*); locum Servisti; locum de Bareby; locum Halus; locum de Ascaria.

Custodia LUBICENSIS [4] habet locum de Lubich (*g*); locum de Riga; locum de Gerpesvalde; locum Verenae; locum de Simdis (*h*); locum Rostich (*i*); locum Parthem (*k*); locum Vismae.

Custodia STETINENSIS [5] habet locum de Stetyn; locum de Pyris; locum Arustualdae; locum Novebrandeburch; locum Prinsclaviae (*l*); locum Grifonberch; locum Anguermundae et locum Travemburch.

Custodia LIPSENSIS [6] habet locum de Lipisce (*m*); locum de Egra; locum de Zeyc (*n*); locum Suicaniae; locum Cutiae; locum Weroyda; locum Aldenbrich et locum Visenuelke (*o*).

Custodia MISENENSIS [7] habet locum de Misena, in quo iacet sanctus frater Odoricus Saxo; locum Codebet (*p*); locum Utisburch (*q*); locum Drestanden (*r*); locum Ossem, in quo iacet frater Ioannes gloriosus signis in vita et post mortem; locum Terrecoy (*s*) et locum de Suselis (*t*).

(*a*) As et edd. *Vermeburch.* — (*b*) As om. *sanctus.* — (*c*) As *Ylmeln.* — (*d*) As et edd. *Honever.* — (*e*) Edd. *Brunfruch.* — (*f*) As *Oisteriblilburch.* — (*g*) As et edd. *Lumbech.* — (*h*) As et edd. *Sundis.* — (*i*) As et edd. *Rostach.* — (*k*) As *Palhem,* edd. *Parchem.* — (*l*) Edd. *Prinisclave.* — (*m*) Edd. *Lipsce.* — (*n*) Edd. *Ceiec.* — (*o*) Edd. *Visenulke.* — (*p*) As et edd. *Codeber.* — (*q*) As *Vitisburch.* — (*r*) As et edd. *Drescanden.* — (*s*) As et edd. *Terrecon.* — (*t*) As *Siselis.*

---

[1] Bremen, Hamburg, Lüneburg, Stade, Kiel. — [2] Halberstadt, Hildesheim, Hannover, Braunschweig, Quedlinburg. — [3] Magdeburg, Wittenberg, Zerbst, Barby, Halle, Aschersleben. — *Provinciale* addit Borith (Baruth). — [4] Lübeck, Riga, Greifswalde, Schwerin, Stralsund, Rostock, Parchim, Wismar. — [5] Stettin, Pyritz, Arnswalde, Neubrandenburg, Prenzlau, Greifenberg, Angermünde, Dramburg. — [6] Leipzig, Eger, Zeitz, Zwickau, Hof, Weida, Altenburg, Weissenfels. — [7] Meissen, Cottbus, Freiberg, Dresden, Oschatz, Torgau, Seuselitz.

Custodia AUREIMONTIS [1] habet locum de Goldenberch (*a*); locum Lewenberch; locum Legenis; locum de Gorlis; locum Luban; locum Agani; locum Budesyn; locum Trasve (*b*); locum Ytaviae et locum Saroviae (*c*).

Custodia PRUSCIAE [2] habet locum Brunsburch (*d*); locum Novae; locum de Culmen et locum Ethori.

Custodia VRATISCLAVENSIS [3] habet locum de Vratisclavia; locum Sivenes; locum de Stralim; locum Novifori; locum Nisze; locum Nansclaviae; locum de Munstiben; locum de Brega.

Custodia BRANDEBURGENSIS [4] habet locum Sanctae Elyzabeth; locum de Gransoy (*e*); locum Lobaviae; locum Salmodil; locum Antiquae Brandeburch; locum de Berlin; locum de Steindal (*f*); locum Vraulienvordiae (*g*); locum de Kyris.

Custodia TURINGIAE [5] habet locum de Meinege; locum Erfordiae, in quo iacet frater Benedictus, qui fuit pincerna beatae Mariae; locum de Arustede; locum Couburch; locum Ysenach; locum Molusin (*h*) et locum Aveld (*i*).

Haec provincia maior est fratribus et locis aliqua provincia, quae sit in ordine Minorum, et habuit fratres sanctitate insignes. Siquidem in Maydeburch iacent frater Symon, primus lector in Theutonia, frater Iacobus, primus custos Saxoniae; frater Luculfus, cuius lotura pedum infirmos curavit, et multa miracula edidit; frater Iordanus de Italia, frater Gilibertus et frater Eretfridus; de quibus dictum est fructu et conformitate VIII. Iacet in Mulhusen frater Hermannus; in civitate Halberstadensi frater Otto (*k*), qui miraculose intravit ordinem et post mortem signis claruit. Alii fratres sancti viri in hac fuere provincia, etsi eorum memoria silentio sit suppressa.

PROVINCIA AUSTRIAE.

Provincia Austriae 6 habet custodias.

Custodia WIENNENSIS [6] habet locum Wiennae (*l*); locum Novae Civitatis, in quo iacet sanctus frater Conradus, vir multorum patrator miraculorum; locum Aynburgae; locum Velsperch; locum Cistenstorch (*m*).

(*a*) As *Geldeberch*, edd. *Geldebcrith*. — (*b*) Edd. *Trasne*. — (*c*) Edd. *Satovie*. — (*d*) Edd. *Brumisberich*. — (*e*) Edd. om. *Gransoy*. — (*f*) Edd. *Scenidal*. — (*g*) As *Frankenforte*, edd. *Werrauleenvorde*. — (*h*) As *Mulhusen*, edd. *Molhusin*. — (*i*) As *Eveld*, edd. *Alvel*. — (*k*) As et edd. *Osto*. — (*l*) Edd. *Werienne*. — (*m*) As *Sistentorff*, edd. *Cistensterch*.

[1] Golberg, Löwenberg, Liegnitz, Görlitz, Lauban, Sagan, Bautzen, Dranse, Mücka, Sorau. — [2] Braunsberg, Neustadt, Culm, Thorn. — [3] Breslau, Schweidnitz, Strehlen, Neumarkt, Neisse, Namslau, Münsterberg, Brieg. — [4] *Provinciale* etiam locum « S. Helyzabeth » in custodia Brandeburgensi ponit; ast *Provinciale* et Pisanus errant; locus enim S. Elisabeth prope Eisenach situs ad custodiam Thuringiae numerari debet. Cfr. Michael Bihl, *Chronica Conventus Ordinis Fratrum Minorum ad S. Elisabeth prope Isenacum*, in *Quellen und Abhandlungen zur Geschichte der Abtei und der Diöcese Fulda*, t. II pag. 167-177. — Conventus custodiae Brandeburgensis sunt: Gransee, Löbau, Salzwedel, Altbrandenburg, Berlin, Stendal, Frankfurt, Kyritz. — [5] Meiningen, Erfurt, Arnstadt, Coburg, Eisenach, Mühlhausen, Saalfeld. — *Provinciale* addit conventum Nortusin (Nordhausen). — [6] Wien, Wiener Neustadt, Hainburg, Feldsberg, Zistersdorf*.

Custodia STIRIAE [1] habet locum de Greze; locum Yndeburge; locum Volfsperium et locum de Pruca.

Custodia ANASTENSIS [2] habet locum de Pamia (*a*); locum de Lurisam; locum Anasi et locum Belsae.

Custodia FELICENSIS [3] habet locum Brisnae (*b*); locum Fillaci et locum Bozarii.

Custodia MARCHIAE [4] habet locum Peroniae (*c*); locum Marisburgae; locum de Cilia et locum Laybaci.

Custodia DANUBII [5] habet locum de Stayn; locum de Tulla; locum de La; locum Nerenstan (*d*) et locum de Gerito (*e*).

PROVINCIA BOEMIAE.

Provincia Boemiae habet 7 custodias.

Custodia OPOLIENSIS [6] habet locum de Opol; locum Bladislavici; locum Glogoniae (*f*) et locum de Boton.

Custodia PRAGENSIS [7] habet locum de Praga; locum Sancti Iacobi; locum Sancti Frunt (*g*); locum Novae Domus; locum Bechehina (*h*); locum Boselaviae et locum Bonessau (*i*).

Custodia MORAVIAE [8] habet locum Olomuae (*k*); locum de Brunna; locum Yglaviae; locum Opaviae; locum Novae Civitatis; locum de Cenoyma (*l*) et locum Cernouye (*m*).

Custodia GESNENENSIS [9] habet locum de Gnesnan; locum Kalis; locum Ologoviae; locum Obernakae (*n*); locum Eroaviae (*o*); locum Radyeyon (*p*); locum Sereni; locum Pisdrae (*q*).

Custodia GREMENSIS [10] habet locum de Muta; locum de Grez; locum Bidzoniae (*r*); locum Cyaslaviae et locum Glazi.

Custodia CRACOVIENSIS [11] habet locum Lenoniae (*s*); locum Cracoviae; locum Zamcost (*t*); locum Radomis et locum Sandec (*u*).

(*a*) As *Panna*. — (*b*) As *Brisve*. — (*c*) As *Peconie*. — (*d*) As *Verenstan*. — (*e*) As et edd. *Gerico*. — (*f*) As *Golgonie*, edd. *Glohovie*. — (*g*) As et edd. *Francisci*. — (*h*) As *Bechehyna*, edd. *Bechinam*. — (*i*) As *de Nassau*, edd. *Benessau*. — (*k*) Edd. *Olonive*. — (*l*) Edd. *Ceinoma*. — (*m*) As et edd. *Cernoie*. — (*n*) Edd. *Bernake*. — (*o*) As et edd. *Croavie*. — (*p*) As *Radienon*, edd. *Redivon*. — (*q*) As *Pifore*. — (*r*) As *Bidsovie*. — (*s*) As *Lenovie*. — (*t*) As et edd. *Zanicost*. — (*u*) As *Sandoc*.

[1] Graz, Judenburg, Wolfsberg, Bruck. — [2] Pulca, Linz, Ens, Wels. — [3] Brixen *, Villach, Bozen. — [4] Pettau, Marburg, Cilli, Laibach. — [5] Stein, Tulln, Laa, Dürnstein *, Grein *. — [6] Oppeln, Loslau, Oberglogau, Beuthen. — [7] Prag (3), Neuhaus, Bechin, Bunzlau, Beneschau. — [8] Olmütz, Brünn, Iglau, Troppau, Neustadt, Znaim, Krnov (Jägerndorf). — [9] Gnesen, Kalisz, Gross-Glogau, Obornik, Grabow, Radjejew, Schrimm, Pysdry. — [10] Hohenmauth, Königgrätz, Bydžow, Caslau, Glatz. — [11] Lelów, Krakau, Sawichost, Radom, Sandec. — *Provinciale* addit Corchin (Korczyn).

Custodia LUTOMORICENSIS [1] habet locum Lutomaris (*a*); locum Pilisvam (*b*); locum de Ponte; locum Cadani; locum Zatez (*c*); locum Tinez (*d*) et locum de Nussa (*e*).

Haec provincia Boemiae habet in Princilavia sepultum fratrem Gerardum, qui in vita et post miraculis coruscavit; in Vranslavia fratrem Marquardum, qui ibi multis signis claruit.

PROVINCIA UNGARIAE.

Provincia Ungariae habet 8 custodias.

Custodia IANURIENSIS [2] habet locum de Ianurino (*f*); locum Supronii; locum Posonii et locum de Leuca.

Custodia AGRABINENSIS [3] habet locum Agrabiae (*g*); locum Verenchae (*h*); locum Nerthem (*i*) et locum Gurbonich (*k*).

Custodia SIRMENSIS [4] habet locum Bachini; locum Xuyi (*l*); [locum ad Sanctum Demetrium]; locum de Tadua; locum Francae Villae; locum ad Sanctum Yrenaeum; locum Zemlinii; locum Monasterii; locum Bani in Metis Graeciae; locum Eudi (*m*).

Custodia STRIGONIENSIS [5] habet locum Strigonii; locum Nitriae; locum Ternaviae; locum Saetae (*n*); locum Lipsae et locum Trinchinii.

Custodia QUINQUE ECCLESIARUM [6] habet locum Varisdini; locum Quinque Ecclesiarum; locum Capruncbae (*o*); locum Occuscudini (*p*) et locum Scemeniae (*q*).

Custodia AGRIENSIS [7] habet locum de Agria; locum Ceps superius et inferius, duo loca (*r*); locum Zatinar (*s*); locum Potocae et locum Varadini.

Custodia TRANSMANA (*t*) [8] habet locum Bestercecae (*u*); locum Cemenii (*v*); locum Vorasini; locum Clicunfori in metis Tartariae.

(*a*) Edd. *Lutomenis.* — (*b*) As *Pilisnam.* — (*c*) Edd. *Zarez.* — (*d*) As *Tiney*, edd. *Tinex.* — (*e*) As *Massa*, edd. *Missa.* — (*f*) As et edd. om. *locum de Ianurino.* — (*g*) As et edd. *Zagrabie.* — (*h*) As *Vironitice*, edd. *Virovitice.* — (*i*) As et edd. *Nesice.* — (*k*) As et edd. addunt *locum de Posega, locum Constannice.* — (*l*) As *Vulak*, edd. *Voilach.* — (*m*) As *Endi.* — (*n*) As et edd. *Sezne.* — (*o*) As *Caprunce.* — (*p*) As et edd. *Segesdini.* — (*q*) As et edd. addunt locum Lubrigi et locum Falkas (Falkos). — (*r*) As et edd. om. *duo loca.* — (*s*) As *Cathinar*, edd. *Zathmar.* — (*t*) As et edd. *Transilvana.* — (*u*) As *Bristizza*, ed. *Bistriza.* — (*v*) As *Cementi*, edd. *Tementi.*

---

[1] Leitmeritz, Pilsen, Brüx, Kaaden, Saaz, Teinitz, Mies. — [2] Györ (Raab), Soprony (Oedenburg), Pozsony (Pressburg), Léka (Lockenhaus). — [3] Zagreb (Agram), Veröcze, Nasice, Gjurgjevak. — [4] Bács, Ilok, Mitrovica, Tordinci, Mangjelos, Irig, Semlin, Bacs Monostor (*Provinciale* pag. 34 not. 92: « Pisanus hunc locum dividit in duo, enumerans locum *Monasterii* necnon locum *Bani* »), Indjija. — *Provinciale* addit Reduith (Vrdnik). — [5] Esztergom (Gran), Nyitra (Neutra), Nagyszombat (Tyrnau), Szécseny, Okolicsna, Trencsén. — [6] Waraždin, Pécs (Fünfkirchen), Koprivnica, Felsö-Segesd, Szemenye. — [7] Eger (Erlau), Szepes, Szatmár, Sáros-Patak, Nagy Várad (Grosswardein). — [8] Beszterczе (Bistritz), Nagy Szeben (Hermannstadt), Kolozsvár (Klausenburg), Maros Vásárhely.

Custodia ALBIENSIS [1] habet in civitate Budae quatuor loca fratrum; locum Albaeregalis; locum Cegedunn (*a*).

Haec provincia Ungariae habet in Villa Franca fratrem Ioannem (*b*) ministrum Ungariae sepultum, qui multis signis coruscat; in Strigonio fratrem Gallum lectorem devotissimum, et pulvis suae sepulturae sanat infirmos; in Caravilla (*c*) habet fratrem Ioannem custodem et fratrem Henricum sanctos homines. De hac provincia Ungariae fuit frater Stephanus in Saray martyrizatus pro fide, ut dictum est fructu et conformitate VIII [2].

Praefata sunt loca 34 provinciarum ordinis, non computatis monasteriis, in quibus stant assidue fratres, etiam in quibusdam in bono numero, tam in Italia quam extra, tam in regnis quam in aliis partibus christianitatis (*d*); locis etiam, in quibus fratres cum regibus et reginis morantur et cum aliis mundi principibus, minime computatis.

Sunt etiam (*e*) in ordine vicariae plures.

VICARIA BOSNAE.

Vicaria Bosnae aequipollet multis provinciis; habet enim 7 custodias. Vicariae Bosnae haec sunt loca (*f*).

Custodia DULMAE (*g*) [3] habet locum Stagni; locum Novi Castri; locum In Monte (*h*); locum Cetinae; locum Betuzae (*i*) et locum Lamoc (*k*).

Custodia GREBEN [4] habet locum Corbaviae (*l*); locum Cruppae; locum Greben et locum Diglassae (*m*).

Custodia BOSNAE [5] habet locum Curiae Bani; locum Sancti Nicolai; locum Lascrovae (*n*) et locum Plumbi.

Custodia USSERAE (*o*) [6] habet locum de Dyaco; locum Sancti Helyae; locum Verbizae; locum Stachovae (*p*) et locum Bustonicae (*q*).

Custodia MACHIOVIAE (*r*) [7] habet locum de Alsan; locum de Bilina (*s*); locum de Lab; locum de Machiove (*t*); locum Sanctae Mariae de Campo; locum Costich (*u*); locum Verchocrup; locum de Freberniza (*v*).

(*a*) As et edd. *Sigeth.* — (*b*) As et edd. addunt *olim.* — (*c*) As om. *fratrem Gallum—Caravilla.* — (*d*) As et edd. addunt *exceptis.* — (*e*) As addit *nunc.* — (*f*) As et edd. om. *Vicariae—loca.* — (*g*) Edd. *Dulmne.* — (*h*) As *Ymote*, edd. *Iemote.* — (*i*) As et edd. cum *Provinciali* om. *locum Betuzae.* — (*k*) As et edd. *de Glamozh.* — (*l*) As *Corbanie.* — (*m*) As et edd. *de Glas.* As et edd. addunt locum *de Otoch* (Otok), *locum S. Katharinae Podnovi* (Podnovi). — (*n*) As *Lascione.* — (*o*) As et edd. *Ussore.* — (*p*) As et edd. *Schachove.* — (*q*) Edd. *Buchovice.* As et edd. addunt *locum Lindue* (Lindva). — (*r*) As et edd. *Mazue.* — (*s*) Edd. *Biblina.* — (*t*) As et edd. *Mazue.* — (*u*) As *Tosach*, edd. *Coscich.* — (*v*) As *Screberinga*, edd. *Sreberniza.*

---

[1] Budapest (4), Székes-Fejérvár (Stuhlweissenburg), Szegedin. — *Provinciale* pag. 33 dicit: « in Buda tres ». — [2] Pag. 333. — [3] Ston (Stagno), Novo, Imotski, Cetinje, Betuza, Glamoć. — [4] Krbava, Krupa, Greben, Glaz. — [5] Sutjeska, Visoko, Lasva, Olovo. — [6] Djacovo, Modrić, Vrbica, Skakava, Bukovica. — [7] Alsam, Bjelina, Lab, Maçva, S. Maria, Hosić, Vrhokrup, Srebrenica.

Custodia BULGARIAE [1] habet locum de Severino; locum Orstianae (*a*) circa portam ferream; locum Sobes (*b*); locum Cherim (*c*) et locum Chevesdi. In Bidimo (*d*) Bulgariae quinque fratres martyrizati sunt (*e*).

Custodia CHEVIN (*f*) [2] habet locum Armenes; locum Chevin et locum de Kram (*g*).

In hac vicaria frater [unus] noster [3] intravit ignem pro fide, et illaesus permansit, et aliquos hac de causa convertit infideles. In hac vicaria fratres secundum regulam vivunt, et mirabilem fructum suis praedicationibus in convertendo infideles assidue faciunt.

VICARIA RUSSIAE.

Vicaria Russiae [4] habet haec loca: locum Lemburgae; locum de Grodek; locum de Colomia; locum de Galaf (*h*); locum de Nostin; locum Nestin (*i*); locum Cusminen; locum Ceret (*k*); locum Modalviae (*l*); locum Caminix; locum Smotorix (*m*); locum Corkam (*n*); locum Licosconii (*o*) et locum Albi Castri.

In hac vicaria, scilicet in Ceret, duo fratres nostri martyrizati sunt ab infidelibus, qui arborem adorant; et ab eisdem infidelibus in Livonia sunt alii quinque fratres ob fidem interfecti.

VICARIA ORIENTIS.

Vicaria Orientis habet custodias 3.

Custodia CONSTANTINOPOLITANA [5] habet locum de Constantinopolim; locum de Pera; locum Thessalonicae; locum de Fogia Nova; locum in (*p*) Metalino.

Custodia TRAPESSUNDARUM [6] habet locum Trapessunda; locum de Simiso (*q*); locum de Sinopi.

Custodia THAUSIENSIS (*r*) [7] habet locum de Thaurisio (*s*); locum Alzarom; locum Triflisii (*t*); locum Acalceke (*u*).

In Trapessunda frater Gentilis de Marchia, qui iacet Venetiis, signa multa fecit, et in partibus infidelium magnum fructum animarum fecit sua praedicatione. In Sal-

(*a*) As *Orsiane*, edd. *Orsciane*. — (*b*) As et edd. *Sebes*. — (*c*) Edd. *Srim*. — (*d*) As *Biduno*. — (*e*) As et edd. addunt *ut supra habetur conformitate VIII*. — (*f*) As et edd. *Covini*. — (*g*) Edd. *Chrani*. — (*h*) As et edd. *Galciff*. — (*i*) As *Nescim*. — (*k*) As *Cars*, edd. *Cerech*. — (*l*) As *Medalive*. — (*m*) As *Scotorix*, edd. *Senotorix*. — (*n*) As *Totkam*, edd. *Cotcham*. — (*o*) As *Licostomi*, edd. *Licostoni*. — (*p*) As *de*. — (*q*) As *Sumso*. — (*r*) As et edd. *Chausrensis*. — (*s*) As et edd. *Chauritio*. — (*t*) Edd. *Trifusii*. — (*u*) As *Ocalezelie*.

[1] Turnu-Severin, Orsova, Karányszebes, Ceri-Cerevic, Kövesd. — [2] Armenez, Keve, Hram. — [3] In codice Oxoniensi pluries citato vocatur frater *Ioannes de Aragonia*; cfr. Lemmens, *Cat. S. Fr. Min.*, pag. 47. — [4] Lemberg, Gródek, Kolomea, Halicz, Sniatyn,?, Horyniec, Sereth, Moldawitza, Kamieniec, Czernowitz, Chotin,?, Biały Gród. — [5] Konstantinupolis, Pera, Saloniki, Phokia, Mytilini. — [6] Trabison (Tirabson), Samsun, Sinob. — [7] Tabris, Erserum, Tiflis, Achalzych.

mastro [1] vicariae huius (*a*) quidam sanctus frater nomine (*b*), qui in vita miracula fecerat, tandem ad gloriam martyrii fuit gloriose sublimatus. Et fratres alii in hac vicaria ob praedicationes fructum magnum fecerunt animarum.

VICARIA AQUILONARIS.

Vicaria Aquilonaris [2] habet 2 custodias.

Custodia GAZARIAE [3] habet locum Sancti Francisci de Cafa; locum Sanctae Mariae de Cafa; locum de Soldaia; locum de Cimbalo (*c*); locum de Ylice; locum de Solcath (*d*); locum de Carassu.

Custodia SARAYAE [4] habet locum de Thana; locum Agitarcan et locum de Saray, ubi martyrizatus est frater Stephanus de Ungaria. In quo loco iacet Cathogonti (*e*) frater imperatoris Tartarorum, conversus ad fidem per fratres nostros, qui dicto loco dedit multa iocalia, et coruscat miraculis; nam quandam saracenam vidit frater Pisanus ad sepulchrum eius a diabolo liberari. Locum de Comuch (*f*); locum de Tarchis; locum (*g*) Mamucci; locum de Mager; locum de Ugueth (*h*); locum de Acsaray (*i*); locum de Organe (*k*).

VICARIA TARTARIAE.

Vicaria Tartariae [5] habet in Cepton duo loca; in Cambalech in palatio magni cham habent fratres locum. In magna Tartaria iuxta contratam Millestorce (*l*) [6] fratres habebant plura loca, in quibus fratres expellendo daemones ab infidelibus, qui ad ipsos ducebantur, multos ad fidem catholicam et praedicatione deducebant. In Armalech, in medio scilicet imperio Tartarorum, ubi martyrizati sunt ob fidem catholicam frater Richardus, episcopus Armalech, frater Franciscus de Alexandria, frater Paschalis de Hispania, frater Raymundus de Provincia, frater Laurentius laicus de Alexandria et frater Petrus laicus de Provincia et magister Ioannes de Yndia tertii ordinis beati Francisci, conversus per fratres, habebant fratres locum, qui post martyrium (*m*) eorum a saracenis est destructus, ut dictum est conformitate VIII [7].

In partibus enim Tartariae fratres fecerunt et faciebant fructum magnum, sed quia modo propter itinera prae solito periculosa illuc nequeunt accedere, Tartari per saracenos ad legem deducuntur Maumeth. Multa enim loca erant in dictis partibus tam immobilia quam mobilia. In regno enim Yveriae erant duo loca fratrum immobilia et quinque mobilia; in Thaurizio erant duo loca fratrum; in Maieria (*n*) erant alia duo loca. Et plura alia loca in vicariis praefatis tam Orientis quam Aquilonis non habitantur hodie per fratres.

(*a*) As addit *iacet.* — (*b*) Codex et As lacunam habent; edd. *noster;* supra pag. 332 lin. 12 vocatur Antonius. — (*c*) As *Cibalo.* — (*d*) As *Dellrach.* — (*e*) As et edd. *Cathoganti.* — (*f*) As *Coimich.* — (*g*) As om. *locum.* — (*h*) As *Uguech.* — (*i*) As *Ascsathay.* — (*k*) As *Orgune.* — (*l*) As *Millescorte,* edd. *Millescorsce.* — (*m*) As et edd. *in martyrio.* — (*n*) Edd. *Maxeria.*

---

[1] Cfr. supra pag. 332 not. 6. — [2] Cfr. supra pag. 332 not. 7. — [3] In Gazaria, quae hodie vocatur Crimea, erant conventus in civitatibus Caffa vel Feodosia (2), Sudak, Balaklawa, Jenicale, Karasubasar. Solcath videtur esse idem ac Soldaia (Sudak). — [4] Asow, Astrachan, Zarew, Kumuch. Aliorum locorum nomina hodierna non invenimus. — [5] Tsinan-ceu, Peking. — [6] Cfr. *Itinerarium B. Odorici,* c. 70. — [7] Pag. 334.

VICARIA SARDINIAE.

Vicaria Sardiniae [1] habet locum de Algerio; locum Arestani; locum Sassari; locum Villae Ecclesiarum; locum castri Callaris.

VICARIA CORSICAE.

Vicaria Corsicae [2] habet locum Bonifatii; locum Calmi (*a*); locum Nuntiae (*b*); locum Biguliae; locum Avenzolaschae (*c*); locum Alizam; locum Ornani (*d*) et locum in Sardinia Montis Rasi.

Qualem [autem] fructum fratres fecerunt in Corsica et faciunt, apparet; quia indomitos homines ad rationis tramitem, sacerdotes uxoratos et concubinarios (*e*) ad pudicitiam et honestatem deduxerunt ac multiplices errores diversis temporibus per haereticos disseminatos viriliter praedicatione et vita exstirparunt.

Sic ergo apparet, quod non solum in Italia multa sunt loca fratrum Minorum sed [etiam] extra Italiam, et non modo in partibus fidelium sed etiam infidelium. Et cum sint loca ultra mille et quingenta [et forte sexcenta, cum plura loca de novo aedificentur et saepe, quae non sunt hic scripta], ac in praefatis locis tam missis, officio, vita, quam praedicationibus assidue fratres populis praedicent et eos informent, nulli dubium debet esse, eos magnum fructum animarum fecisse et facere. Cum enim iuxta dictum Ps. 17, 26: *Cum sancto sanctus eris, et cum viro innocente innocens eris*, et secundum beatum Gregorium: « Viva lectio est vita iustorum [3] », in praefatis locis multi fuerunt fratres in vita et post miraculis coruscantes, et hoc ultra CC, ut patet intuenti, sequitur, quod ipsorum vita et praedicatione ad Christum multi et varii sunt conversi. Et quia sic ordo est super faciem orbis dilatatus, hic est fons, qui exsurgit de paradiso militantis ecclesiae ad irrigandum totam superficiem terrae, qui in quatuor partes dividitur, quia in partes quatuor mundi diffunditur, ut habetur in figura Gen. 2, 10. Haec est arbor illa sublimis et excelsa, cuius cacumen caelum per contemplationem tangit, et rami eius in omnem terram dilatantur, Dan. 4, 8. In beato Francisco completum est illud, Gen. 22, 17, dictum Abrahae: *Multiplicabo semen tuum sicut stellas caeli et velut arenam, quae est in litore maris*, et illud dictum Iacob, Gen. 28, 14: *Erit semen tuum sicut pulvis terrae; dilataberis ad orientem et occidentem et septentrionem et meridiem.* Impletum est, quod Deus beato Francisco oranti in ecclesia sancti Iacobi, ut dictum est, promiserat de dilatatione sui ordinis per totum orbem, et quod domino Ugolino, tunc cardinali Ostiensi episcopo et postea papae Gregorio IX, beatus Franciscus dixit, quod Deus fratres elegit et misit propter profectum animarum et salutem omnium hominum huius mundi, et non solum in terris fidelium sed in terris infidelium re-

(*a*) As *Calvi*, edd. *Calvii.* — (*b*) As *Nunicie*, edd. *Nuncie.* — (*c*) As *Arienzolasche.* — (*d*) As *Orvani.* — (*e*) As om. *sacerdotes—concubinarios.*

[1] Alghero, Oristano, Sassari, Iglesias, Cagliari. — [2] Bonifacio, Calvi, Nonza, Biguglia, Venzolasca, Alesani, Ornano, Monte Raso. — [3] L. XXIV *Moral.* c. 8 n. 16 (P. L. 76, 295).

cipientur et multas animas lucrabuntur; quod etiam beatus Franciscus sociis dixerat de ordinis dilatatione et profectu, quod multi ad Dominum converterentur, et per universum orbem multiplicaret Dominus familiam suam.

Sic ergo ex multitudine locorum patet primo[1] utilitas praedicationum fratrum Minorum, et quomodo beatus Franciscus ad praedicandum verbo et exemplo suos fratres destinavit.

II Patere potest de profectu praedicationum fratrum et fructu secundo, si attendantur sanctorum fratrum multiplicitas et sanctitatis eorum magnitudo. Cum enim fratres multi, ut docet conformitas VIII, tam confessores quam martyres fuerint in hoc ordine vita, doctrina et signis praeclari, et talibus homines ad Deum trahantur, teste experientia, procuIdubio suis orationibus, exemplis, doctrina et vita multos attraxerunt et attrahunt ad incedendum post Christum. Quis enim veretur exempla imitari beati Francisci, cuius imitatores tot coruscarunt in praesenti saeculo miraculis, sub cuius umbra voluerunt esse cardinales, summi pontifices, reges, regum filii, barones (*a*), milites, nobiles mundi, doctores atque plebei? Insuper, ut experientia claret, hodie Christo deservire optantes ad Francisci modum, vitam et formam in tribus ordinibus expressam confugiunt. Non sic de aliis ordinibus, ut patet; quia nullus poenitentialis habitum Praedicatorum aut aliorum assumit, quia de nigro induti, nullus poenitentialis extra ordines approbatos reperitur; quod non sic est de habitu Minorum; quia omnes tales de ipsius colore et qualitate incedunt induti et chorda consignati. Sancti enim, etsi nunc non praedicent verbo, utpote a saeculo exuti, praedicant semper vita, quorum, teste Gregorio, vita est viva vox, ac [etiam praedicant] signis.

III Et quod sic sit, patet hoc in fratribus Minoribus sanctis, si consideretur tertio intrantium et iam intratorum celsitudo, cuius exemplis inductus est ad abnegandum imperium Constantinopolitanum et regnum Ierusalem rex Ioannes, qui factus est frater Minor, etsi principaliter Domini nostri Iesu Christi, tamen post ipsum exemplo beati Francisci et suorum ad hoc est inductus, et sic de aliis regibus, ut dictum est conformitate VIII. Sanctus Ludovicus filius primogenitus Caroli II regis Siculorum quo inductus est, ut hunc ordinem intraret? certe sanctitate beati Francisci et fratrum suorum; et sicut de ipso, sic de aliis filiis regum. Quo signo cardinales, episcopi, abbates, in sacra pagina professores, canonici et alii praebendati, nisi almiferi confessoris beati Francisci et fratrum suorum (*b*), qui cum ipso velut sidera luxerunt et lucent in firmamento ecclesiae militantis et triumphantis, post sanctos apostolos, vexillo explicato, per beatum Franciscum cum suis omnes sanctos alios in caelo praecedunt, ut dictum est supra et dicetur infra conformitate XXXVIII; quam praecellentiam et gloriam non haberent, nisi vita et fructu posito in Domini horreo et arca ex talento credito et cum usura Domino reddito et procurato.

IV. Profectum factum in mundo per fratres astruit quarto librorum numerositas. Quot libri a fratribus Minoribus pro morum mutatione, pro mentis illustratione,

(*a*) As et edd. om. *barones*. — (*b*) As et edd. om. *et sicut de ipso—fratrum suorum*.

[1] Cfr. supra pag. 503.

pro fidei defensione, pro vitiorum exstirpatione, pro virtutum acceptione, pro viae spiritus arreptione, pro grata hominum informatione, pro mentali sublevatione ad apicem contemplationis, pro aeternae patriae anhelatione, adeptione et permansione, pro Crucifixi devotione et imitatione, pro mundi contemptu et abiectione et pro hominis abnegatione totali et despectione (*a*)? Nullus posset multitudinem librorum retexere circa praefata per fratres ordinis istius editos et confectos. Quorum operibus velut amne opulentissimo et dulcissimo cooperuit totam superficiem terrae fidelium, ut in cordibus fidelium talium doctrinae diffusione fieret fidelibus et infidelibus conversis *fons aquae salientis in vitam aeternam* [1]. Nec immerito tot opera praedicationum, sermonum et ad praedicta spectantium sunt sic per fratres confecta; quia finis scientiae nostrae est scire populo praedicare et rite informare tam praedicationibus quam consiliis. Nam finis studii fratris Minoris est studere in sacra pagina, ut de ipsa fidem defensare et populum sciat informare. Non enim conceditur usus et scientia dialecticae, philosophiae (*b*) et sic de aliis, nisi ut sacra pagina clarius et certius addiscatur et doceatur. Qui enim alio fine praefatis utitur scientiis, iuxta regulas iuris canonici dignoscitur veraciter oberrare.

V Profectum praedicationum fratrum arguit quinto de multis exemplaritas. Nonne praedicatione beati Antonii nostri civitas Arimini et partes Romandiolae ab errore multiplici sunt liberatae? Nonne oblitterata erat Christi via in christianis et vita et per baiulos crucis Christi renovata, scilicet per fratres Minores? Quis ad litteram observabat evangelium? Nullus, inquam, inveniebatur; sed Franciscus cum suis fratribus veniens, vitam huius assumens et docens, post se traxit quasi totum mundum. Per beatum Franciscum et suam praedicationem soldanus ad fidem venit; Cathogonti (*c*), frater imperatoris Tartarorum, per fratres Minores ad fidem venit, et miraculis claret; Georgiani ad fidem per fratres Minores venerunt et stant adhuc; et sic de aliis nationibus. Quis cogitare posset fructum, quem adhuc faciunt hodierna die fratres suis praedicationibus et exemplis in partibus Russiae, Bosniae, Bulgariae et Corsicae (*d*)? et sic de aliis, tam provinciis quam ordinis vicariis. Certe nullus. Et sicut fecerunt fructum et faciunt suis praedicationibus et exemplis in orbe toto, sic et in quibusdam hominibus faciunt hodie, et fecerunt, sicut de pluribus dictum est supra in hoc fructu et conformitate VIII et IX.

Attamen pro huius confirmatione adduco exemplum unum in speciali, quod accidit praedicatione fratrum tempore beati Francisci. Dum enim duo ex novellis discipulis beati Francisci ad ignotas partes praedicationis gratia adirent, ad quoddam castrum plenum pessimis hominibus pervenerunt, in quo erat quidam impius, crudelis et magnus tyrannus, caput dictorum praedonum et malorum hominum, qui, etsi genere esset nobilis, ignobilis erat pessimis moribus. Ad dictum castrum fratres ratione frigoris et famis divertentes cum labore per internuntios rogaverunt dominum castri, ut illa nocte eos reciperet Dei amore; quos ille a Deo inspiratus recepit gratanter, et multam compassionem illis et curialitatem exhibuit; nam fecit fieri ignem magnum et parari mensam more nobilium. Discumbentibus fratribus et aliis

(*a*) As *desperatione*. — (*b*) As *physicae*. — (*c*) As et add. *Octogonti*. — (*d*) As om. *Corsicae*.

[1] Ioan. 4, 14.

cunctis, unus illorum fratrum, qui erat sacerdos, habens gratiam de Deo loqui singularem, videns, quod nullus discumbentium de Deo aliquid vel de salute animae tractaret aut loqueretur, sed solum de praedationibus aut occisionibus et aliis malis multis, quae hinc inde perpetraverant, et gaudebant in rebus pessimis et de impietatibus, quas usquequaque commiserant, quare refectione finita corporali, cupiens frater ille hospitem suum et ceteros, qui aderant, caelesti cibo reficere, dixit domino illi: « Domine, magnam caritatem (*a*) et curialitatem nobis exhibuistis, et ideo multum essemus ingrati, si non vobis aliqua bona secundum Deum rependere studeremus. Propterea rogamus, ut totam familiam faciatis congregari, ut pro beneficiis corporalibus a nobis receptis spiritualia rependamus ». Quorum rogaminibus dominus assentiens, fecit omnes congregari coram dictis fratribus. Quibus congregatis, coepit frater ille de gloria paradisi loqui, quomodo ibi est laetitia sempiterna, ibi societas angelorum, securitas beatorum, ibi gloria infinita, ibi copia caelestium thesaurorum, ibi vita perpetua, lux inobfuscabilis, pax imperturbabilis, sanitas incorruptibilis, ibi Dei praesentia et omne bonum et nullum malum. Et homo propter peccata et miseriam suam perdit tot et tanta bona, et acquirit infernum, ubi dolor est et tristitia sempiterna, societas daemonum, serpentium et draconum, ubi (*b*) miseria infinita et vita sine vita, tenebrae palpabiles et luciferi praesentia, ubi turbatio et ira, sempiternus ignis et glacies et rabies, fames et sitis, ubi mors sine morte, gemitus, lacrymae, stridor dentium et aeternitas tormentorum, ibi omne malum et carentia omnis boni. « Et, ut comprehendi, omnes vos ad tanta mala curritis festinanter; nam nihil boni operis vel sermonis in vobis apparet; unde consulo et admoneo vos, carissimi, quod pro vilibus rebus mundi et carnis voluptatibus, quae omnia transeunt ut umbra, nolite perdere illa summa et aeternaliter duratura caelestia bona ». Et his dictis a fratre praedicto, dominus castri tactus intrinsecus, corde compunctus, procidit ad pedes fratris, et ipse cum omnibus aliis coepit amarissime flere (*c*), petens a fratre, ut ipsum in viam salutis dirigeret. Et confessione cum multis lacrymis facta et compunctione cordis eidem fratri, dixit ei frater, quod oporteret eum in redemptionem peccatorum suorum peregrinari per sanctuaria, atteri per ieiunia, in orationibus vigilare et insistere eleemosynis largis et aliis operibus pietatis. Dominus ille respondit: « Pater carissime, ego enim nunquam istam provinciam exivi, *Pater noster* nec alias orationes scio dicere, unde aliam poenitentiam mihi iniungatis ». Ille sanctus frater ait: « Carissime, ego volo fidem iubere pro te et ex caritate Dei pro tuis intercedere peccatis ad Dominum nostrum Iesum Christum, ut scilicet anima tua non pereat. Et nunc ad praesens nolo, quod aliam poenitentiam facias, nisi, quod hoc sero (*d*) portes de paleis, ubi ego et socius quiescamus ». Qui cum gaudio de paleis portavit et lectum paravit et fecit in una camera, ubi lumen ardebat. Et videns praefatus dominus, quod frater ille tam sancta et virtuosa verba protulerat, concepit, quod esset sanctus homo; et posuit in corde suo explorare diligenter eum, quid faceret illa nocte. Et vidit, quod dictus frater de sero posuit se ad dormiendum in lecto; sed cum putaret omnes dormire profunde, surrexit intempestae noctis silentio, et pro fideiussione facta expandens manus ad Deum et orans pro illo, indulgentiam pro illius peccatis postulabat. Et ecce, in ipsa oratione elevatus est in aere usque super culmen

(*a*) As *humilitatem*. — (*b*) As *ibi*. — (*c*) As et edd. addunt *rogans et*. — (*d*) As et edd. addunt *propriis tuis manibus*.

palatii, et in aere fecit tam magnum lamentum et fletum pro peccatis dicti domini, indulgentiam postulando, quod vix unquam visus fuit homo, qui caros suos consanguineos seu amicos defunctos tam cordialiter fleret, sicut iste frater pro peccatis illius. Et fuit illa nocte ter elevatus in aere semper cum pio lamento et lacrymis compassivis. Et ille dominus observans latenter omnia praedicta videbat et audiebat caritativum lamentum et compassivos singultus lacrymarum; unde statim de mane ad pedes procidit dicti fratris, et cum lacrymis compunctionis rogabat eum, ut ipsum in viam salutis dirigeret, paratum firmiter ad omnia, quae iuberet. Fratre sancto igitur consulente, vendidit omnia, quae habuit, et restituit restituenda et cetera pauperibus rogavit, et secundum sanctum evangelium cuncta distribuit, et semetipsum Domino offerens, ordinem fratrum Minorum intravit, et cum vita sancta et perseverantia laudabili finivit. Ceteri etiam antiquarum iniquitatum satellites et sodales compuncti corde vitam in melius mutavere. Sic antiqui fructificaverunt [in] mundo ad poenitentiam homines inducentes; quia non de Aristotelis vel Averrois [scientia], sed de gloria paradisi et inferni suppliciis praedicabant [1]. Plures cognovi fuisse latrones maximos (*a*), qui praedicationibus fratrum compuncti, ordinem nostrum intraverunt et sancto fine decesserunt. Frater Gonsalvus Sancii de provincia sancti Iacobi, nobilis genere, sed latro fuit pessimus; tandem conversus ad Dominum, factus frater Minor, miracula fecit in vita et post mortem. Frater Agnellus de Alverna, latro pessimus, conversus ad Dominum per beatum Franciscum, fuit homo postea magnae sanctitatis; et sic de aliis. Et quia nimis esset longum enarrare, quid Christus fecerit circa homines utriusque sexus beati Francisci et fratrum suorum lingua et vita, sufficiant iam praemissa.

VI Arguit profectum animarum praedicationibus fratrum sexto r e v e l a t o r u m a Deo s i n c e r i t a s. Dictis (*b*) enim oraculis est declaratum, quantum fructum animarum fecerit et faciat hic ordo. Cum enim beatus Franciscus lavando quendam leprosum [ipsum] curasset, post dies paucos dictus leprosus apparuit beato Francisco oranti in quadam silva; qui dixit beato Francisco: « Cognoscis tu me »? Cui beatus Franciscus: « Quis es tu »? Et ille: « Ego sum leprosus, quem Christus benedictus, te promerente, sanavit, et hodie vado ad regnum beatum, de quo Deo et tibi gratias ago. Benedicta sit anima tua et corpus tuum, et benedicta sint verba tua et opera tua; quia per te multae animae salvabuntur in mundo. Et scias, quod non est dies in mundo, in quo sancti angeli et sancti et sanctae Dei non referant magnam gratiam Deo de fructibus sanctis, qui per te et tuum ordinem undique patrantur per orbem. Et propterea confortare et gratias redde Deo, et sta cum benedictione Dei ». Et his dictis, recessit, et beatus Franciscus remansit valde contentus (*c*) [2]. — Idipsum beatus Franciscus revelavit cuidam fratri, cuius venam pectoris restrinxit. Cum enim dictus frater peteret a beato Francisco, quis ordo Deo magis esset acceptus, respondit beatus Franciscus, quod, si multi [non] essent mali, nullus alius ordo Deo magis placeret quam ordo suus. Et cum frater aisset, in quo plus fratres peccarent, respondit beatus Franciscus:

(*a*) As et edd. *Plures in mundo fuerunt fures et latrones pessimi.* — (*b*) As et edd. *divinis.* — (*c*) As et edd. *consolatus.*

[1] Idem *Actus* c. 60 et *Chron. 24 gen.*, pag. 34. Cfr. factum, quod Salimbene ad an. 1284 de fratre Bertholdo Ratisbonensi refert (*Chron.* pag. 327). — [2] Cfr. *Actus* c. 28 n. 25-29.

« In otio et murmuratione [1] ». — Quaedam sancta domina rogavit Dominum, ut sibi revelaret, quantum ordo beati Francisci sibi esset acceptus. Cui Dominus respondit, quod in hoc ordine erant homines, qui inter omnes homines huius mundi plus Deo placebant, et aliqui, qui inter omnes magis Deo displicebant; et sibi de uno fuit conquestus, quod suum nomen parum a fratribus et inter fratres nominabatur. De affectu Christi ad ordinem patuit supra, conformitate IX.

VII Profectum animarum ordinis astruit septimo hominum ad hunc ordinem devotio. Quem affectum habeant fideles et habuerint ad hunc ordinem, prae aliis ostendunt constructio tam solemnis locorum, induitio habitus fratrum Minorum, corpora defunctorum apud fratres humatorum, multiplicitas paramentorum, et sic de aliis. Sed super omnia est cohabitatio fratrum apud insignes personas et notabiles; vide Franciam, respice Alamaniam, verte te ad Angliam, inspice Guasconiam, Aragoniam, Hispaniam, Boemiam, Ungariam, Austriam, Lombardiam, Siciliam et totam Italiam, et reperies, quod reges, filii regum et filiae uxoresque, comites, duces, principes, barones et dignitate saeculi fulgentes fratres Minores in suis hospitiis habere pro confessoribus et informatoribus. Quot committerentur infanda [per tales], quae tamen non fiunt praedicationibus fratrum et monitionibus; unde etsi fratribus sit ad distractionem mentis cum talibus conversatio, cedit tamen hominibus ad utilitatem, animarum profectum, et fratrum, scilicet ipsorum fratrum, mercedem apud Altissimum. Non credo, quod sit aliquis ordo, ad quem tantum fideles afficiantur sicut ad istum; nec hoc esset, nisi fructu magno et profectu, quem Dominus operatur in eis per fratres. Quot sunt homines fratres habentes secum, missas, praedicationes et alia audientes ab eis? Esset nimis prolixum enarrare (*a*); qui ibi non ad ludendum et saecularia facienda (*b*) morantur, sed cum gravitate vitae et morum dominos et alios, apud quos resident, informantes. Qua devotione praefati nobiles ad beatum Franciscum in retentione fratrum freti a Deo iuxta promissa beato Francisco de habentibus devotionem ad ordinem in fine gratiam et gloriam recipiunt, et in praesenti a multis malis praeservantur, ut dicetur conformitate XIII et XL (*c*).

VIII Astruit profectum animarum octavo et ultimo fratrum et ordinis deputatio, teste abbate Ioachim. Ordo Minorum perseverabit usque ad tempora novissima; et sic Christus beato Francisco revelavit; quid facient sua praedicatione, etsi dictum sit fructu I et conformitate [2], tamen sic inquit: « Ordo columbinus, scilicet fratrum Minorum, usque ad novissima tempora duraturus, per mare aquilonare transibit, aspera pascua gustabit; regina austri proteget et fovebit eum in amaritudine sua; flumen Euphratem transibit et undam et impetum eius sua mitigabit praedicatione; aspera reducentur in planum in sermone eius. Terra salsuginis, id est Aegypti, ad Dominum convertetur per eum. In eadem terra secure evangelium praedicabit. Multae gentes per ipsum ordinem ad Deum convertentur. Gens idololatra, cuius lingua ignorabitur, quae de finibus terrae missa a Deo in adiutorium terrae promissionis, et ut ipsa agnoscat Deum Patrem omnipotentem et Filium eius unicum Dominum nostrum Iesum

(*a*) As et edd. *reserare*. — (*b*) As *exhortandum*. — (*c*) As *XIV*.

[1] Cfr. supra pag. 437 lin. 37 sqq. — [2] Pag. 53.

Christum, ad fidem catholicam per ipsum convertetur. Futurum est enim, quod ordo columbinus viriliter se opponat contra mortis angelum; et praedicando contra eum, plures et maxima multitudo de filiis ipsius ordinis martyrio ad Dominum transibunt, sicut dictum est per David prophetam [1]: *Posuerunt mortalia servorum tuorum escas volatilibus caeli, carnes sanctorum tuorum bestiis terrae.* Gaudebunt in canticis suis, id est praedicatione, omnes tribus Israel. Et gens immunda Machometica, quae remanebit, et hi, qui residui erunt, ad Dominum convertentur ». Haec abbas Ioachim in libro *Concordiae* [2]. Ad quid ergo a Deo sit destinatus ordo Minorum in principio (*a*), quia ad crucem et vitam Christi tenendam et praedicandam; et ad quid finaliter, quia ad praedicandum infidelibus et contra antichristum, et per praedicationem eius mundus debet ad Christum converti. — De utilitate animarum et profectu faciendo per ordinem daemon quidam tempore beati Francisci loquendo multa de beato Francisco, et tandem de ordine, sic inquit: « Cum deducti fuerint, loquens de fratribus, ad hoc, ut a pristino statu quasi videantur omnino excidisse, tunc surget unus inter eos, de cuius industria et vita parva ante opinio habebatur, qui ad tantam perfectionem attinget, quod satis maiora faciet quam Franciscus. Huic Virgo apparens frequenter, familiari allocutione de sua ceterorumque fratrum suorum conversatione et recuperanda iam quasi perdita perfectione instruet, et duae partes totius orbis virorum et mulierum in propriis habitantes domibus, de consilio huius ordinis digni poenitentiae agent fructus [3] ». Haec dixit diabolus per os cuiusdam puellae, de quo infra, fructu et conformitate XXI et XXXI.

Sic ergo apparet praefatis de profectu et utilitate quantum ad animas facta, et quae fit per fratres ordinis et [quae] fiet pro futuro. Et patet declarata secunda pars istius XI conformitatis, quod non solum ipse beatus Franciscus ad exemplum Christi ad praedicandum accessit, ut dictum est conformitate praecedenti, sed etiam destinavit fratres ad praedicandum per totum mundum, ut dicit secunda pars huius conformitatis iam declarata, scilicet *Franciscus destinator*, scilicet fratrum suorum ad praedicandum.

FRUCTUS DUODECIMUS ET CONFORMITAS ULTIMA HUIUS PRIMI LIBRI:
Iesus Loquens Humillimis — Franciscus Reserator.

Expositio primae partis: Iesus loquens humillimis.

In superioribus conformitatibus et fructibus visum est de legibus Salvatoris nostri, et hoc conformitate IX, ac de eius doctrina quoad eius praedicationem, conformitate X, et hoc generaliter. Nunc in ista conformitate XII videndum est in particulari de ipsius doctrina quoad personas, quas ipse Redemptor omnium Christus docere placuit specialiter et singulariter. Et circa hoc insistendo, primo erit videndum, quos informavit sua sapientia particulari (*b*); secundo, quid eis expressit generaliter. Quibus visis, patebit expositio istius primae partis, videlicet: Iesus loquens humillimis.

(*a*) Edd. addunt *patet.* — (*b*) As et edd. *particulariter.*

---

[1] Ps. 78, 2. — — [2] Cfr. supra pag. 54 not. 2. — [3] Idem supra pag. 437.

1. Quia etsi maximos et superbos sit allocutus, humillimos principaliter placuit informare; quia tales sunt, quos ipse diligit iuxta illud Prov. 3, 32: *Cum simplicibus,* id est humilibus, *sermocinatio eius.* Quod enim humiles et non superbos Dominus alloquatur, patet in tota serie veteris testamenti. Dominus enim locutus est cum Noe, Gen. 6, 13; cum Abraham, Gen. 12, 1; cum Isaac, Gen. 26, 2 sqq.; cum Iacob, Gen. 28, 13 sqq.; cum Moyse, Ex. 3, 4 sqq.; cum Iosue, Iosue 1, 1 sqq.; cum David, I Reg. 23, 2 et 4; cum Salomone, III Reg. 3, 11 sqq.; cum Isaia, Is. 1, 2 sqq.; cum Ieremia, Ier. 1, 4 sqq.; cum Ezechiele et aliis prophetis, scilicet Elia, Eliseo, Michaea, Amos, et sic de aliis. Qui homines fuerunt humillimi, ut patet ex eorum actibus, ac Deo accepti. Sic et in novo testamento per ipsum Christum *Dei virtutem et sapientiam* [1] exstitit operatum, ut ex sequentibus clare patebit. Ipse enim Christus magister et veritas sua sancta doctrina informare placuit et alloqui, videlicet, primo Virginem Mariam eius matrem, quam allocutus est primo verbo intraneo, ipsam lumine prophetico replendo ac suam deitatem, ut pie creditur, ostendendo, et hoc dum in eius utero moraretur, ut in opere a me edito *De vita beatae Mariae,* fructu XVII prolixe declaravi. Secundo (*a*) locutione externa suam Matrem allocutus est, primo in sua post triduum reinventione; cum ipsa dixisset, Luc. 2, 48 sq.: *Fili, quid fecisti nobis sic? Ego et pater tuus dolentes quaerebamus te,* tunc inquit Christus: *Quid est, quod me quaerebatis? Nesciebatis, quod in his, quae Patris mei sunt, oportet me esse?* Quae verba, etsi ex parte beatae Mariae fuerint amoris dilectum habere anhelantis et liquescentis post inventionem ac stupentis et admirantis expressiva, fuerunt tamen ex parte Christi singularis excellentiae Iesu et deitatis declarativa. Cum enim se asserit debere *esse in his, quae Patris sunt,* ostendit se verum Deum esse. Ratio, quia cum totum esse habeat divinale, scilicet a Patre, hinc est, quod quae sunt Patris quoad essentialia sunt eius; quare quae Patris sunt, sua sunt, Ioan. 17, 7 sqq. et Matth. 11, 27: *Omnia tradita sunt mihi a Patre meo,* et ad instar Patris. Sicut Pater caelestis *pascit volatilia,* Matth. 6, 26, sic et ipse Iesus; sicut *Pater abscondit a sapientibus et prudentibus* sua secreta, sic et ipse Iesus Filius, Matth. 11, 25; sicut Pater caelestis *est unus magister,* Matth. 23, 10, sic et ipse Christus est magister; sicut *Pater nobis debita dimittit,* Marc. 11, 25, sic et eius Filius Iesus; sicut *Pater caelestis de caelo dat Spiritum,* Matth. 10, 20, sic et Filius Iesus; sicut *Pater diligit Filium,* Ioan. 3, 35, sic Filius Iesus Patrem; sicut *Pater operatur,* Ioan. 5, 17, sic et Iesus ipse operatur; sicut Pater est vivens et ipsa vita, Ioan. 5, 26, sic et Iesus est vivens et vita; sicut Pater habet *omnia in manibus,* Ioan. 13, 3, sic et Filius; *sicut Pater est in Filio,* sic et Filius in Patre, Ioan. 14, 11; sicut Pater habet sapientiam, eandem habet et Filius Iesus, quia doctrina Filii est Patris, Ioan. 7, 16; sicut *Pater est agricola,* sic et filius Iesus, Ioan. 15, 1; sicut *Pater amat* discipulos, sic et Filius, Ioan. 16, 27; sicut *Pater clarificat Filium,* sic et Filius Patrem, Ioan. 16, 14; et sicut *Pater servat in nomine suo,* sic et ipse Filius, Ioan. 16, 26; sicut Pater est *Deus misericordiarum et totius consolationis,* sic et Filius, II Cor. 1, 3; sicut *omne datum optimum est a Patre luminum,* sic et a Iesu, Iac. 1, 17; sicut *Pater testimonium dat in caelo,* sic Filius et Spiritus sanctus, I Ioan. 5, 7. Sic praefatis inspectis, apparent dicta verba a Iesu prolata Matri suae deitatis evidenter esse declarativa. Et sic succincte patet de primo verbo. — Secundo locutus est Iesus Matri in nuptiis exsistenti, Ioan. 2, 3 sq., cum Virgini, dicenti prae compassione: *Vinum non habent,* respondit: *Quid mihi et tibi est mulier? nondum venit hora mea.* Quod verbum, ut apparet prima facie, non fuit Virginis inhonorativum, sed multipliciter commendativum; primo in nomine, quo eam appellavit dicens: *Mulier,* ipsam totam esse pietate liquefactam ad egenos et indigentes ostendit; secundo, quia hoc verbo expressit se aliud esse habere, quam acceperit ab ea,

(*a*) Codex *sed.*

[1] I Cor. 1, 24.

scilicet divinum; et quia non per primum esse, quod ab ipsa acceperat, competebat sibi miracula facere, sed per secundum esse, hoc exprimendo Matrem ipsam esse Dei reseravit; tertio, quia dicendo: *Nondum venit hora mea,* ostendit id, quod secundum communem cursum fieri non debet, speciali interventu (*a*) Mariae facit Deus; quare ipsius precibus inclinatur Deus in cunctis; quare per hoc innuit omnium recursum et accessum ad Mariam esse debere, ut quod Deus indignitate nostra non debet porrigere, eius nobis interventione donatur. Quare hoc verbo matrem non despexit, sed acceptavit et commendavit; quod patet, cum subditur, quod beata Virgo, hac habita responsione, dixit ministris: *Quaecumque dixerit vobis, facite.* — Tertio Christus locutus est Matri tempore suae passionis, Ioan. 19, 26; cum enim staret iuxta crucem, dixit ei: *Mulier, ecce filius tuus.* Quod quidem verbum sic beatae Mariae dictum fuit ipsius beatae Mariae in matrem Ioannis adoptatio, prout dicit beatus Hieronymus in sermone de Assumptione: « Cogitis me, o Paula etc. [1] »; et cum ipsa fuerit Filio summe obediens, Ioannem ut filium adoptivum singulari est complexa amore. Et quia verbum hoc et dubia circa ipsum declaravi in opere *De vita Virginis Mariae,* fructu LI, ideo ad praesens circa ipsius expositionem non insisto.

Secundo allocutus est Iesus Ioannem Baptistam, primo internaliter, quando voce Mariae Christum habentis in utero ipse Ioannes exsultavit in utero suae matris et Spiritu sancto repletus fuit, Luc. 1, 44. Secundo vero vocaliter, et hoc primo in deserto, Luc. 3, 4, quando factum est verbum Domini super Ioannem Zachariae filium in deserto, ubi notatur, quod super Ioannem multiplex est factum verbum, et Iesus est multipliciter eum verbo singulari allocutus. Nam, quando Ioannes fuit a peccato purgatus, verbo suae miserationis est allocutus praeveniendo eum, antequam de ventre exiret, sanctificando. Quando fuit ab ipso Christo et Matre visitatus, verbo eum est allocutus singularis Dei incarnationis; quia sibi cognitio, secundum Augustinum [2] et Ambrosium [3], est collata; in cuius cognitionis signum ipse exsultavit, et mater eius protulit Mariam Dei Matrem vocando. Quando impulsus est ad desertum, Luc. 3, 2, verbo allocutus est de eius a Domino protectione, quod eum ab hoste protegeret et aleret in fame. Quando tanto tempore in deserto est conversatus, est allocutus eum verbo de mundo contemnendo, quam sit utile, et de inpretiabili thesauro talibus praeparato, ac quam bonus sit Dominus ei totaliter cohaerentibus. Quando missus est ad praedicandum, tunc habuit verbum de Dei bonitate et Dei amore ad homines, *qui vult omnes homines salvos fieri* [4], et ad agnitionem eius nominis venire, qui verbum suum ad salvandum omnes, quantum in se est, direxit. Allocutus est etiam eum verbo singulari eidem inspirando, quid ipse facturus esset; quia baptismum instituere debebat, quidve praedicaturus, cum poenitentiam Ioannem praedicare voluit. — Secundo beatum Ioannem allocutus est in sua ab eo baptizatione; ut enim habetur Matth. 3, 14 sqq.: Nam *Iesus venit a Galilaea ad Iordanem ad Ioannem, ut baptizaretur ab eo;* Ioannes autem prohibebat eum dicens: *Ego a te debeo baptizari, et tu venis ad me?* Respondens autem Iesus dixit ei: *Sine modo, sic enim decet nos implere omnem iustitiam.* Ubi Christus ostendit primo suam profundissimam humilitatem, quando a Ioanne voluit baptizari. Informavit secundo Ioannem Christus de sua omnimoda sanctitate; quia *sic,* inquit, *decet nos implere omnem iustitiam,* et sic sanctos esse consummate. Tertio de sua doctrina, quae incepit ab opere; quia, quae volebat docere, scilicet baptismum et humilitatem, opere exercere voluit ante, et sic implere omnem iustitiam, quia iustitia exigit, ut quod verbo promit, opere exerceat doctor. Quarto de perfecta animae munditia, quae est per susceptionem baptismi, qui baptismus est sacramentum perfectae iustitiae, quo iustificatur homo, et si moreretur statim, cum iustis vitam aeternam intraret Quinto de vitae exemplaritate: *Decet,* inquit, *nos implere omnem*

(*a*) As *intuitu.*

[1] Epist. 9 (ad Paul. et Eustoch., int. op. Hieron.), c. 3 (P. L. 30, 124). — [2] Epist. 187, c. 7 n. 3 (P. L. 33, 840). — [3] L. IV De fide, c. 9 n. 113 (P. L. 16, 639). — [4] I Tim. 2, 4.

iustitiam, Glossa « id est omnem gradum humilitatis », quorum primus est in subdendo se superiori, secundus in subdendo se pari, tertius vero et summus in subdendo se inferiori, quem gradum Christus ostendit Ioanni, dum ab ipso inferiori baptizari complacuit. Et sic apparet, quomodo bene dicit Christus: *Decet,* non oportet, quia ex decentia fuit, non ex necessitate, quod Christus a Ioanne voluit baptizari. Sexto locutus est Ioanni Christus de suo baptismo quoad effectum; etsi ante Ioannes dixerat: *Ego quidem baptizo in aqua, qui post me venit, ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igne,* tamen, dum vidit Spiritum sanctum in specie columbae descendere, tunc experientia agnovit, baptismum Christi gratiam ultra suum conferre. Septimo informavit Ioannem et locutus est de mysterio sanctae Trinitatis, dum Patrem audivit in voce, Spiritum sanctum cernit in columba, et Filium in sua praesentia vidit in humanitate assumpta; et sic haec Ioannes cernendo, ut habetur Ioan. 1, 15, testimonium perhibuit, quod hic *Iesus est Filius Dei* [1]. Octavo declaravit Ioanni Iesus et locutus est in se continere omnem plenitudinem gratiae et deitatis; quia *est Filius Dei,* in quo *Pater placuit* sibi *reconciliare omnia* etc., Col. 1, 19 et 20; qua complacentia homo quilibet iustus a Patre per Filium acceptatur. Nono locutus est se mundi Redemptorem ostendendo; propter quae Ioannes clamat dicens, Ioan. 1, 29: *Ecce agnus Dei; ecce, qui tollit peccata mundi,* et a peccato liberatorem; quia dicit, eum baptizare in Spiritu sancto. Decimo allocutus est Ioannem, se liberalissimum esse, non solum sua largiendo Ioanni, utpote eum Spiritu sancto replendo, sed se ipsum contrectandum suis manibus liberaliter exhibuit. O cum quanta reverentia et devotione, amore et timore beatus Ioannes Christum contrectabat, et quam nova gratia Iesus Ioannem sanctificabat, cum tactu Christi virtus ab illo exibat; quare et in Ioanne haec virtus fuit per Christum refusa suo tactu et concessa. Sic ergo patet, quomodo Iesus Ioannem est allocutus. — Tertio allocutus est Iesus Ioannem, Matth. 11, 4, dicens discipulis Ioannis ad se missis: *Ite, dicite Ioanni quae audistis et vidistis;* ubi Salvator non per verba, sed per opera Ioanni respondit. Et quia per doctores, praesertim Chrysostomum [2], clare quaestio a Ioanne mota Christo declaratur, quod Ioannes non ratione sui hanc moverit, sed ratione discipulorum, ut per solutionem Christi in fide ipsius Christi solidarentur, hinc est, quod Christus multa dicendo et faciendo respondit Ioanni pro discipulis. Nam ex doctrina, quam audierunt, et potentia in signis, quam viderunt, Christum cognoverunt esse, quem venturum prophetae praedixerunt. Sed discipulis Ioannis recedentibus, ne videretur eis velle adulari, de magistro ipsorum Ioanne coepit Iesus loqui ad turbas dicens: *Quid existis in desertum videre?* etc. Ubi Ioannem commendat suo famine a multis et de multis; et primo in affectu fuisse ordinatum a mundo removendo; quia Ioannes stabat in deserto, non in civitate, ut mundi despector vere probaretur. Secundo stabilitum quoad profectum; nam a Dei servitio per instabilitatem non abscessit; quare arundo vento agitata non fuit. Tertio quoad habitum et corporis tegumentum; quia non mollibus indutus erat, sed cilicio ex pilis contexto camelorum, Matth. 3, 4 et Marc. 1, 6. Quarto de intellectu et interna radiatione; quia prophetam et plus quam prophetam eum dicit; nam quem venturum praedixit, digito ostendit. Quinto de merito et acceptione; quia angelum eum vocat, non natura, sed gratia. Sexto de verbo et praedicatione; quia *regnum caelorum vim patitur* [3]; quia praedicatione Ioannis peccatores deserendo peccata et recte operando digni efficiebantur regno caelorum. Septimo de officio et operatione; quia vocat eum Baptistam (*a*) a baptizatione, qua homines ad baptismum verum Christi disponebantur. Octavo de excellentia in sanctitate; *inter natos,* inquit, *mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista;* magna asseruit de Ioanne, etsi Lucas modificet, Luc. 7, 26 sqq., verbo, ut reseratus ad solos prophetas. Nono de praerogativa in terminando; quia in ipso est finis veteris testamenti quoad legem et prophetas. Decimo de virtuositate in ope-

(*a*) As *liberum.*

[1] I Ioan. 4, 15. — [2] Homil. 36 in Matth., c. 11 (P. G. 57, 413 sq.). — [3] Matth. 11, 12.

rando, dicens, eum esse Eliam, non persona, sed opere et virtuositate et divinae legis zelo, pro qua Ioannes maluit occidi. Undecimo de austeritate in vivendo; quia non manducavit ac bibit, ut ceteri faciunt, sed cibus et potus eius ab aliis erat distinctus, prout habetur Matth. 3, 4 et Marc. 1, 6. De praefatis Salvator commendavit Ioannem, Matth. 11, 18; et quia Deus, qui omnia novit, laus est magna Ioannis, quod sit sic a Salvatore prae aliis commendatus. Commendavit etiam Ioannem duodecimo de veracitate in confitendo; et hoc, Ioan. 5, 32, dicens: Ioannes *ipse testimonium perhibuit de me;* Ioannes enim [testimonium] perhibuit de Christo primo de eius potentia, Matth. 3, 11 sqq.: *Venit fortior me post me* etc.; secundo de eius praeeminentia, ibidem dicens: *Cuius non sum dignus solvere corrigiam* etc.; tertio de eius auctoritativa clementia, ibidem: *Ipse baptizabit vos in Spiritu sancto* etc.; quarto de eius iustitia: *Cuius ventilabrum in manu* etc.; quinto de eius auctoritate et dignitate, ibidem dicens: *Ego a te debeo baptizari;* sexto ostendit eum verum Messiam, et hoc, dum discipulos suos duos ad Christum misit, Matth. 11, 2; septimo de eius munditia, Ioan. 1, 36: *Ecce agnus Dei* etc.; octavo dicit eum foederatorem (*a*) et nostrum mediatorem, dicens, Ioan. 1, 26: *Medius autem vestrum stetit* etc.; nono omnibus celsiorem, Ioan. 1, 15: *Ante me factus est* etc., id est mihi praepositus et praelatus, in tantum est ante me, secundum Chrysostomum [1], ut nec ego Ioannes in ultimis ministrorum locari sim dignus; decimo dicit eum iustum damnatorem et pravorum punitorem: *Iam securis* etc., Matth. 3, 10; sequitur: *Paleas* etc.; undecimo mundi Redemptorem, Ioan. 1, 29: *Ecce, qui tollit peccata mundi;* duodecimo omnium Deum esse et conservatorem, Ioan. 1, 34: *Hic est Filius Dei;* decimo tertio commendatur Ioannes a Christo de dilectione et caritate, Ioan. 5, 35: *Ille,* inquit [de Ioanne], *erat lucerna ardens;* decimo quarto commendatur de vitae exemplaritate, Ioan. 5, 35; a Christo vocatur *lucerna,* non solum ardens, sed et lucens, scilicet per vitae exemplaritatem. Sic ergo patet, quibus Salvator Ioannem sua locutione commendavit. De quibus diffuse est dictum in opere *De vita Virginis,* fructu XX.

Tertio, Iesus allocutus est matrem Ioannis Elisabeth, et hoc per Mariam suam Matrem eam salutando, Luc. 1, 40 sqq. Quae allocutio fuit valde mirabilis; primo, quia fuit Elisabeth commotiva et innovativa, quia statim exclamavit. Secundo Spiritu sancto repletiva, et hoc fuit primum, quia *repleta est Spiritu sancto Elisabeth.* Tertio ad Deum laudandum impulsiva et incitativa; quia Spiritus sanctus impulit eam ad exclamandum. Quarto sui ipsius agnitiva, et tunc se humiliando clamat dicens: *Unde hoc mihi, ut mater Domini* etc. Quinto abditorum reserativa; mysterium agnoscens incarnationis, inquit: *Mater Domini veniat ad me.* Sexto salutis aeternae promissiva; quia *audivit salutationem Mariae Elisabeth.* Septimo exaltationis Mariae panditiva; quia *benedicta tu in mulieribus,* id est super omnes mulieres, quo sequitur, quod Elisabeth cognovit multa de beata Maria, videlicet ipsam esse obedientissimam, patientissimam, virtuosissimam, honestissimam in cultu, sanctissimam, efficacissimam, gratia plenissimam, potentissimam, Deo acceptissimam, Dei Filii matrem dignissimam, humillimam, excellentissimam, purissimam, benignissimam, liberalissimam, fidelissimam et praeclarissimam; de quibus habes supra fructu III et conformitate. Octavo conditionis ipsius Iesu manifestativa; quia *benedictus fructus* etc.; cognovit enim ipsum Iesum filium Mariae, qui eam mediante beata Maria alloquebatur, esse primo impletorem promissorum, secundo veterum terminatorem, et sic de aliis; de quibus dictum est conformitate III, vide ibi; sic ergo haec allocutio, scilicet Elisabeth, fuit mirabilis. Nono, quia spiritus prophetici concessiva; Elisabeth [prophetissa] facta est triplici spiritu prophetico, scilicet de praesenti: *Unde hoc mihi, ut Mater* etc.; de praeterito: *Beata es, quae credidisti* etc.; de futuro: *Perficientur in te,* etc. Decimo fuit exhilarativa, quia Ioannes *infans exsultavit in gaudio.* Undecimo mirorum opera-

(*a*) Codex *foeneratorem*

[1] Homil. 16 in Ioan. n. 3 (P. G. 59, 89).

tiva; praefata enim omnia mira fuerunt, ac etiam tali allocutione facta in Ioanne, videlicet Spiritus sancti repletio, a peccato purgatio, sanctificatio, confirmatio, cognitio, usus rationis concessio, incarnationis Christi revelatio, Ioannis iucundatio; de quibus dictum est conformitate III. Sic ergo patet, qualis fuit haec allocutio Elisabeth.

Quarto Iesus allocutus est Zachariam patrem beati Ioannis Baptistae, sicut ipse in suo cantico versu 3 profitetur dicens: *Locutus est per os sanctorum* etc. Sed quae Zacharias pandat, Iesum eidem dixisse, dictum est conformitate IV; ideo ad praesens dimitto.

Quinto Iesus patrem Ioseph putativum est allocutus; etsi per se et immediate in evangelio non habeatur, credi tamen debet (*a*), cum enim fuerit cum ipso plurimo tempore conversatus, quod sua gratissima allocutione eum sit recreatus. Hunc tamen sanctum evangelium pandit Iesum allocutum primo angelorum ministerio, ut patet Matth. 1, 20, cum eidem integritatem suae piissimae Matris indicavit, dicens: *Ioseph, fili David, noli timere accipere Mariam coniugem tuam* etc.; secundo pastorum, Simeonis et Annae testimonio, ut patet Luc. 2, 18 sqq., qui omnes magnalia de Iesu narrando, Maria et Ioseph mirabantur; tertio in somnis, ut se duceret ad Aegyptum, Matth. 2, 13 sqq., et post tempus se reduceret, angelico fecit eloquio; demum tamen ipsum allocutus est cum Matre sedens inter doctores, Luc. 2, 46 sqq.; respondendo dicto Virginis: *Fili, quid fecisti nobis sic?* respondit: *Nesciebatis, quod in his, quae Patris mei sunt, oportet me esse?* quo et declaravit et Patris et Filii unam esse communem naturam, unam virtutem et operationem, ut supra dictum est.

Sexto pastores est allocutus Iesus;

Septimo magos;

Octavo sanctum Simeonem;

Nono Annam; quorum primos duos, angelorum eloquio, secundo Spiritus sancti indicio est allocutus. Et quia de talibus conformitate IV supra est dictum, ad praesens declaranda modo alio omitto.

Decimo Iesus allocutus est diabolum in deserto, Matth. 4, 4 sqq., et hoc tribus vicibus suis pravis consultationibus respondendo. In prima responsione et allocutione diaboli Iesus ostendit, cibum hominis esse tam verbum inspiratum, quam increatum et incarnatum, dicens: *Quod non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit ex ore Dei.* In secunda responsione ostendit Dominus Iesus Deum in necessitatibus pie invocandum, non tentandum, dicens: *Non tentabis Dominum Deum tuum,* nec praeveniendus, sed timendus et prosequendus est Deus ipse. In tertia responsione ostendit soli Deo, et non creaturae, latriae cultum impendendum, dicens: *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies.* Quibus verbis diabolum [superando scriptura a se eiecit et diabolum] vincendi per scripturam nobis exemplum reliquit. De quo modo diabolum superandi, etsi sit dictum conformitate et fructu VII, dicetur tamen infra conformitate XXI.

Undecimo allocutus est Iesus piscatores, Matth. 4, 18 sqq., scilicet Petrum et Andream, Iacobum et Ioannem, dicens primis: *Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum;* secundis vero non dixit praefata, sed solum vocavit eos, et sequitur, quod *relictis retibus* etc. *secuti sunt eum.* Haec Domini Iesu locutio ad istos fuit valde mirabilis, primo, si attendatur modus vocationis; quia nihil promittendo, saltem Iacobo et Ioanni, vocando solum, statim, relictis omnibus, eum sunt secuti; sed beatus Hieronymus hunc passum exponens [1] dicit, quod quidam radius deitatis et fulgor a facie Christi exibat attrahens ipsos ad se, sicut magnes ferrum; et quia Deus est, ad se trahere potest, quomodo (*b*) vult et quos vult. Secundo fuit mirabilis in modo promittendi; quia non dixit: *Faciam vos piscatores hominum,* sed fieri, scilicet a Patre, regerens et referens omnia bona in Patrem. Remunerationis ostendit mer-

(*a*) As et edd. *potest.* — (*b*) Codex *quos non.*

[1] Epist. 65 (alias 140, ad Princip.), n. 8 (P. L. 22, 627).

eedem pro sua imitatione; quia piscando homines praemium eis datur pro tali opere vita aeterna, ut Iacobus ostendit 4, 10 in sua canonica, non dubium mentibus eorum praemium inspiratione interna insinuasse, etsi verbo exteriori non proderit.

Duodecimo allocutus est sanctos apostolos, et hoc multipliciter, primo informando de consiliis evangelicis, Matth. 5, 6 et 7. Secundo de sua omnipotentia, Matth. 8, 26 dicens: *Quid timidi estis modicae fidei* etc. Tertio de fide, quomodo omnia impetrat; ibidem, de fide centurionis dicens: *Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israel.* Quarto, quomodo ipse est Salvator animarum, Matth. 9, 37, dicens: *Messis quidem multa,* et sequitur cap. 10, quod, data eis potestate, *misit eos praedicare* etc. Quinto, Matth. 13, 11 et Luc. 8, 10, dicens: *Vobis datum est nosse mysterium regni Dei* etc., ostendit eos ad vitam aeternam praeordinatos. Sexto, Matth. 14, 16, dicit: *Date illis ad manducandum* etc., et 15, 36 sqq., factorem mirorum, et cum ipso exsistentes non posse a fame periclitari. Septimo Christo ibidem dicente: *Habete fiduciam et nolite timere,* ostendit in Domino fidentes ab adversitatibus liberari. Octavo ostendit se verum iudicem, Matth. 15, 13, dicens: *Omnis plantatio, quam non plantavit* etc. Nono summum magistrum et doctorem dicens [1]: *Edissere nobis parabolam istam;* sequitur: *Non intelligitis, quod omne, quod intrat* etc. Decimo pium exauditorem et liberatorem de Chananaea dicens [2]: *Non sum missus nisi* etc., sequitur: *Fiat tibi, sicut petisti.* Undecimo verum Deum, 16, 13, dicens discipulis: *Quem dicunt homines esse Filium hominis?* etc. Duodecimo passurum pro eis dicens, ibidem 21: *Coepit ostendere discipulis suis, quia oporteret eum* etc. Decimo tertio, qualiter sui abnegatione cum poenitentiae susceptione est imitandus, dicens ibidem 24: *Si quis vult post me venire, abneget* etc. Decimo quarto se nostram beatitudinem esse, dum se, Matth. 17, 2 et Marc. 9, 1, transfiguravit in monte. Decimo quinto, quod divinae revelationes non sunt palam faciendae, ibidem dicens: *Visionem quam vidistis* etc. Decimo sexto, quomodo diabolus eiicitur, ibidem dicens, [quod] *in oratione et ieiunio.* Decimo septimo Ioannem Baptistam spiritu fuisse Eliam, dicens ibidem: *Elias iam venit* etc. Decimo octavo, per humilitatem ad regnum caelorum patere ingressum, dicens, Matth. 18, 3: *Nisi efficiamini sicut parvuli* etc. Decimo nono, quod abstinere a carnalibus decet ingredi optantem vitam aeternam, Matth. 19, 12 de eunuchis. Vigesimo salutem docuit a Deo dari, Matth. 19, 26, dicens: *Apud Deum omnia possibilia sunt.* Vigesimo primo mundum abdicantes a Deo mirabiliter remunerandos, Matth. 19, 28: *Sedebitis* etc., sequitur: *Centuplum accipiet et vitam aeternam possidebit.* Vigesimo secundo non esse superbiendum ob statum, Matth. 20, 25, dicens: *Scitis, quod principes gentium* etc.; sequitur: *Vos autem non sic* etc. Vigesimo tertio sine intermissione Dei verbum audiendum et loquendum, Matth. 21, 31 sqq., docebat eos de regno Dei. Vigesimo quarto omnis tentationis impulsum fide superari, dicens, Matth. 21, 21: *Amen dico vobis, si habueritis fidem et non haesitaveritis* etc. Vigesimo quinto fugiendum esse honorem saeculi, Matth. 23, 2: *Super cathedram Moysi* etc. *Vos autem non sic* etc. Vigesimo sexto, non esse credendum cuilibet loquenti, dicens [3]: *Videte, ne quis vos seducat* etc. Vigesimo septimo libenter supportandas mundi tribulationes ob praemium, dicens [4]: *Qui autem perseveraverit usque in finem* etc. Vigesimo octavo antichristum futurum, dicens [5]: *Cum videritis abominationem* etc. Vigesimo nono futurum iudicium nemini hominum vel angelorum patere, dicens ibidem: *De die autem illa et hora* etc. Trigesimo paratos semper esse ad mortem, dicens ibidem: *Vigilate ergo, quia nescitis* etc. Trigesimo primo vanam gloriam in operibus virtuosis fugiendam, cap. 25, 2 sqq., ne inter fatuas virgines inveniatur. Trigesimo secundo talentum sensuum multiplicandum, ibidem dicens: *Quidam homo peregre* etc. Trigesimo tertio operibus misericordiae insistendum; ibidem, in die iudicii de his a cunctis exiget rationem. Trigesimo quarto sui corporis et sanguinis celebrationem frequentandam, dicens Luc. 22, 19: *Hoc facite in meam commemorationem.* Trigesimo quinto suum proditorem detexit,

[2] Matth. 15, 15 sq. — [2] Matth. 15, 24 et 28. — [3] Matth. 24, 4. — [4] Matth. 10, 22. — [5] Matth. 24, 15.

Matth. 26, 21, dicens: *Unus vestrum me traditurus est.* Trigesimo sexto [discipulos] scandalizandos ob suam captionem, Matth. 26, 31, dicens: *Omnes scandalum* etc. Trigesimo septimo passionem suam fore acerbissimam, Matth. 26, 38, dicens: *Tristis est anima mea usque ad mortem* etc. Trigesimo octavo se super omnia principatum tenere dicens, Matth. 28, 18: *Data est mihi omnis potestas* etc. Trigesimo nono ad praedicandum direxit, Matth. 28, 19, dicens: *Euntes ergo docete,* et Marc. ultimo. Quadragesimo Spiritum sanctum se missurum eis praedixit, Luc. 24, 49, dicens: *Sedete in civitate* etc. Quadragesimo primo se veraciter a mortuis resurrexisse, dicens Luc. 24, 39: *Palpate, et videte* etc. Quadragesimo secundo post suam resurrectionem eos multipliciter alloquendo, ut patet Ioan. 21, 5 sqq. De pluribus aliis Dominus Iesus alloquendo informavit, de quibus conformitate XXX dicetur.

Decimo tertio Iesus allocutus est leprosum, Matth. 8, 2, Marc. 1, 40 et Luc. 5, 12; cum enim leprosus potestatem confiteretur, dicens: *Domine, si vis, potes me mundare,* Iesus respondit: *Volo, mundare;* ubi votive leproso condescendendo, se potentissimum deprompsit, dicens: *Volo, mundare;* statimque mundatus est. In quo mire condescendit et mira fecit, ut qui solo verbo cuncta condidit, solo verbo cum manu suae omnipotentis virtutis curavit.

Decimo quarto allocutus est centurionem, Matth. 8, 13, dicens, quod ad eius domum veniens puerum eius infirmum curaret; ubi se expressit, abiectos et humiles non fastidire, sed diligere; nam tales libenter visitat, et gratiam animae sanativam prorogat, huncque centurionem, quem fidelem, humilem et misericordem invenit, quid ad ipsum proloquitur? sequitur: *Vade, et sicut petisti, fiat tibi.* Hoc verbum documentum christicolis infert talibus insignitum conditionum virtutibus a Domino exaudiri, sibi, quod optat, ab ipso indilate concedi, ut patet ibidem.

Decimo quinto Iesus locutus est uni scribae eum sequi volenti dicens, Matth. 8, 20: *Vulpes foveas habent et volucres caeli nidos, Filius autem hominis non habet, ubi caput suum reclinet.* Quo verbo paupertatem diligere se et ipsius statum elegisse clare ostendit.

Decimo sexto quendam volentem eum sequi, sed prius patrem velle (*a*) sepelire, allocutus est Iesus, dicens, Matth. 8, 22: *Dimitte mortuos sepelire mortuos suos.* Non vetuit aut prohibuit sepulturam fieri (*b*) parentibus, cum id a Deo mandetur, sed consequentia ad sepulturam, videlicet captionem hereditatis et huiusmodi; quia tales sequi Christum non possunt, et consequenter tales sic quaerentes mortui sunt Christo; quare et sepeliant mortuos, id est mortuorum capiant hereditates et successiones.

Decimo septimo compatriotis, Luc. 4, 24 et Marc. 6, 4, locutus est Iesus dicens: *Nemo propheta acceptus est in patria sua.* Ubi ostendit concives ad invicem invidere, et potius de concive malum videre et audire velle quam bonum; nec aliquem sibi praeferri, sed substerni.

Decimo octavo adolescentem mortuum Iesus allocutus est dicens, Luc. 7, 14: *Adolescens, tibi dico: surge;* et surrexit; ubi ostendit, quod suae omnipotentiae nihil resistit, sed vivi obtemperant et mortui, ac a peccatorum morte semper esse surgendum.

Decimo nono daemoniacis locutus est, Matth. 8, 31, Marc. 1, 34 et Luc. 4 35, ut exirent et tacerent, ut Dominus imperat subditis, et ne falsa veris immisceant, similiter (*c*) demandat.

Vigesimo paralyticum Iesus allocutus est, Matth. 9, 2, Marc. 2, 5 et Luc. 5, 20, dicens: *Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua,* ubi expressit aliorum interventu a Deo alteri peccata remitti.

Vigesimo primo Iesus allocutus est Matthaeum, Matth. 9, 9, Marc. 2, 14 et Luc. 5, 27, dicens: *Surge, et sequere me,* docens a nobis omnia debere excuti, si (*d*) vestigia Christi volumus prosequi.

Vigesimo secundo pharisaeis locutus est Iesus primo, Matth. 9, 12 seq., dicens, se esse peccatorum vocatorem: *Non est opus medicus valentibus;* et sequitur: *Non enim veni vocare iustos, sed peccatores.* Secundo tempore necessitatis concedi plura fieri, quae alias non decerent,

(*a*) As et edd. om. *velle.* — (*b*) As *suam.* — (*c*) As et edd. *silere.* — (*d*) Codex *sed.*

dicens, David panem propositionis comedisse, quod solis erat licitum sacerdotibus. Tertio convincit eos transgressores divinorum mandatorum, dicens, Matth. 15, 3: *Quare vos transgredimini mandatum Dei* etc. Quarto non condescendere petitionibus imprudentum; Matth. 16, 5 signa petebant, et eis non praebuit. Quinto in regno caelorum voluptatibus carnis operam nullum (*a*) dare et matrimonium morte dissolvi, Matth. 22, 30: *Erunt,* dicit, *sicut angeli Dei.* Sexto uxorem non dimittendam, nisi causa fornicationis, Matth. 19, 9; et melius obtinetur regnum caelorum non ducendo, quam sic, quod ostendit in eunuchis, quos se castrasse dixit propter regnum caelorum. Septimo quae sunt Dei, ostendit Deo exhibenda et quae caesaris caesari reddenda, Matth. 22, 21. Octavo opera eorum cavenda docet, sed verba prosequenda, Matth. 23, 3; opera enim illorum ostendit mala, quia indiscreta, dicit: *Imponunt onera gravia* etc., ibidem, quia vanae gloriae applicata: *Omnia opera faciunt, ut videantur ab hominibus;* quia in cortice litterae (*b*) dicunt legem stare, nec fructum spiritualem in scriptura exigi debere dicunt. *Vae* eis, quia claudunt *regnum caelorum,* id est intelligentiam spiritualem; quia ad diripienda bona aliorum inhiabant, dicit: *Vae, qui comeditis domos viduarum* etc.; quia prava intentione effecta, dicit eis: *Vae!* sequitur: *Circuitis mare et aridam* etc.; quia ignorantia plena, inquit: *Vae vobis, caeci!* populum non bene de lege et aliis informabant; quia ad lucrum temporale semper exhibita et non Dei quaerentia honorem, dicit: *Vae, qui decimatis,* id est decimas exigitis, de mentha et anetho, et Dei gloriam etc. non quaeritis, nec fidem etc.; quia apparentia et non exsistentia, nam mundabant quae deforis erant calicis et paropsidis, non quae de intus, quia facta solum, ut apparerent bona, cum essent mala, faciebant; quare erant similes sepulchris dealbatis, quae speciosa a foris apparent hominibus, intus ossibus et putredine plena sunt, quia non ad pietatem, sed ad crudelitatem, ut Dominum Iesum Christum et discipulos occidendos, ordinata; quare prosequenda non sunt [opera] eorum praefata, sed verba solum. Plura alia habentur contra eos dicta a Salvatore, Marc. 8, 5 et Ioan. 10, 26 et Luc. 11, 42 sq. et 15.

Vigesimo tertio Iairo locutus est Iesus, Matth. 9, 24 et Marc. 5, 39, pro filia moriente roganti dicens: *Noli timere, tantummodo crede;* ubi innuit, quod fides solida permanet, timorem expellere et impetrare quod libet.

Vigesimo quarto mulieri fluxum sanguinis patienti, Marc. 5, 34 et Matth. 9, 22, sanitatem imputavit obtentam fide, dicens: *Fides tua te salvam fecit.*

Vigesimo quinto mare est allocutus Iesus intumefactum, Marc. 4, 39: *Tace, obmutesce, et cessavit ventus, et facta est tranquillitas;* ubi suum verbum omnem habere virtutem ostendit.

Vigesimo sexto caecis est locutus Iesus, Matth. 9, 28 et 20, 32, Marc. 10, 51 et Luc. 18, 41, dicens eis: *Creditis, quia hoc possim facere vobis?* et subdit: *Secundum fidem vestram fiat vobis;* sequitur: *Et aperti sunt oculi eorum;* ubi ostendit sine fide nihil a Deo posse obtineri, et magna fieri fidei magnitudine.

Vigesimo septimo discipulos Ioannis Baptistae, Matth. 11, 4, Iesus est allocutus dicens: *Ite, dicite Ioanni quae audistis et vidistis;* ubi se deprompsit singularissimum in docendo et potentissimum in faciendo miracula.

Vigesimo octavo turbis est locutus Iesus de sanctitate Ioannis informando, Matth. 11, 8, dicens: *Quid existis in desertum videre?* etc., de caelesti doctrina semini comparata, Marc. 4, in principio.

Vigesimo nono Patrem caelestem, primo, Matth. 11, 25, Iesus allocutus est Patrem caelestem commendando, quod secreta suae sapientiae non superbis, sed humilibus reserat; secundo gratias ei referendo, Ioan. 11, 41, in Lazari resuscitatione; tertio in passione, ut calicem passionis removeat ab ipso supplicando, Matth. 25, 39: *Pater, si fieri potest, transeat* etc.

Trigesimo civitatem Capharnaum allocutus est et alias civitates dicens, quod *vae eis* etc.; ubi arguit earum ingratitudinem et incredulitatem, ostendens vitium ingratitudinis magnum

(*a*) As et edd. *nullam.* — (*b*) Codex *litteram.*

esse, quo merito privatur homo habitis et habendis ac in suam provocat divinam indignationem ad vindictam.

Trigesimo primo uni accedenti pro consilio[1], quid agendo vitam consequeretur aeternam, respondit Iesus: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata,* et ipso dicente sic fecisse, quid sibi deesset, respondit dicens: *Si vis perfectus esse, vade, et vende omnia, quae habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in caelo;* ubi innuit in custodia praeceptorum et consiliorum divinorum obtentus esse beatae vitae.

Trigesimo secundo civitati Ierusalem locutus est, Matth. 23, 37 et Luc. 13, 34, dicens: *Ierusalem, Ierusalem, quae occidis prophetas* etc.; ubi Salvator ostendit civitates puniri, ubi multa ad peragendum infanda reperiuntur, suumque excidium eidem praedicit, ut formidine casus (*a*) compescatur a malis.

Trigesimo tertio Petrum est allocutus Iesus eum increpando, Matth. 14, 31, de fidei pusillanimitate dicens: *Modicae fidei, quare dubitasti?* eum etiam commendando, Matth. 16, 17: *Beatus es Simon, Bar Iona* etc.; eum ecclesiae firmamentum collocando, ibidem dicens: *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam;* eum de praemio futuro certificando, Matth. 19, 27: *Ecce, nos reliquimus omnia* etc., sequitur: *Sedebitis* etc.; eum de correctione fraterna informando, Matth. 18, 15: *Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum* etc.; eum negaturum praedicando, Matth. 26, 34: *Ter me negabis;* eum singulari nomine nuncupando, Ioan. 1, 42: *Tu vocaberis Cephas,* et suas oves recommendando, Ioan. 21, 17: *Pasce oves meas* etc.

Trigesimo quarto surdum liberatum, Marc. 7, 36, allocutus est Iesus, demandans, ne cui diceret, exemplum praebens vitandi laudem hominum.

Trigesimo quinto passagium petenti Petro praecepit, ad vitandum scandalum didrachma persolvi dicens[2], *ut non scandalizemus eos* etc., ostendens, quod illa, quae non sunt peccata, ratione vitandi scandali sunt fieri permittenda aliquando, etsi non semper.

Trigesimo sexto matri filiorum Zebedaei, immo filiis est allocutus Iesus, Matth. 20, 22 et Marc. 10, 38, dicens: *Nescitis, quid petatis;* ubi innuit ineptas et indignas petitiones a Deo non acceptari, nec temporalia pro fine sunt petenda et praemio, sed aeterna.

Trigesimo septimo duobus discipulis, quos pro asina misit, locutus est, Matth. 21, 2, dicens: *Ite in castellum* etc. Vocat civitatem castellum, utpote in brevi ruituram, quae erat castellum futurum in respectu ad civitatem.

Trigesimo octavo archisynagogo Iesum arguenti, quia miracula in sabbato exercebat, locutus est de temeritate in arguendo et de fatuitate, ne sibi sapiens esse videretur.

Trigesimo nono principes sacerdotum allocutus est Iesus, eis ostendens, domum Dei eos fecisse *domum negotiationis,* Matth. 21, 12; propter inimicitias ipsorum ad ipsum et confundendos eos in pueris debent ipsius perfecisse laudem, ibidem, et deinde conterendos lapidis ab eis reprobati casu super ipsos, Matth. 21, 42.

Quadragesimo Iacobo et Ioanni locutus est vindictam appetentibus in eos, qui Iesum et ipsos non receperant, dicens Luc. 9, 55: *Nescitis, cuius spiritus sitis,* vel estis; arguit eos, quia vindicta non est expetenda, sed Deo committenda.

Quadragesimo primo Herodianos allocutus est eum consulentes cum pharisaeis de tributo caesari dando, respondens dicens[3]: *Reddite, quae sunt caesaris caesari, et quae sunt Dei Deo;* ubi ostendit, in temporalibus dominis terrenis homines subdi debere, in spiritualibus autem Domino Deo.

Quadragesimo secundo legis doctorem eum tentantem locutus est, Matth. 22, 36 et Marc. 12, 28, dicens, quod mandatum maximum in lege est diligere Dominum Deum etc., et *se-*

(*a*) As *mali.*

---

[1] Matth. 19, 16 sq. — [2] Matth. 17, 26. — [3] Matth. 22, 21.

cundum mandatum simile huic est diligere proximum, sicut se ipsum, concludens, quod *in his duobus mandatis tota lex pendet et prophetae;* quibus ostendit observantia horum adimpleri, quod in scriptura mandatur.

Quadragesimo tertio quendam principem allocutus est Iesus, ut habetur Luc. 18, 18 sqq., interrogantem Christum et dicentem: *Magister bone, quid faciendo vitam aeternam possidebo?* Respondit Iesus: *Mandata nosti* etc.; et cum ille diceret: *Haec omnia custodivi a iuventute mea,* respondit Iesus: *Adhuc unum tibi deest; omnia quaecumque habes, vende, et da pauperibus, et habebis thesaurum in caelo, et veni, sequere me,* ostendens, non sufficere mundi contemptum ad statum perfectum, nisi adsit Christi imitatio.

Quadragesimo quarto Magdalenae locutus est primo ob contritionem peccata remittendo, Luc. 7, 48. Secundo pro fratre plorando et conlacrymando et dicendo: *Ubi posuistis eum?* et resuscitando, Ioan. 11, 34. Tertio eidem post resurrectionem apparendo et eam vocando, Ioan. 20, 16, dicens: *Maria,* nec tangi ab ea tunc permittendo, quia Magdalena potius ad humanitatem Christi referebat suum cogitatum quam ad divinitatem; ideo dixit ei Iesus: *Nondum ascendi ad Patrem meum,* id est: O Maria, adhuc in tuo corde per considerationem et credulitatem ad aequalitatem Patris non ascendi; quia me Patri aequalem non credis. Quarto eam suam nuntiam de resurrectione ad apostolos faciendo, ibidem dicens: *Vade ad fratres meos* etc. Quinto eam cum ceteris Mariis salutando et se quoad tangendos pedes pervertendo, Matth. 28 9, dicens: *Avete. Illae accesserunt* etc.; sequitur: *Illae tenuerunt pedes eius et adoraverunt eum.*

Quadragesimo quinto, Martham allocutus est Iesus, Luc. 10, 41, excusando Mariam dicens: *Martha, Martha, sollicita es et turbaris erga plurima;* sequitur: *Maria optimam partem elegit, quae non auferetur ab ea;* quo ostendit contemplativam vitam activae praeferendam. Ipsam allocutus est, Ioan. 11, 25, se resuscitatorem mortuorum declarando, dicens: *Ego sum resurrectio* etc.

Quadragesimo sexto Zachaeum, Luc. 19, 5, allocutus est dicens: *Zachaee, festinans descende; quia hodie in domo tua oportet me manere;* ubi ostendit effectu, quod veniens ad cor ipsum renovat et ad poenitentiam inducit.

Quadragesimo septimo mulierem commendantem ventrem matris, Luc. 11, 28, allocutus est dicens: *Quinimmo beati, qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud;* ubi beatam Mariam declaravit, verbo Dei concepisse et matrem Dei esse factam (*a*), at beatitudinem obtinuisse non Christi generatione, sed divinorum mandatorum observantia et impletione.

Quadragesimo octavo Nathanael, Ioan 1, 47 dicens: *Hic est vere Israelita, in quo dolus non est;* ubi praefatum declaravit moribus et virtutibus Iacob similem.

Quadragesimo nono, Ioan. 3, 3, Nicodemum allocutus est Iesus dicens: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest intrare regnum Dei;* ubi sine baptismo salvari hominem non posse declarat, ac quosdam percipiendo baptismum non effectum habere baptismi, quia non recipiunt (*b*) Spiritum sanctum, sicut mali et ficte (*c*) baptismum recipientes; sed vere credentes aqua baptizati et Spiritu sancto baptizantur, et tales, si contingeret mori statim post baptismum virtute baptismi mundati viderent regnum Dei, quia salvantur.

Quinquagesimo regulum, Ioan. 4, 48, allocutus est, de incredulitate increpando dicens: *Nisi signa et prodigia videritis, non creditis;* cui se Deum ostendit, quando absens eius filium curavit, et regulus credidit cum tota domo sua.

Quinquagesimo primo languidum, Ioan. 5, 6 et 14, allocutus est dicens: *Vis sanus fieri?* et sequitur, quod sanavit, et dixit ei: *Ecce, sanus factus es, iam noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat;* ubi ostendit beneficia conferri debere acceptanti, ac recidivanti deteriora prioribus dari.

Quinquagesimo secundo Samaritanae mulieri, Ioan. 4, 10, locutus est Iesus, ostendens primo se datorem aquae, quae Spiritum sanctum designat, qua vita habetur aeterna; secundo

(*a*) As *sanctam.* — (*b*) As *habent.* — (*c*) Codex *ficti.*

inspectorem omnium, quia de viris habitis eam informavit; tertio verum Dei adoratorem, in spiritu et veritate debere eum colere; quarto verum Messiam in lege promissum, dicit: *Ego sum, qui loquor tecum;* quinto incitatorem cordium, quia mulierem hanc fecit apostolam, quia praedicavit eius gloriam Samaritanis; sexto consolatorem nostrum, quia cum Samaritanis stetit et eos summe consolatos dimisit.

Quinquagesimo tertio caecum a nativitate, cui oculos restituerat, allocutus est dicens, Ioan. 9, 35 sqq.: *Credis in Filium Dei?* et sequitur: *Respondit, credo, Domine, et procidens adoravit eum;* ubi ostendit, eum et corporaliter illuminasse et internaliter.

Quinquagesimo quarto fratres suos, Ioan. 7, 8, suadentes ex vana gloria templum ascendere, allocutus est dicens: *Vos ascendite ad diem festum, ego autem non ascendam;* ubi ostendit, quod gloria humana in se et in aliis est fugienda; et quidquid fit, ad Dei laudem fiat et non hominum.

Quinquagesimo quinto Iudaeos allocutus est, Ioan. 2, 19, signum dans eis suae deitatis, quia corpus suum ab eis morte concussum post triduum erat resuscitaturus; et Ioan. 7, 16 sq., declaravit eos de sua doctrina dicens, quod non erat sua, sed Patris; et de multis aliis, ut in dicto capitulo habetur et sequenti.

Quinquagesimo sexto Iudam proditorem suum, Ioan. 13, 27, dicens: *Quod facis, fac citius;* ubi innuit, se omnia scire, quae ipse proditor ordinavit; eum etiam allocutus est, Matth. 26, 50: *Amice,* inquit, *ad quid venisti?* exemplum dans inferentibus mala amicitiae vinculo adiungi, et increpando dicens, Luc. 22, 48: *Iuda, osculo Filium hominis tradis?* eum per hoc ad bonum inducens, si attenderet, quae agebat.

Quinquagesimo septimo Philippum allocutus est, Ioan. 14, 8, cum dixisset Iesu: *Domine, ostende nobis Patrem* etc., respondit Iesus: *Qui videt me, videt et Patrem meum;* ubi ostendit se per omnia Patri similem et aequalem.

Quinquagesimo octavo Thomae locutus est dicenti Iesu, Ioan. 14, 5: *Domine, nescimus, quo vadis, et quomodo possumus viam scire?* respondit Iesus dicens: *Ego sum via, veritas et vita;* et post resurrectionem se vere resurrexisse declaravit, dicens Thomae [1]: *Infer digitum tuum huc,* et addidit: *Quia vidisti me, Thoma, credidisti. Beati, qui non viderunt et crediderunt,* innuens fidem mereri plus assensu exhibito creditis quam visis.

Quinquagesimo nono Iudam, quem et Thadaeum, dicens Thaddaeo, Ioan. 14, 22: *Domine, quid factum est, quia manifestaturus es nobis te ipsum et non mundo? Respondit Iesus: Si quis diligit me, sermonem meum servabit* etc.; ubi ostendit, quod observantibus sua mandata se manifestat, uti erat ipse et apostoli, non observantibus non, sicuti erat de mundo.

Sexagesimo turbis Iudaeorum locutus est, Matth. 26, 55, dicens: *Tanquam ad latronem* etc. *Quotidie apud vos eram docens in templo, et non me tenuistis;* ubi ostendit se sua voluntate captum, et non invite, et Ioan. 18, 8: *Si me quaeritis, sinite hos abire;* ubi affectum praecipuum ad discipulos ostendit.

Sexagesimo primo Annae pontifici dicenti sibi de discipulis et doctrina sua locutus est Iesus dicens: *Ego palam locutus sum mundo, et in occulto locutus sum nihil* [2]*;* ubi innuit, quod doctrinam suam publice et aperte tradiderat, et semper coram multis, quia omnibus apostolis, quare non suspecta, sed pro viribus accipienda.

Sexagesimo secundo servum se in maxilla percutientem, Ioan. 18, 23: *Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo* etc. Non excandescit ad iram, ut ostenderat, Matth. 5, 39, de percutiente in maxillam, sed servum iustitiam exercere non debere, nisi prius causa examinata a domino et praelato.

Sexagesimo tertio Caiphae, principi sacerdotum, locutus est, Matth. 26, 64, Marc. 14, 62 et Luc. 22, 70, interroganti, si esset Filius Dei; respondit, quod sic, et se venturum ad iudicandum praedixit declarans veritatem semper dicendam, in ultimis saltem constitutum.

---

[1] Ioan. 20, 27. 29. — [2] Ioan. 18, 20.

Sexagesimo quarto Pilatum allocutus est, primo se regem esse asserendo, Matth. 27, 11 et Ioan. 18, 34; secundo suum regnum de hoc mundo non esse ostendendo, Ioan. 18, 36; tertio declarando, se paterna voluntate traditum in Pilati ipsius manus, et se Dei Filium esse, Ioan. 19, 1 sq.

Sexagesimo quinto filias Ierusalem plangentes et lacrymantes cum allocutus est, dicens, Luc. 23, 28: *Filiae Ierusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete* etc.; ubi eis praedicit, quid postea eis evenit, scilicet destructionem civitatis Ierusalem cum tanta populi occisione.

Sexagesimo sexto latronem crucifixum, Luc. 23, 43, dicens: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso;* ubi se datorem vitae beatae ostendit et nostrum beatificatorem.

Sexagesimo septimo Ioannem evangelistam allocutus est, dicens Virgini Mariae [1]: *Mulier, ecce filius tuus,* et discipulo ait: *Ecce mater tua;* et quia de verbo dicto beatae Mariae dictum est succincte, declarandum est verbum dictum a Christo discipulo suo, beato Ioanni, scilicet: *Ecce mater tua;* ubi advertendum, quod ex hoc verbo Ioannes non est filius Virginis, sicut Christus, ut dicunt aliqui, sed solum filius adoptivus, prout declarat beatus Hieronymus in sermone de Assumptione: « Cogitis me, o Paula » etc. [2]. Nec sicut quilibet, in quo est gratia, dicitur adoptivus filius Dei, iuxta dictum apostoli, Gal. 3, 26; sed haec adoptatio ipsius Ioannis in filium Mariae designat, Ioannem fuisse primo purissimum, quia virgo Virgini est sociatus; secundo a Deo dilectissimum, quia tale donum ab ipso accepit; tertio Deo acceptissimum, quia prae aliis hoc est sibi factum; quarto virtuosissimum, quia plene omni virtute tali amore maternali est coniunctus; quinto beatae Virgini simillimum, quia *simile iungitur simili,* Eccli. 13, 20; sexto moribus regulatissimum; septimo vita ordinatissimum; octavo obsequiosissimum in parendo Christi mandatis; nono verbo prudentissimum; decimo Deo fidelissimum; undecimo conversatione approbatissimum; duodecimo beatae Mariae gratiosissimum, tam ratione Christi mandantis, quam Ioannis ei devotissime parentis. Praefata omnia apparent clare, considerata Christi commissione facta Ioanni, ac Mariae conditionibus pensatis. Sed hac Ioannis in filium beatae Mariae adoptione, factus est Ioannes ipse: primo Christi frater prae aliis apostolis singularissimus, quia modo singulari Maria est sibi in matrem data a Christo; secundo Christi successor, Petrus in ecclesia, Ioannes in beata Maria; tertio Christi thesaurarius, quia thesaurum, quem Christus super omnia acceptum habet, sibi tradidit, scilicet beatam Mariam; quarto secretarius Christi, quia non solum Christus ei secreta revelavit, sed per ipsam Virginem Mariam Ioannes de multis divinis secretis est informatus; quinto datum est Ioanni et collatum quoddam singulare donum, quod ipse erogare valet, ut placet; et hoc est beatam Mariam posse conferre in subsidium et protectionem cuilibet ad ipsum devote recurrenti; quia cum sit tradita sibi in matrem a Christo, cuicumque voluerit, libet eam dare ac flectere pro voto. Habet etiam Ioannes singularem non solum ad beatam Virginem accessum, sed etiam ad Christum, tam ratione matris concessae, quam ipsius novo modo Ioannis frater effecti; quare supplicatio Ioanni porrecta et per ipsum a Christo votive exauditur, et consequenter speciali dilectione a Patre omnium Domini Iesu Christi amplectitur, ex quo Filio suo tam speciali fraternitate est coniunctus. Praesumere ergo potest ipse Ioannes de Christo et matre plus aliis sanctis, tali maternitate pensata. Dictus est Ioannes *dilectus a Christo* propter illa, quae Christus in eo effecit, ut dictum est fructu et conformitate VIII, sed magis *dilectus,* etsi ex multis valeat dici, praecipue ex hoc dono sibi dato, videlicet, quod beata Virgo sua modo singularissimo est mater effecta. Plura beatus Ioannes habet et habuit dicto verbo Christi, sed praefata sufficiant. Allocutus etiam fuerat Dominus Ioannem, quando eum vocavit, Matth. 4, 21; similiter respondendo eidem, cum petiisset de proditore, Ioan. 13, 25 dicens: *Domine, quis est?* et Dominus respondit: *Ille est, cui intinctum panem porrexero.* Super omnia tamen Ioannem dignificant verba praedicta a Christo eidem relata in cruce, scilicet: *Ecce mater tua,* ut patet ex dictis.

[1] Ioan. 29, 26 sqq. — [2] Cfr. supra pag. 566 not. 1.

Sexagesimo octavo Iesus allocutus est genus humanum, Ioan. 19, 28, dicens: *Sitio,* id est salutem omnium opto et facio. Quod verbum cuilibet christiano deberet esse verbum ad ipsius Iesu amorem inflammativum, ut non modo omnia praecepta eius efficere, sed gratanter pro illo velle mori. Et consequenter dicendo: *Consummatum est,* non solum deprompsit omnibus omnia implevisse, sed salutem omnium perfecisse.

Sexagesimo nono allocutus est totam Trinitatem, sed praecipue Patrem, ipsum voluisse tot poenas subire, ut genus humanum redimeret dicens: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* ostendens super omnes poenas luisse sua morte et passione, ac ad compatiendum eidem pro nobis morienti omnes christicolas commovere. Patri etiam in vitae termino est locutus, sibi spiritum commendando dicens: *In manus tuas, Pater, commendo spiritum meum,* ostendens, hanc orationem fieri semper debere a quolibet eius sanguine redempto, et specialiter, dum ex mundo pergit ad Patrem.

Septuagesimo et ultimo, allocutus est mulieres, scilicet Mariam Iacobi, Magdalene et Salome, ut habetur Matth. 28, 9, post resurrectionem, salutando eas, dicens: *Avete,* et se praebendo eis.; nam *accesserunt illae ad eum ac tenuerunt et eum adoraverunt;* quo actu gaudium de salute concedenda, quam de Iesu viso acceperunt (*a*).

Praefatis ergo apparet, quomodo Iesus allocutus est diversos diversimode. Quae maiorem requirebant (*b*) quoad singula expositionem, sed non effeci, tum propter prolixitatem huius operis vitandam, tum quia, Christo concedente, opus perficiam de gestis et verbis ipsius Salvatoris Domini nostri Iesu Christi; et tunc praefata cum aliis prolixius explicabo; sed sic fecisse sufficiat pro modo. Et quia denominatio fit a pluri et potiori, et quibus Christus locutus est, humillimi fuerunt, ut patet ex iam dictis, patet insuper, quomodo intelligendum est specialiter: **Iesus loquens humillimis,** prout dicit prima pars huius XII conformitatis.

2. Videndum est amodo in generali, quomodo locutus est humillimis, id est sanctis apostolis, qui fuerunt ad instar Christi humillimi, dicens eis et cuilibet fideli, Matth. 11, 29: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde.* Et quia ipsos in persona omnium fidelium informabat, potest dici, quod omnes sua doctrina Christus est generaliter allocutus pro utilitate cuiuslibet in ordinatione primo et praecipue ad Deum, ad quem (*c*) sua doctrina principaliter ordinatur et dirigitur, secundo quoad se et sui, scilicet cuiuslibet, ordinationem in se, tertio quoad proximum et alios extra se consistentes.

Ordinat ipse magister perfectionis Iesus fideles, eos alloquendo et sua locutione ac doctrina quoad Deum dicens: Fideles debent Deo primo obedientiam et subiectionem, eius mandata custodiendo, Matth. 19, 17: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata;* orando dicere debemus: *Pater, fiat voluntas tua, sicut in caelo et in terra,* Matth. 6, 10; suo exemplo, Ioan. 15, 10: *Ego praecepta Patris mei servavi et maneo in eius dilectione.* Secundo reverentiam et adorationem, Matth. 4, 10, diabolo Iesus dixit: *Dominum Deum tuum adorabis et illi soli servies.* Tertio dilectionem, Matth. 19, 17: *Unus est et solus bonus, Dominus Deus* etc., et Matth. 22, 37: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo* etc. Quarto gratiarum actionem, Matth. 14, 19: *Aspiciens in caelum* etc.; et cap. 15, 36: *Gratias agens,* et Ioannis 11, 41, in suscitatione Lazari: *Gratias tibi ago* etc. Quinto recognitionem, ut ab eo omnia cognoscentes habere omnia in eius gloriam referamus, Matth. 5, 16: *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant vestra bona opera, et glorificent Patrem vestrum, qui est in caelis.* Sexto imitationem, Matth. 5, 48: *Estote perfecti, sicut et Pater vester caelestis perfectus est.* Septimo assiduam invocationem, dicendo: *Pater noster, qui es in caelis, sanctificetur nomen tuum,* Matth. 6, 9. Octavo iuramenti per Deum vitationem, Matth. 5, 33 sq.: *Non periurabis; ego autem dico vobis non iurare omnino* etc. Nono ipsius suffragium petere et protectionem, Matth. 6, 9:

(*a*) Edd. om. *Septuagesimo et ultimo—acceperunt.* — (*b*) As et edd. addunt *procul dubio.* — (*c*) Codex *quae.*

Pater noster, qui es in caelis etc.; et sequitur: *Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos a malo.* Decimo in ipsum totam fiduciae iactationem: *Scit enim Pater vester, quod his omnibus indigetis,* Matth. 6, 32 et 14, 27: *Habete fiduciam; ego sum* etc. Undecimo quaerere ipsius laudem, gloriam et honorem, Ioan. 8, 50: *Ego gloriam meam non quaero, sed eius, qui misit me* etc. Duodecimo eius habere timorem et ad ipsum totam dirigere intentionem, Ioan. 8, 29: *Quae placita sunt ei, facio semper,* et Matth. 6, 20 sq.: *Thesaurizate vobis thesauros in caelo;* et sequitur: *Ubi est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum.* Praefatis igitur Dominus Iesus dirigit et ordinat fideles sua locutione et doctrina homines in his, quae sunt ad Deum, ac ad praedicta alia, quae ad haec spectant, possunt reduci.

Secundo, ipse magister Christus ordinat hominem quoad se ipsum: et primo quoad linguam, Matth. 5, 33 et 37: *Non periurabis;* sequitur: *Sit sermo vester: est, est, non, non.* Et Matth. 12, 35 sq.: *Bonus homo de bono thesauro* etc.; sequitur: *De omni verbo otioso reddent homines rationem in die iudicii.* Secundo sui praeservationem a malo dicens, Matth. 5, 29: *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, et proiice abs te,* et cap. 8, 22: *Dimitte mortuos sepelire mortuos suos,* et cap. 15, 19: *De corde exeunt cogitationes malae* etc., et cap. 18, 8: *Si manus tua scandalizat te, abscinde eam* etc. Tertio ordinat, ut homo fugiat vanam gloriam et gloriae ambitionem, Matth. 6, 1: *Attendite, ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis* etc.; et cap. 9, 30 comminatus est caecis dicens: *Videte, ne quis sciat,* et cap. 16, 20: *Praecepit discipulis suis, ne cui dicerent, quod ipse esset Christus,* et cap. 17, 9: *Nemini dixeritis visionem, donec a mortuis* etc.; et cap. 23, 3 et 5: *Secundum opera eorum nolite facere. Omnia opera eorum faciunt, ut videantur ab hominibus.* Quarto totam docet intentionem ad Deum dirigendam, Matth. 6, 5 sq.: *Cum oratis, non eritis sicut hypocritae, qui amant in angulis platearum et in synagogis stantes orare, ut videantur ab hominibus. Amen, dico vobis, receperunt mercedem suam Tu autem, cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito, et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi;* et cap. 10, 37: *Qui amat patrem* etc., *non est me dignus.* Quinto ordinat, ut homo habeat aeternorum amorem et dilectionem dicens, Matth. 6, 19 sq.: *Nolite thesaurizare vobis in terra, sed thesaurizate vobis in caelo* etc., et cap. 12, 30: *Qui non est mecum, contra me est.* Sexto sollicitudinis (*a*) de congregandis mundanis abiectionem et affectionis remotionem dicens, Matth. 6, 31: *Nolite solliciti esse animae vestrae, quid manducetis* etc.; et cap. 10, 9: *Nolite possidere aurum neque argentum neque pecuniam* etc., et cap. 19, 23: *Difficile est divitem intrare in regnum caelorum* etc. Septimo abstinendo a prava conversatione, Matth. 7, 6: *Nolite sanctum dare canibus* etc., et cap. 15, 14: *Sinite illos, caeci sunt et duces caecorum* etc., et cap. 16, 11: *Cavete a fermento pharisaeorum.* Octavo, ut homo stet in oratione, dicens, Matth. 7, 7: *Petite, et dabitur vobis* etc., et cap. 24, 20: *Orate, ne fiat fuga vestra,* et cap. 26, 41: *Orate, ne intretis in tentationem* etc., et Luc. 18, 1: *Oportet semper orare* etc. Nono, ut in agendis homo habeat circumspectionem, Matth. 7, 15: *Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium* etc., et cap. 24, 44: *Estote parati, quia nescitis, qua hora fur* etc., et cap. 25 per totum. Decimo, ut habeat in fide firmam adhaesionem, Marc. 11, 23 sq.: *Omnia, quaecumque orantes petitis, credite, quia accipietis, et fiet vobis; et qui non haesitaverit in corde suo, sed crediderit, quodcumque dixerit, fiet ei,* et Matth. 17, 19: *Si habueritis fidem, ut granum sinapis* etc. Undecimo futuri iudicis et iudicii meditationem, Matth. 24, 42: *Vigilate, quia nescitis, qua hora Dominus vester venturus sit,* et cap. 25 quasi per totum et cap. 13, 49 Matthaei: *Separabit malos* etc., et cap. 16, 27: *Reddet unicuique secundum opera sua.* Duodecimo et ultimo attendendo vitae futurae statum et permansionem, Matth. 7, 13: *Intrate per angustam portam, quae ducit ad vitam;* et quoad hoc, ut ad vitam perveniamus aeternam, plures ostendit ipse Salvator sua doctrina vias et docet, ut patet in sancto evangelio, ac portas: et prima ponitur Matth. 5, 3: *Beati pauperes spiritu* etc.; ad istam reducitur

(*a*) Codex *sollicitudinem.*

illud Matth. 19, 21: *Si vis perfectus esse, vade et vende omnia* etc., et illud Matth. 19, 27: *Ecce, nos reliquimus omnia* etc. Secunda ponitur Matth. 5, 4: *Beati mites* etc.; ad hanc reducitur illud, Matth. 5, 39: *Ego autem dico, non resistere malo* etc., et illud Matth. 11, 29: *Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde* etc. Tertia ponitur Matth. 5, 5: *Beati, qui lugent* etc.; ad hanc reducitur illud Luc. 6, 25: *Vae vobis, qui nunc ridetis; quoniam flebitis.* Quarta ponitur Matth. 5, 6: *Beati qui esuriunt, et sitiunt iustitiam* etc.; ad hanc reducitur illud Matth. 25, 46: *Iusti ibunt in vitam aeternam.* Quinta ponitur Matth. 5, 7: *Beati misericordes* etc.; ad hanc reducitur illud Matth. 10, 40: *Qui vos recipit, me recipit* etc., et cap. 12, 7: *Misericordiam volo et non sacrificium,* et illud, Luc. 6, 36: *Estote misericordes* etc. Sexta ponitur Matth. 5, 8: *Beati mundo corde* etc.; ad hanc reducitur illud Matth. 15, 19: *De corde exeunt cogitationes* etc., et illud, Matth. 19, 12: *Sunt eunuchi, qui se castraverunt propter regnum caelorum* etc. Septima ponitur Matth. 5, 9: *Beati pacifici* etc.; ad hanc reducitur illud Matth. 18, 15: *Si peccaverit in te frater tuus, vade* etc. Octava ponitur Matth. 5, 10: *Beati qui persecutionem patiuntur* etc.; ad hanc reducitur illud Matth. 10, 17 sq.: *Tradent enim vos* etc. *Nolite timere, quia animam non possunt occidere,* etc. Nona ponitur Matth. 4, 17 et Marc. 1, 15: *Poenitentiam agite, appropinquat enim regnum caelorum;* ad hanc reducitur illud Matth. 12, 41: *Viri Ninivitae* etc., et illud Matth. 21, 31: *Publicani et peccatores* etc. Decima ponitur Matth. 18, 4, de humilitate: *Nisi quis se humiliaverit sicut parvulus iste, non intrabit in regnum caelorum;* ad hanc reducitur illud Matth. 11, 25: *Revelasti ea parvulis* etc., et illud Matth. 16, 24: *Abneget semetipsum* etc., et illud Matth. 19, 14: *Talium est enim regnum caelorum,* et cap. 23, 10: *Qui maior est vestrum, erit minister vester* etc., et cap. 23, 12: *Qui se humiliat exaltabitur.* Undecima ponitur Matth. 19, 17: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata;* ad hanc reducitur illud Matth. 5, 20: *Nisi abundaverit iustitia vestra plus quam scribarum* etc., et cap. 7, 21: *Non omnis, qui dicit mihi: Domine, Domine, intrabit in regnum caelorum, sed qui fecerit voluntatem* etc. Duodecima habetur Matth. 6, 9 sqq.; oratio ad Deum dicens: *Pater noster* etc.; sequitur: *Adveniat regnum tuum;* ad hanc reducitur illud Luc. 18, 1: *Oportet semper orare.* Multa alia in aliis evangeliis inveniuntur, quae ad praedicta possunt reduci (*a*).

Tertio ordinat doctrina Christi et locutio hominem quoad proximum, primo vitae exemplaritate, Matth. 5, 16: *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant vestra bona opera* etc. Secundo pace et tranquillitate, Matth. 5, 21 sq.: *Non occides, non irascatur, non dicat raca, non fatue,* et Matth. 23, 8: *Omnes fratres estis* etc. Tertio vitae honestate [1]: *Non moechaberis* etc.; Matth. 10, 26: *Nihil opertum, quod non reveletur* etc. Quarto dilectione et caritate, Matth. 19, 19: *Diliges proximum tuum, sicut te ipsum.* Quinto compassione, Matth. 9, 12: *Non est opus valentibus medicus* etc., et Matth. 18, 15: *Vade et corripe eum* etc. Sexto subventione, Luc. 6, 36: *Estote misericordes* etc. *Date eleemosynam* etc., cap. 11, 41 et cap. 14, 13: *Cum facis convivium, voca pauperes* etc. Septimo de proximo habendo bonam opinionem, Matth. 7, 1: *Nolite iudicare* etc.; idem habetur Luc. 6, 37. Octavo iniuriarum dimissione, Matth. 6, 14: *Si dimiseritis hominibus peccata eorum, et Pater caelestis dimittet vobis* etc., et cap. 18, 22: *Non dico dimittere septies, sed usque septuagies septies,* et ibidem 35: *Sic faciet vobis Pater vester caelestis, si non dimiseritis* etc. Nono instructione, Matth. 28, 20: *Docentes eos servare omnia, quaecumque mandavi vobis,* exemplo Christi, qui docebat apostolos de regno Dei, Matth. 21, 31 sqq. Decimo deprecatione, Matth. 5, 44: *Orate pro persequentibus et calumniantibus vos,* exemplo apostolorum, qui rogaverunt pro socru Simonis, Luc. 4, 38, et Salvatoris, Ioan. 17, 6 sqq., qui pro apostolis Patrem rogavit et pro credituris ad verbum eorum.

(*a*) As *induci.*

---

[1] Matth. 5, 27.

Sic ergo apparet, quomodo Salvator noster et veritatis magister allocutus est quosdam specialiter et totum mundum generaliter, ordinando sua locutione et doctrina divinissima (*a*) homines et quoad Deum, quoad se et demum quoad proximum, sicut haec iam dicta ostendunt, et in aliis conformitatibus antecedentibus hanc conformitatem clare demonstratur. Patet ergo declarata prima pars XII conformitatis, videlicet: **Iesus loquens humillimis.**

Videndum est amodo de secunda parte.

Secunda pars duodecimi fructus et conformitatis est:

Franciscus reserator.

Expositio.

Secunda pars conformitatis duodecimae et fructus est: *Franciscus reserator.* Pro cuius expositionis evidentia est videndum, quod, ut superiora ostendunt, beatus Franciscus multos sua lingua, vita et moribus ac praedicatione informando ad Dominum Iesum Christum convertit. Patet etiam ex dictis in praecedentibus de doctrina beati Francisci, a quo fuerit, quia a Deo, et qualiter a beato Francisco fuerit obtenta, quia oratione et crucis assidua meditatione. Nunc igitur (*a*) videndum est, quomodo ipse beatus Franciscus ad instar Salvatoris, ut praemissum est, informavit quosdam particulariter et demum omnes generaliter suae doctrinae (*b*) allocutione benigna. A multis enim interrogatus et de diversis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illi, respondebat; nec interrogabatur ut homo scientiis mundanis imbutus, sed ut spiritualis et devotus. Semel a domino Ostiensi de pluribus interrogatus, dixit ei dominus Ostiensis, qui fuit postea papa Gregorius IX: « Ego, frater Francisce, te interrogo, non ut hominem scientificum, sed ut hominem a Deo illuminatum et Spiritu sancto plenum [1] ». De eius enim doctrina quidam magister, postquam beatum Franciscum de quibusdam interrogando fuerat ab eo declaratus, dixit, ut habetur in XI parte *Legendae* [2]: « Vere theologia sancti patris istius puritate ac contemplatione, tanquam alis in altum subvecta, est ut aquila volans; nostra vero scientia ventre graditur super terram ». Nec immerito, quia ad hanc mentis serenitatem per indefessum orationis studium pervenit, cum continua exercitatione virtutum, ut, quamvis sacrarum litterarum peritiam non habuerit, per doctrinam ipsam tamen obtinuit lucis aeternae irradiatus fulgoribus, sibi eam Deus dirigendo praeviis orationibus et meditationibus Crucifixi. Qua obtenta, non solum publice praedicando eam in corda hominum direxit et transmisit, verum etiam privatis locutionibus, ut nunc ostendetur, multos informavit. Ut igitur haec facilius videantur, erit videndum: primo, quomodo quosdam particulariter et private doctrinavit; secundo, quomodo generaliter fratres et alios de diversis virtutibus et aliis informavit.

1. Quantum ad primum, a suae vitae primordio, postquam incepit prae solito degustare divina, incipiendo et veniendo usque ad suae vitae finem, beatus Franciscus docuit alloquendo primo concaptivos cives, de qua allocutione loquitur *Legenda trium sociorum* [3] dicens, quod beatus Franciscus, dum esset cum pluribus civibus

(*a*) As *dignissima*. — (*b*) As et edd. *hic*. — (*c*) As *sua doctrina*.

[1] II Cel. 3, 47. — [2] C. 11 n. 2. — [3] N. 4.

captus a Perusinis et esset carceri mancipatus, nec de hoc tristaretur, sed potius gauderet, reprehensus super hoc ab uno de sociis eum dicendo insanum, beatus Franciscus respondit: « Quid putatis de me? adhuc adorabor per totum mundum »; ubi ostendit, quid de eo Deus disposuerat, sibi esse a Deo indicatum.

Secundo allocutus est matrem. Cum enim mensam parando semper panibus adimpleret, interrogatus a matre, cur tot panes apponeret, respondit se hoc facere pro eleemosynis dandis pauperibus, eo quod proposuerat omni petenti pro Deo eleemosynas elargiri [1]; ubi sui pectoris pietatem ad pauperes declaravit.

Tertio allocutus est socios saeculares. Qui cum post coenam laute paratam per civitatem incedendo visitatus a Domino se firmasset in quodam loco totus a sensibus alienatus, ut se abinde nullo modo posset pro tunc movere, interrogatus ab ipsis, quid cogitaverat, quia post ipsos non abierat, « forsitan, inquiunt, uxorem accipere cogitasti »? respondit: « Verum dixistis; quia nobiliorem ac ditiorem et pulchram magis, quam unquam videritis, accipere cogitavi [2] »; ubi ostendit, quod de religione, quam fecit prae aliis celsiorem, Deus eidem notitiam prius indidit.

Quarto allocutus est virum quendam spiritualem, in *Legenda trium sociorum* [3]. Dum iret circa ecclesiam sanctae Mariae beatus Franciscus plangendo et eiulando alta voce, interrogatus a quodam viro spirituali eum audiente, cur fleret, respondit: « Plango passionem Domini mei, pro quo non deberem verecundari alta voce ire plorando per totum mundum »; ubi affectum ostendit, quem ad Crucifixum haberet, adhuc in habitu exsistens saeculari.

Quinto episcopum Assisinatem allocutus est, dum saecularis adhuc esset. Cum enim episcopo pater conquestus esset de beato Francisco ob pecuniam, quam beatus Franciscus proiecerat in quandam fenestram, sacerdote eam non audente recipere, pro reparatione ecclesiae sancti Damiani, episcopus dixit beato Francisco: « Pater tuus est turbatus contra te et scandalizatus, redde illi pecuniam, quam habes; quae, quoniam forte est de iniuste acquisitis, non vult Deus, ut eroges in opus ecclesiae; habeas ergo, fili, fiduciam in Domino, et viriliter age, nolique timere; quia ipse erit adiutor tuus, et pro ecclesiae suae opere abundanter tibi necessaria ministrabit ». Respondit beatus Franciscus: « Domine, non tantum pecuniam, quae est de rebus suis, volo ei reddere gaudenti animo, sed etiam vestimenta [4] »; in quo verbo beatus Franciscus vilipendere cuncta terrena Dei amore ostendit.

Sexto patrem suum carnalem allocutus est, quando coram episcopo non solum iuri (*a*) paternae abrenuntiavit hereditatis, sed vestimenta reddendo, patri dixit: « Usque nunc te vocavi patrem in terris, amodo secure dicere possum: *Pater noster, qui es in caelis* [5] »; ubi beatus Franciscus ostendit toto affectu mundanis abrenuntiasse.

Septimo latrones allocutus est. Interrogatus in medio nemoris ab eis, quis esset, respondit: « Praeco sum magni regis [6] »; ubi spiritu cognovit, se dirigi a Domino ad viam Domino praeparandam in fidelium cordibus.

Octavo cives suos Assisinates allocutus est pro aedificatione ecclesiae sancti Damiani, petendo ab eis subsidium, dicens: « Qui mihi dederit unum lapidem, unam

(*a*) As *iura*.

[1] *Leg. mai.*, c. 1 n. 1. — [2] *Leg. 3 soc.* n. 7. — [3] N. 14. — [4] *Leg. 3 soc.* n. 19. — [5] *Leg. mai.*, c. 2 n. 4. — [6] L. c. c. 3 n. 5.

mercedem habebit; qui duos dederit, duas habebit mercedes; qui tres, tres habebit [1] »; ubi ostendit, nihil immeritum, si fiat ad Dei honorem, apud Deum esse.

Nono fratrem carnalem allocutus est; qui tempore magni algoris videns beatum Franciscum male indutum, dixit socio, ut ab ipso beato Francisco peteret sibi vendi unam nummatam de sudore suo. Respondit beatus Franciscus: « Ego care vendam Domino sudorem istum [2] »; ubi ostendit inaestimabili mercede a Domino compensandum, quidquid ob sui reverentiam supportatur penuriae et tribulationis.

Decimo fratrem Bernardum allocutus est. Primo, quando de sero hospitatus cum eo beatum Franciscum vidit devote orantem dicere: « Deus meus et omnia ». Ipse tunc dominus Bernardus dixit beato Francisco: « Si quis haberet a Domino suo multa vel pauca, quae tenuisset per multos annos et nollet ea amplius retinere, quid de ipsis agere posset, quod melius esset »? respondit beatus Franciscus, quod Domino suo ea deberet reddere, a quo ea recepisset; et dominus Bernardus insuper diceret, quod omnia bona sua temporalia vellet erogare amore Domini mei, qui ea mihi contulit, et hoc de consilio tuo; cui beatus Franciscus ait, quod hoc erat arduum, sed a Domino requirendum. Et cum ambo perrexissent ad ecclesiam per orationem divinum placitum postulantes, beato Francisco librum evangeliorum ter aperiente, in prima apertione occurrit illud: *Si vis perfectus esse, vade et vende* etc.; in secunda: *Nihil tuleritis in via;* in tertia: *Qui vult post me venire abneget semetipsum* etc.; inquit beatus Franciscus: « Vade et perfice, sicut audisti »; ubi beatus Franciscus ostendit, se in omnibus et suos voluisse in omnibus divinae voluntati conformare. Secundo allocutus est fratrem Bernardum, quando eidem mandavit ad conterendam suam audaciam, ter transeundo de latere ad latus, ponendo pedem super guttur ipsius, de quo habetur supra conformitate VIII in secunda parte [3]. Tertio fratrem Bernardum allocutus est beatus Franciscus veniendo ad mortem benedicendo eum, ut habitum est conformitate VIII. Et sicut in secunda allocutione fratris Bernardi a beato Francisco, beatus Franciscus summam patefecit sui cordis humilitatem, sic et in tertia allocutione suam ad ipsum patefecit benevolam paternitatem et caritatem (*a*).

Undecimo fratres, quando pauci erant, allocutus est, eos confortando et praedicendo, eos in brevi multiplicandos per introitum multorum ad ordinem; ac eos informando de regno Dei, abnegatione sui et corporis castitate (*b*) plura docuit et deprompsit. Sed fratribus ad numerum duodenarium iam perventis, allocutus est beatus Franciscus eos roborando et denuntiando, dominum papam se eis inclinaturum regulam approbando. Post vero regulae approbationem beatus Franciscus allocutus est et alios: primo docendo eos orare dicendo *Pater noster* et « Adoramus te, Christe, ad omnes ecclesias tuas, quae sunt in toto mundo; quia per sanctam crucem tuam redemisti mundum »; secundo Crucifixum semper meditari, et hoc ponitur [in] IV parte *Legendae* [4]; tertio qualiter stantes et per mundum incedentes deberent incedere et conversari, ut dictum est supra conformitate XI [5]; quarto allocutus est ostendendo, necessitati corporis satisfacere dicens esse difficile et pronitati sensuum non parere, parte V

(*a*) As *humilitatem*. — (*b*) As et edd. *castigatione*.

[1] *Leg. 3 soc.* n. 21. — [2] II Cel. 1, 7. — [3] Pag. 179 sqq. — [4] *Leg. mai.*, c. 4 n. 3. — [5] Pag. 498.

[*Legendae*]; quinto dixit veste multiplici non uti, si flamma caelestis desiderii contingeretur interius, parte V; sexto mulierum consortia et colloquia dixit vitanda omnino, excepta confessionis causa, parte V; septimo otium, sentinam omnium malorum, effugiendum a fratre censebat, et laboribus assiduis carnem esse domandam, ibidem; octavo silentium observandum, cavendum (*a*) ab omni verbo otioso, tanquam de ipso in die iudicii reddituros rationem, ibidem; nono abstinentiam, sine discretione si fiat, nihil valere, ibidem; decimo, quantum est homo in oculis Dei, tantum est et non plus, parte VI; undecimo fugiendam omni modo laudem humanam, et neminem dixit laudandum, cuius incertus est exitus, ibidem; duodecimo obedientiae colla submittenda, utpote sic faciendo nullum tempus transit sine fructu et lucro, ibidem; decimo tertio subditus praelatum considerare non debet, sed illum, cuius est ratione subiectus, ibidem; decimo quarto fratres Minores vocari dixit, ne maiores fieri praesumant, ibidem; decimo quinto, non in curiis praelatorum, sed in locis fratrum pauperrimis esse, Deo est magis acceptum, ibidem; decimo sexto paupertatem spiritualem (*b*) viam esse salutis, quae virtus hominem amicum magis reddit Christo, parte VII; decimo septimo sacrae religionis ingressum ab illo verbo evangelii inchoandum: *Si vis perfectus esse, vade et vende omnia, quae habes, et da pauperibus* etc., ibidem; decimo octavo pecuniam servis Dei non esse aliud quam diabolus et coluber, ibidem; decimo nono fratri Minori ad verecundiam esse videre pauperiorem se; vigesimo intentionem suam esse et fuisse, quod nullus frater deberet habere, nisi vestimentum, sicut regula concedit, cum cingulo et femoralibus; in libro, qui intitulatur *Speculum perfectionis*, de paupertate, c. 2 et 3; vigesimo primo nihil Deo acceptius dixit animarum salute, et quod magis trahitur exemplo quam verbo, parte VIII; vigesimo secundo in paupere quolibet Christum docebat fratres videre et attendere (*c*), ibidem; vigesimo tertio orationis gratiam peroptandam esse a viro dixit religioso, quia sine ipsa in Dei servitio prosperari (*d*) credebat neminem, parte X; vigesimo quarto, quod, quae Deus revelat, non sunt palam facienda, nisi prout divinus instinctus suggerit, et salus expetit aliorum, ibidem. De multis aliis fratres generaliter informavit, et quia per capitula ponam ipsius verba, dimitto hanc partem ulterius prosequi, et praemissa posui succincte hac de causa.

Duodecimo allocutus est beatus Franciscus fratrem Aegidium, ut dicit *Legenda trium sociorum* [1], dicens: « Nostra religio similis est piscatori, qui mittit retia sua in aquam capiens piscium multitudinem copiosam, et parvos in aqua relinquens, magnos eligit in vasa sua ». Cui ordinis dilatationem praedixit, etsi quatuor fratres tunc et non plures essent. Vice alia frater sanctus Aegidius interrogavit beatum Franciscum, si aliquid est terribile in mundo, quod homo per *Pater noster* non posset sustinere. Respondit beatus Franciscus: « Diabolus est. Nullus eum respiciendo posset sustinere dicendo medium *Pater noster*, quin statim moreretur, nisi Dei subsidio iuvaretur [2] »; quod verbum deberet quemlibet christicolam ad dimittendum opera diaboli animare.

Decimo tertio papam dominum Innocentium III. Dum enim ad ipsum perrexisset, ut sibi vitam evangelicam, quam acceperat, confirmaret, et summo pontifici ac car-

(*a*) As et edd. *cavendo*. — (*b*) Edd. *specialem*. — (*c*) As addit *neminem*, edd. add. *neminem contemnendo*. — (*d*) As et edd. add. *non*.

[1] N. 33. — [2] *Vita B. Aegidii* (ed. Lemmens), n. 7; *Chron. 24 gen.*, pag. 96.

dinalibus nimis appareret austerum, respondit beatus Franciscus: « Non est formidandum, quod fame pereant aeterni Regis filii et heredes, qui ad imaginem regis Christi per Spiritus sancti virtutem sunt de paupere matre nati, et ipsi per spiritum paupertatis sunt in religione paupercula grandi (*a*). Nam, si suis imitatoribus Christus regnum promittit aeternum, quanto magis illa subministrabit, quae communiter largitur bonis et malis [1] »? Ubi beatus Franciscus omnem diffidentiam a cordibus abiicit suorum filiorum respectu temporalium pro victu consequendorum, dummodo in Dominum suum totum iactent cogitatum.

Decimo quarto dominum papam Honorium, dum regulam, qua utimur, sub bulla ab eo obtinuit; protectorem dominum Ugolinum episcopum Ostiensem a beato Francisco in protectorem ordinis petitum concessit; ac indulgentiam Portiunculae a beato Francisco ex parte Dei petitam dedit, et demum, viso miraculo rosarum albarum et rubearum de mense Ianuarii, diem pro dicta indulgentia determinavit; et cum papa diceret, quod sibi bullam vellet dare, respondit beatus Franciscus, quod nolebat aliquam (*b*) chartam, nisi verbum suum; « nam charta erat beata Maria, notarius Christus, et testes sancti angeli »; quo innuit, quod verbo apostolico in factis animae est standum firmiter et credendum.

Decimo quinto corpus proprium alloquendo, eum fratrem asinum appellabat dicens, chorda ipsum verberando fortissime: « Frater asine, sic te decet manere, sic subire flagellum; si quo vis pergere, perge »; ubi ostendit, corpus nostrum flagellis domandum, ne ad rationem sedandam (*c*) exorbitet quandoque, parte V [2].

Decimo sexto medicum allocutus est suadentem, ut abstineret a lacrymis, si corporei visus caecitatem vellet effugere, dicens respondendo: « Non est, frater medice, ob amorem luminis, quod commune habemus cum muscis, visitatio lucis aeternae repellenda vel modica; quia non spiritus propter carnem, sed caro propter spiritum beneficium lucis accepit », parte V [3]; ubi innuit hominem Deo deditum malle debere lumen corporeum amittere, quam intuitum mentalem offendere in aliquo, quo Deus, ipse spiritus, devotione videtur.

Decimo septimo ferrum, dum a medico in eius carnem ignitum profundari deberet, dicens: « Mi frater ignis, esto mihi in hac hora (*d*) propitius, esto curialis; precor Dominum meum, qui te creavit, ut tuum mihi calorem temperet, quo suaviter urentem valeam sustinere [4] »; quod et fecit; ubi beatus Franciscus ostendit, creaturam Creatori divino famulari imperio et sui perfecti cultoris.

Decimo octavo socium allocutus est, et hoc multipliciter: primo ostendendo iniuriis delectari, socio, ut sibi diceret, iniungendo; secundo statum veri humilis pandendo, videlicet corporis mortui; tertio se maximum peccatorum eidem asserendo; quarto, ut daemones discederent a civitate Aretii, imperando; quinto, quod non conversaretur libenter cum magnatibus, informando; haec habentur parte VI *Legendae;* sexto hostis deceptionem in bursa pecuniam praetendentem demonstrando, parte VII *Legendae;* septimo paupertatis speculum plus debet esse frater Minor, quam aliquis pauper de mundo, ibidem; octavo danda sunt, quae habet frater, si quando invenit se pauperiorem, quia sibi sunt non data, sed mutuata, ibidem; nono promissa cui-

(*a*) As *grandes;* in *Leg. mai.* c. 3 n. 10 *generandi.* — (*b*) As et edd. *aliam.* — (*c*) As et edd. *sequendam.* — (*d*) As et edd. *hoc.*

[1] *Leg. mai.*, c. 3 n. 10. — [2] *Leg. mai.*, c. 5 n. 4, — [3] L. c. c. 5 n. 8. — [4] L. c. n. 9.

cumque sunt observanda, si adsit facultas, exemplo, quando oravit pro abbate sancti Iustini, X parte *Legendae* [1]; decimo eidem pandendo casum christianorum, si auderent cum saracenis dimicare, ut dicit XI pars *Legendae* [2]; undecimo se prae aliis poenitentiam exercere debere, utpote datum in exemplum fratribus a Christo et aliis, declarando, ut dicitur in *Speculo perfectionis*, c. II, de perfectione paupertatis, c. 16 [3]; duodecimo docuit socium, ut pauperem vestiret, nudos remanere non esse verecundum, ibidem, de perfectione caritatis ad proximum, c. III [4]; decimo tertio furtum dixit esse, si frater Minor pauperiorem se inveniendo non statim de mantello vel tunica, si posset, eidem non subveniret; decimo quarto in paupere quolibet Christum repraesentari dixit, qui nostram paupertatem assumpsit et infirmitatem, ut habetur ibidem c. 11 [5], et in *Legenda maiori*, parte VII. Socios etiam allocutus est, parte VI [*Legendae*], dicens suo exemplo, cuilibet esse obediendum, quia ita paratus ipse novitio obedire, sicut discretissimo et antiquissimo fratri.

Decimo nono allocutus est dominum Ugonem, quem alii dicunt Ugolinum, tunc cardinalem Ostiensem et postmodum dominum Gregorium papam IX. Hunc allocutus est beatus Franciscus, primo respondendo ipsi domino dicenti sibi, quod nolebat, quod ipse beatus Franciscus ad Franciam iret; cui beatus Franciscus: « Domine, magna verecundia est mihi, cum miserim alios fratres meos ad remotas provincias, si remansero in istis provinciis, et non ero particeps tribulationum, quas ipsi propter Deum sunt passuri »; ubi beatus Franciscus ostendit, quod praelatus in laboribus subditorum per participationem debet esse conformis. Et cum dominus cardinalis diceret: « Cur misisti fratres tuos tam longe ad moriendum fame et ad tribulationes alias sustinendas »? respondit beatus Franciscus cum magno fervore: « Domine, putatis vos, quod solummodo propter istas provincias miserit Dominus fratres? Sed dico vobis in veritate, quod Dominus elegit et fratres misit propter profectum et salutem animarum omnium hominum huius mundi, et non solum in terris fidelium, sed in terris infidelium recipientur et multas animas lucrabuntur [6] »; ubi beatus Franciscus, ad quid ipsum Deus miserit cum suis, expressit, et se habuisse notitiam de fiendis per fratres clare deprompsit. Secundo cum dominus Ostiensis submissione fratrum diceret beato Francisco, quod sequeretur consilia fratrum sapientum, et se aliquando duci ab eis permitteret, beatus Franciscus nihil respondens, sed accipiens eum per manum duxit ad fratres in capitulo congregatos, et sic locutus est beatus Franciscus fratribus in fervore et virtute Spiritus sancti: « Fratres mei, fratres mei, Deus vocavit me per viam simplicitatis et humilitatis, et hanc viam ostendit mihi in veritate pro me et pro illis, qui volunt mihi credere et me imitari; et ideo nolo, quod nominetis mihi aliquam regulam neque sancti Benedicti neque sancti Bernardi nec aliquam aliam viam et formam vivendi praeter illam, quae mihi est ostensa a Domino misericorditer et donata. Et dixit mihi, quod volebat, me esse unum magnum pazzum (*a*) in hoc mundo, et noluit vos ducere per aliam viam, quam per istam scientiam. Sed per vestram scientiam et sapientiam Deus vos confundet. Et ego confido in castaldis Domini, id est daemonibus, quod per ipsos puniet vos Dominus, et adhuc redibitis

(*a*) As et edd. *fatuum*.

[1] C. 10 n. 5. — [2] C. 11 n. 3. — [3] L. c. (ed. Sabatier) pag. 34. — [4] L. c. pag. 58. — [5] L. c. pag. 68. — [6] *Spec. perf.*, c. 65 (pag. 121).

ad vestrum statum cum vituperio vestro, velitis, nolitis[1] ». Tunc cardinalis obstupuit valde et nihil respondit, et omnes fratres timuerunt valde. Ubi beatus Franciscus expressit modum vivendi fratrum, et quid Deus ultimo faciet fratribus male in hoc ordine viventibus. Tertio respondit dicto domino cardinali dicenti beato Francisco, ut dicit VI pars *Legendae*[2], si sibi placeret, quod fratres sui promoverentur (*a*) ad dignitates ecclesiasticas; cui beatus Franciscus respondit dicens: « Domine, minores ideo vocati sunt fratres mei, ne maiores fieri praesumant. Si vultis, inquit, ut faciant fructum in ecclesia Dei, tenete ipsos et conservate in statu vocationis eorum, et ad praelationes ecclesiasticas nullatenus ascendere eos permittatis »; ubi Franciscus docuit, quod in humilitate est status veri fratris Minoris. Quarto locutus est dicto domino Ostiensi, ut habetur in VII parte *Legendae*[3]. Cum enim comesturus beatus Franciscus in eius hospitio pro eleemosyna prius eundo frustra panis acquisiti ad mensam domini cardinalis detulisset, et cardinalis dixisset beato Francisco, quod sic faciendo suo derogasset honori, respondit beatus Franciscus: « Magnum, mi Domine, vobis honorem exhibui, dum maiorem Dominum honoravi »; et de hoc dicetur infra conformitate XVI; ubi ostendit, fratrem Minorem pro eleemosyna libenter debere ire velle, Dominum Iesum pauperem in hoc mundo imitando. Fuit etiam allocutus hunc dominum Ostiensem, cum voluit esse frater Minor, ut dictum est supra conformitate IX parte II[4].

Vigesimo fratrem Pacificum est allocutus. Cum enim idem frater orasset in ecclesia beati Petri de Bovario (*b*) iuxta castrum Trevii, et positus in ecstasi eidem esset revelatum, sedem luciferi reservari humili Francisco, volens post visionem humilitatem beati Francisci experiri, dixit, quaerendo ab eo, quid de se ipso sentiret; cui beatus Franciscus: « Videor mihi, ait, maximus peccatorum ». Et cum frater Pacificus diceret, quod salva conscientia hoc dicere nec sentire posset, respondit: « Si quantumcumque sceleratum hominem tanta fuisset Christus misericordia prosecutus, arbitror sane, quod multo plus quam ego Deo gratior esset », parte VI *Legendae*[5]; ubi ostendit dicto fratri se in vera humilitate fundatum.

Vigesimo primo allocutus est beatus Franciscus fratres Leonem, Massaeum, Rufinum, Riccerium et Peregrinum; de qua allocutione habes supra conformitate VIII: de tribus primis in tractatu de provincia sancti Francisci, de duobus aliis in tractatu de provincia Marchiae.

Vigesimo secundo allocutus est beatam Claram; qua allocutione omnibus mundanis ipsa abrenuntiavit, prout eius dicit legenda, et Christo sponso per omnia se iungendo. Eandem beatus Franciscus allocutus est iuxta finem, et hoc per internuntium, mittendo eidem, quod ipsum una cum sororibus videret ad eorum gaudium et consolationem[6]; sicque factum est; quia post mortem beati Francisci corpus eius deductum est ad sanctum Damianum, et sic ipsa cum sororibus cum magna devotione et gaudio eum viderunt.

Vigesimo tertio allocutus est episcopum Imolae, parte VI *Legendae*[7], petendo, ut cum ipsius licentia populo ipsius praedicare liceret; quod (*c*) concedere noluit. Ad

(*a*) As *promoveret*. — (*b*) As *Bonario*. — (*c*) As et edd. *qui*.

[1] L. c. c. 68 (pag. 132). — [2] C. 6 n. 5. — [3] C. 7 n. 7. — [4] Pag. 454. — [5] C. 6. n. 6. — [6] *Spec. perfectionis*, c. 108. — [7] C. 6 n. 8.

quem secundo beatus Franciscus ingressus, quid vellet, iterato requisitus, humiliter respondendo inquit: « Domine, si pater filium uno pepulerit ostio, alio sibi reintrandum est »; cui episcopus eum amplexando dixit: « Tu et omnes fratres tui de cetero in episcopatu meo generali mea licentia praedicetis; quia illud humilitas tua sancta promeruit »; quo clarescit de humilitate Francisci exemplum speciale.

Vigesimo quarto fratrem Silvestrum.* Cum quo dum Aretium pervenisset, et totam civitatem plenam daemonibus beatus ipse Franciscus videret et populum ad mutuam necem incedentes (*a*), ei fratri Silvestro dixit: « Vade ante portam civitatis, et ex parte Dei omnipotentis daemonibus in virtute sanctae obedientiae praecipe, ut exeant festinanter »; quod ille faciens, ad pacem, daemonibus effugatis, civitas ipsa statim rediit; ubi claruit, quantum valuit Francisci imperium ad arcendum daemonum infrunitatem (*b*). Haec habentur parte VI *Legendae* [1].

Vigesimo quinto virum quendam de Marchia est allocutus, qui frater Minor esse volebat. Cui cum diceret verbum evangelicum, quod venderet omnia et pauperibus daret, et sic eum ad ordinem reciperet; ille vero parentibus suis distribuens sua bona et nihil pauperibus, a beato Francisco sub hac allocutione repulsus est dicendo: « Vade viam tuam, frater musca; quoniam nondum existi de mundo et cognatione tua. Consanguineis tuis dedisti tua et defraudasti pauperes; dignus non es iungi pauperibus sanctis; incepisti a carne, ruinosum fundamentum spirituali fabricae collocasti »; ubi apparet, quam severus fuit in recipiendo ad ordinem fratres inexpropriatos (*c*), ut sanctum evangelium docet [2]. Habetur hoc parte VII *Legendae.*

Vigesimo sexto allocutus est fratrem Petrum Cathanii suum vicarium. Qui, cum fieri fecisset in loco sanctae Mariae de Portiuncula parvam domum ad officium dicendum et comedendum (*d*) ob fratrum multitudinem illuc accedentium, eidem beatus Franciscus dixit: « Frater, locus iste est forma et exemplum totius religionis. Et ideo prius (*e*) volo, quod fratres huius loci tolerent tribulationes et incommoda Dei amore, et alii fratres, qui huc veniunt, reportent bonum exemplum paupertatis ad loca sua, quam si isti haberent consolationes suas plenarie; et alii sumerent exemplum aedificandi in locis suis dicentes: ,In loco sanctae Mariae de Portiuncula, qui est primus ordinis locus, fiunt talia et tanta aedificia; bene etiam possumus et nos aedificare in locis nostris' ». Hoc habetur in *Speculo perfectionis*, de paupertate c. 2 [3]; ubi patet, quod beatus Franciscus habitacula humilia dilexerit et locum sanctae Mariae praefatum. Vice alia dictum suum vicarium, dum peteret a beato Francisco licentiam, quod bona intrantium ordinem aliqua posset servare, ut fratribus de eisdem posset provideri ad locum sanctae Mariae accedentibus, allocutus est dicens: « Absit, inquit, a nobis, frater carissime, ut pro quovis homine impie agamus in regulam; malo, te altare Virginis gloriosae nudare, cum necessitas id requirit, quam contra paupertatis votum et observantiam evangelii aliquid vel modicum attentare. Gratius enim habebit virgo Maria, sancti evangelii perfecte servato consilio, suum altare detegi, quam altari vestito, Filii sui promissum consilium praetermitti »; quo (*f*) affectum ostendit ad paupertatis observantiam, et parere divinis consiliis quantum placeat sanctis. Hoc habetur parte VII *Legendae* [4]. Hunc etiam allocutus est, ut fratrem ab

(*a*) As *intercedentes,* edd. *incedentem.* — (*b*) As et edd. *infirmitatem.* — (*c*) Edd. *expropriatos.* — (*d*) As et edd. *quiescendum.* — (*e*) As et edd. *potius.* — (*f*) As et edd. addunt *dicto.*

[1] C. 6 n. 9. — [2] C. 7 n. 3. — [3] Pag. 18. — [4] C. 7 n. 4.

alio infamatum, si inveniret culpabilem, puniret; sin autem, inquit: « Surge, surge, discute diligenter; et si accusatum fratrem innocentem repereris, accusantem dura correctione cunctis redde notabilem »; ubi sibi displicere summopere ostendit vitium detractonis. Ponitur hoc in parte VIII *Legendae* [1].

Vigesimo septimo nuntios Assisinates, qui, cum eum de Nuceria Assisium reducerent, et in villa, quae Satrianum dicitur, vellent pro pecunia corporis necessaria emere nec invenirent, beatus Franciscus allocutus est dicens: « Ideo nihil invenistis, quia plus in muscis vestris quam in Deo confiditis »; muscas denarios vocavit; « sed revertimini, inquit, per domos, quas circuistis, et Dei amorem offerentes pro pretio, humiliter eleemosynam postulate »; quod et facientes invenerunt plura pro Dei amore quam pro denariis; ubi ostendit Deus, quantum facit de se confidentibus, et quam promptus erat implere Francisci promissum. Hoc habetur parte VII *Legendae* [2].

Vigesimo octavo sitientem quendam, cuius vehebatur asello, cum sitis aestuaret ardore ac diceret: « Heu morior siti, nisi poculi alicuius beneficio refociller », beatus Franciscus allocutus est dicens, oratione praemissa: « Festina ad petram, et illic aquam vivam invenies, quam tibi hac hora misericorditer Christus de lapide bibendam produxit »; sic et fecit. Ubi vide clementiam beati Francisci et condescensionem ad beatum Franciscum miserationis divinae. Habetur parte VII *Legendae* [3].

Vigesimo nono dantes bonum exemplum et oppositum etiam peragentes allocutus est, primos benedictionis multiplicis accumulando eloquiis; secundos vero maledictionem eis imprecando (*a*) dixit: « A te sanctissime Domine et a tota caelesti curia et a me parvulo tuo sint illi fratres maledicti, qui suo malo exemplo confundunt et destruunt, quod per sanctos fratres huius ordinis aedificasti et aedificare non cessas [4] ». Qua maledictione ostendit beatus Franciscus, se zelum maximum habuisse ad ordinem suum, et formidandum est eius maledictionem incurrere; quae, quia data est tanta deliberatione et non sine divina voluntate, quare credendum, a Deo sic sancitum in caelo, quod a beato Francisco sic est prolatum in mundo.

Trigesimo allocutus est beatus Franciscus aves, in VIII parte *Legendae* [5], dum cantu avicularum incitatus beatus Franciscus, dum esset in paludibus Venetiarum, diceretque ad socium (*b*): « Sorores aves laudant Creatorem suum, nos in medio earum euntes laudes et horas canonicas Domino decantemus »; sed quia propter garritum earum in dicendis horis mutuo se intelligere non poterant, dixit beatus Franciscus ad aves: « Sorores aves, a cantu cessate, donec Deo laudes debitas persolvamus »; et statim tacuerunt; sed officio completo, data cantandi iterato licentia, cantum suum more solito assumpserunt. In XII parte *Legendae* [6], inveniendo iuxta Bevanium avium multitudinem salutavit primo, deinde allocutus eas dixit: « Fratres mei volucres, multum debetis laudare Deum Creatorem vestrum, quia plumis vos induit, et pennas tribuit ad volandum, puritatem concessit aeris, et sine vestra sollicitudine vos [pascit et] gubernat »; ubi ostendit, se totum affectum ad Conditorem omnium semper habuisse, ad quem laudandum sic creaturas inducebat, non solum praeditas ratione, sed etiam carentes.

(*a*) As *impetrando*. — (*b*) As *socios*.

[1] C. 8 n. 4. — [2] C. 7 n. 10. — [3] C. 7 n. 12. — [4] II Cel. 3, 93. — [5] C. 8 n. 9. — [6] C. 12 n. 3.

Trigesimo primo daemones allocutus est, parte X *Legendae* [1], dum in oratione a diabolo perturbaretur aliquando, dicens ad daemones: « Facite in me, quidquid valetis, maligni spiritus et fallaces. Ex parte Dei omnipotentis dico vobis, ut exerceatis circa corpus meum quidquid datum vobis fuerit a Domino nostro Iesu Christo, quoniam paratus sum ad omnia sustinenda. Cum enim maior inimicus, quem habeam, sit corpus meum, vindicabitis me de adversario meo et pessimo inimico ». Quam constantiam non ferentes daemones, victi abscedebant; et quia sic eos vicit singulari certamine, demum solo verbo effugavit, ut dicit pars *Legendae* VI et XII.

Trigesimo secundo allocutus est beatus Franciscus soldanum Babyloniae. Et quia de ista allocutione dicetur plene infra conformitate XXXVIII, idem ad [praesens] dimitto. De allocutione soldani a beato Francisco habetur in IX parte *Legendae.*

Trigesimo tertio allocutus est beatus Franciscus sibi familiares, X parte *Legendae* [2], informans eos, quomodo se debent habere, dum in oratione visitatur quis a Domino, dicens: « Quando servus Dei visitatur divinitus, dicere debet: ‚Istam consolationem mihi peccatori et indigno de caelo misisti, Domine, et ego illam tuae committo custodiae; quia thesauri tui me sentio esse latronem'. Cum autem ab oratione revertitur, sic debet se pauperculum et peccatorem ostendere, acsi nullam sit gratiam consecutus ». Quo ostendit, quod humilitatem, quae datur nobis a Domino, ab ipso conservatur.

Trigesimo quarto abbatem sancti Iustini de Perusio, parte *Legendae* X [3], cum ille se beato Francisco, ut pro se oraret, recommendasset, beatus Franciscus allocutus est dicens: « Orabo libenter », quod et fecit statim; et tunc abbas in excessu mentis effectus insolitum calorem sensit atque dulcedinem; ubi beatus Franciscus expressit, suis precibus aures adesse divinas.

Trigesimo quinto ad distinctos (*a*) fratres beatus Franciscus verba specialia (*b*) suae direxit locutionis. Ad fratrem quendam non orantem nec laborantem nec volentem ire pro eleemosyna, sed bene comedentem, beatus Franciscus dixit: « Vade viam tuam, frater musca; quoniam vis comedere laborem fratrum tuorum, et esse otiosus in opere Dei »; et emisit eum [4]. — Alium, quem docuerat incedendo per viam, ut diceret: « Dominus det tibi pacem », et cum nonnulli (*c*) de hac salutatione turbarentur, beatus Franciscus informavit dicens: « Dimitte illos dicere, quia non percipiunt, quae Dei sunt. Et noli inde verecundari, quoniam adhuc modicum, et multi nobiles et principes huius mundi de hac salutatione tibi et aliis fratribus reverentiam exhibebunt [5] ». — Quendam alium interrogantem beatum Franciscum, cur sic fratres a sua cura reiiceret, alloquendo sic respondit: « Fili mi! ego fratres diligo, sicut possum; sed si mea sequerentur vestigia, ipsos utique plus amarem, nec me illis rederem alienum. Sed sunt quidam de numero praelatorum, qui ad alia trahunt eos proponentes illis antiquorum exempla, et parum mea monita reputantes; sed quid et qualiter ipsi nunc agant, in fine clarius apparebit [6] ». — Alteri fratri dicenti sibi, cur non corrigebat defectus, qui fiebant in ordine, respondit beatus Franciscus dicens: « Dominus indulgeat tibi frater, quoniam vis esse mihi contrarius atque me implicare in his, quae non spectant ad

(*a*) As *distractos.* — (*b*) Edd. *spiritualia.* — (*c*) As *multi.*

[1] C. 10 n. 3. Cfr. II Cel. 3, 63. — [2] C. 10 n. 4. — [3] C. 10 n. 5. — [4] *Spec. perfectionis* (ed. Sab.), c. 24. — [5] *Spec.* cit. c. 26. — [6] *Spec.* cit. c. 41.

officium meum; quousque enim habui praelationis officium super fratres, et ipsi permanserunt in vocatione et professione sua; licet a principio meae conversionis semper infirmus fuerim, cum parva mea sollicitudine satisfaciebam eis exemplis et praedicatione. Sed postquam consideravi, quod Dominus multiplicavit numerum fratrum, et ipsi propter tepiditatem et inopiam spiritus incipiebant declinare a via recta et secura, per quam consueverant ambulare, et per ampliorem viam incedentes, quae ducit ad mortem, non attendebant vocationem et professionem suam et bonum exemplum, nec volebant dimittere iter periculosum et mortiferum, quod inceperant propter praedicationem et admonitionem meam et exemplum meum, quod illis continue ostendebam, ideo recommendavi religionis praelationem et regimen Domino et ministris. Unde, licet tempore, quo renuntiavi officio praelationis fratrum, excusarem me coram fratribus in capitulo generali, quod propter infirmitates meas curam de ipsis habere non poteram, tamen, si secundum voluntatem meam fratres vellent ambulare, nunc propter ipsorum consolationem et utilitatem nollem, quod alium ministrum haberent nisi me usque in diem mortis meae. Ex quo enim fidelis et bonus subditus voluntatem praelati sui cognoscit et observat, parvam sollicitudinem oportet praelatum habere de illo. Immo tantum gauderem de bonitate fratrum propter lucrum ipsorum et meum lucrum, quod, si iacerem in lecto infirmus, non me pigeret satisfacere eis; quia officium meum, scilicet praelationis, est spirituale tantum, videlicet dominari vitiis et ipsa spiritualiter corrigere et emendare; [postquam autem ipsa corrigere et emendare] non possum praedicatione, admonitione et exemplo, nolo (*a*) carnifex fieri ad puniendum et flagellandum, sicut potestates huius saeculi; verumtamen usque ad diem mortis meae non cessabo saltem exemplo et bona operatione docere fratres ambulare per viam, quam mihi Dominus ostendit, quam et ego iam docui et ostendi eis verbo et exemplo, ut sint inexcusabiles coram Domino, et ego non tenear de ipsis ulterius coram Domino reddere rationem [1] ». Ubi ostendit beatus Franciscus, quid agendum sit, et praesertim hoc in tempore, ut bono exemplo doceat fratres, et de correctione, si non est praelatus, nullatenus se intromittat. — Alium fratrem iuvenem, cum interrogasset beatus Franciscus, ut dicit XI pars *Legendae* [2], qualiter socius antiquus se circa ipsum habuisset in via, qui eidem scandala plura fecerat, et iuvenis responderet satis bene, beatus Franciscus dixit: « Cave, frater, ne sub humilitatis specie mentiaris. Scio enim, scio; sed exspecta modicum, et videbis »; ubi ostendit, pro nullius excusatione mendacio utendum esse a quoquam. — Quendam alium fratrem, ut dicit XIV pars *Legendae* [3], videndo beatum Franciscum variis infirmitatibus angustiari et dicendo beato Francisco: « Roga Deum, ut mitius tecum agat », reprehendit beatus Franciscus dicens: « Nisi in te simplicem puritatem nossem, tuum ex nunc exhorrerem consortium, qui ausus fueris circa me divina iudicia reprehensibilia iudicare »; ubi ostendit, virum Deó deditum in cunctis se voluntati divinae conformandum. Plures alios fratres particulariter allocutus est et docuit sua locutione.

Trigesimo sexto episcopum Interamnensem allocutus est beatus Franciscus; qui episcopus post praedicationem factam a beato Francisco populo suo dixit, quod te-

---

(*a*) As *volo*.

---

[1] *Spec.* cit. c. 71. — [2] C. 11 n. 13. — [3] C. 14 n. 2.

nebantur Deum diligere [laudare] et honorare et cavere a peccatis; quia per pauperem, vilem et despectum eos illustraverat, scilicet per beatum Franciscum. Cui beatus Franciscus ad pedes eius se proiiciendo dixit: « In veritate dico vobis, domine episcope, nullus homo fecit mihi unquam tantum honorem in hoc saeculo, quantum fecistis mihi hodie. Nam alii homines dicunt mihi: ‚Iste est sanctus homo', attribuentes mihi gloriam et sanctitatem et non Deo; sed vos tanquam discretus separastis pretiosum a vili [1] »; ubi ostendit beatus Franciscus, nihil velle sibi tribui de sanctitate, sed totum Deo, qui eam dat hominibus.

Trigesimo septimo magistrum in theologia Senis allocutus est, dum interrogasset eum, quomodo intelligitur illud Ezechielis [2]: *Si non annuntiaveris impio impietatem suam, sanguinem eius de manu tua requiram;* respondendo beatus Franciscus ait: « Si verbum debet generaliter intelligi, ego taliter accipio ipsum, quod servus Dei sic debet vita et sanctitate in se ipso ardere vel fulgere, ut luce exempli et lingua sanctae conversationis omnes impios reprehendat. Sic, inquam, splendor vitae eius et odor famae ipsius annuntiabit omnibus iniquitates suas [3] ». Quo verbo patet, quantum vir religiosus debet exemplo et vita nitere; cuius oppositum, ad scandalum cum sit proximorum, divinum non evadit iudicium ultionis.

Trigesimo octavo allocutus est beatus Franciscus militem apud Celanum, ut dicit XI pars *Legendae* [4], qui ipsum ad prandium invitaverat. Cui beatus Franciscus mortem statim futuram praedixit, ut confiteretur, admonuit, et se ad mortem, quantum posset, suscipiendam disponeret. Quae omnia facta sunt, ut beatus Franciscus locutus fuerat.

Trigesimo nono quendam contractum (*a*), nomine Gedeonem, allocutus est, ut dicit XI pars *Legendae* [5], apud Reate, quem hoc pacto liberavit signo crucis, dicens, eum deteriora passurum, si ad vomitum rediisset liberatus. Et sic evenit eidem, cum ad vomitum luxuriae recurvatus fuisset, subita est morte oppressus.

Quadragesimo virum cuiusdam mulieris, qui uxorem non permittebat Deo, ut volebat, servire, beatus Franciscus per ipsam mulierem allocutus est dicens, nunc tempus esse misericordiae, postmodum vero aequitatis. Quo verbo audito non solum uxorem Deo permisit libere vacare, sed et ipse similiter Deo servivit [6].

Quadragesimo primo fratrem Leonardum de Assisio allocutus est, cum cordis eius vidisset arcana, ut dicit XI pars *Legendae* [7], dicens: « Non, frater, competit (*b*), ut ego equitem, tu venias pedes, quia nobilior et potentior me in saeculo fuisti »; quod frater ut audivit, sic esse asseruit, et veniam ab ipso humiliter requisivit.

Quadragesimo secundo dominum Bonaventuram de Senis allocutus est, ostendens ei, qualiter loca fratrum debent aedificari; de qua allocutione quia dicetur conformitate XVI, ad praesens hic omittitur.

Quadragesimo tertio allocutus est quendam ministrum, qui multos libros habens, de conscientia beati Francisci tenere volebat. Cui beatus Franciscus dixit: « Frater, nec volo, nec debeo, nec possum venire contra conscientiam meam et professionem sancti evangelii, quod professi sumus. Vos vultis videri ab hominibus observatores

---

(*a*) II Cel. 2, 10 *canonicus*. — (*b*) As et edd. *convenit*.

---

[1] *Spec.* cit. c. 45. — [2] Ez. 3, 18. — [3] *Spec.* cit. c. 53. — [4] C. 11 n. 4. — [5] II Cel. 2, 10 et *Leg. mai.* c. 11 n. 5. — [6] II Cel. 2, 7. — [7] C. 11 n. 8.

sancti evangelii, operibus autem vultis habere loculos [1] »; ubi beatus Franciscus ostendit, multorum librorum detentionem in fratre Minore non esse tutam, sed proprietatem arguere contra regulam specialem.

Quadragesimo quarto allocutus est beatus Franciscus beatum Dominicum. Qui, cum beatus Dominicus dixit beato Francisco: « Vellem, frater Francisce, unam religionem fieri tuam et meam, et nos in ecclesia vivere pari forma [2] », respondit beatus Franciscus, divinae esse voluntatis distinctos ordines per ipsos ordinari, ut si alicui durum videretur ordinem unum introire, ad alium posset accedere, et tali modo Deus non perderet animas fidelium, sed lucretur.

Quadragesimo quinto allocutus est beatus Franciscus nobiles de Perusio, qui eius praedicationem hastiludendo perturbabant (*a*). Quibus beatus Franciscus dixit: « Dominus exaltavit vos super vicinos vestros; propter quod inde magis deberetis recognoscere Creatorem vestrum, humiliando vos non tantum ipsi Deo, sed etiam vicinis vestris; sed elevatum est cor vestrum in superbia. Unde dico vobis, quod, nisi cito ad Deum conversi fueritis, satisfacientes illis, quos offendistis, Dominus, qui nihil relinquit inultum, ad maiorem vindictam et punitionem vestram et improperium faciet vos consurgere unum contra alium; et mota seditione et intestino bello, tantam tribulationem patiemini, quantam vestri vicini vobis inferre non possent [3] ». Et sic evenit [in brevi]; nam populares expulerunt nobiles, et mutuo se vindicarunt de se ipsis.

Quadragesimo sexto allocutus est beatus Franciscus generalem ministrum, primo describendo, qualis debeat esse; de quo in subditis capitulis fiet capitulum speciale. Secundo eidem litteram misit, quae incipit: « Fratri N. ministro. Dominus te benedicat [4] ». In qua epistola beatus Franciscus inducit eum primo ad perferendum tribulationes et patientiam habendam; ubi dicit, quod « si fratres eum verberarent, debet habere pro gratia, et ita, inquit, velis et non aliud ». Secundo ad dilectionem ipsum persequentium, dicens: « Dilige eos, qui isti faciunt tibi, et non velis aliud de eis, nisi quantum Dominus dederit tibi, et in hoc dilige eos, ut velis, quod sint meliores christiani ». Tertio, ut peccantibus fratribus misericordiam donet et offerat dicens: « Et in hoc volo cognoscere, si diligis Deum (*b*) et me servum suum et tuum, si feceris istud, scilicet quod non aliquis frater sit in mundo, qui peccaverit, quantumcumque potuerit peccare, quod, postquam viderit oculos tuos, unquam recedat sine misericordia tua, si quaerat tuam misericordiam; et si non quaerat misericordiam, tu quaeras ab eo, si vult misericordiam. Et si millies postea appareret coram oculis tuis, dilige eum plus quam me, ad hoc, ut trahas eum ad Dominum; et semper talibus miserearis ». Quarto, quod fratres peccantibus non ingerant verecundiam, sed compatiantur eisdem, et bene tractentur, dicens: « Et omnes fratres, qui scirent eum peccasse, non faciant ei verecundiam, neque detractionem, sed magis (*c*) misericordiam habeant circa ipsum et teneant multum privatum peccatum fratris sui; quia *non est opus sanis medicus; sed male habentibus* [5] ». Quinto, quod poenitentia peccantibus haec sit sola: « Vade et noli amplius peccare ».

(*a*) As *devastabant*. — (*b*) As *diligitis eum*. — (*c*) As et edd. *magnam*.

[1] *Spec.* cit. c. 3. — [2] *Spec.* cit. c. 43. — [3] II Cel. 2, 6. — [4] Cfr. *Opuscula S. P. Francisci*, pag. 108. — [5] Matth. 9, 12.

Quadragesimo septimo capitulum generale allocutus est, cui talem litteram sic incipientem transmisit: « Reverendis et multum diligendis fratribus universis [1] » etc. Ubi beatus Franciscus monet primo, ut Dei nomini, cum auditur, reverentia exhibeatur, dicens: « Nomen Domini audientes, adorate eum cum timore et reverentia proni (*a*) in terra ». Secundo ostendit fratres Minores mundo directos a Deo, ut per eos mundus cognoscat, ipsum solum esse altissimum Deum, dicens: « Quoniam ideo misit vos in universo mundo, ut verbo et opere detis testimonium voci eius et faciatis omnes scire, quoniam non est Altissimus praeter eum ». Tertio, quae promiserunt, hortatur perseveranter eos perficere dicens: « In disciplina et sancta obedientia perseverate, et quae promisistis ei, bono et firmo proposito adimplete ». Quarto cum efficacia inducit fratres ad reverentiam corporis et sanguinis Domini dicens: « Deprecor itaque omnes fratres » etc.; de hoc dicetur statim in c. 1. Quinto sacerdotes monet, ut purissimi hoc pertractent sacramentum et cum reverentia, et vita et exemplo sint prae aliis hominibus singulares, sicut dignitate exsistunt, dicens: « Rogo etiam in Domino omnes fratres meos (*b*) sacerdotes » etc.; dicetur ibidem. Sexto dignitatem ostendit Dei et humilitatem in hoc sacramento contenti dicens: « Totus homo paveat » etc.; dicetur in praefato c. 1. Septimo ostendit, quod missae in conventibus non multiplicentur, sed una sola dicatur, dicens: « Moneo praeterea et exhortor in Domino, ut in locis, in quibus morantur fratres, una tantum missa celebretur in die. Si vero in loco fuerint plures sacerdotes, sit per amorem caritatis alter contentus, audita celebratione alterius sacerdotis ». Octavo, quod verba divina in terra reperta loco congruo ponantur et decenti, dicens: « Propterea moneo fratres meos et in Christo conforto, quatenus, ubicumque invenerint verba divina scripta, sicut possint, venerentur, et quantum ad eos spectat, si non bene reposita vel inhoneste iacerent in loco aliquo dispersa, colligant et reponant ea, honorantes in sermonibus Dominum, qui locutus est ». Nono seipsum coram generali ministro et capitulo accusat in multis offendisse, et veniam petit dicens: « In multis offendi mea gravi culpa, et specialiter quia regulam, quam Domino promisi, non observavi, nec officium dixi, sicut regula praecipit, sive negligentia sive infirmitatis meae occasione, sive quia ignorans sum et idiota ». Decimo inducit fratres ad observantiam regulae et ad dicendum divinum officium cum devotione dicens: « Per omnia oro, sicut possum, generalem ministrum, ut faciat regulam ab omnibus inviolabiliter observari. Et clerici dicant divinum officium cum devotione coram Deo, non attendentes melodiam vocis sed consonantiam mentis ». Undecimo se regulam et statuta ordinis servare promittit dicens: « Ego hoc promitto firmiter custodire; et qui non servant praedicta, inquit ipse, non teneo eos catholicos, nec fratres Minores, nec volo eos videre nec eis loqui, donec poenitentiam egerint ». Duodecimo et ultimo rogat beatus Franciscus, quod generalis minister, custodes et guardiani faciant contenta in hac littera ab omnibus observari dicens: « Et custodiant hanc et litteram servent, ut nunquam perdatur, et reponant ipsam studiose ».

Quadragesimo octavo allocutus est beatus Franciscus sua littera omnes fideles christianos, et incipit: « Universis christianis, religiosis, clericis, laicis, masculis et fe-

(*a*) As *prona*. — (*b*) As *minores*.

[1] L. c. pag. 99 seq.

minabus omnibus, qui habitant in universo mundo » etc. [1]. In qua epistola beatus Franciscus primo pandit suam profundissimam humilitatem, se eorum servum dicens et subditum, paratum exhibere obsequium cum reverentia. Secundo ostendit veram ad omnes caritatem dicens, quod, cum ipse sit servus omnium, tenetur omnibus servire et omnia verba Domini administrare. Tertio miram ostendit prudentiam et probitatem ac exemplaritatem dicens, quod considerando mente, quod non omnes poterat personaliter visitare propter infirmitatem, quod litteris his praesentibus cunctos proposuit visitare, et verba, quae scribit, sua non sunt, sed Domini Iesu Christi. Quarto ostendit divinorum beneficiorum multiplicitatem, reducendo beneficia per Christum collata ad memoriam, tam de incarnatione quam de paupertate, tam de institutione sacramenti eucharistiae quam de passione. Ab illo loco hoc tangit, cum dicit: « Istud verbum Patris », ubi tangit de incarnatione; et cum dicit: « Qui cum dives esset super omnia » etc., tangit de paupertate Christi; de sacramento, cum dicit: « Et prope passionem suam celebravit » etc.; passionem tangit, cum ait: « Deinde oravit ad Patrem » etc. Quinto ad Christi imitationem inducit omnes, quia eius iugum est suave, et sic suscipientes sunt benedicti, et per oppositum non suscipientes sunt maledicti, iuxta dictum Psalmi: *Maledicti, qui declinant a mandatis tuis* [2]. Sexto ad Dei inducit dilectionem, et quod cum corde puro et mente pura adoremus et diligamus cum toto corde; sic et proximum etiam diligamus. Septimo ad Dei venerationem, ut eum adoremus *in spiritu et veritate* [3], et laudes ei dicamus die ac nocte dicendo *Pater noster;* quia *semper oportet orare et nunquam deficere* [4]. Octavo inducit ad puram confessionem peccatorum faciendam, et praesertim, cum communicare debemus, ut digne sumamus. Nono hortatur ad faciendum dignos poenitentiae fructus et proximos ut nos ipsos diligendos, vel saltem ab illatione malorum pro Christo (*a*) abstinendum. Decimo ad verum iudicium faciendum et iustitiae rectitudinem sic, quod cum misericordia fiat. Undecimo inducit ad virtutes, scilicet caritatis et humilitatis, habendas, et praecipue eleemosynae faciendae; quia eleemosyna animam lavat, et de isto mundo in alium mundum homo nihil secum portat nisi eleemosynas. Duodecimo ad clericorum honorationem specialiter, quia ministrant corpus et sanguinem Domini et sancta verba; qui (*b*) praedicant et docent populum. Decimo tertio ad carnis odium inducit et contemptum et ipsius refrenationem. Decimo quarto ad consiliorum Domini Iesu observantiam inducit et operationem, sicut Domino promisimus. Decimo quinto ad obedientiam exhibendam cuilibet, eo excepto, ubi committitur peccatum vel delictum. Decimo sexto ad patientiam et supportationem iniuriarum, nec irasci in fratrem. Decimo septimo ad sui totalem despectum et abiectionem, dicens se vermem et non hominem, nec velit praeesse aliis sed subesse; sic facientes habebunt Spiritum Domini super eos facientem mansionem. Decimo octavo inducit homines ad suae dignitatis considerationem; quia sponsus, frater et mater Christi est homo; quare ut sponsi coniungamur ei, ut fratres voluntatem patris faciamus, ut mater eum portemus in corde et corpore nostro. Decimo nono omnes creaturas et praecipue hominem inducit ad Dei collaudationem. Vigesimo, ut abstineant a vitiis; quia per viam vitiorum euntes perveniunt ad damnationem. Vigesimo primo ad mundi deser-

(*a*) As et edd. *proximo*. — (*b*) As *quae*.

[1] L. c. pag. 87. — [2] Ps. 118, 21. — [3] Ioan. 4, 23. — [4] Luc. 18, 1.

tionem et abdicationem; quia mundus non stat, sed deficit, et vanitates saeculi non possunt diu possideri. Vigesimo secundo ad satisfactionem faciendam; quia, nisi homo perficiat hanc, vadit in perditionem; nec debet respicere ad filios et parentes, sed ad animam suam, quae sine satisfactione, cum potest homo, non potest salvari. Ultimo inducit cum summa humilitate fideles, ut hanc litteram scientes legant, non scientes faciant eis legi, quia *verba* in ipsis contenta *spiritus sunt et vita;* et qui non fecerint, quae hortatur, reddent in die iudicii rationem. Sic ergo sententialiter posui, quae in ipsa littera continentur, et propter prolixitatem operis vitandam eam non scripsi, et quia nonnulla de ipsa epistola in capitulis inferius ordinandis ponentur.

Quadragesimo nono beatus Franciscus allocutus est medicum, nomine Bonum Ioannem, dicens, quid sibi videretur de sua infirmitate; et cum ille diceret: « Bene per gratiam Dei », beatus Franciscus inquit: « Dic mihi veritatem; noli timere, quoniam per gratiam Dei non sum corculus, ut mortem timeam. Nam, cooperante gratia Spiritus sancti, ita sum unitus cum Domino meo, quod de morte et de vita aequaliter sum contentus [1] »; ubi se ostendit sic Deo coniunctum esse, quod paratus erat semper divinae voluntati per omnia obedire.

Quinquagesimo et ultimo quoad hoc allocutus est fratres circa mortem suam; sed quomodo, et quid eis dixerit, dicetur conformitate XXX.

Multos alios beatus Franciscus est allocutus et, iuxta dictum apostoli [2], arguendo, increpando, obsecrando, tam publice quam private, tam verbo quam litteris; sed praedicti sufficiant ad ostendendum, quomodo quosdam beatus Franciscus informavit private et particulariter, ut dictum est et visum.

2. Consequenter restat videndum, quomodo beatus Franciscus omnes informavit generaliter sua doctrina; etsi pateat ex littera praemissa directa universis christifidelibus, hic tamen videndum est, videlicet dicta beati Francisci sparsim posita ad materias debitas reducendo et per capitula in sequentibus distinguendo; per quae et quibus qualis fuerit beati Francisci doctrina, et quomodo cunctos informaverit, clare omnibus poterit patere.

Incipiendo ergo:

De fide et reverentia habenda ad sacramentum altaris, et quomodo homo debet se (a) *disponere ad eius susceptionem, ut digne sumat. — Capitulum I.*

Franciscus in *Admonitionibus* suis [3]: « Dixit Dominus Iesus discipulis suis [4]: *Ego sum via, veritas et vita. Nemo venit ad Patrem nisi per me. Si cognovissetis me, et Patrem meum utique cognovissetis, et amodo cognoscetis eum et vidistis eum. Dicit ei Philippus: Domine, ostende nobis Patrem, et sufficit nobis. Dicit ei Iesus: Tanto tempore vobiscum sum, et non cognovistis me? Philippe, qui videt me, videt et Patrem meum. Pater lucem habitat inaccessibilem* [5]. Et *spiritus est Deus* [6], et *Deum nemo vidit unquam* [7]; quia *spiritus est Deus* [8]. Ideo non nisi spiritu videri potest, qui spiritus est;, quia *spiritus est qui vivificat, caro autem non prodest quidquam* [9]. Sed

(a) As addit *habere et.*

[1] *Speculum perf.* c. 122. — [2] II Tim. 4, 2. — [3] L. c. pag. 1. — [4] Ioan. 14, 6 sqq. — [5] I Tim. 6, 16. — [6] Ioan. 4, 24. — [7] Ioan. 1, 18 et 4, 12. — [8] Ioan. 4, 24. — [9] Ioan. 6, 64.

nec Filius in eo, quod aequalis est Patri, videtur ab aliquo aliter quam Pater, aliter quam Spiritus sanctus. Unde omnes, qui viderunt Dominum Iesum Christum secundum humanitatem et non secundum divinitatem, damnati sunt; quia (*a*) omnes, qui vident sacramentum, quod sacrificatur per verba Domini super altare per manus sacerdotis in forma panis et vini, et non vident eum et non credunt secundum spiritum et deitatem, quod sit veraciter sanctissimum corpus et sanguis Domini nostri Iesu Christi, damnati sunt, ipso summo attestante (*b*), qui ait [1]: *Hoc est corpus meum et sanguis novi testamenti* etc., et: *Qui manducat carnem meam et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam* [2]. Unde spiritus Domini, qui habitat in fidelibus suis, ille est, qui recipit sanctissimum corpus Domini et sanguinem; omnes alii, qui non habent de eodem spiritu et praesumunt ipsum recipere, *iudicium sibi manducant, et bibunt* [3]. Unde, *filii [hominum], usquequo gravi corde* [4]? Ut quid non cognoscitis veritatem et creditis in Filium Dei? Et quotidie se humiliat, sicut quando *a regalibus sedibus venit* [5] in uterum Virginis; quotidie venit ad nos ipse humilis apparens; quotidie descendit de sinu Patris super altare in manus sacerdotis. Et sicut sanctis apostolis apparuit in vera carne, ita se nobis modo ostendit in sacro pane; et sicut ipsi intuitu carnis suae tantum carnem videbant, sed ipsum Deum credebant, oculis spiritualibus contemplantes, sic et nos videntes panem et vinum oculis corporis, videamus et credamus firmiter, eius corpus sanctissimum et sanguinem esse verum et vivum (*c*). Et tali modo semper est Deus cum fidelibus, sicut ipse dixit [6]: *Ecce, vobiscum sum usque ad consummationem saeculi* ».

De eodem Franciscus in epistola directa capitulo generali [7]: « Deprecor omnes fratres cum osculo pedum et ea caritate, qua possum, ut omnem reverentiam et honorem, quantumcumque poteritis, exhibeatis sanctissimo corpori et sanguini Domini nostri Iesu Christi, *in quo quae in caelis et quae in terris sunt pacificata* et *reconciliata* [8] omnipotenti Deo. Rogo etiam in Domino omnes fratres meos sacerdotes, qui sunt et erunt et esse cupiunt sacerdotes Altissimi, quod, quandocumque celebrare voluerint, purissimi faciant purissime verum sacrificium sanctissimi corporis et sanguinis Domini nostri Iesu Christi cum omni reverentia, sancta intentione et munda, non pro ulla re terrena neque timore vel amore alicuius hominis, quasi placentes hominibus; sed omnis voluntas, quantum adiuvat ipsa gratia Redemptoris, ad Deum dirigatur, soli ipsi summo Deo placere cupientes; quia ipse solus operatur ibi, sicut placet sibi, quoniam ipse dicit [9]: *Hoc facite in meam commemorationem.* Si quis aliter fecerit, ipse Iudas traditor est, et *reus fiet corporis et sanguinis Domini.* Recordamini, fratres mei sacerdotes, quod scriptum est in lege Moysi, quod transgrediens ipsam, etiam in corporalibus, *sine ulla miseratione* per Domini sententiam *moriebatur* [10]. *Quanto* igitur maiora et *deteriora meretur* pati *supplicia, qui Filium Dei conculcaverit et sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, et Spiritui gratiae contumeliam fecerit* [11]? Despicit enim homo et polluit et conculcat Agnum Dei, quando, sicut dicit apostolus, *non diiudicans* [12] et discernens sanctum

(*a*) Edd. *quare.* — (*b*) Codex *attendente.* — (*c*) Codex *vinum*, As *unum.*

[1] Marc. 14, 22. — [2] Ioan. 6, 55. — [3] I Cor. 11, 29. — [4] Ps. 4, 3. — [5] Sap. 18, 15. — [6] Matth. 28, 20. — [7] L. c. pag. 100. — [8] Col. 1, 20 — [9] Luc. 22, 19 et I Cor. 11, 27. — [10] Hebr. 10, 28. — [11] Hebr. 10, 29. — [12] I Cor. 11, 29.

panem Christi ab aliis cibariis vel operibus, indignus ipsum manducat; cum Dominus per prophetam dicat [1]: *Maledictus homo, qui opus Dei facit fraudulenter.* Et sacerdotes, qui nolunt hoc ponere super cor, in veritate condemnat dicens [2]: *Maledicam benedictionibus vestris.* Audite, fratres: Si beata Virgo Maria sic honoratur, ut dignum est, quia ipsum portavit in utero, si beatus Ioannes contremuit et non audet tangere sanctum Dei verticem, si sepulchrum eius, in quo per aliquod tempus iacuit, sic veneratur, quantum debet esse homo sanctus, iustus et dignus, qui non iam moriturum, sed in aeternum viventem et glorificatum, *in quem desiderant angeli prospicere* [3], contrectat manibus, corde et ore sumit et aliis ad sumendum praebet? Videte dignitatem vestram, fratres sacerdotes, et *estote sancti; quoniam ipse sanctus est* [4]. Et sicut super omnes honoravit vos propter hoc ministerium, ita et vos super omnes ipsum diligite et reveremini et honorate. Magna miseria et miseranda infirmitas est, quando ipsum sic praesentem habetis, quod aliquid aliud in toto mundo habere curatis. Totus homo paveat, totus mundus contremiscat, et caelum exsultet, quando super altare in manibus sacerdotis *est Christus, Filius Dei vivi* [5]. O admiranda altitudo et stupenda dignatio! O humilitas sublimis! O sublimitas humilis, quod Dominus universitatis, Deus et Dei Filius sic se humiliat, ut pro nostra salute sub modica panis formula se abscondat! Videte, fratres, humilitatem Dei, et *effundite coram illo corda vestra* [6], ut totos vos recipiat, qui se vobis exhibet totum ». Haec ibi.

Franciscus in littera vel epistola ad omnes Christi fideles [7]: « Debemus siquidem confiteri peccata nostra sacerdoti omnia et recipere ab eo corpus et sanguinem Domini nostri Iesu Christi; quia Dominus dicit: ,Qui non manducat meam carnem, et non bibit meum sanguinem, non potest introire in regnum Dei' [8]. Digne tamen manducet et bibat; quia *qui indigne recipit, iudicium sibi manducat et bibit, non diiudicans corpus Domini* [9], id est non discernens ab aliis cibis ».

De clericis et sacerdotibus honorandis. — Capitulum II.

Franciscus in *regula antiqua,* capitulo 19 [10]: « Omnes clericos et omnes religiosos habeamus pro dominis in his, quae spectant ad salutem animae et a nostra non deviant religione; ordinem et officium eorum et administrationem veneremur ».

Franciscus in *testamento* suo [11]: « Deus dedit mihi tantam fidem in sacerdotibus, qui vivunt secundum formam sanctae romanae ecclesiae, propter ordinem ipsorum, quod, si ipsi facerent persecutionem, volo ad ipsos recurrere. Et si haberem tantam sapientiam, quantam habuit Salomon, et invenirem pauperculos sacerdotes huius saeculi, in parochiis, in quibus morantur, nolo praedicare ultra voluntatem eorum. Et ipsos et omnes alios volo amare et timere et honorare sicut meos dominos. Et nolo in ipsis considerare peccatum, quia Filium Dei discerno in eis, et domini mei sunt. Et propter hoc facio, quia nihil video corporaliter in hoc saeculo de ipso altissimo Dei Filio, nisi sanctissimum corpus et sanguinem suum, quod ipsi recipiunt et ipsi soli aliis ministrant. Et haec sanctissima mysteria volo honorare et venerari super omnia et in locis pretiosis collocare ».

Franciscus in *Admonitionibus* [12]: « Beatus servus, qui portat fidem in clericis, qui vivunt secundum formam sanctae romanae ecclesiae. Et vae illis, qui ipsos despi-

[1] Ier. 48, 10. — [2] Mal. 2, 2. — [3] I Petr. 1, 12. — [4] Lev. 11, 44. — [5] Matth. 16, 16. — [6] Ps. 61, 9. — [7] L. c. pag. 90. — [8] Cfr. Ioan. 6, 54. — [9] I Cor. 11, 29. — [10] L. c. pag. 49. — [11] L. c. pag. 78. — [12] L. c. pag. 18.

ciunt; licet enim sint peccatores, tamen nullus debet eos iudicare; ipse enim solus Deus reservat sibi eos ad iudicandum (*a*). Nam, quanto maior est omnibus administratio eorum, quam habent de sanctissimo corpore et sanguine Domini nostri Iesu Christi, quod ipsi recipiunt et ipsi soli aliis ministrant, tanto maius peccatum habent, qui peccant in ipsis, quam in omnibus aliis hominibus istius mundi ».

Franciscus in epistola ad omnes fideles [1]: « Debemus ecclesias visitare frequenter et revereri clericos, non tantum propter eos, si sunt peccatores, sed propter officium et administrationem corporis et sanguinis Domini nostri Iesu Christi, quod sacrificant in altari, et recipiunt et aliis administrant. Et firmiter sciamus, quod nemo potest salvari, nisi per sanguinem Domini nostri Iesu Christi et per sancta verba, quae clerici dicunt et annuntiant et administrant, et ipsi administrare debent, et alii non ».

De diligendo Deum. — Capitulum III.

Franciscus in epistola ad omnes fideles [2]: « O quam benedicti et beati sunt illi, qui Deum diligunt et faciunt, sicut dicit Dominus in evangelio [3]: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et ex tota anima tua, et proximum tuum sicut teipsum.* Diligamus ergo Deum et adoremus eum puro corde et pura mente; quia super omnia quaerens hoc dixit [4]: *Veri adoratores adorabunt Deum Patrem in spiritu et veritate.* Omnes enim, *qui adorant eum, in spiritu veritatis oportet eum adorare* ».

Franciscus in parte IX *Legendae maioris*, capitulo de fervore caritatis [5]: « Amorem (*b*) Dei pro eleemosynis censum offerre nobilem prodigalitatem dicebat, et eos, qui minus ipsum quam denarios reputarent, esse stultissimos pro eo, quod solius divini amoris inpretiabile pretium ad regnum caelorum sufficiat comparandum, et eius, qui nos multum amavit, multo sit amore (*c*) amandus ».

Franciscus in *regula prima*, c. 23 [6]: « Omnes diligamus *ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, ex tota virtute et fortitudine, ex toto intellectu et omnibus viribus* [7], toto nisu, toto affectu, totis visceribus, totis desideriis et voluntatibus Dominum Deum; qui totum corpus, totam animam et totam vitam dedit et dat nobis omnibus; qui nos creavit, redemit et sola sua misericordia salvabit; qui nobis miserabilibus et miseris, putridis et foetidis, ingratis et malis omnia bona fecit et facit. Nihil aliud desideremus, nihil aliud placeat vel delectet nos, nisi Creator, Redemptor et Salvator noster, verus Deus, qui est plenum bonum et summum bonum (*d*) qui *solus est bonus* [8], pius, mitis, suavis et dulcis; qui solus est sanctus, iustus, verus et rectus; qui solus est benignus, innocens, et mundus; a quo, per quem et in quo est omnis venia et gratia, omnis gloria omnium poenitentium, omnium iustorum, omnium beatorum in caelis et gaudentium. Nihil ergo impediat, nihil separet, nihil interpolet (*e*), quin nos omnes omni loco, omni hora, omni tempore, quotidie et continue credamus veraciter et humiliter in corde teneamus, amemus, honoremus, adoremus, serviamus, laudemus, benedicamus, glorificemus, magnificemus, superexaltemus et gratias agamus altissimo et summo Deo aeterno, Trinitati et Unitati, Patri et

(*a*) As *sibi eos adiudicat.* — (*b*) As *amore.* — (*c*) Ed. *Leg.* l. c. *multum sit amor.* — (*d*) As et edd. addunt *totum bonum, verum.* — (*e*) As et edd. *interpellat.*

[1] L. c. pag. 91. — [2] L. c. pag. 89. — [3] Marc. 12, 30 sq. — [4] Ioan. 4, 23 et 24. — [5] *Leg. mai.*, c. 9 n. 1. — [6] L. c. pag. 60. — [7] Deut. 6, 5; Marc. 12, 30 et 33. — [8] Luc. 18, 19.

Filio et Spiritui sancto, Creatori omnium, Salvatori in se credentium, sperantium et diligentium eum ».

De Christi imitatione. — Capitulum IV.

Franciscus in suis *Admonitionibus* [1]: « Attendamus, fratres, bonum pastorem, qui pro ovibus suis salvandis crucis sustinuit passionem. Oves Domini secutae sunt eum in tribulatione et persecutione et verecundia et fame et infirmitate et ceteris aliis; et de his receperunt a Domino vitam aeternam; unde magna verecundia est nobis servis, quod sancti fecerunt opera; nos recitando et praedicando ea, volumus inde recipere honorem et gloriam ».

Franciscus in *regula antiqua*, c. 1 [2]: « Regula et vita fratrum Minorum haec est, scilicet vivere in obedientia, in castitate, sine proprio, et Domini nostri Iesu Christi doctrinam et vestigia sequi, qui dicit [3]: *Si vis perfectus esse, vade et vende omnia, quae habes, et da pauperibus, et veni, sequere me*, et [4]: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum et tollat crucem suam et sequatur me* »; et c. 22 [5]: « Teneamus ergo vitam, verba et doctrinam et sanctum evangelium Domini nostri Iesu Christi, qui dignatus est pro nobis rogare Patrem suum et nomen eius nobis manifestare dicens [6]: *Pater, manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi; quia verba, quae dedisti mihi, dedi eis, et ipsi acceperunt et crediderunt, quia tu me misisti. Ego pro eis rogo. Pater sancte, conserva eos in nomine tuo. Pater, quos dedisti mihi, volo, ut, ubi ego sum, et illi sint mecum, ut videant claritatem tuam in regno tuo* ».

De oratione. — Capitulum V.

Franciscus in *regula antiqua*, c. 22 [7]: « *Vigilate itaque omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere omnia mala, quae ventura sunt, et stare ante Filium hominis* [8]. Et, *cum stabitis ad orandum* [9], dicite: *Pater noster*. Et adoremus eum puro corde, *quoniam oportet semper orare, et non deficere* [10]. Nam *Pater tales quaerit adorantes; spiritus est Deus, et eos, qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet eum adorare* [11].

Franciscus in *Legenda maiori*, parte X [12]: « Orationis gratiam viro religioso desiderandam firmiter asserebat; nullum dixit sine ipsa in Dei servitio prosperari »; unde modis omnibus fratres ad orationis studium inducebat.

Franciscus in *Legenda maiori*, parte IV [13]: « Rogatus beatus Franciscus, ut doceret eos orare, respondit: *Cum oraveritis, dicite: Pater noster*, et: ,Adoramus te, Christe, ad omnes ecclesias tuas, quae sunt in toto mundo, et benedicimus tibi, quia per sanctam crucem tuam redemisti mundum' ».

De oratione facienda ad Patrem aeternum Franciscus in *regula antiqua*, c. ultimo [14]: « Omnipotens, altissime, sanctissime et summe Deus, Pater sancte et iuste Domine, Rex caeli et terrae, propter temetipsum gratias agimus tibi; quia per sanctam voluntatem tuam et per unigenitum Filium tuum cum Spiritu sancto creasti omnia spiritualia et corporalia, et nos ad imaginem et similitudinem tuam factos in para-

[1] L. c. pag. 9. — [2] L. c. pag. 25. — [3] Matth. 19, 21. — [4] Matth. 16, 24 et Luc. 9, 23. — [5] L. c. pag. 56. — [6] Ioan. 17, 6 sqq. — [7] L. c. pag. 55. — [8] Luc. 21, 36. — [9] Marc. 11, 25. — [10] Luc. 18, 1. — [11] Ioan. 4, 23 et 24. — [12] C. 10 n. 1. — [13] C. 4 n. 3. — [14] L. c. pag. 57.

diso posuisti, a qua (*a*) nos per culpam nostram cecidimus. Et gratias agimus tibi, quia, sicut nos per Filium tuum creasti, sic per veram et sanctam *dilectionem, qua dilexisti nos*[1], ipsum verum Deum et verum hominem, Iesum Christum Filium tuum ex gloriosa semper Virgine beatissima Maria nasci fecisti, et per crucem et sanguinem et mortem ipsius nos captivos redimi voluisti. Et quia omnes nos miseri et peccatores non sumus digni te nominare, te suppliciter exoramus, ut Dominus noster Iesus Christus Filius tuus dilectus, *in quo bene tibi complacuit*[2], una cum Spiritu sancto gratias agat, sicut tibi et ipsis placet, pro omnibus, qui tibi semper sufficit ad omnia, per quem nobis tanta fecisti. Amen ».

Franciscus in *oratione ad Virginem Mariam*[3]: « Ave domina sancta, regina sanctissima, Dei genitrix Maria, quae es Virgo perpetua, electa a sanctissimo Patre de caelo; quam consecravit cum sanctissimo dilecto Filio et Spiritu sancto Paraclito; in qua est et fuit omnis plenitudo gratiae et omne bonum. Ave eius palatium; ave tabernaculum eius; ave domus eius; ave vestimentum eius; ave ancilla eius; ave Mater eius, et vos omnes sanctae virtutes (*b*), quae per gratiam et illuminationem Spiritus sancti infundimini in corda fidelium, ut de infidelibus fideles faciatis. Mater sanctissimi Domini nostri Iesu Christi, sponsa Spiritus sancti, ora pro nobis cum sancto Michaele archangelo et omnibus virtutibus caelorum et omnibus sanctis tuum dilectissimum Filium Dominum et Magistrum. Amen ».

Beati Francisci *oratio ad omnes horas canonicas* (*c*): « Omnipotens, sempiterne, iuste et misericors Deus, da nobis miseris propter temetipsum semper facere, quod scimus te velle, et semper velle, quod tibi placet, ut interius mundati et illuminati et igne Spiritus sancti accensi, possimus sequi vestigia dilectissimi Filii tui Domini nostri Iesu Christi et ad te, Altissime, sola tua gratia feliciter pervenire, qui in trinitate perfecta et unitate simplici vivis et regnas et gloriaris, Deus omnipotens, in saecula saeculorum. Amen ».

De Pater noster, quod dicebat beatus Franciscus[4]. — *Capitulum VI.*

« Beatissime (*d*) *Pater noster,* Creator, Redemptor, Salvator et Consolator noster. *Qui es in caelis,* in angelis, in sanctis, illuminans eos ad cognitionem, quia tu, Domine, lux es; inflammans eos ad amorem, quia amor es tu, Domine; inhabitans et implens eos ad beatitudinem, quia tu, Domine, summum bonum es, aeternum, a quo omne bonum, sine quo nihil est bonum. *Sanctificetur nomen tuum,* clarificetur in nobis notitia tua, ut cognoscamus, quae sit latitudo tuorum beneficiorum, longitudo tuorum promissorum, sublimitas maiestatis et profunditas iudiciorum. *Adveniat regnum tuum,* ut tu regnes in nobis per gratiam et facias nos venire ad regnum tuum, ubi est tua (*e*) visio manifesta, tui dilectio perfecta, tui societas beata, tui fruitio sempiterna. *Fiat voluntas tua sicut in caelo et in terra,* ut amemus te *toto corde,* te semper amando (*f*), ex *tota anima,* te semper desiderando, ex *tota mente,* omnes intentiones nostras ad te dirigendo, honorem tuum in omnibus quaerendo et ex omnibus viribus nostris (*g*) omnes vires et sensus animae et corporis in obsequium tui amoris et non in aliud expendendo.

(*a*) As et edd. *quo.* — (*b*) As *virgines.* — (*c*) Edd. om. *canonicas.* — (*d*) As et edd. addunt *et sanctissime.* — (*e*) As et edd. *tui.* — (*f*) As et edd. *cogitando.* — (*g*) Codex *tuis.*

[1] Ioan. 17, 26. — [2] Matth. 17, 5. — [3] L. c. pag. 123. — [4] L. c. pag. 119.

Et proximos nostros amemus sicut nosmetipsos, omnes pro viribus ad tuum amorem trahendo, de bonis aliorum sicut de nostris gaudendo, et in malis compatiendo, et nemini ullam offensionem dando. *Panem nostrum quotidianum*, dilectum Filium tuum Dominum nostrum Iesum Christum, *da nobis hodie*, in memoriam et intelligentiam et reverentiam amoris, quem ad nos habuit, et eorum, quae pro nobis dixit et fecit et sustulit. *Et dimitte nobis debita nostra*, per tuam misericordiam ineffabilem et passionis dilecti Filii tui virtutem et per beatissimae Virginis et omnium electorum tuorum merita et intercessionem. *Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris*, et quod non plene dimittimus, tu, Domine, fac nos plene dimittere, ut inimicos nostros propter te veraciter diligamus et pro eis apud te devote intercedamus, nulli malum pro malo reddentes et in (*a*) omnibus in te prodesse studeamus. *Et ne nos inducas in tentationem*, occultam vel manifestam, subitam vel importunam. *Sed libera nos a malo*, praeterito, praesenti et futuro. *Amen* ».

De officio divino debite persolvendo. — Capitulum VII.

Franciscus in *regula* c. 3 [1]: « Clerici faciant divinum officium secundum ordinem sanctae romanae ecclesiae, excepto psalterio, ex quo habere poterunt breviaria ».

Franciscus in epistola capitulo generali directa [2]: « Clerici dicant cum devotione coram Deo divinum officium, non attendentes melodiam vocis, sed consonantiam mentis, ut vox concordet menti, mens vero concordet Deo, ut possit per puritatem mentis placere Deo et non cum lascivitate vocis aures populi demulcere ».

Franciscus in *Legenda maiori*, parte X [3]: « Si quiete comedit corpus cibum suum futurum cum ipso vermium esca, cum quanta pace et tranquillitate accipere debet anima cibum suum vitae », qui est Deus, quod per divini officii persolutionem accipit?

De dilectione fraterna. — Capitulum VIII.

Franciscus in *regula antiqua*, c. 9 [4]: « Quilibet diligat et nutriat fratrem suum, sicut mater diligit et nutrit filium suum, in quibus Dominus largiretur. Et *qui manducat, non manducantem non spernat; et qui non manducat, manducantem non iudicet* [5] ». Et c. 11 [6]: « Fratres omnes caveant sibi, ut non calumnientur aliquem, neque litigent inter se neque cum aliis, sed procurent humiliter respondere, dicentes: *Inutilis servus sum* [7]. Et non irascantur; quia *omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio; qui dixerit fratri suo: raca, reus erit concilio; qui autem dixerit: fatue, reus erit gehennae ignis* [8]. Et diligant se invicem, sicut dicit Dominus [9]: *Hoc est praeceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.* Et ostendant operibus dilectionem, quam habent ad invicem, sicut dicit apostolus [10]: *Non diligamus verbo neque lingua, sed opere et veritate.* Et *neminem blasphement* [11]; non murmurent; non detrahant aliis; et sint *modesti, omnem ostendentes mansuetudinem ad omnes homines* [12] ».

Franciscus in *regula nova*, c. 6 et 7 [13]: « Ubicumque sunt et se invenerint fratres, ostendant se domesticos invicem inter se, et secure manifestet unus alteri necessi-

(*a*) As om. *in*.

[1] L. c. pag. 66. — [2] L. c. pag. 106. — [3] C. 10 n. 6. — [4] L. c. pag. 38. — [5] Rom. 14, 3. — [6] L. c. pag. 40. — [7] Luc. 17, 10. — [8] Matth. 5, 22. — [9] Ioan. 15, 12. — [10] I Ioan. 3, 18. — [11] Tit. 3, 2. — [12] Tit. 3, 2. — [13] L. c. pag. 69.

tatem suam, quia, si mater nutrit et diligit filium suum carnalem, quanto diligentius debet diligere et nutrire fratrem suum spiritualem? Et si quis eorum in infirmitatem ceciderit, alii fratres debent ei servire, sicut vellent sibi serviri. Et cavere debent, ne irascantur et conturbentur propter peccatum alicuius, quia ira et conturbatio in se et in aliis impediunt caritatem ».

Franciscus in *Admonitionibus*[1]: « Beatus servus, qui tantum diligit fratrem, quando est infirmus, quantum quando est sanus. Et beatus ille, qui tantum diligeret et timeret fratrem suum, cum esset longe ab ipso, sicut quando esset cum eo, et non diceret aliquid post ipsum, quod cum caritate non posset dicere coram ipso ».

Franciscus in epistola ad omnes fideles[2]: « Diligamus proximos nostros sicut nosmetipsos; et si quis non vult vel non potest eos diligere, sicut se ipsum, saltem non inferat eis mala, sed faciat eis bona ».

De dilectione inimicorum (*a*). — *Capitulum IX.*

Franciscus in *regula nova*, c. 10[3]: « Diligere debemus eos, qui nos persequuntur, reprehendunt et arguunt, quia dicit Dominus[4]: *Diligite inimicos vestros et orate pro persequentibus et calumniantibus vos. Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam; quoniam ipsorum est regnum caelorum*[5] ».

Franciscus in *regula antiqua*, c. 22[6]: « Attendamus, omnes fratres, quod dicit Dominus[7]: *Diligite inimicos vestros et benefacite his, qui oderunt vos.* Nam et Dominus Iesus Christus, cuius vestigia sequi debeamus (*b*), traditorem suum vocavit amicum et crucifixoribus suis sponte se obtulit. Amici ergo nostri sunt omnes illi, qui nobis iniuste inferunt tribulationes et angustias, verecundias et iniurias, dolores et tormenta, martyrium et mortem, quos multum diligere debemus; quia ex hoc, quod nobis inferunt, habemus vitam aeternam ».

Franciscus in littera directa generali ministro[8]: « Quicumque impedimentum tibi fecerit, sive fratres sive alii, etiam si te verberent, omnia deberes habere pro gratia; et ita velis, et non aliud. Et dilige eos, qui ita (*c*) faciunt tibi, et non velis aliud de eis, nisi quantum Dominus dederit tibi. Et in hoc dilige eos, ut velis, quod sint meliores christiani ».

Franciscus in *Admonitionibus*[9]: « Dicit Dominus in evangelio[10]: *Diligite inimicos vestros et orate pro persequentibus et calumniantibus vos.* Ille veraciter diligit inimicum suum, qui non dolet de iniuria, quam recipit ab eo, sed de peccato animae suae, nec turbatur propter amorem Dei, et ostendit ei ex operibus dilectionem ».

Franciscus ibidem[11], exponens illud Matth. 5, 3: *Beati pauperes spiritu; quoniam ipsorum est regnum caelorum:* « Multi sunt, qui orationibus et officiis multas abstinentias et afflictiones in suis corporibus faciunt, sed de solo verbo, quod videtur esse iniuria suorum corporum, vel de aliqua re, quae eis aufertur, scandalizantur statim et conturbantur. Hi pauperes spiritu non sunt; quia, qui vere pauperes sunt, se ipsos odiunt et eos diligunt, qui ipsos percutiunt in maxilla ».

(*a*) As *minorum*. — (*b*) As et edd. *debemus*. — (*c*) As et edd. *ista*.

---

[1] L. c. pag. 17. — [2] L. c. pag. 90. — [3] L. c. pag. 73. — [4] Matth. 5, 44. — [5] Matth. 5, 10. — [6] L. c. pag. 51. — [7] Matth. 5, 44. — [8] L. c. pag. 108. — [9] L. c. pag. 11. — [10] Matth. 5, 44. — [11] Pag. 13.

Franciscus ibidem [1]: « Beatus homo, qui sustinet proximum suum secundum suam fragilitatem in eo, in quo vellet sustineri ab ipso ».

De odiendo (a) corpus proprium. — Capitulum X.

Franciscus in *Admonitionibus* [2]: « Multi sunt, qui, dum peccant vel iniuriam recipiunt, saepe inculpant inimicum et proximum. Sed non est ita; quia unusquisque in sua habet potestate inimicum suum, id est corpus, per quod peccat; unde beatus ille servus, qui talem inimicum traditum in potestate sua semper captum tenuerit et sapienter se ab illo custodierit; quia, dum hoc fecerit, nullus alius inimicus visibilis vel invisibilis ei nocere poterit ».

Franciscus in *regula antiqua*, c. 22 [3]: « Odio habeamus corpus nostrum cum suis vitiis et peccatis; quia (*b*) carnaliter vivendo vult a nobis auferre amorem Domini nostri Iesu Christi et vitam aeternam et se ipsum cum omnibus perdere in infernum ».

Franciscus in littera directa omnibus fidelibus [4]: « Debemus habere odio corpora nostra cum vitiis et peccatis; quia dicit Dominus, omnia vitia et peccata *de corde exeunt* [5] ».

Franciscus in *Legenda maiori*, parte V [6]: « Difficile est necessitati corporis satisfacere et pronitati sensuum non parere. Mortificari docebat non solum vitia corporis, et eius incentiva frenari, verum etiam exteriores sensus, per quos mors intrat ad animam, summa vigilantia custodiri (*c*) ».

Franciscus in *Legenda antiqua* [7]: « Maximus hominis inimicus caro est; nihil recogitare novit, ut doleat, nihil, ut timeat, praevidere; studium eius est abuti praesentibus; quod autem peius est, ipsa sibi usurpat, ipsa in suam gloriam transfert, quod non sibi sed animae datum est. Ipsa de virtutibus laudem, de vigiliis et orationibus favorem carpit extrinsecum; nihil animae relinquens, quaerit et de lacrymis obolum ».

De discretione ad corpus habenda. — Capitulum XI.

Franciscus in *Legenda antiqua* [8]: « Fratri corpori cum discretione providendum est, ne ab eo tempestas accidiae commoveatur. Servus enim Dei in comedendo et bibendo et dormiendo et alias corporis necessitates sumendo debet cum discretione suo corpori satisfacere; ut (*d*) non taedeat ipsum vigilare et reverenter in oratione persistere; ita quod frater corpus non valeat murmurare, dicens: ‚Fame deficio, tui exercitii sarcinam ferre non valeo, non possum stare rectus et insistere orationi, nec in tribulationibus meis laetari nec alia bona operari; quia non satisfacis indigentiae meae‘. Si enim servus Dei cum discretione et satis bono modo et honesto suo corpori satisfaceret, et frater corpus, si post sufficientem, quam vorasset, annonam, talia musitaret, essetque negligens et pigrum vel somnolentum in orationibus et vigiliis et aliis bonis operibus, scito, pigrum iumentum calcaribus indigere, et inertem asellum stimulum expetere; tunc debet ipsum castigare tanquam malum et pigrum

(*a*) As *ordinando*. — (*b*) As *qui*. — (*c*) Codex *custodiri*. — (*d*) As et edd. *unde*.

[1] Pag. 14. — [2] L. c. pag. 11. — [3] L. c. pag. 52. — [4] L. c. pag. 92. — [5] Matth. 15, 19. — [6] C. 5 n. 1 et 5. — [7] II Cel. 3, 74. — [8] Cfr. II Cel. 3, 69 et *Speculum perf.* c. 97; in utroque loco quaedam partes illius sermonis habentur.

iumentum, quod vult comedere et non lucrari vel onus portare. Si vero propter inopiam et paupertatem frater corpus necessitates suas in sanitate et infirmitate habere non potest, dum honeste petierit et humiliter a praelato suo amore Dei, et sibi non datur, sustineat amore Domini patienter, qui etiam sustinuit, quaerens *qui eum consolaretur, et non invenit* [1]. Et haec necessitas sibi a Domino imputatur pro martyrio. Et quia fecit quod suum est, id est, quia petiit humiliter suam necessitatem, excusatur a peccato, etiam si corpus inde graviter infirmetur ».

Et ibidem [2] Franciscus dicit: « Fratres mei, unusquisque consideret naturam suam; quia, licet aliquis ex vobis sustentari valeat pauciori cibo quam alius, nolo tamen, quod abundantiori cibo indigens illum in hoc imitari nitatur; sed naturam suam considerans exhibeat corpori suo necessitatem suam. Sicut enim a superfluitate comestionis, quae obest corpori et animae, nos (*a*) tenemur cavere, ita a nimia abstinentia, immo magis, quoniam Deus *misericordiam vult et non sacrificium* [3].

De perfecta obedientia. — Capitulum XII.

Franciscus in *regula nova*, c. 10 [4]: « Fratres obediant firmiter suis ministris in omnibus, quae promiserunt Domino, et non sunt contraria animae et regulae nostrae ».

Franciscus in *regula antiqua*, c. 4 et 5 [5]: « Omnes alii fratres mei benedicti diligenter obediant eis in his, quae spectant ad salutem animae et non sunt contraria vitae nostrae; et faciant in se, sicut dicit Dominus [6]: *Quaecumque vultis, ut faciant vobis homines, et vos facite illis*, et [7]: *Quod tibi non vis fieri, ne facias alteri.* Si quis autem ministrorum alicui fratrum aliquid contra vitam nostram praeciperet vel contra animam suam, non teneantur ei obedire; quia illa obedientia non est, in qua delictum vel peccatum committitur. Et sciant, quando perseverant in mandatis Domini, quae promiserunt per sanctum evangelium et vitam ipsorum, se in vera obedientia stare, et benedicti sunt a Domino ».

Franciscus in *Admonitionibus* [8]: « Dixit Dominus ad Adam [9]: *De omni ligno paradisi comede, de ligno autem scientiae boni et mali ne comedas.* De omni ligno paradisi poterat Adam comedere, qui, dum non venit contra obedientiam, non peccavit. Ille enim comedit *de ligno scientiae boni et mali*, qui sibi suam appropriat voluntatem, et se exaltat de bonis, quae Dominus dicit et operatur in eo; et sic per suggestionem diaboli et transgressionem mandati factum est pomum *scientiae boni et mali* (*b*); unde oportet, quod sustineat poenam ».

Franciscus ibidem [10]: « Dicit Dominus in evangelio [11]: *Qui non renuntiaverit omnibus, quae possidet, non potest meus esse discipulus*, et [12]: *Qui voluerit animam suam salvam facere, perdet eam.* Ille homo relinquit omnia, quae possidet, et perdit corpus suum et animam suam, qui se ipsum totum praebet ad obedientiam praelati sui; quia, cum facit voluntatem eius, dummodo bene facit, vera obedientia est. Et quando subditus videret meliora et utiliora animae suae, quam illa, quae praecipit ei

(*a*) As et edd. *nobis*. — (*b*) As et edd. om. *boni et*.

[1] Ps. 68, 21. — [2] Idem *Speculum* Lem. n. 24, et nonnullis mutatis *Speculum* Sab. c. 27. — [3] Matth. 9, 13. — [4] L. c. pag. 72. — [5] L. c. pag. 29 et 30. — [6] Matth. 7, 12 et Luc. 6, 31. — [7] Tob. 4, 16. — [8] L. c. pag. 6. — [9] Gen. 2, 16 sq. — [10] Pag. 6. — [11] Luc. 14, 33. — [12] Matth. 16, 25.

suus praelatus, suam voluntatem sacrificet Domino; quae autem sunt praelati, studeat opere adimplere; nam haec est vera obedientia et caritativa, quae Deo et proximo satisfacit. Si vero praelatus subdito aliquid contra animam praecipiat, licet ei non obediat, tamen ipsum non dimittat; et si ab aliquibus inde persecutionem sustinuerit, magis eos diligat propter Deum. Nam, qui persecutionem sustinet (*a*), potius quam velit a suis fratribus separari, vere manet in perfecta obedientia; quia *ponit animam suam* pro fratribus suis [1]. Sunt enim quidam religiosi, qui sub specie videndi meliora quam ea, quae sui praelati praecipiunt, *retro aspiciunt* [2] et *ad vomitum redeunt* [3] propriae voluntatis; hi homicidae sunt, et propter mala exempla sua multas animas perdere faciunt ».

Franciscus in *Legenda maiori*, parte VI [4], et in *Legenda antiqua* [5]: « Inter alia, quae dignanter mihi divina pietas concessit, hanc gratiam contulit, quod ita diligenter novitio unius horae obedirem, si mihi praelatus daretur, sicut antiquissimo et discretissimo fratri. Subditus praelatum suum non hominem considerare debet, sed illum, pro cuius est amore subiectus. Quanto autem contemptibilior praesidet, tanto magis humilitas obedientis placet ». Et cum quaereretur a beato Francisco, quis esset verus obediens iudicandus, hominis mortui similitudinem pro exemplo proposuit. « Tolle, inquit, corpus exanime et, ubi placuerit, pone. Videbis non repugnare motum, non murmurare situm, non reclamare dimissum; quod si statuatur in cathedra, non alta sed ima respiciet; si collocetur in purpura, in duplo pallescit. Hic, ait, verus est obediens; qui, cur moveatur, non diiudicat; ubi locetur, non curat; ut transmutetur, non instat; evectus ad officia solitam tenet humilitatem; plus honoratus, plus se reputat indignum ».

Franciscus in *Legenda antiqua* [6]: « Pure et simpliciter iniunctas et non postulatas sacras obedientias nominabat. Summam vero obedientiam, et in qua nihil habent caro et sanguis, illam esse credebat, qua divina inspiratione itur inter infideles sive ob proximorum lucrum sive ob martyrii desiderium; hanc vero petere dixit esse multum Domino acceptum ».

Franciscus ibidem [7]: « Fratres carissimi, dixit fratribus suis, primo verbo praeceptum implete, nec exspectetis iterari, quod dicitur vobis. Nihil enim etiam impossibilitatis causemini sive iudicetis esse in praecepto; quia, etsi supra vires ego vobis mandarem, sancta obedientia viribus non carebit ».

Franciscus ibidem [8]: « Dicebat beatus Franciscus, raro per obedientiam esse praecipiendum, nec primo fulminandum esse iaculum, quod debet esse extremum ». « Ad ensem, inquit, non cito manus mittenda est. Eum autem, qui praecepto obedientiae non festinanter obedit, dixit nec Deum timere, nec hominem revereri, dum scilicet non habet causam necessariam retardandi. Nihil verius istis; nam auctoritas imperandi in temerario praeceptore quid est aliud, quam gladius in manu furiosi? Quid vero desperatius est, quam religiosus neglector obedientiae et contemptor » ?

Franciscus in *Legenda maiori*, parte VI [9]: « Tam enim uberem dixit sanctae obedientiae fructum, ut eis, qui iugo ipsius colla submitterent, nil temporis sine lucro transiret ».

(*a*) Edd. *sustinere malit*.

---

[1] Ioan. 15, 13. — [2] Luc. 9, 62. — [3] Prov. 26, 11. — [4] C. 6 n. 4. — [5] *Speculum* Sab. c. 46 et 48. — [6] *Spec.* cit. c. 48. — [7] C. 47. — [8] C. 49. — [9] C. 6 n. 4.

De continentia et castitate mulierumque vitatione. — Capitulum XIII.

Franciscus in *regula antiqua*, c. 12[1]: « Omnes fratres, ubicumque sunt vel vadant, caveant sibi a malo visu et frequentia mulierum, et nullus cum eis consilietur solus. Sacerdotes cum eis honeste loquantur, dando poenitentiam vel aliquod (*a*) spirituale consilium. Et nulla mulier ab aliquo fratre penitus recipiatur ad obedientiam; sed dato sibi consilio spirituali, ut voluerit, agat poenitentiam. Et multum omnes nos custodiamus et omnia membra nostra munda teneamus; quia dicit Dominus[2]: *Omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, iam moechatus est eam in corde suo* ».

Franciscus in *regula nova*, c. 11[3]: « Fratribus universis praecipio, ne habeant suspecta consortia vel consilia mulierum, et ne ingrediantur monasteria monacharum ».

Franciscus in *Legenda maiori*, parte V[4]: « Mulierum familiaritates, colloquia et aspectus, quae multis occasio sunt ruinae, sollicitius evitari iubebat, asserens per huiusmodi debilem frangi, et saepe fortem spiritum infirmari. Harum contagionem evadere conversantem cum eis, nisi probatissimum virum, tam facile dixit, quam iuxta scripturam[5] *in ignem ambulare et non comburere plantas*. Non enim securum putabat, earum formarum introrsus haurire imagines, quae possunt aut edomitae carnis suscitare (*b*) igniculum aut pudicae mentis maculare nitorem. Asserebat etiam, frivolum esse mulieris consortium vel colloquium, excepta sola confessione vel instructione brevissima, iuxta quod saluti expedit vel congruit honestati. Quae, inquit, sunt religioso cum muliere tractanda negotia, nisi cum sanctam poenitentiam vel melioris vitae consilium religiose (*c*) petitione deposcit? Ex nimia securitate minus cavetur hostis; et diabolus, si de suo capillum habere potest, cito crescere facit in trabem ».

De oculo pudico et impudico. — Capitulum XIV.

Franciscus in *Legenda antiqua*, capitulo de zelo ad fratrum perfectionem[6]: « Volens beatus Franciscus docere fratres habere oculos pudicos, solebat tali aenigmate confingere impudicos dicens: ‚Rex pius et potens misit ad reginam duos nuntios successive. Revertitur primus et pro verbis tantum verba reportat, et de regina nihil loquitur; quia oculos tenuerat in capite sapienter, nec aliqualiter prosilierant in reginam. Redit alius, et post pauca verba, quae refert, longam de reginae pulchritudine texit historiam‘. ‚Vere, inquit, domine, vidi pulcherrimam mulierem; felix qui fruitur illa‘. Et rex ad illum: ‚Tu, serve nequam, in sponsam meam iecisti oculos impudicos; patet, quia rem prospectam subtiliter emere voluisti‘. Iubet ergo revocari primum et ait illi: ‚Quid tibi de regina videtur‘? ‚Optime, inquit, mihi videtur, quod libenter et patienter audivit‘, iste respondit sagaciter. Et ait illi rex: ‚Nunquid formositatis aliquid inest ei‘? Respondit ille: ‚Domine mi, tuum est hoc inspicere et discernere; meum autem fuit verba proferre‘. Fertur a rege sententia: ‚Tu, inquit, qui habes oculos castos, esto in camera mea, corpore castior, et fruere deliciis meis; hic vero impudicus exeat domum meam, ne polluat thalamum‘. Dicebat ergo: ‚Quis non debet timere respicere sponsam regis Christi‘ »?

(*a*) As *aliud*. — (*b*) As et edd. *suscipere*. — (*c*) As et edd. *religiosa*.

[1] L. c. pag. 41. — [2] Matth. 5, 28. — [3] L. c. pag. 73. — [4] C. 5 n. 5. — [5] Cfr. Prov. 6, 27. — [6] *Speculum perfectionis* c. 86.

De paupertate. — *Capitulum XV.*

Franciscus in *regula antiqua*, c. 8[1]: « Dominus dicit in evangelio[2]: *Videte et cavete ab omni* malitia et *avaritia*. Unde nullus fratrum, ubicumque sit et quocumque vadat, aliquo modo tollat nec recipiat nec recipi faciat pecuniam aut denarios, neque occasione vestimentorum nec librorum (*a*), nec pro pretio alicuius laboris, immo nulla occasione; quia non debemus habere maiorem utilitatem et reputationem in pecunia et denariis quam in lapidibus. Et illos vult diabolus obcaecare, qui eam appetunt vel reputant lapidibus meliorem. Caveamus ergo, qui omnia reliquimus, ne pro tam modico regnum caelorum perdamus. Et si in aliquo loco inveniremus, de his non curemus, tanquam de pulvere, quem pedibus calcamus; quia *vanitas vanitatum, et omnia vanitas*[3]. Et si forte, quod absit, contigerit aliquem fratrem pecuniam vel denarios colligere vel habere, omnes fratres teneant eum pro falso fratre, fure et latrone et loculos habente, nisi vere poenituerit. Et nullo modo fratres recipiant nec quaerant nec quaeri faciant pecuniam pro eleemosyna neque denarios pro aliquibus domibus vel locis, neque cum persona pro talibus locis pecuniam vel denarios quaerente vadant ».

Franciscus in *regula nova*, c. 4[4]: « Praecipio firmiter fratribus universis, ut nullo modo denarios vel pecuniam recipiant per se vel per interpositam personam ». Et c. 6: « Fratres nihil sibi approprient, nec domum nec locum nec aliquam rem, sed tanquam peregrini et advenae in hoc saeculo in paupertate et humilitate Domino famulantes ». Et sequitur[5]: « Haec est illa celsitudo altissimae paupertatis, quae vos, carissimos fratres meos, heredes et reges regni caelorum instituit, pauperes rebus fecit, virtutibus sublimavit. Haec sit portio vestra, quae perducit in terram viventium. Cui, dilectissimi fratres, totaliter inhaerentes, nihil aliud pro nomine Domini nostri Iesu Christi in perpetuum sub caelo habere velitis ».

Franciscus in *Legenda antiqua*, capitulo de perfectione paupertatis[6]: « Quicumque vult esse frater Minor, non debet habere nisi duas tunicas, sicut regula sibi concedit, et chordam et femoralia et, qui manifesta necessitate coguntur, calceamenta ».

Franciscus in *Legenda maiori*, parte VII[7]: « Christi Iesu paupertatem et Matris revocando ad mentem, hanc esse virtutum reginam asserebat; quia in Rege regum et regina Matre eius tam praestanter effluxit (*b*). Nam fratribus quaerentibus, quae virtus magis amicum redderet Christo, dixit: ‚Paupertatem noveritis, fratres, specialem viam salutis, tanquam humilitatis fomentum perfectionisque radicem, cuius est fructus multiplex sed occultus. Hic est enim evangelici *agri thesaurus et absconditus*[8], pro quo emendo vendenda sunt omnia, et quae vendi non possunt, illius comparatione spernenda. Ad huius culmen qui cupit attingere, non solum mundanae prudentiae, verum etiam litterarum peritiae renuntiare quodammodo debet, ut tali expropriatus possessione *introeat in potentias Domini*[9], et nudum se offerat brachiis Crucifixi. Nequaquam saeculo perfecte renuntiat, qui proprii sensus loculos intra cordis arcana reservat‘. Docebat fratres, ut pauperum more pauperculas casas erigerent, quas non

(*a*) Codex *laborum*. — (*b*) As et edd. *effulsit*.

[1] L. c. pag. 35. — [2] Luc. 12, 15. — [3] Eccle. 1, 2. — [4] L. c. pag. 67. — [5] C. 6, pag. 68. — [6] *Spec.* cit. c. 3. — [7] C. 7 n. 1, 2 et 5. — [8] Matth. 13, 44. — [9] Ps. 70, 16.

habitarent ut proprias, sed sicut peregrini et advenae alienas; leges enim peregrinorum esse dixit sub alieno colligi tecto, sitire ad patriam et pacifice pertransire. Paupertatem dixit sui ordinis fundamentum; cui substrato (*a*) primarie sic omnis structura religionis innititur, ut ipsius firmitate firmetur et eversione funditus evertatur. Pecunia enim omnis servis Dei nihil aliud est, quam diabolus et coluber venenosus ».

Franciscus in *Legenda* fratris Thomae[1]: « Quantum fratres declinabunt a paupertate, tantum mundus declinabit ab eis; et quaerent, inquit, et non invenient. Si dominam meam paupertatem complexi fuerint, mundus eos nutriet; quia mundo dati sunt ad salutem. Commercium est inter mundum et fratres: debent ipsi mundo bonum exemplum, debet eis mundus provisionem necessitatum; quando ipsi retraxerint bonum exemplum, fide mentita, retrahet mundus manum iusta censura ».

Franciscus in locutione ad fratrem Massaeum, socium suum[2]: « Carissime et dilectissime mi frater, thesaurus beatificae paupertatis est tam dignissimus et tam divinus, quod nos digni non sumus in vasis nostris tam vilissimis ipsum possidere, cum haec sit illa virtus caelestis, per quam terrena et transitoria cuncta calcantur, propter quam omnes obices tolluntur e medio, ut libere Domino aeterno mens humana iungatur. Haec est, quae adhuc animam in terris positam facit in caelis cum angelis conversari; haec est, quae Christum in cruce associat, cum Christo in tumulo absconditur, et cum Christo resurgit et ascendit in caelum; quia dotem agilitatis super caelos volandi animabus ipsam amantibus etiam in hac vita concedit, cum verae humilitatis et caritatis arma custodiat ».

Franciscus in responsione ad vicarium suum, fratrem Petrum Cathanii, et habetur VII parte *Legendae maioris*[3]: Frater Petrus vicarius beati Francisci petiit ab eo, si vellet aliquid reservari de rebus introeuntium. Respondit beatus Franciscus: « Malo te altare Virginis gloriosae, cum necessitas id requirit, detegere, quam contra paupertatis votum et observantiam evangelii vel modicum attentare; gratius enim habebit Virgo beata, sancti evangelii perfecte servato consilio, suum altare detegi, quam altari vestito Filii sui promissum consilium praetermitti ».

De patientia. — *Capitulum XVI.*

Franciscus in suis *Admonitionibus*[4]: « Servo Dei nulla res debet displicere praeter peccatum; et quocumque peccato aliqua persona peccaret, et propter haec servus Dei turbaretur, *thesaurizat sibi culpam*[5]. Ille servus Dei, qui non irascitur neque conturbat se pro aliqua re, recte vivit sine proprio (*b*). Et beatus est, cui (*c*) non remanet sibi aliquid, *reddens quae sunt caesaris caesari, et quae sunt Dei Deo*[6] ».

Franciscus ibidem[7]: « Non potest cognosci servus Dei, quantam habeat patientiam et humilitatem, dum satisfactum est ei secundum voluntatem vel necessitatem suam. Cum autem venerit tempus, quo illi, qui debent satisfacere ei, faciunt sibi contrarium, quantam habet ibi patientiam et humilitatem, tantam habet et non plus ».

Franciscus ibidem[8], exponens illud Matth. 5, 9: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur:* « Illi sunt vere pacifici, qui de omnibus, quae in hoc saeculo patiuntur, propter amorem Domini nostri Iesu Christi in animo pacem servant ».

(*a*) As *substracto.* — (*b*) *Opuscula* l. c. *peccato.* — (*c*) As *quando.*

---

[1] II Cel. 3, 16. — [2] *Actus* c. 13 n. 21-24. — [3] C. 7 n. 4. — [4] L. c. pag. 12. — [5] Rom. 2, 5. — [6] Matth. 22, 21. — [7] Pag. 12. — [8] Pag. 13.

Franciscus ibidem [1]: « Beatus servus, qui, cum reprehenditur et accusatur, illam reprehensionem et accusationem ita patienter sustinet ab aliis, sicut a semetipso. Beatus servus, qui reprehensus acquiescit, verecunde obtemperat, humiliter confitetur et libenter satisfacit. Beatus servus, qui non est velox ad excusandum se, et humiliter sustinet verecundiam et reprehensionem de peccato, ubi non commisit culpam. Beatus ille, qui ita est humilis inter subditos suos inventus, sicut quando esset inter praelatos et dominos suos. Beatus servus, qui semper manet sub virga correctionis. Fidelis et prudens est servus, qui in omnibus suis offensis non tardat puniri interius per contritionem et exterius per confessionem et operis satisfactionem ».

Franciscus in locutione ad fratrem Leonem, quod in patientia est perfecta laetitia [2]: « O frater Leo, quamvis fratres Minores in omni terra dent bonum exemplum magnae sanctitatis et aedificationis, tamen diligenter scribe et nota, quod ibi non est perfecta laetitia. O frater Leo, quamvis frater Leo (*a*) illuminet caecos, contractos extendat, daemones pellat, surdis auditum, claudis gressum et mutis restituat verbum et, quod maius est, quatriduanum resuscitet mortuum, scribe, quia ibi non est perfecta laetitia. O frater Leo, si frater Minor sciret omnium gentium linguas et omnes scientias et scripturas, ut sciret prophetare et revelare non solum futura, sed etiam conscientias aliorum, scribe, quia ibi non est perfecta laetitia. Et si frater Minor loquatur lingua angelica et sciat stellarum cursus et virtutes herbarum, et sint ei revelati omnes thesauri terrarum, et si cognosceret virtutes et proprietates avium et piscium et animalium el hominum et radicum et lapidum et arborum et aquarum, scribe, quia ibi non est perfecta laetitia. Et si frater Minor sciret tam solemniter praedicare, quod converteret omnes infideles ad fidem, scribe, quia ibi non est perfecta laetitia ». Et cum quaereret frater Leo, ubi esset perfecta laetitia, inquit beatus Franciscus: « Quando veniemus ad locum sanctae Mariae (*b*) sic balneati, pluviaque frigore congelati, luto etiam deturpati et fame afflicti, et ad portam loci sonabimus, et portarius (*c*) veniret iratus dicens: ‚Qui estis vos'? et nos diceremus: ‚Sumus duo de fratribus vestris', et ille e contrario diceret: ‚Immo estis duo ribaldi, qui itis per mundum eleemosynas pauperum rapiendo', et non aperiret nobis, sed faceret nos stare ad nivem et aquam in frigore et fame usque ad noctem; tunc, si nos tot repulsas et (*d*) iniurias sine turbatione et murmuratione toleraverimus patienter et cogitaverimus humiliter et caritative, quod ille portarius veraciter nos cognoscit, et quod Deus linguam suam excitat contra nos, o frater Leo, scribe, quod ibi est perfecta laetitia. Et si nos pulsando perseveraverimus, et ille portarius tanquam contra importunos exeat contra nos et durissime nos afficiat alapis dicens: ‚Recedite hinc, pultrones vilissimi, et ite ad hospitale; qui enim estis vos? Penitus hic non manducabitis', et si nos haec gaudenter portabimus, et iniuriati cum amore illi pepercerimus toto corde, scribe, quia ibi est perfecta laetitia. Et si nos undique afflictos, fame urgente, frigore affligente, nocte insuper appropinquante, pulsabimus, clamabimus, fletu instabimus, ut aperiat nobis, et ille inde stimulatus dixerit: ‚Isti sunt homines procacissimi et protervi; et ego pacabo eos', et exiens cum uno fuste nodoso et capiens nos per caputium et ad terram super lutum et nives proiiciat, et taliter nos verberabit cum fuste

(*a*) As et edd. *minor.* — (*b*) As et edd. addunt *de angelis.* — (*c*) As *portanarius.* — (*d*) As *impulsas.*

[1] Pag. 16. — [2] *Actus* c. 7.

praedicto, quod undique nos plagis implebit, si tot mala, si tot iniurias et verbera cum gaudio toleremus, considerantes, quod poenas Christi benedicti tolerare et portare debemus, scribe et nota diligenter, quod ibi est perfecta laetitia. Et audi conclusionem: Inter charismata sancti Spiritus, quae Christus servis suis concessit et concedit, est vincere se ipsum et libenter propter ipsum et caritatem opprobria sustinere. Nam in omnibus mirabilibus supradictis nos gloriari non possumus, quia non sunt nostra, sed Dei. *Quid* enim *habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis* [1]? Sed in cruce tribulationis et afflictionis possumus gloriari, quia illud est nostrum; et ideo dixit apostolus [2]: *Mihi absit gloriari* etc. ».

Franciscus in *Legenda* fratris Thomae [3], fratrem afflictum et tentatum confortando: « Crede mihi, fili, quoniam magis propterea servum Dei te credo, et quo magis tentatum, magis dilectum a me te noveris. Nullus enim se Dei servum reputare debet, quousque per tentationem et tribulationem transierit. Annulus est quodammodo victa tentatio, quo Dominus sibi desponsat animam servi sui. Plures sibi de annosis meritis blandiuntur et nulla sustinuisse tormenta vel tentamenta laetantur. Sed quoniam ante congressum solus eos terror eliderel, sciant, spiritus sui debilitatem consideratam a Domino. Vix enim obiiciuntur certamina fortia, nisi ubi fuerit virtus perfecta. Signum amplioris est gratiae, nihil in servo suo impune relinquere, dum vivit in mundo ».

Franciscus infirmitatibus gravatus, in oratione ad Dominum, in *Legenda maiori*, parte XIV [4]: « Gratias tibi ago, Domine Deus, de omnibus doloribus meis, teque, mi Domine, rogo, ut centuplum, si tibi placuerit, addas; quia hoc erit mihi acceptissimum, *ut affligens me dolore non parcas* [5], cum tuae sanctae voluntatis impletio sit mihi consolatio superplena ».

De humilitate. — Capitulum XVII.

Franciscus in *Admonitionibus* suis, de humilitate servanda (*a*) in praelatis [6]: « *Non veni ministrari, sed ministrare*, dicit Dominus [7]. Illi, qui sunt super alios constituti, tantum de illa praelatione glorientur, quantum si essent deputati officio abluendi pedes fratrum; et quanto magis turbarentur de ablata eis praelatione quam de ablato eis officio abluendi pedes, tanto magis loculos ad periculum animae sibi componunt ».

Franciscus in *regula nova*, c. 10 [8]: « Ita debet esse, quod ministri sint servi omnium [fratrum] ».

Franciscus in *Legenda maiori*, parte VI [9], quod praelatio non debet appeti: « In praelatione casus, in laude praecipitium; subditi animae lucrum est in humilitate. Cur ergo periculis plus quam lucris attendimus, cum tempus ad lucrandum ceperimus »?

Franciscus de humilitate in laude humana et in praelatione servanda, in *Admonitionibus* suis [10]: « Beatus ille servus, qui non se tenet meliorem, quando magnificatur et exaltatur ab hominibus, sicut quando tenetur vilis, simplex et despectus; quia quanto est homo coram Deo, tanto (*b*) est, et non plus. Vae illi religioso, qui ab aliis

(*a*) As et edd. *fienda*. — (*b*) Edd. *quantus-tantus*.

[1] I Cor. 4, 7. — [2] Gal. 6, 14. — [3] II Cel. 3, 60 et 61. — [4] C. 14 n. 2. — [5] Iob 6, 10. — [6] L. c. pag. 8. — [7] Matth. 20, 28. — [8] L. c. pag. 72. — [9] C. 6 n. 5. — [10] L. c. pag. 15.

positus est in alto, et per suam voluntatem non vult descendere. Et beatus ille, qui non per suam voluntatem positus est in alto, et semper desiderat esse sub pedibus ».

Franciscus in responsione cardinali Ostiensi, ne frater Minor praelatione maior fieri praesumat, in *Legenda maiori*, parte VI [1]: « Domine, inquit cardinali Ostiensi, fratres Minores ideo vocati sunt fratres mei, ut maiores fieri non praesumant. Si vultis, ut fructum faciant in ecclesia Dei, tenete illos et conservate in statu vocationis eorum, et ad praelationes ecclesiasticas nullatenus ascendere permittatis ».

Franciscus in *Admonitionibus*, de humilitate servanda in donis Domini [2]: « Beatus ille servus, qui non magis se exaltat de bono, quod Dominus dicit (*a*) et facit per ipsum, quam de eo, quod Dominus dicit et operatur per alium. Peccat homo, qui magis vult recipere a proximo suo, quam velit dare de se Domino Deo ».

Franciscus in *Legenda antiqua*, capitulo de perfectione humilitatis: De humilitate servanda ad clericos [3]: « In adiutorium clericorum missi sumus ad animarum salutem, ut quod in illis inveniatur minus, suppleatur a nobis. Quilibet recipiet mercedem non secundum auctoritatem, sed secundum laborem. Scitote, fratres, quod Deo est gratissimum animarum lucrum. Hoc consequi melius possumus cum pace clericorum quam cum discordia. Si autem ipsi salutem impediant, Dei est ultio, et ipse retribuet eis in tempore. Ideoque estote subiecti praelatis, ne, quantum ex vobis est, malus zelus consurgat. Si filii pacis fueritis, clerum et populum lucrabimini; et hoc acceptabilius est Deo, quam populum solum, clero scandalizato, lucrari. Tegite eorum lapsus et multiplices eorum [supplete] defectus; et cum haec feceritis, meliores estote ».

Franciscus in epistola ad omnes fideles [4], de non appetendo praesidere, sed subesse: « Nunquam desiderare debemus esse super alios, sed magis debemus esse *subditi* et servi *omni humanae creaturae propter Deum* [5]. Et omnes, qui talia fecerint et perseveraverint usque in finem, *requiescet super eos Spiritus Domini* [6], et *faciet in eis* habitaculum et *mansionem* [7] ».

De eleemosyna petenda. — Capitulum XVIII.

Franciscus in *regula antiqua*, c. 9 [8]: « Omnes fratres studeant sequi humilitatem et paupertatem Domini nostri Iesu Christi et recordentur, quod nihil aliud oportet nos habere de toto mundo, nisi, sicut dicit apostolus [9], *habentes alimenta, et quibus tegamur, his contenti simus.* Et debent gaudere, quando conversantur inter viles et despectas personas, inter pauperes et debiles, infirmos et leprosos et iuxta viam mendicantes. Et, cum necesse fuerit, vadant pro eleemosynis, et non verecundentur. Et magis recordentur, quia Dominus noster Iesus Christus, Filius Dei omnipotentis, *posuit faciem suam ut petram durissimam* [10], nec verecundatus fuit; et fuit pauper et hospes et vixit de eleemosyna, ipse et beata Virgo et discipuli eius. Et quando facerent eis homines verecundiam et nollent eis dare eleemosynam, referant inde gratias Deo; quia de verecundiis recipient magnum honorem ante tribunal Domini nostri Iesu Christi. Et sciant, quod verecundia non patientibus, sed inferentibus im-

(*a*) As *dedit.*

[1] C. 6 n. 5. — [2] L. c. pag. 14. — [3] *Speculum perf.* c. 54. — [4] L. c. pag. 93. — [5] I Petr. 2, 13. — [6] Isai. 11, 2. — [7] Cfr. Ioan. 14, 23. — [8] L. c. pag. 36. — [9] I Tim. 6, 8. — [10] Isai. 50, 7.

putatur. Et eleemosyna est hereditas et iustitia, quae debetur pauperibus, quam nobis acquisivit Dominus noster Iesus Christus. Et fratres, qui eam acquirendo laborant, magnam mercedem habebunt et faciunt lucrari et acquirere tribuentes; quia omnia, quae homines relinquunt in mundo, peribunt; sed de caritate et eleemosynis, quas fecerint, habebunt praemium a Domino ».

Franciscus in *regula nova*, c. 6 [1]: « Fratres vadant pro eleemosyna confidenter, nec oportet eos verecundari; quia Dominus se pro nobis fecit pauperem in hoc mundo ».

Franciscus in *Legenda antiqua*, c. de perfectione humilitatis [2]: « Carissimi fratres et filioli mei, nolite verecundari ire pro eleemosyna, quia Dominus se pro nobis fecit pauperem in hoc mundo, cuius exemplo elegimus (*a*) viam verissimae paupertatis; suo enim amore viam paupertatis elegimus. Non debemus confundi pro eleemosynis ire. Arrham caelestis hereditatis erubescere nequaquam convenit regni heredibus. Haec enim est hereditas nostra, quam acquisivit et reliquit nobis Dominus Iesus Christus et omnibus, qui suo exemplo vivere volunt in sanctissima paupertate. In veritate dico vobis, quod multi ex nobilioribus et sapientioribus huius saeculi venient ad istam congregationem et pro magno honore et gratia habebunt ire pro eleemosyna. Vos ergo, qui estis illorum primitiae, laetamini et gaudete, nec renuatis facere, quae sanctis illis facienda transmittitis. Ite ergo confidenter et animo gaudenti pro eleemosyna cum benedictione Dei; et magis libere et gaudenter ire debetis pro eleemosyna quam ille, qui de una nummata offerret (*b*) centum denarios, quoniam offertis eis amorem Dei, a quibus petitis eleemosynam, dicendo: ,Amore Domini Dei facite nobis eleemosynam, cuius comparatione nihil est caelum et terra' ».

Franciscus in *Legenda maiori*, parte VII [3]: « Ite, quoniam hac novissima hora fratres Minores commodati sunt mundo, ut electi in eis impleant, unde a iudice commendentur: *Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis* [4]. Iucundum proinde dixit sub fratrum Minorum titulo mendicare, quem in retributione iustorum evangelicae veritatis (*c*) Magister ore tam signanter expressit. Unde exponendo illud Psalmi [5]: *Panem angelorum manducavit homo*, dixit, illum sane panem angelicum esse, quem pro Dei petitum amore et beatis suggerentibus angelis pro ipsius caritate largitum sancta paupertas colligit ostiatim ».

Franciscus in *Legenda maiori*, parte VII [6], in responsione ad dominum cardinalem Ostiensem, cur ivisset pro pane comesturus cum eo: « Magnum, mi domine, honorem vobis exhibui, dum maiorem dominum honoravi. Siquidem beneplacitum est Domino in paupertate, et ea maxime, quae voluntaria pro Christo mendicitas est. Hanc dignitatem regalem, quam pro nobis Dominus Iesus egenus factus assumpsit, ut sua nos ditaret inopia, ac vere pauperes spiritu regni caelorum reges institueret et heredes, nolo relinquere [pro feudo divitiarum falsarum nobis ad horam concesso. Ego nolo dimittere] dignitatem meam regalem et hereditatem ac professionem meam et fratrum Minorum, videlicet ire pro eleemosyna ostiatim. Paupertas enim est, quae reges regni caelorum instituit, non falsae vestrae divitiae ».

(*a*) Codex *legimus*. — (*b*) As et edd. *afferret*. — (*c*) As *paupertatis*.

[1] L. c. pag. 68. — [2] *Speculum perf.* c. 18 et II Cel. 3, 20. Pisanus verba utriusque permiscuit. — [3] C. 7 n. 8. — [4] Matth. 25, 40. — [5] Ps. 77, 25. — [6] C. 7 n. 7.

Franciscus in *Legenda antiqua* [1] fratri revertenti gaudenter de eleemosyna: «Sic volo, quod frater meus vadat et revertatur cum eleemosyna laetus et iucundus et gaudens, laudans Deum».

De cognitione propriae infirmitatis et gloriae fuga; et quod non potest homo de aliquo gloriari, nisi de infirmitatibus suis. — Capitulum XIX.

Franciscus in *Admonitionibus* [2]: «Attende, homo, in quanta excellentia posuit te Deus, qui creavit te et formavit ad imaginem dilecti Filii sui secundum corpus et ad similitudinem suam secundum animam. Et omnes creaturae, quae sub caelo sunt, serviunt et obediunt Creatori suo melius quam tu; et etiam daemones non crucifixerunt eum, sed tu cum ipsis crucifixisti eum et adhuc crucifigis, delectando in vitiis et peccatis. Unde ergo potes gloriari? Nam, si ita esses subtilis et sapiens, quod omnem scientiam haberes et scires interpretari omnia genera linguarum et de caelestibus rebus perscrutari, in omnibus his non potes gloriari. Daemon scivit de caelestibus, et modo scit de terrenis plus quam omnes homines, licet aliquis homo fuerit, qui summae sapientiae cognitionem a Domino recepit specialem. Similiter etiam si esses pulchrior et ditior omnibus, et etiam si faceres mirabilia ita, ut daemones fugares, omnia ista sunt tibi contraria, et nihil eorum ad te pertinet, et in his non potes gloriari. Sed in hoc possumus gloriari, in infirmitatibus nostris et in baiulando quotidie sanctam crucem Domini nostri Iesu Christi».

Franciscus in *regula nova*, c. 2 [3]: «Fratres, inquit, vestimentis vilibus induantur, et possint ea repetiare de saccis et aliis petiis cum benedictione Dei». Et sequitur: «Quos moneo et exhortor, ne despiciant neque iudicent homines, quos viderint mollibus vestimentis et coloratis indutos, uti cibis et potibus delicatis, sed magis unusquisque iudicet et despiciat semetipsum».

Franciscus in *Legenda maiori*, parte VI [4]: «Quantum homo est in oculis Dei, tantum est et non plus, stultum iudicans humanis extolli favoribus. Nemo laudandus, cuius incertus est exitus. De omni eo, quod potest peccator, nemo sibi debet iniquo applausu blandiri. Peccator potest ieiunare, potest orare, plangere carnemque macerare; hoc solum non potest, scilicet Domino suo esse fidelis. In hoc itaque gloriandum, si suam gloriam Domino reddimus, si fideliter [servientes] ipsi, quidquid donat, ascribimus».

Franciscus in *Admonitionibus* [5]: «Beatus servus, qui *thesaurizat in caelo bona* [6], quae Dominus sibi ostendit, et sub spe (*a*) mercedis non cupit ea manifestare hominibus; nam ipse Altissimus manifestabit opera sua, quibuscumque voluerit. Beatus servus, qui secreta Domini observat in corde suo».

Franciscus in *regula antiqua*, c. 17 [7]: «Omnia bona Domino Deo altissimo reddamus et summo, et omnia bona ipsius esse recognoscamus, et de omnibus ei gratias referamus, a quo bona cuncta procedunt. Et ipse altissimus et summus, solus verus Deus habeat, et ei reddantur, et ipse recipiat omnes honores et reverentias, omnes laudes et benedictiones, omnem gloriam, cuius est omne bonum, quia *solus* est *bonus* [8]».

(*a*) Codex *specie*.

[1] *Speculum perf.* c. 25, ubi «quidam pauper spiritualis». — [2] L. c. pag. 8. — [3] L. c. pag. 65. — [4] C. 6 n. 1 et 3. — [5] L. c. pag. 19. — [6] Matth. 6, 20. — [7] L. c. pag. 48. — [8] Luc. 18, 19.

De scientia mundana fugienda. — Capitulum XX.

Franciscus in *regula nova,* c. 10[1]: « Non curent nescientes litteras litteras addiscere, sed attendant, quod super omnia desiderare debent habere spiritum Domini et sanctam eius operationem, orare [semper] ad Deum puro corde et habere humilitatem et patientiam in persecutionibus, et diligere eos, qui nos reprehendunt et arguunt ».

Franciscus in *regula antiqua,* c. 17[2]: « Fratres, caveamus nobis ab omni superbia et vana gloria. Custodiamus nos a sapientia huius mundi et a prudentia carnis; caro (*a*) enim vult et studet multum ad verba habenda et parum ad operationem, et quaerit non religionem et sanctitatem interiorem spiritus, sed vult et desiderat religionem et sanctitatem foris apparentem hominibus. Et isti sunt, de quibus dicit Dominus[3]: *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam* ».

Franciscus in *Legenda antiqua,* capitulo de perfectione humilitatis[4]: « Fratres, qui scientiae curiositate ducuntur, in die tribulationis invenient manus suas vacuas. Ideo vellem eos magis roborari virtutibus, ut, cum tempus tribulationis venerit, secum haberent in angustia Dominum. Ventura est enim tribulatio, quo libri ad nihilum utiles in fenestris et latebris proiicientur[5]. Nolo, fratres meos cupidos esse scientia et libris (*b*); sed volo fundari super sanctam humilitatem et imitari puram simplicitatem, sanctam orationem et dominam paupertatem. Haec via sola est secura ad salutem propriam et aliorum aedificationem; quoniam Christus, ad cuius imitationem vocati sunt fratres, hanc solam nobis ostendit et docuit verbo pariter et exemplo. Multi fratres occasione aedificandi alios dimittent vocationem suam, videlicet sanctam humilitatem, puram simplicitatem, orationem et devotionem atque dominam nostram paupertatem. Et continget illis, [quod] unde putabunt magis imbui, id est impleri, devotione et accendi amore et illuminari Dei cognitione propter intellectum Scripturae, inde occasionaliter remanebunt intus frigidi et vacui, et sic ad pristinam vocationem redire non poterunt; quia tempus vivendi secundum vocationem suam in vano et falso studio amiserunt. Et sunt multi fratres, qui totum studium suum et sollicitudinem suam ponunt in acquirendo scientiam, dimittentes vocationem suam sanctam, extra viam humilitatis et sanctae orationis mente et corpore evagando; hi astabunt ante tribunal Christi nudi et vacui, et solius confusionis, verecundiae et doloris *manipulos reportantes*[6] ».

Franciscus in *Legenda maiori,* parte XI[7]: « Interrogatus beatus Franciscus, an placeret sibi, quod litterati iam recepti ad ordinem studio sacrae Scripturae intenderent, respondit: ,Mihi quidem placet, dum tamen exemplo Christi, qui magis orasse legitur quam legisse, orationis studium non omittant; nec tantum studeant, ut sciant, qualiter debent, sed ut audita faciant et, cum fecerint, aliis facienda proponant. Volo autem fratres meos discipulos evangelicos esse, sicque notitia veritatis proficere, quod in simplicitatis puritate concrescant, ut simplicitatem columbinam a prudentia serpentina non separent; quas Magister eximius ore suo benedicto coniunxit' ».

(*a*) As et edd. *spiritus; Opuscula* l. c. *spiritus carnis.* — (*b*) Edd. *scientiae et librorum.*

---

[1] L. c. pag. 72. — [2] L. c. pag. 47. — [3] Matth. 6, 2. — [4] Cfr. *Speculum perf.* c. 69 et 72. — [5] Usque huc in *Spec.* cit., c. 69; sequitur c. 72, ubi prima habentur sermone indirecto; ultima verba l. c. pag. 144 lin. 14-20. — [6] Ps. 125, 6. — [7] C. 11 n. 1.

De praedicatore, qualis debet esse. — Capitulum XXI.

Franciscus in *regula nova*, c. 9[1]: « Fratres non praedicent in episcopatu alicuius episcopi, cum ab eo illis fuerit contradictum. Et nullus frater populo audeat praedicare, nisi a ministro generali fuerit approbatus, et ab eo sibi officium praedicationis concessum. Et in praedicatione, quam faciunt, sint examinata et casta eorum eloquia, ad utilitatem et aedificationem populi, annuntiando eis vitia et virtutes, poenam et gloriam cum brevitate sermonis; quia *verbum abbreviatum fecit Dominus super terram*[2] ».

Franciscus in *regula antiqua*, c. 17[3]: « Nullus fratrum praedicet contra formam et institutionem sanctae romanae ecclesiae et, nisi sibi concessum fuerit a ministro suo. Omnes tamen fratres operibus praedicent. Et nullus praedicator appropriet sibi officium; sed quacumque hora ei iniunctum fuerit, sine omni contradictione dimittat. Unde deprecor in *caritate, quae Deus est*[4], omnes fratres meos praedicatores, ut studeant se humiliare in omnibus, non gloriari nec in se gaudere nec interius exaltare se de bonis verbis et operibus, immo de nullo bono, quod Deus facit vel dicit et operatur in eis aliquando et per ipsos, secundum quod dicit Dominus[5]: *In hoc nolite gaudere, quia spiritus vobis subiiciuntur;* et firmiter sciamus, quod non pertinet ad nos nisi vitia et peccata ».

Franciscus ibidem, c. 21[6], quid debent fratres praedicare: « Hanc talem exhortationem et laudem omnes fratres mei, quandocumque placuerit eis, annuntiare possunt inter quoscumque homines cum benedictione Dei: ,Timete et honorate, laudate et benedicite, *gratias agite*[7] et adorate Deum omnipotentem in trinitate et unitate, Patrem et Filium et Spiritum sanctum, omnium Creatorem. *Agite poenitentiam, facite dignos fructus poenitentiae*[8], et scitote, quia cito moriemini. *Date, et dabitur vobis; dimittite, et dimittetur vobis*[9]; et *si non dimiseritis, Dominus non dimittet vobis peccata vestra*[10]. *Confitemini omnia peccata vestra*[11]. Beati qui moriuntur in poenitentia, quia erunt in regno caelorum. Vae illis, qui non moriuntur in poenitentia; quia erunt filii diaboli, cuius opera faciunt[12], et ibunt in ignem aeternum. Cavete et abstinete ab omni malo et perseverate usque in finem in bono' ».

Franciscus in *Legenda maiori*, parte VIII[13]: « Officium praedicationis Patri misericordiarum omni sacrificio firmabat acceptius, maxime si studio fuerit perfectae caritatis impensum, ut ad id laboret magis exemplo quam verbo, magis lacrymosa prece quam loquaci sermone. Plangendum proinde dixit praedicatorem tanquam vera pietate privatum, sive qui in praedicatione non animarum quaerit salutem, sed propriam laudem, sive qui pravitate destruit vitae, quod aedificat veritate doctrinae. Praeferendum huic dicebat fratrem simplicem et elinguem, qui bono exemplo alios provocaret (*a*) ad bonum. Illud quoque verbum[14]: *Donec sterilis peperit plurimos,* taliter exponebat: ,Sterilis est frater pauperculus, qui generandi in ecclesia filios non habet officium; hic pariet in iudicio plurimos; quia quos nunc privatis orationibus con-

(*a*) Codex *praedicaret.*

[1] L. c. pag. 71. — [2] Rom. 9, 28. — [3] L. c. pag. 46. — [4] Cfr. 1 Ioan. 4, 8. — [5] Luc. 10, 20. — [6] Pag. 50. — [7] Thess. 5, 18. — [8] Matth. 3, 2 et Luc. 3, 8. — [9] Luc. 6, 37 et 38. — [10] Marc. 11, 26. — [11] Iac. 5, 16. — [12] Cfr. Ioan. 8, 44. — [13] C. 8 n. 1 et 2. — [14] I Reg. 2, 5.

vertit ad Christum, suae gloriae tunc Iudex ascribet. *Quae multos habet filios, infirmabitur;* quia praedicator vanus et loquax, qui multis nunc quasi sua virtute genitis gaudet, cognoscet tunc, se nihil proprium habere in eis' ».

Franciscus in *Legenda antiqua*, capitulo de perfectione humilitatis[1]: « Multi sunt fratres, qui totum suum studium et totam suam sollicitudinem ponunt in acquirendo scientiam, dimittentes vocationem suam sanctam, extra viam humilitatis et sanctae orationis mente et corpore evagando. Qui, cum populo praedicaverint et noverint, aliquos inde aedificari vel ad poenitentiam converti, inflantur et extollunt se de opere et lucro alieno; cum tamen magis in condemnationem et praeiudicium suum praedicaverint et nihil ibi secundum veritatem operati fuerint, nisi tanquam instrumenta illorum, per quos vere Dominus fructum huiusmodi acquisivit. Nam, quos creditur propter scientiam et praedicationem suam aedificari et ad poenitentiam converti, Dominus orationibus et lacrymis sanctorum pauperum, humilium et simplicium fratrum aedificat et convertit [licet ipsi sancti fratres ut plurimum hoc ignorent]; sic enim est voluntas Dei, ut illud nesciant, ne inde valeant superbire. Isti sunt fratres mei milites tabulae rotundae, qui latitant in desertis et in locis remotis, ut diligentius vacent orationi et meditationi, sua et aliorum peccata plorantes, viventes simpliciter et humiliter conversantes, quorum sanctitas a Deo cognoscitur, et aliquando fratribus et hominibus est ignota. Horum animae ab angelis cum Deo praesentabuntur, tunc Dominus ostendet eis fructum et mercedem laborum suorum, videlicet multas animas, quae suis exemplis, orationibus et lacrymis sunt salvatae. Et dicet illis: ,Filii mei dilecti, ecce, tot et tales animae salvatae sunt vestris orationibus, lacrymis et exemplis. Et *quia super pauca fuistis fideles, supra multa vos constituam*[2]. Alii enim praedicarunt et laboraverunt sermonibus sapientiae et scientiae suae, et ego meritis vestris fructum salutis operatus sum. Ideo suscipite laborum eorum mercedem et fructum meritorum vestrorum, qui est regnum aeternum, quod humilitatis et simplicitatis vestrae atque orationum et lacrymarum vestrarum violentia rapuistis'. Sicque isti *portantes manipulos suos*[3], id est fructus et merita sanctae humilitatis et simplicitatis suae, intrabunt in gaudium Domini laetantes et exsultantes. Illi vero, qui non curaverunt, nisi scire et aliis viam salutis ostendere, nihil operantes pro se, ante Christi tribunal astabunt nudi et vacui et solius confusionis et verecundiae et doloris manipulos deferentes. Tunc veritas sanctae humilitatis et simplicitatis, sanctaeque orationis et paupertatis, quae est vocatio nostra, exaltabitur (*a*) et magnificabitur; cui veritati ipsi inflati vento scientiae detraxerunt vita et vanis sermonibus scientiae suae dicentes, ipsam veritatem esse falsitatem, et tanquam caeci eos, qui ambulaverunt in veritate, persequentes. Tunc error et falsitas opinionum suarum, per quas ambulaverunt, quas esse veritatem praedicaverunt, per quas in caecitatis foveam multos praecipitaverunt, in dolore, confusione et verecundia terminabitur, et ipsi cum suis tenebrosis opinionibus *in tenebras exteriores*[4] cum tenebrarum spiritibus demergentur ».

Franciscus ibidem[5]: « Dicebat beatus Franciscus, quod propter praelationis officium et sollicitudinem praedicandi fratres non debent dimittere sanctam et devotam

(*a*) As et cdd. addunt *glorificabitur*.

[1] Cfr. *Speculum perf.* c. 72. — [2] Matth. 25, 23. — [3] Ps. 126, 6. — [4] Matth. 22, 13 et 25, 30. — [5] C. 73.

orationem, ire pro eleemosyna, operari aliquando manibus suis et alia humilitatis opera facere, sicut alii fratres, propter bonum exemplum et lucrum animarum suarum et aliorum. Multum enim aedificantur subditi, cum ministri et praedicatores vacant libenter orationi et inclinant se ad humilitatis opera et obsequia vilitatis. Aliter enim non possunt absque sui confusione, praeiudicio et condemnatione de hoc fratres alios admonere; oportet enim exemplo Christi *prius facere quam docere* [1], ac simul facere et docere ».

Franciscus in *Legenda maiori*, parte III [2]: Fratribus, quos ad praedicandum mittebat, beatus Franciscus dixit: « Ite, annuntiate hominibus pacem, praedicate poenitentiam in remissionem peccatorum. Estote in tribulationibus patientes, in orationibus vigiles, in laboribus strenui, in sermonibus modesti, in moribus graves, in beneficiis grati, quia pro his omnibus vobis regnum praeparatur aeternum ».

De exercitio et otio vitando. — Capitulum XXII.

Franciscus in *regula nova*, c. 5 [3]: « Fratres illi, quibus dedit Dominus gratiam laborandi, laborent fideliter et devote, ita quod, excluso otio animae inimico, sanctae orationis et devotionis spiritum non exstinguant, cui debent cetera temporalia deservire. De mercede vero laboris pro se et suis fratribus corporis necessaria recipiant, praeter denarios vel pecuniam, et hoc humiliter, sicut decet servos Dei et paupertatis sanctissimae sectatores ».

Franciscus in *regula antiqua* (*a*), c. 7 [4]: « Fratres, qui sciunt laborare, laborent, et eandem artem exerceant, quam noverunt, si non fuerit contra salutem animae suae, et honeste poterint operari. Nam, ait propheta [5]: *Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, et bene tibi erit*, et apostolus: *Qui non vult operari, non manducet* [6]. Et *unusquisque* in ea arte et labore, *qua vocatus est, permaneat* [7]. Et possint pro labore accipere omnia necessaria praeter pecuniam. Omnes fratres studeant bonis operibus insudare, quia scriptum est [8]: ‚Semper facito aliquid boni, ut diabolus te inveniat occupatum‘; et iterum [9]: ‚Otiositas est inimica animae‘. Ideo servi Dei semper orationi vel alicui bonae operationi insistere debent ».

Franciscus in *testamento* [10]: « Ego manibus laborabam et volo laborare; et omnes alii fratres similiter volo, quod laborent de laboritio, quod pertinet ad honestatem; qui nesciunt, discant, non propter necessitatem (*b*) recipiendi pretium laboris, sed propter bonum exemplum (*c*) ad repellendam otiositatem ».

Franciscus in *Legenda antiqua*, capitulo de perfectione humilitatis [11]: « Tepidos nec se negotio familiariter et humiliter applicantes dicebat evomendos cito de ore Dei. Et dixit: ‚Volo omnes fratres meos laborare et exercitari humiliter in operibus bonis, ut minus simus hominibus onerosi, et ne cor aut lingua in otio vagetur. Qui vero nihil sciunt laborare vel operari, addiscant‘. Lucrum vero et mercedem de labore non laborantis arbitrio, sed guardiani vel familiae arbitrio committendum esse dicebat ».

(*a*) As *testamento*. — (*b*) As et edd. melius *cupiditatem*. — (*c*) Edd. addunt *et*.

[1] Act. 1, 1. — [2] C. 3 n. 7. — [3] L. c. pag. 68. — [4] L. c. pag. 33 et 34. — [5] Ps. 127, 2. — [6] II Thess. 3, 10. — [7] I Cor. 7, 24. — [8] Hieron., Epist. 125 (alias 4) n. 11. — [9] Anselm., Epist. 49. — [10] L. c. pag. 79. — [11] *Speculum* cit. c. 75.

Franciscus in *Legenda maiori*, parte V[1]: « Otium autem, omnium malarum cogitationum sentinam, docebat summopere fugiendum, exemplo demonstrans, rebellem carnem et pigram disciplinis continuis et fructuosis laboribus edomandam. Unde corpus suum fratrem asinum appellabat, tanquam laboriosis supponendum oneribus et crebris caedendum flagellis et vili pabulo sustentandum. Si quem vero cernebat otiosum et pigrum, fratrem muscam censebat nominandum, eo quod talis nihil boni faciens, sed benefacta inficiens, vilem et abominabilem se hominibus reddat ». Et dicebat: « Volo, fratres meos laborare et exercitare, ne, otio dediti, per illicita corde aut lingua vagentur ».

De fratre Minore, quis est vere censendus. — *Capitulum XXIII.*

Franciscus in *Legenda antiqua*, capitulo de zelo ad perfectionem fratrum[2]: « Beatus Franciscus dixit, quod ille esset bonus frater Minor, qui haberet fidem fratris Bernardi, quam perfectissime habuit cum amore paupertatis; simplicitatem et puritatem fratris Leonis, qui vere sanctissimae fuit puritatis; curialitatem fratris Angeli, qui fuit primus miles, qui venit ad ordinem, et fuit omni curialitate et benignitate ornatus; fratris Massaei gratiosum aspectum et sensum naturalem cum pulchro et devoto suo eloquio; mentem elevatam in contemplatione, quam habuit frater Aegidius usque ad summam perfectionem; virtuosam et continuam orationem fratris Rufini, qui sine intermissione semper orabat, et dormiendo vel aliquid operando semper mens ipsius erat cum Domino; patientiam fratris Iuniperi, qui usque ad perfectum statum patientiae pervenit propter sanctam expropriationem propriae voluntatis, quam semper prae oculis habebat, et summum desiderium imitandi Christum per viam crucis; fortitudinem corporalem et spiritualem fratris Ioannis de Laudibus, qui fuit tempore illo fortis super omnes homines corpore; caritatem fratris Rogerii, cuius tota vita et conversatio fuit in fervore caritatis; et solitudinem (*a*) fratris Lucidi, qui fuit maximae solitudinis et nolebat stare nisi per mensem in loco, sed quando placebat sibi stare in aliquo, statim recedebat inde et dicebat: ,Non habemus hic mansiones (*b*), sed in caelo' » etc.

Franciscus in *Legenda maiori*, parte VI[3], et in *Legenda antiqua*, capitulo de perfectione humilitatis[4]: « Dicebat beatus Franciscus socio: ,Non mihi videor esse frater Minor, nisi fuero in statu, quem tibi descripsero. Ecce, praelatus exsistens fratrum, vado ad capitulum, praedico et commoneo fratres, sicut docuerit me Spiritus sanctus. Et in fine dicitur contra me: Non convenis nobis; quia illitteratus es, elinguis, idiota et simplex; unde de cetero non praesumas te vocari nostrum praelatum. Et tandem eiicior cum opprobrio, vilipensus ab omnibus. Dico tibi, nisi eodem vultu, eadem mentis laetitia et eodem sanctitatis proposito haec verba audiero, frater Minor nequaquam sum[5]' ». « Non mihi videtur, quod sim frater Minor, si non gaudeo, quando me vilipendunt et cum verecundia eiiciunt, nolentes, ut sim praelatus eorum, sicut etiam quando me venerantur et honorant, eorum profectu et utilitate utrobique aequaliter se habente. Nam, si gavisus sum, cum exaltant me et honorant propter profectum

(*a*) Edd. (et ed. *Speculi*) *sollicitudinem*. — (*b*) As et edd. *mansionem*.

[1] C. 5 n. 6. — [2] *Speculum* cit. c. 85. — [3] C. 6 n. 5. — [4] *Speculum* cit. c. 64. — [5] Hucusque *Leg. mai.* et *Speculum*; quae sequuntur sunt in *Spec.* l. c.

et devotionem (*a*) ipsorum, ubi tamen animae meae periculum esse potest, multo magis debeo laetari et iucundari de profectu et salute animae meae, cum vituperant, ubi lucrum est certum ».

Franciscus in *Legenda antiqua*, capitulo de perfectione paupertatis, in responsione domino Bonaventurae [1]: « Dominus nos fratres Minores vocavit in adiutorium fidei suae et praelatorum et clericorum sanctae ecclesiae, et ideo tenemur, quantum possumus, ipsos semper diligere, honorare et revereri. Nam vocantur fratres Minores; quia sicut nomine, ita exemplo et opere prae ceteris hominibus huius saeculi humiles esse debent ».

De bono exemplo proximo exhibendo, ut aedificetur. — Capitulum XXIV.

Franciscus in *Legenda antiqua* [2], capitulo de perfectione humilitatis: Beatus Franciscus respondendo cuidam sacrae theologiae magistro verbum Ezechielis [3]: *Si non annuntiaveris impio impietatem suam, sanguinem eius de manu tua requiram*, sic exponebat dicens: « Si verbum debet generaliter intelligi, ego taliter ipsum accipio, quod servus Dei sic debet vita et sanctitate in se ipso ardere vel fulgere, ut luce exempli et lingua sanctae conversationis omnes impios reprehendat; sic, inquam, splendor vitae eius et odor famae eius annuntiabit omnibus impiis (*b*) iniquitates eorum ».

Franciscus in *Legenda antiqua*, capitulo de perfectione humilitatis [4], et in *Legenda maiori*, parte VIII [5]: « Affirmabat beatus Franciscus, hoc tempore novissimo fratres Minores a Domino missos, ut peccatorum obvolutis caligine lucis exempla monstrarent ». « Suavissimis se dicebat repleri odoribus et quasi unguento pretioso liniri, cum sanctorum fratrum per orbem distantium odorifera fama multos audiret ad viam veritatis induci. Et talium auditu exsultabat in spiritu, benedictionibus omni acceptione dignissimis fratres illos accumulans, qui verbo vel opere ad Christi amorem inducerent peccatores. Sic etiam, qui religionem sacram iniquis violarent operibus, maledictionis eius gravissimam incurrebant sententiam: ‚A te, inquit, sanctissime Domine, et a tota caelesti curia et a me parvulo tuo sint maledicti, qui suo malo exemplo confundunt et destruunt, quod per sanctos fratres ordinis huius aedificasti et aedificare non cessas' ».

De compassione habenda ad delinquentes. — Capitulum XXV.

Franciscus in littera directa generali ministro [6]: « In hoc volo cognoscere, si tu diligis Dominum et me, servum suum et tuum, si feceris istud, scilicet, quod non sit aliquis frater in mundo, qui peccaverit, quantumcumque potuerit peccare, quod, postquam viderit oculos tuos, unquam recedat sine misericordia tuà. Et si non quaereret, tu quaeras ab eo, si vult misericordiam. Et si millies postea appareret coram oculis tuis, dilige eum plus quam me ad hoc, ut trahas eum ad bonum. Et semper miserearis talibus. Et istud denunties guardianis, quando poteris, quod per te sic firmus es facere. Et omnes fratres, qui scirent, eum peccasse, non faciant ei vere-

(*a*) As *honorem*. — (*b*) As et edd. om. *impiis*.

[1] *Speculum* cit. c. 10. — [2] *Speculum* cit. c. 53. — [3] Ezech. 3, 18. — [4] *Speculum* cit. c. 51. — [5] C. 8 n. 3. — [6] L. c. pag. 108.

cundiam nec detractionem, sed magis misericordiam habeant circa ipsum, et teneant privatum peccatum fratris sui; quia *non est opus sanis medicus, sed male habentibus* [1]. Si quis fratrum, instigante inimico, mortaliter peccaverit, per obedientiam teneantur recurrere ad guardianum suum; et guardianus similiter per obedientiam teneatur eum mittere custodi; ipse vero custos (*a*) provideat ei, sicut ipse vellet provideri sibi, si esset in simili (*b*) casu. Et isti penitus non habeant potestatem iniungendi aliam poenitentiam, nisi illam: *Vade et amplius noli peccare* [2] ». — Nota, quod hic, ut in regula, custodem beatus Franciscus accipit pro ministro.

Franciscus in *regula nova*, c. 10 [3]: « Fratres, qui sunt ministri et servi aliorum fratrum, visitent et moneant fratres suos, et humiliter et caritative corrigant eos, non praecipientes eis aliquid, quod sit contra animam suam et regulam nostram. Et ubicumque sunt fratres, qui scirent et cognoscerent, se non posse regulam spiritualiter observare, ad suos ministros debeant et possint recurrere. Ministri vero caritative et benigne eos recipiant, et tantam familiaritatem habeant circa ipsos, ut dicere eis possint et facere, sicut domini servis suis; nam ita debet esse, quod ministri sint servi omnium fratrum ».

De detractione fugienda. — Capitulum XXVI.

Franciscus in *Legenda* fratris Thomae, capitulo de caritate [4]: « Detractores super omne aliud genus vitiorum horribiliter exsecrans venenum in lingua ferre eos dicebat, aliosque veneno inficere. Semel quendam audivit famam fratris denigrantem; inquit ad vicarium suum verbum valde terribile: ,Instant religioni discrimina, nisi detractoribus obvietur; cito multorum (*c*) suavissimus odor foetebit, nisi foetidorum ora claudantur. Summa volo providentia cures tu et omnes ministri, ne pestifer iste morbus latius se diffundat'. Fratrem dicebat, qui fratrem famae gloria spoliaret, tunica spoliandum, nec oculos ad Deum posse levare, nisi prius, quod abstulerat, redderet. Et dicebat ipse beatus Franciscus: ,Vox detractoris ista est: vitae mihi perfectio deest, scientiae vel peculiaris gratiae facultas non suppetit, ac per hoc nec apud Deum locum invenio nec apud homines. Scio quid faciam: Ponam maculam in electis, et apud maiores gratiam promerebor. Scio praelatum meum hominem esse eodemque mecum quandoque uti officio, quo succisis cedris, solus videatur rhamnus (*d*) in via'. Eia miser! humanis corporibus vescere; et quia vivere aliter non potes, fratrum viscera rode. Tales boni student videri, non fieri; accusantes vitia, nec vitia deponentes; solos eos laudant, quorum cupiunt auctoritate foveri; silentes a laudibus, quas ad laudatum non aestimant reportari; ieiunae faciei pallorem perniciosis laudibus vendunt, ut spirituales videantur, qui diiudicent omnia, et ipsi a nemine iudicentur. Gaudent sanctitatis opinione, non opere, angelico nomine, non virtute.

Franciscus in *regula nova*, c. 10 [5]: « Moneo quoque et exhortor fratres meos in Domino Iesu Christo, ut caveant ab omni superbia, vana gloria, invidia, avaritia, cura et sollicitudine huius saeculi, detractione et murmuratione ».

(*a*) As et edd. addunt *misericorditer*. — (*b*) As et edd. *consimili*. — (*c*) As *iustorum*. — (*d*) Edd. *ramus*.

[1] Matth. 9, 12. — [2] Ioan. 8, 11. — [3] L. c. pag. 71. — [4] II Cel. 3, 115. — [5] L. c. pag. 72.

De eo, quid agendum est a fratribus post mundi abdicationem. — Capitulum XXVII.

Franciscus in *regula antiqua*, c. 22[1]: « Nunc autem fratres, postquam mundum dimisimus, nihil aliud habemus facere, nisi solliciti simus sequi Domini voluntatem et placere ei. Multum caveamus, ne simus terra secus viam vel petrosa vel spinosa, sed semen, de quo (*a*) dicit Dominus in evangelio[2]: *Semen est verbum Dei. Quod autem secus viam cecidit et conculcatum est, hi sunt, qui audiunt verbum regni et non intelligunt; et confestim venit diabolus, et rapit quod seminatum est in cordibus eorum, et tollit verbum de cordibus eorum, ne credentes salvi fiant. Quod autem supra petrosam cecidit, hi sunt, qui, cum audierint verbum, statim cum gaudio suscipiunt illud; facta autem persecutione et tribulatione propter verbum, continuo scandalizantur; et hi radices non habent, sed temporales sunt; quia ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt. Quod autem in spinis cecidit, hi sunt, qui verbum Dei audiunt, et sollicitudo et aerumnae huius saeculi, substantia et fallacia divitiarum et circa reliqua concupiscentiae introeuntes suffocant verbum, et sine fructu efficitur. Quod autem in terram bonam seminatum est, hi sunt, qui corde bono et optimo audientes verbum intelligunt et retinent, et fructum afferunt in patientia.* Et propterea nos fratres, sicut dicit Dominus[3], *dimittamus mortuos sepelire mortuos suos.* Et multum caveamus a malitia et subtilitate satanae, qui vult, ne homo mentem suam et cor habeat ad Dominum Deum; et circuiens desiderat cor hominis sub specie alicuius mercedis vel adiutorii tollere et suffocare verbum et praecepta Domini a memoria. Et vult cor hominis per saecularia (*b*) negotia et curam excaecare et inhabitare, sicut dicit Dominus[4]: *Cum immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida et inaquosa, quaerens requiem; et non inveniens dicit: Revertar in domum meam, unde exivi. Et veniens invenit eam vacantem, scopis mundatam et ornatam. Tunc vadit et assumit septem alios spiritus nequiores se, et ingressi habitant ibi, et fiunt novissima hominis illius peiora prioribus.* Unde, omnes fratres, custodiamus nos multum, ne sub specie alicuius mercedis vel operis vel adiutorii perdamus aut tollamus mentem nostram et cor a Deo. Sed in sancta *caritate, quae Deus est*[5], rogo omnes fratres, ut omni impedimento remoto et omni cura et sollicitudine postposita, quocumque modo melius possunt, debeant servire, amare et honorare et adorare Dominum Deum mundo corde et pura mente, quod ipse super omnia quaerit; ac semper faciamus habitaculum et mansionem ipsi, qui est Dominus Deus omnipotens, Pater et Filius et Spiritus sanctus ».

De fratrum conversatione inter fideles et (*c*) *catholicos. — Capitulum XXVIII.*

Franciscus in *Legenda trium sociorum*, in diversis capitulis: « Consideremus, fratres carissimi, vocationem nostram, qua misericorditer vocavit nos Deus, non tantum pro nostra, sed pro multorum salute, ut eamus per mundum exhortando omnes plus exemplo quam verbo ad agendum poenitentiam de peccatis suis et habendam memoriam mandatorum Dei. Nolite timere, sed securi annuntiate simpliciter

(*a*) Ed. *regulae* l. c. *spinosa, secundum quod.* — (*b*) As et edd. addunt *desideria.* — (*c*) Edd. om. *et.*

[1] L. c. pag. 52. — [2] Matth. 13, 19-23; Marc. 4, 15-20; Luc. 8, 11-15. — [3] Matth. 8, 22. — [4] Matth. 12, 43-45; Luc, 11, 24-26. — [5] I Ioan. 4, 16.

poenitentiam, confidentes in Domino, *qui vicit mundum* [1], quod spiritu suo loquetur per vos et in vobis, ad exhortandum omnes, ut convertantur ad ipsum et eius mandata observent [2] ». « Caveamus, *qui reliquimus omnia* [3], ne pro modico regnum caelorum perdamus. Et si pecuniam in aliquo loco inveniamus, non curemus plus quam de pulvere, quem calcamus [4] ». « Monebat, ut nullum hominem iudicarent, neque despicerent illos, qui delicate vivunt et curiose ac superflue induuntur. Deus est noster et ipsorum Dominus, potens illos ad se vocare et vocatos iustificare. Volebatque ut fratres tales revererentur sicut fratres et dominos suos; quia fratres sunt, in quantum ab uno Creatore creati; Domini sunt, in quantum bonos adiuvant ad poenitentiam faciendam, eis necessaria corporis ministrantes. Et dicebat beatus Franciscus: ,Talis fratrum conversatio inter gentes esse deberet; ut quicumque audirent vel viderent eos, glorificarent Patrem caelestem et devote laudarent'. Et dicebat illis: ,Sicut pacem annuntiatis ore, sic in cordibus vestris pacem et amplius habeatis. Nullus per vos provocetur ad iram vel scandalum, sed omnes per mansuetudinem vestram ad pacem, benignitatem et concordiam provocentur; nam ad hoc vocati sumus, ut vulneratos curemus, alligemus confractos et erroneos revocemus. Multi enim videntur nobis esse membra diaboli, qui adhuc discipuli erunt Christi' [5] ».

Franciscus in *Legenda maiori*, parte III [6]: « Estote in tribulationibus patientes, in orationibus vigiles, in laboribus strenui, in sermonibus modesti, in moribus graves et in beneficiis grati ».

De gratifica fratrum inter infideles (*a*) *conversatione. — Capitulum XXIX.*

Franciscus in *regula antiqua*, c. 16 [7]: « Dicit Dominus [8]: *Ecce, ego mitto vos sicut oves in medio luporum. Estote ergo prudentes sicut serpentes et simplices sicut columbae.* Unde quicumque fratrum divina inspiratione ire inter saracenos et alios infideles velint, vadant cum licentia sui ministri et servi. Ministri dent illis licentiam et non contradicant, si viderint eos idoneos ad mittendum; nam tenebitur Domino reddere rationem, si in hoc vel aliis indiscrete processerit. Fratres vero, qui vadunt, possunt duobus modis inter eos conversari: uno modo, quod non faciant lites neque contentiones, sed sint *subditi omni humanae creaturae propter Deum* [9], et confiteantur, se esse christianos. Alius modus est, quod, cum viderint placere Deo, annuntient verbum Dei, ut credant in Deum Patrem omnipotentem et Filium et Spiritum sanctum, Creatorem omnium, Redemptorem et Salvatorem Filium, et ut baptizentur et efficiantur christiani; quia, *nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei* [10]. Haec et alia, quae placuerint Deo, ipsis et aliis dicere possunt; quia dicit Dominus in evangelio [11]: *Omnis, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo, qui in caelis est;* et [12]: *Qui erubuerit me et meos sermones, hunc Filium hominis, cum venerit in maiestate sua et Patris et sanctorum ac angelorum, erubescet.* Et omnes fratres, ubicumque sunt, recordentur, quod dederunt se et reliquerunt corpora sua Domino nostro Iesu Christo, et pro eius

(*a*) As *fideles*.

[1] Ioan. 16, 33. — [2] N. 36. — [3] Matth. 19, 27. — [4] N. 35. — [5] N. 58. — [6] C. 3 n. 7. — [7] L. c. pag. 43. — [8] Matth. 10, 16. — [9] I Petr. 2, 13. — [10] Ioan. 3, 5. — [11] Matth. 10, 32. — [12] Luc. 9, 26.

amore debent se exponere inimicis tam visibilibus quam invisibilibus, quia dicit Dominus[1]: *Qui perdiderit animam suam propter me*, in vitam aeternam *salvam faciet eam. Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum caelorum*[2]. *Si me sunt persecuti, et vos persequentur*[3]. *Si autem persequuntur vos in una civitate, fugite in aliam*[4]. *Beati estis, cum vos oderint homines, et cum separaverint vos et eiecerint nomen vestrum tanquam malum, et cum dixerint omne malum adversum vos mentientes propter me; gaudete* [*in illa die*] *et exsultate, quoniam merces vestra multa est in caelis*[5]. *Dico autem vobis, amicis meis, ne terreamini ab his, et nolite timere eos, qui occidunt corpus et post hoc non habent amplius quid faciant*[6]. *Videte, ne turbemini*[7]. *In patientia enim vestra possidebitis animas vestras*[8]. *Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit*[9] ».

De religiosa habitatione in eremitoriis. — Capitulum XXX.

Franciscus in suis *Admonitionibus*[10]: « Illi, qui volunt religiose stare in eremitoriis, sint tres aut quatuor ad plus. Duo ex ipsis sint matres et habeant duos filios aut unum ad minus. Illi duo teneant vitam Marthae et alii duo vitam Mariae Magdalenae. Illi autem, qui tenebunt vitam Mariae, habeant unum claustrum, et quilibet habeat locum suum ita, quod neque habitent simul neque cubent. Et semper dicant completorium de die, quando sol revertitur ad occasum. Et studeant tenere silentium, et dicant horas suas et surgant ad matutinum. Et *primum quaerant regnum Dei et iustitiam eius*[11]. Et hora congrua dicant primam et tertiam, et post horam tertiam solvant silentium et possint loqui et ire ad matres suas et, quando placuerit, possint petere ab eis eleemosynas propter amorem Domini Dei, sicut pauperes pauperculi. Et postea dicant sextam, nonam et vesperas tempore debito. Et in claustro, ubi morantur, non permittant aliquam personam introire, sed neque ibi comedant. Et illi fratres, qui sunt matres, studeant manere remote ab omni persona. Et per obedientiam sui custodis custodiant filios suos ab omni persona, ut nemo possit eis loqui; et isti filii non loquantur cum aliqua persona, nisi cum matribus suis et custode suo, quando placebit ei visitare ipsos cum benedictione Dei. Filii vero quandoque officium matrum assumant, sicut vicissitudinaliter pro tempore visum fuerit eis disponendum. Qui omnia supradicta studiose et sollicite studeant observare ».

De laetitia spirituali semper habenda. — Capitulum XXXI.

Franciscus in *Legenda antiqua*, de zelo ipsius, capitulo octavo[12]: « Beatus Franciscus volebat fratres suos interius et exterius laetitiam spiritualem habere. Dicebat enim, quod, si servus Dei studuerit habere et conservare interius et exterius laetitiam spiritualem, quae provenit ex munditia cordis et acquiritur per devotionem orationis, daemones nihil possunt ei nocere dicentes: ‚Ex quo in tribulatione et prosperitate laetitiam habet servus Dei, non possumus invenire aditum (*a*) intrandi ad ipsum,

(*a*) As *viam*.

[1] Marc. 83; Luc. 9, 24. — [2] Matth. 5, 10. — [3] Ioan. 15, 20. — [4] Matth. 10, 23. — [5] Matth. 5, 11 et 12; Luc. 6, 22 et 23. — [6] Matth. 10, 28; Luc. 12, 4. — [7] Matth. 24, 6. — [8] Luc. 21, 19. — [9] Matth. 10, 22. — [10] L. c. pag. 83. — [11] Matth. 6, 33. — [12] *Speculum perf.* c. 95.

nec sibi nocere‘. Sed tunc exsultant daemones, quando devotionem et laetitiam, quae provenit ex munda oratione et ex aliis virtuosis operibus, possunt exstinguere vel aliqualiter impedire. Nam, si diabolus in servo Dei possit aliquid habere de suo, nisi fuerit sapiens et sollicitus delere et destruere illud, quam citius poterit, per virtutem sanctae orationis, contritionis, confessionis et satisfactionis, in brevi tempore de uno capillo facit unam trabem, semper ibi aliquid adiiciendo. Quia ergo, fratres mei, ex munditia cordis et puritate orationis continuae haec laetitia spiritualis circa illa duo acquirenda et consideranda principaliter consistit, est studendum, ut ipsam laetitiam, quam in me et in vobis cupio summo affectu et diligo cernere et sentire, possitis habere interius et exterius ad aedificationem proximi et vituperium inimici. Ad ipsum enim et ad membra eius pertinet contristari, ad nos autem laetari semper et in Domino gaudere ».

Item dicebat beatus Franciscus [1]: « Quoniam scio, quod daemones invident mihi de beneficiis, quae mihi Deus dedit, scio etiam et video, quod, cum nocere non possunt mihi per me, student mihi nocere per socios meos. Si vero per me vel per socios meos mihi nocere non possunt, cum magna confusione recedunt; immo quandoque, si essem tentatus vel accidiosus, considero laetitiam socii mei, et statim occasione laetitiae illius revertor de tentatione et accidia ad interiorem laetitiam et exteriorem ».

Semel reprehendens unum ex sociis tristem in facie (*a*) dixit [2]: « Cur ostendis exterius de tuis offensis dolorem? Inter te et Deum habeas hanc tristitiam et ora ipsum, ut per suam misericordiam tibi parcat et reddat animae tuae laetitiam salutaris tui, qua per peccati demeritum est privata. Coram autem me et aliis ostendas semper habere laetitiam; nam servo Dei non convenit coram fratre suo vel alio ostendere tristitiam et faciem turbulentam (*b*) ».

Franciscus in *Admonitionibus* [3]: « Beatus ille religiosus, qui non habet iucunditatem et laetitiam, nisi in sanctissimis eloquiis et operibus Domini, et cum suis (*c*) provocat homines ad amorem Dei in gaudio et laetitia. Et vae illi religioso, qui delectatur in verbis otiosis et inanibus et cum his provocat homines ad risum ».

De generali ministro ordinis Minorum et sociis eius. — Capitulum XXXII.

Franciscus in *Legenda antiqua*, capitulo de zelo ad religionem [4]: Cum frater quidam beato Francisco dixisset prope finem vitae suae: « Pater, tu transibis ad Dominum, et familia te secuta remanebit in valle lacrymarum. Innue nobis aliquem, si cognoscis, in quo tuus animus conquiescat, cui onus generalis ministerii (*d*) digne possit imponi », respondit beatus Franciscus, induens cuncta verba suspiriis: « Tam magni et multimodi exercitus ducem, tam ampli et dilatati gregis pastorem, fili mi, nullum sufficientem intueor. Sed unum vobis depingam, in quo reluceat, qualis debeat esse istius familiae dux et pastor. Homo, inquit, iste debet esse vitae gravissimae, discretionis magnae, famae laudabilis, privatis affectionibus carens, ne dum in parte plus diligit, in toto scandalum generet. Debet illi orationis studium esse amicum, ita tamen, quod certas horas animae suae et certas gregi suo distribuat. Nam primo mane

(*a*) Codex *faciem*. — (*b*) As (et ed. *Speculi*) *tribulatam*. — (*c*) As et edd. *his*. — (*d*) As *ministri*.

[1] L. c. c. 96. — [2] L. c. c. 96. — [3] L. c. pag. 15. — [4] *Speculum perf.* c. 80.

debet sanctissimum sacrificium missae praemittere et ibidem longa devotione se ipsum et gregem divinae protectioni affectuosius commendare. Post orationem vero se ipsum statuat ab omnibus depilandum, omnibus responsurum, omnibus cum caritate, patientia et mansuetudine provisurum (*a*). Non debet esse acceptor personarum, ita quod non minus curet de simplicibus et idiotis quam de scientibus et sapientibus. Cui si donum scientiae est concessum, tamen plus in moribus pietatis et simplicitatis, patientiae et humilitatis imaginem ferat, foveatque virtutes in se et in aliis, atque in practicando eas continue se exerceat, ad hoc alios plus exemplo quam sermonibus incitando. Sit exsecrator pecuniae, quae nostrae professionis et perfectionis est praecipua corruptela, et tanquam caput et exemplar imitandum ab omnibus nullis unquam (*b*) loculis abutatur. Sufficiat autem sibi pro se habitus et libellus, pro aliis vero pennarolus cum calamo et pugillari et sigillum. Non sit aggregator librorum nec lectioni multum intentus, ne forte detrahat officio, quod praerogat studio. Consoletur pie afflictos, cum sit ultimum remedium tribulatis, ne, si apud eum defuerint remedia sanctitatis, desperationis morbus (*c*) praevaleat in infirmis. Ut protervos flectat ad mansuetudinem, se ipsum prosternat et aliquid sui iuris relaxet, ut animam lucrifaciat. Ad refugos ordinis, velut ad oves, quae perierunt, viscera pietatis expandat, et nunquam misericordiam neget illis, sciens tentationes illas pervalidas, quae ad tantum possunt impellere casum, quas si ipsum permitteret Dominus experiri, forte in maius praecipitium laberetur. Vellem ipsum tanquam Christi vicarium ab omnibus cum devotione et reverentia honorari, atque sibi ab omnibus et in omnibus cum omni benevolentia iuxta eius necessitatem et status nostri condecentiam provideri. Veruntamen oportet eum non arridere honoribus, neque favoribus plus quam iniuriis delectari ita, quod propter honores non mutentur eius mores, nisi in melius. Si quando vero propensiori et meliori cibo indigeret, non in absconso, sed in publico loco assumat, ut aliis tollatur verecundia providendi sibi in infirmitatibus et debilitatibus suis. Ad eum maxime pertinet latentes conscientias distinguere et ex occultis venis eruere veritatem. Omnes accusationes in principio habeat suspectas, donec veritas ex diligenti examinatione incipiat apparere. Aures etiam non praebeat multiloquiis, et multiloquos in accusationibus specialiter habeat suspectos, nec faciliter credat eis. Talis denique debet esse, quod propter cupiditatem retinendi honorem naturalem (*d*) formam iustitiae et aequitatis nullatenus inficiat vel relaxet, ita tamen, quod ex nimio rigore nullius anima occidatur, et ex superflua mansuetudine non nascatur torpor, atque ex laxa indulgentia non proveniat dissolutio disciplinae, sicque ab omni timeatur et ab ipsis timentibus diligatur. Officium autem praelationis semper putet et sentiat sibi fore potius oneri quam honori. Vellem itaque, eum habere socios praeditos honestate, rigidos adversus voluptates (*e*), fortes in angustiis et compassivos delinquentibus, habentes aequalem affectionem ad omnes, nihil de labore suo recipientes, nisi puram corporis necessitatem, et nihil appetentes, nisi laudem Dei, ordinis profectum, animae propriae meritum et fratrum omnium perfectam salutem, omnibus convenienter affabiles, et omnes convenientes ad ipsos cum sancta iucunditate recipientes, atque formam et exemplum observantiae evangelii iuxta professionem regulae in semetipsis pure et simpliciter omnibus ostendentes. Ecce, inquit, talis debet esse generalis minister et tales socios debet habere ».

(*a*) As om. *omnibus-provisurum.* — (*b*) Ed. *Speculi* l. c. *multis nequaquam.* — (*c*) Ed. *Speculi* l. c. *desperatio morbi.* — (*d*) As et edd. *virilem;* ed. *Speculi vilem.* — (*e*) Ed. *Speculi proprias voluntates.*

Franciscus in *regula nova,* c. 8[1]: « Universi fratres unum de fratribus istius religionis teneantur habere generalem ministrum et servum totius fraternitatis, cui teneantur firmiter obedire ».

De eo, quod simus filii Dei, sponsi, fratres et matres Christi. — Capitulum XXXIII.

Franciscus in epistola ad omnes fideles[2]: « Omnes, qui opera Dei fecerint et perseveraverint usque in finem, *requiescet Spiritus Domini*[3], *et faciet in eis* habitaculum et *mansionem*[4], et erunt *filii Patris caelestis*[5], cuius opera faciunt, et sunt sponsi et fratres et matres Domini nostri Iesu Christi. Sponsi sumus, quando per Spiritum sanctum coniungitur fidelis anima Domino nostro Iesu Christo. Fratres sumus, quando *facimus voluntatem Patris eius*[6]. Matres eius sumus, quando portamus eum in corde et corpore nostro per amorem et puram et sinceram conscientiam; parturimus autem eum per sanctam operationem, quae lucere debet aliis in exemplum. O quam gloriosum, magnum et sanctum est habere in caelis Patrem! O quam pulchrum et admirabile habere in caelis sponsum! O quam sanctum et dilectum, beneplacitum et humile, pacificum et dulce, amabile et [super omnia] desiderabile habere talem fratrem, qui *posuit animam suam pro ovibus suis*[7] et oravit ad Patrem[8] [pro nobis] dicens: *Pater conserva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi. Pater, quos dedisti mihi in mundo, tui sunt. Rogo pro eis, benedic et sanctifica eos. Et volo, ut, ubi ego sum, et illi sint mecum, ut videant claritatem meam in regno tuo* ».

De fuga nominis magisterii (a). *— Capitulum XXXIV.*

Franciscus in *Legenda antiqua*[9]: « Dicebat humilis imitator Christi Franciscus, sciens, nomen magisterii soli ipsi Christo convenire, per quem *omnia facta sunt* opera[10], quod libenter vellet scire facere omnia, sed nollet esse magister nec magistri nomine insigniri, ne ex tali nomine contra verbum Christi in evangelio prohibentis facere videretur[11], quia melius est esse humilem cum paupercula sua scientia, quam, si esset possibile, scire facere omnia mirabilia et magnalia, et praesumere contra gloriosi magistri humilia documenta. Nam nomen magisterii nemini convenit, nisi Domino Iesu Christo, cuius perfecta sunt opera. Et mandavit, ut nullus super terram magister vocaretur et vocari praesumeret; quia *unus* et solus et verus absque defectu in caelis *est magister* benedictus *Christus,* qui est Deus et homo, lux et vita, conditor mundi, laudabilis et gloriosus in saecula. Amen ».

De non dimittendo satisfacere, si homo potest ante mortem, propter parentes et amicos. — Capitulum XXXV.

Franciscus in epistola ad omnes fideles[12]: « Omnes illi, qui non sunt in poenitentia et non recipiunt corpus et sanguinem Domini nostri Iesu Christi, sed operantur vitia et peccata et ambulant post malam concupiscentiam et mala desideria et non observant, quae promiserunt, et serviunt corporaliter mundo et carnalibus desideriis

(a) As *Quomodo homo cognoscitur, quod sit servus, et quibus.*

[1] L. c. pag. 70. — [2] L. c. pag. 93. — [3] Isai. 11, 2. — [4] Ioan. 14. 23. — [5] Matth. 5, 45. — [6] Matth. 12, 50. — [7] Ioan. 10, 15. — [8] Ioan. 17, 6-24. — [9] *Actus* c. 17. — [10] Ioan. 1, 3. — [11] Matth. 23, 8 et 10. — [12] L. c. pag. 95.

et curis et sollicitudinibus huius saeculi, mente autem serviunt diabolo, decepti ab ipso, cuius filii sunt, caeci sunt; quia verum lumen Dominum Iesum Christum non vident. Hi sapientiam spiritualem non habent, quia non habent Filium Dei in se, qui est sapientia Patris. Vident, agnoscunt, sciunt et faciunt mala, et scienter perdunt animas suas. Venite (*a*), caeci decepti ab inimicis vestris, a carne, mundo et a diabolo. Corpori dulce est facere peccatum, et amarum Deo servire; quia omnia mala vitia et peccata *de corde hominis exeunt et procedunt*, sicut dicitur in evangelio [1]. Et nihil boni habebitis in hoc saeculo neque in futuro. Putatis diu possidere vanitates huius saeculi; sed decepti estis; quia veniet dies et hora, quam nescitis et non cogitatis. Infirmatur corpus, mors appropinquat, veniunt propinqui, et anima dicit (*b*): ‚Dispone tua'. Ecce, uxor et filii eius et propinqui et amici fingunt se flere. Et respiciens videt eos flentes, et movetur malo motu et cogitando intra se dicit eis: ‚Ecce, animam et corpus meum et omnia mea pono in manibus vestris'. Vere iste homo est maledictus, qui confidit et ponit animam suam et corpus et omnia sua in talibus manibus; unde dicit Dominus per prophetam [2]: *Maledictus homo, qui confidit in homine.* Et statim faciunt venire sacerdotem; et dicit ei sacerdos: ‚Vis recipere poenitentiam de omnibus peccatis tuis'? Respondet: ‚Volo'. ‚Vis satisfacere de omnibus male ablatis, id est de his, in quibus fraudasti proximum'? Respondet: ‚Non, quia omnia disposui (*c*) in manibus propinquorum et amicorum meorum'. Et incipit perdere loquelam, et sic moritur ille amara morte. Sed sciant omnes, quod, ubicumque et qualitercumque homo moriatur in criminali peccato sine satisfatione, et potest satisfacere, diabolus accipit animam suam de corpore cum tanta angustia et tribulatione, quantam nullus scire potest, nisi qui recipit. Et omnia talenta, potestas, scientia et sapientia, quae ipse putabat habere, auferuntur ab eo. Et propinqui et amici tollunt substantiam eius et dividunt; et dicunt postea: ‚Maledicta sit anima eius, quia plura potuit dare et acquirere quam dederit et acquisiverit'. Vermes vero comedunt corpus, et sic perdit animam et corpus in hoc brevi saeculo et vadit in infernum, ubi cruciabitur sine fine ».

Quomodo homo cognoscit (*d*), *quod sit servus Dei, et quibus. — Capitulum XXXVI.*

Franciscus in *Legenda antiqua*, capitulo de perfectione humilitatis [3]: Dicebat beatus Franciscus fratribus: « Rogavi Dominum, ut mihi dignaretur ostendere, quando sum servus eius et quando non. Nam nihil aliud vellem, nisi exsistere servus Dei. Ipse autem Dominus benignissimus sua dignatione respondit mihi: ‚Servum meum veraciter te esse cognosce, cum sancta cogitas, loqueris et operaris'. Ideo vobis praedicta insinuavi, ut coram vobis possim verecundari, quando videbitis me deficere in his omnibus vel in aliquo praedictorum ».

Franciscus in *Legenda antiqua*, capitulo de perfectione paupertatis [4]: « Exsecrabatur beatus Franciscus vestitos triplicibus et qui praeter necessitatem mollibus [vestibus] utebantur in ordine; necessitatem vero, quam non ratio, sed voluptas ostentat (*e*), signum exstincti spiritus asserebat. Spiritu, inquit, tepido et paulatim a gratia

(*a*) As et edd. *videte.* — (*b*) As et edd. *amici dicentes.* — (*c*) As *posui.* — (*d*) As et edd. *cognoscitur.* — (*e*) Ed. *Speculi* l. c. *voluntas ostendit;* cfr. II Cel. 3, 15.

[1] Matth. 15, 19. — [2] Ierem. 17, 5. — [3] *Speculum perf.* c. 74. — [4] *Speculum perf.* c. 15.

frigescente, necesse est carnem et sanguinem *quae sua sunt quaerere*[1]. Et dicebat: ,Quid enim restat, quando anima caret spiritualibus deliciis, nisi ut caro convertatur ad suas? Et tunc animalis appetitus necessitatis articulum palliat; tunc sensus carnis conscientiam format. Si adest fratri meo vera necessitas, et statim satisfacere properat, quid mercedis accipiet? Accidit ei occasio meriti, sed displicuisse sibi studiose probavit; ipsas namque indigentias non patienter ferre, nihil aliud est, nisi Aegyptum repetere' ».

Quod servus Dei non debet timere, Deum non sibi providere in opportunitatibus (*a*). *Capitulum XXXVII.*

Franciscus in responsione facta domino Innocentio papae III, et habetur in *Legenda maiori*, parte III[2]: « Non est timendum, quod fame pereant aeterni Regis filii et heredes, qui ad imaginem regis Christi per Spiritus sancti virtutem de paupere matre nati sunt, et ipsi per spiritum paupertatis sunt in religione (*b*) paupercula generandi. Si enim Rex caelorum imitatoribus suis regnum promittit aeternum, quanto magis illa subministrabit, quae communiter largitur bonis et malis »?

Franciscus in *Legenda antiqua*, capitulo de perfectione sanctae humilitatis[3]: « Beatus Franciscus ad Christum dicebat: ,De quo vivent fratres mei, qui habitabunt in silvis'? Dixit Christus: ,Ego pascam eos, sicut pavi filios Israel de manna in deserto' ».

De connexione virtutum ad invicem et de eorum effectu in expulsione vitiorum. Capitulum XXXVIII.

Franciscus in *Admonitionibus*[4]: « Ubi caritas et sapientia vera, ibi nec timor nec ignorantia. Ubi paupertas cum laetitia, ibi nec cupiditas nec avaritia. Ubi est quies et meditatio, ibi nec sollicitudo nec vagatio. Ubi est timor domini ad custodiendum atrium suum, ibi inimicus non potest habere locum ad ingrediendum. Ubi est misericordia et discretio, ibi neque superfluitas neque deceptio[5] ». « Nullus homo est penitus in mundo toto, qui possit habere unam ex virtutibus, nisi prius moriatur. Qui unam habet, omnes habet et alias non offendit; qui unam offendit, omnes offendit et nullam habet. Unaquaeque autem confundit vitia et peccata (*c*). Sancta sapientia confundit satanam et omnes eius malitias. Sancta pura simplicitas confundit omnem sapientiam huius mundi et sapientiam carnis. Sancta paupertas confundit omnem cupiditatem et avaritiam et curas huius saeculi. Sancta humilitas confundit superbiam et omnes homines (*d*) huius mundi et omnia, quae sunt in mundo. Sancta caritas confundit omnes diabolicas et carnales tentationes et carnales timores. Sancta obedientia confundit omnes carnales et proprias voluntates et carnales amores, et habet mortificare corpus ad obedientiam spiritus et ad obedientiam fratris sui, et facit hominem subditum et suppositum omnibus hominibus huius mundi, non tantum hominibus, sed etiam omnibus bestiis et feris, ut possint facere de eo quidquid voluerint, quantum eis datum fuerit desuper a Domino ».

(*a*) As *necessitatibus*. — (*b*) Codex *regione*. — (*c*) As om. *unaquaeque—peccata*. — (*d*) As et edd. *honores*.

[1] Philip. 2, 21. — [2] C. 3, n. 10. — [3] *Speculum perf.* pag. 141. — [4] L. c. pag. 18. — [5] Quae sequuntur, habentur in *Salutatione virtutum* (l. c. pag. 20).

De non dimittendo locum sanctae Mariae de Angelis unquam, et qualiter in eo est conversandum. — Capitulum XXXIX.

Franciscus in *Legenda antiqua*, capitulo quinto de zelo ad religionem[1]: « Videte, filii, ne unquam [hunc] locum sanctae Mariae de Angelis relinquatis; si ab una parte foras pelleremini, per aliam reintrate; nam locus iste sanctus est et habitatio Christi et Virginis Mariae, matris eius. Hic, cum pauci essemus, augmentavit nos Dominus altissimus; hic luce sapientiae suae illuminavit animas pauperum suorum; hic igne sui amoris nostras voluntates accendit; hic, qui oraverit corde devoto, quod petierit, obtinebit, offendens gravius punietur. Propter quod, o filii, habete hunc locum omni reverentia et honore dignissimum, tanquam vere Dei habitaculum, ab ipso et eius Matre singulariter praedilectum; atque ibidem toto corde vestro *in voce exsultationis et confessionis*[2] confitemini Deo Patri et eius Filio Domino Iesu Christo in Spiritus sancti unitate ».

Franciscus in *Legenda antiqua*, capitulo quarto de perfectione humilitatis[3]: « Volo, quod iste locus sit semper immediate sub potestate generalis ministri et servi, ut inde maiorem sollicitudinem et curam habeat providendi ibidem de bona et sancta familia. Clerici eligantur de melioribus et sanctioribus et magis honestis fratribus et qui sciant melius dicere officium, qui sint in tota religione, ut non solum saeculares, sed etiam alii fratres libenter et cum magna devotione videant et audiant eos. De fratribus etiam laicis, sanctis hominibus, discretis, humilibus et honestis eligantur, qui serviant illis. Volo etiam, quod nulla persona et nullus frater intret in illum locum, nisi generalis minister et fratres, qui serviunt illis. Et ipsi non loquantur cum aliqua persona, nisi cum fratribus, qui serviunt illis et cum ministro, quando visitaret eos. Volo similiter, quod fratres laici, qui serviunt eis, teneantur nunquam dicere eis otiosa verba vel nova huius saeculi vel omnia (*a*), quae non essent utilia animabus eorum. Et propterea specialiter volo, quod nullus intret in illum locum, ut ipsius melius conservent puritatem et sanctitatem suam, et quod in illo loco nihil penitus fiat vel dicatur inutiliter; sed ipse locus teneatur purus et sanctus in hymnis et laudibus Domini. Et cum aliquis istorum fratrum migraverit ad Dominum, volo, quod loco ipsius mittatur illuc alius sanctus frater a generali ministro. Nam, si alii fratres aliquando declinaverint a puritate et honestate, volo, quod iste locus benedictus sit et permaneat semper speculum et (*b*) bonum exemplum totius religionis et quoddam candelabrum ante thronum Dei et beatam Virginem semper ardens et lucens; per quod Dominus propitietur defectibus et culpis omnium fratrum, atque conservet semper et protegat hanc religionem et plantulam suam ».

De quibusdam notabilibus dictis beati Francisci in diversis locis a supradictis. — Capitulum XL.

Quod theologi sunt honorandi.

Franciscus in *testamento* suo[4]: « Omnes theologos et qui ministrant mihi (*c*) sanctissima verba divina, debemus honorare, sicut qui ministrant nobis spiritum et vitam ».

(*a*) As et edd. *quaecunque alia*. — (*b*) As *in*. — (*c*) As et edd. *nobis*.

[1] *Speculum perf.* c. 83. — [2] Ps. 41, 5. — [3] *Speculum perf.* c. 55 (pag. 100 et 101). — [4] L. c. pag. 78.

Facile frigus portat exterius, qui igne divino interius inflammatur (*a*).

Franciscus in *Legenda maiori*, parte V[1]: « Interrogatus beatus Franciscus, quomodo vestitu tam tenui posset se ab hiemalis algoris asperitate tueri, respondit: ‚Si supernae patriae flamma per desiderium contingeremur interius, frigus istud exterius facile portaremus‘ ».

Amissio corporalis luminis parvipendenda est, si adsit spiritualis interius.

Franciscus in responsione data medico consulenti, ut abstineret a lacrymis, ne perderet oculos corporales, in *Legenda maiori* (*b*), parte V[2]: « Non est, inquit beatus Franciscus medico (*c*), ob amorem luminis, quod habemus commune cum muscis, visio (*d*) lucis aeternae repellenda vel modicum; quia non spiritus propter carnem, sed caro propter spiritum beneficium lucis accepit. Malo siquidem corporalis visus lumen amittere quam lacrymas, quibus oculus mundatur interior, ut Deum videre valeat, repressa devotione spiritus, impedire ».

Curias magnatorum debet praelatus vitare.

Franciscus in *Legenda maiori*, parte VI[3]: « Melius iudico eum, qui ponitur in exemplum, fugere curias et humiliter inter humiles in locis conversari humilibus, ut sustinentes penuriam fortes efficiat, similia sustinendo ».

Pauper nullus est despiciendus.

Franciscus in *Legenda maiori*, parte VIII[4]: « Dum pauperem vides, speculum tibi proponitur Domini et pauperis Matris eius. In infirmis similiter infirmitates, quas assumpsit, considera ».

Franciscus in *Legenda antiqua*, capitulo de perfectione paupertatis[5]: « Tantum homo habet de scientia, quantum operatur, et tantum est religiosus bonus orator, quantum ipse operatur; nam arbor tantum ex fructu cognoscitur ».

Furtum est acquirere eleemosynas vel uti ultra necessitatem.

Franciscus ibidem[6]: « Dicebat beatus Franciscus: ‚Non fui latro de eleemosynis acquirendo eas vel eis utendo ultra necessitatem; semper minus accepi quam me contingeret, ne alii pauperes defraudarentur portione sua, quia contrarium facere furtum est‘ ».

Non superfluis, sed inopia festa honorantur sanctorum.

Franciscus ibidem[7]: « Festivitates Domini et angelorum et (*e*) sanctorum magis honorantur cum inopia et paupertate, per quam ipsi ingressi sunt caelum, quam cum curiositate [et superfluitate], per quam anima elongatur a caelo ».

(*a*) Edd. omittunt fere omnes hos titulos. — (*b*) As *antiqua*. — (*c*) As et edd. *frater medice*. — (*d*) Codex *visitatio*. — (*e*) As et edd. *et aliorum*.

---

[1] C. 5 n. 2. — [2] C. 5 n. 8. — [3] C. 6 n. 10. — [4] C. 8 n. 5. — [5] *Speculum perf.* c. 4 in fine. — [6] *Speculum perf.* c. 12. — [7] *Speculum* cit. c. 20.

De curialitate.

Franciscus in *Legenda antiqua*[1]: « Curialitas est una de proprietatibus Domini, qui suum solem et pluviam suam et omnia super iustos et iniustos curialiter administrat; est enim curialitas soror caritatis, exstinctrix odii et conservatrix amoris ».

Non sunt danda pauperibus aliena, sed propria.

Franciscus in *Legenda* fratris Thomae, capitulo de paupertate[2]: « Non licet alienum auferre et pauperibus erogare; peccati poena, non meriti gloria est aliena donare ».

Orationis tempore mentem homo debet habere ad Deum.

Franciscus ibidem, capitulo de oratione[3]: « Pudeat nos in vagationes nugatorias arripi, cum tempore orationis magnum Regem alloquimur ».

Ad scientiam Dei homo scientia sui (a) pervenit.

Franciscus in *Legenda antiqua*, capitulo de oratione[4]: « Asserebat beatus Franciscus, scientia sui ad scientiam Dei facile perventurum eum, qui Scripturae intendens humilis, non praesumptuosus inquireret ».

Homo aliquo perturbatus ad orationem confugiat.

Franciscus in *Legenda* fratris Thomae[5]: « Servus Dei pro aliquo, ut assolet, conturbatus, illico ad orationem debet surgere et tamdiu coram summo [Patre] persistere, donec reddat ei sui salutaris laetitiam. Si enim in moestitia fecerit moram, adolescet babylonicum illud, quod tandem, nisi per lacrymas expurgetur, maximam in corde generabit rubiginem ».

Non sunt revelanda quae Deus facit in nobis.

Franciscus ibidem[6]: « Famae pretium dicebat beatus Franciscus, conscientiae secretum munire (*b*), longeque damnosius abuti quam carere virtutibus. Dicebat etiam, non minorem esse virtutem quam quaerere, parta tueri[7] ».

Multa alia dicta a beato Francisco habentur; sed praefata sufficiant ad ostendendum, quomodo ipse sua doctrina generaliter fratres et alios informaverit. Cuius informationes summo debent studio disci, amplecti corde et memoriae commendari, utpote dicta a viro sanctitatis eximiae, qui prius praefata effecit opere quam prodiderit loquela. Nec iam dicta habuit studendo seu imitando scholas grammaticorum, dialecticorum, philosophorum vel sapientum mundanorum, sed per revelationem Iesu Christi ad pedes Crucifixi, meditatione assidua divinitus acquisita.

Hanc doctrinam, ut superiora demonstrant, non abhorruit felix Bernardus de Quintavalle, qui omnia eius verbo pauperibus tribuit; non Aegidius Assisinas; non

(*a*) As hic et paulo post *sua*. — (*b*) As et edd. (et edd. Cel.) *minuere*.

[1] Cfr. ed. *Actuum* factam a Sabatier, pag. 205 not. 2, et supra pag. 58 not. 3. — [2] II Cel. 3, 14. — [3] II Cel. 3, 40. — [4] II Cel. 3, 45. — [5] II Cel. 3, 65. — [6] II Cel. 3, 78. — [7] Quae ultima verba desunt in aliis edd. Cel., habentur vero in ed. Patris Eduardi Alenc. pag. 274.

miles Angelus; non simplex Silvester; non insignis Rufinus ac alii, qui, mundo abrenuntiantes, post Franciscum totis viribus incessere; non caelica virgo Clara, cuius verbis se sponso caelesti nupsit, ac praedicatione Iesum fari dum audivit ab eo, deinceps nihil oneris ad ferendum fuit ei Domini iugum. Istam doctrinam pauperis patris Francisci laudabilem reddiderunt imperatores et reges, duces, comites, barones et nobiles, qui post Franciscum iere, eidem se moribus, habitu conformando et vita. Hanc (*a*) Christus reddidit celebrem miraculorum fulgoribus, sanctis virtutibus ac inspirationibus multimodis cordibus fidelium ad prosequendum Franciscum implantatis. Haec salubris est doctrina ab errore repulsa, sacris eloquiis conformata (*b*) et oraculis inspirata divinis. Hanc teneamus diligenter, prosequamur iuste, ut tandem eius suffragantibus meritis ad veram doctrinam et lucem Christum perveniamus. Amen.

Sic ergo praelibatis apparet declarata secunda pars istius XII conformitatis, videlicet: *Franciscus reserator*, ad laudem Domini nostri Iesu Christi, qui sanctum Franciscum sibi placuit conformare tam in ista duodecima quam in praecedentibus aliis conformitatibus.

Et quia huiusmodi opus administratione divina, ultra quam credidi, stilo prolixo est disertum, ne prolixitas operis, praesertim si totum residuum sub una parte, libro et volumine poneretur, taedium generet perlegenti, huic primae parti et libro impono finem ad praesens; sub secundo libro et volumine sequentes ponendo conformitates XVI, conformitates scilicet alias disserendo, quae sunt istae, videlicet:

1. *Iesus signis mirificus; Franciscus divulgatur.*
2. *Iesus pastor sollicitus; Franciscus animatur.*
3. *Iesus stola clarificus; Franciscus sublevatur.*
4. *Iesus inops et modicus; Franciscus foederator.*
5. *Iesus submissus omnibus; Franciscus minoratur.*
6. *Iesus propheta lucidus; Franciscus radiatur.*
7. *Iesus vacans laboribus; Franciscus imitatur.*
8. *Iesus pacem dans fluctibus; Franciscus solidatur.*
9. *Iesu daemon expellitur; Franciscus effugator.*
10. *Iesu aqua convertitur; Franciscus commutator.*
11. *Iesus orans inspicitur; Franciscus exorator.*
12. *Iesu turba reficitur; Franciscus ministrator.*
13. *Iesus vita spectabilis; Franciscus operator.*
14. *Iesus candor signabilis; Franciscus indagator.*
15. *Iesus rex venerabilis; Franciscus excitator.*
16. *Iesus dux formidabilis; Franciscus detestator.*

Explicit liber primus DE CONFORMITATIBUS VITAE BEATI FRANCISCI AD VITAM DOMINI NOSTRI IESU CHRISTI. *Deo gratias. Amen.*

(*a*) As et edd. addunt *vitam*. — (*b*) As et edd. *confirmata*.

ADDENDA ET CORRIGENDA.

pag. 74 nota 1. fr. *XXXVIII* pro fr. *XXXIV*.
» 96 nota 4. pag. *77* pro pag. *37*.
» 97 lin. 24. *sanctificationem* pro *sanctificaionem*.
» » » 39. *laetificati et gaudentes. De eius ortu* pro *laetificati, et gaudentes de eius ortu.*
» 149 nota *1* et *2* pro nota *3* et *4*.
» 187 lin. 8. *luce* pro *luee*.
» 191 not. 4. adde: « *et Actus* c. 64 ».
» 233 » 1. *Catalogus* pro *Dialogus*.
» 385 lin. 41. *quod* tolli debet ante *conversantibus* et poni ante *neutra* in principio lin. 42.
» 510 lin. 35. *Mevanii* pro *Menavii*.
» 514 not. 1. *Montalboddo* pro *Montalboldo*.
» » » 2. *Montottone* pro *Monte Ottone*.
» 542 » 3. addendum: « et *Oleron* post locum de *Insula* poni debet; qui conventus a *Provinciali* bene vocatur *Insula Oleronis* ».

INDEX GENERALIS

Praefatio . . . . *pag.* VII
Primus prologus . . . . » 1
Secundus prologus . . . . » 3

Primus fructus — Pars prima: **Iesus prophetis cognitus** . . . . » 23
» » » secunda: **Franciscus declaratur** . . . . » 33
1. Declaratus fuit in veteri testamento figuris . . . . » ib.
2. Declaratus fuit verbis prophetarum . . . . » 41

Secundus fructus — Pars prima: **Iesus emissus caelitus** . . . . » 60
» » » secunda: **Franciscus destinatur** . . . . » 69
1. Fuit destinatus a Domino . . . . » 69
2. Fuit missus in sexta aetate . . . . » 74
3. Fuit ad poenitentiam praedicandam directus . . . . » 78

Tertius fructus — Pars prima: **Iesus laete progenitus**. . . . . » 82
» » » secunda: **Francisco vir laetatur** . . . . » 95
1. De eius ortu sunt laetati ipsum futurum agnoscentes . . . . . . » 96
2. » » » alii in praesenti. . . . . » 97
3. » » » » pro praeterito . . . . » 99

Quartus fructus — Pars prima: **Iesus magis exhibitus** . . . . » 100
» » » secunda: **Franciscus amplexatur** . . . . » 108

Quintus fructus — Pars prima: **Iesus parvus insequitur** . . . . » 113
» » » secunda: **Franciscus agitatur**. . . . . » 116

Sextus fructus — Pars prima: **Iesus abiectus cernitur** . . . . » 125
» » » secunda: **Franciscus separatur**. . . . . » 138
1. A se per perfectam abnegationem . . . . » ib.
2. A mundo per abdicationem . . . . » 146

Septimus fructus — Pars prima: **Iesus hosti exponitur** . . . . » 149
» » » secunda: **Franciscus molestatur** . . . . » 156
1. Diabolus eum insecutus est ut draco . . . . » ib.
2. Eum impetiit ut leo. . . . . » 160

Octavus fructus — Pars prima: **Iesum coetus prosequitur** . . . . » 165
» » » secunda: **Franciscus fecundatur** . . . . » 175

1. De Primo Ordine . . . . pag. 177
I De sanctitate fratrum . . . . » ib.
De Provincia B. Francisci . . . . » 178
» Romana . . . . » 245
» Tusciae . . . . » 252
» Bononiae . . . . » 262
» Paduae sive S. Antonii . . . . » 264
» Marchiae . . . . » 275
» Ianuae . . . . » 289
» Pennensi . . . . » ib.
» Terrae Laboris . . . . » 290
» Apuliae . . . . » 293
» S. Angeli . . . . » 295
» Calabriae . . . . » 296
» Siciliae . . . . » 297
» Mediolani . . . . » 302
» Sclavoniae . . . . » ib.
» Romaniae . . . . » 303
» Terrae Sanctae . . . . » 304
» Burgundiae . . . . » 305
» Turoniae . . . . » 307
» Aquitaniae . . . . » 308
» Franciae . . . . » ib.
» Provinciae . . . . » 309
» S. Iacobi . . . . » 321
» Castellae . . . . » 323
» Aragoniae . . . . » 324
» Ungariae . . . . » ib.
» Coloniae . . . . » 325
» Argentinae . . . . » 326
» Saxoniae . . . . » 327
» Austriae . . . . » 329
» Datiae . . . . » ib.
» Boemiae . . . . » ib.
» Angliae . . . . » ib.
» Hiberniae . . . . » 332
De Vicaria Orientis. . . . . » ib.
» Aquilonari . . . . » ib.
» Cathay sive Tartariae . . . . » 334
» Russiae . . . . » 335
» Bosnae . . . . » ib.
II De scientiae luciditate . . . . » 336
III De nobilitate fratrum . . . . » 342
IV De numerositate fratrum . . . . » 350
2. De Ordine S. Clarae . . . . » 351
I De sanctimonia vitae . . . . » 351
II De excellentia in nobilitate . . . . » 359
III De multitudine sororum . . . . » 360
3. De Tertio Ordine . . . . » 360
I De sanctitate . . . . » 361

II De nobilitate . . . . *pag.* 361
III De numero . . . . » 362

Nonus fructus — Pars prima: **Iesus legem dat populis** . . . . » 364
« » » secunda: **Franciscus regulator** . . . . » 369
1. Regula Minorum est miraculose data . . . . » 370
2. Est a Christo instituta . . . . » 372
3. Est in sancto evangelio fundata . . . . » 373
4. Est per summos pontifices approbata . . . . » 378
5. Est per summos pontifices declarata . . . . » 379
Primum regulae Capitulum exponitur . . . . » 381
Secundum » » » . . . . » 388
Tertium » » » . . . . » 396
Quartum » » » . . . . » 400
Quintum » » » . . . . » 407
Sextum » » » . . . . » 410
Septimum » » » . . . . » 415
Octavum » » » . . . . » 417
Nonum » » » . . . . » 419
Decimum » » » . . . . » 420
Undecimum » » » . . . . » 423
Duodecimum » » » . . . . » 424
6. Est per multos commendata . . . . » 425
7. Est a Christo dilecta. . . . . » 427
8. Est a calumniantibus defensata. . . . . » 438
9. Est contra mundi vitia ordinata . . . . » 441
10. Est pro hominis ordinatione et in bono conservatione demonstrata . . » 443
11. Regulam non observantibus poena a Deo est praeparata . . . . . » 446
12. Eam servantes ducit ad gaudia beata . . . . » 451

Decimus fructus — Pars prima: **Iesus doctor mirabilis** . . . . » 457
» » » secunda: **Franciscus praedicator** . . . . » 464
1. Quo ad praedicandum fuit incitatus. . . . . » 464
2. Quibus fretus libenter fuit auditus . . . . » 468
3. Quomodo per orbem est divulgatus. . . . . » 471

Undecimus fructus — Pars prima: **Iesus mandans discipulis** . . . . . . » 485
» » » secunda: **Franciscus destinator** . . . . » 493
1. Fratres ad praedicandum multoties destinavit . . . . » ib.
2. Fratres magnum fructum fecisse, ostendit:
I Multitudo locorum ordinis . . . . » 503
In Provincia S. Francisci . . . . » ib.
» Marchiae . . . . » 511
» Romana . . . . » 515
» Tusciae . . . . » 517
» Bononiae . . . . » 521
» S. Antonii . . . . » 524
» Mediolani . . . . » 526
» Ianuae . . . . » ib.
» Sclavoniae . . . . » 528
» Terrae Laboris . . . . » ib.

In Provincia Pennensi . . . . pag. 530
» S. Angeli . . . . » 531
» Apuliae . . . . » ib.
» Calabriae . . . . » 532
» Siciliae . . . . » ib.
» Romaniae . . . . » 533
» Terrae Sanctae . . . . » ib.
» S. Iacobi . . . . » 534
» Castellae . . . . » 535
» Aragoniae . . . . » 536
» Aquitaniae . . . . » 537
» Provinciae . . . . » 539
» Burgundiae. . . . . » 541
» Turoniae . . . . » 542
» Franciae . . . . » 543
» Angliae . . . . » 545
» Hiberniae . . . . » 547
» Datiae. . . . . » 548
» Coloniae . . . . » ib.
» Argentinae . . . . » 550
» Saxoniae . . . . » 551
» Austriae . . . . » 552
» Boemiae . . . . » 553
» Ungariae . . . . » 554
In Vicaria Bosnae . . . . » 555
» Russiae . . . . » 556
» Orientis . . . . » ib.
» Aquilonari . . . . » 557
» Tartariae . . . . » ib.
» Sardiniae . . . . » 558
» Corsicae. . . . . » ib.
II Sanctitatis magnitudo . . . . » 559
III Intrantium celsitudo . . . . » ib.
IV Librorum numerositas . . . . » ib.
V Fratrum exemplaritas . . . . » 560
VI Revelatorum sinceritas . . . . » 562
VII Hominum devotio . . . . » 563
VIII Fratrum deputatio . . . . » ib.

Duodecimus fructus — Pars prima: **Iesus loquens humillimis** . . . . . . » 564
» » » secunda: **Franciscus reserator** . . . . » 580
1. Quosdam particulariter et private doctrinavit . . . . » ib.
2. Omnes generaliter informavit sua doctrina . . . . » 595
De fide et reverentia habenda ad sacramentum altaris, et quomodo homo debet se disponere ad eius susceptionem, ut digne sumat. — Capitulum I. » 595
De clericis et sacerdotibus honorandis. — Capitulum II. . . . . . . » 597
De diligendo Deum. — Capitulum III. . . . . » 598
De Christi imitatione. — Capitulum IV. . . . . » 599
De oratione. — Capitulum V. . . . . » ib.
De Pater noster, quod dicebat beatus Franciscus. — Capitulum VI. . . . » 600

De officio divino debite persolvendo. — Capitulum VII. . . . . . *pag.* 601
De dilectione fraterna. — Capitulum VIII. . . . . » ib.
De dilectione inimicorum. — Capitulum IX. . . . . » 602
De odiendo corpus proprium. — Capitulum X. . . . . » 603
De discretione ad corpus habenda. — Capitulum XI. . . . . . . » ib.
De perfecta obedientia. — Capitulum XII. . . . . » 604
De continentia et castitate mulierumque vitatione. — Capitulum XIII. . » 606
De oculo pudico et impudico. — Capitulum XIV. . . . . . . » ib.
De paupertate. — Capitulum XV. . . . . » 607
De patientia. — Capitulum XVI. . . . . » 608
De humilitate. — Capitulum XVII. . . . . » 610
De eleemosyna petenda. — Capitulum XVIII. . . . . » 611
De cognitione propriae infirmitatis et gloriae fuga; et quod non potest homo de aliquo gloriari, nisi de infirmitatibus suis. — Capitulum XIX. . » 613
De scientia mundana fugienda. — Capitulum XX. . . . . . . » 614
De praedicatore, qualis debet esse. — Capitulum XXI. . . . . . » 615
De exercitio et otio vitando. — Capitulum XXII. . . . . . . » 617
De fratre Minore, quis est vere censendus. — Capitulum XXIII. . . . » 618
De bono exemplo proximo exhibendo, ut aedificetur. — Capitulum XXIV. . » 619
De compassione habenda ad delinquentes. — Capitulum XXV. . . . » ib.
De detractione fugienda. — Capitulum XXVI. . . . . » 620
De eo, quid agendum est a fratribus post mundi abdicationem. — Capitulum XXVII.. . . . . » 621
De fratrum conversatione inter fideles et catholicos. — Capitulum XXVIII. . » ib.
De gratifica fratrum inter infideles conversatione. — Capitulum XXIX. . » 622
De religiosa habitatione in eremitoriis. — Capitulum XXX. . . . . » 623
De laetitia spirituali semper habenda. — Capitulum XXXI. . . . . » ib.
De generali ministro ordinis Minorum et sociis eius. — Capitulum XXXII. » 624
De eo, quod simus filii Dei, sponsi, fratres et matres Christi. — Capitulum XXXIII. . . . . » 626
De fuga nominis magisterii. — Capitulum XXXIV. . . . . . . » ib.
De non dimittendo satisfacere, si homo potest ante mortem, propter parentes et amicos. — Capitulum XXXV. . . . . » ib.
Quomodo homo cognoscit, quod sit servus Dei, et quibus. — Capitulum XXXVI.. . . . . » 627
Quod servus Dei non debet timere, Deum non sibi providere in opportunitatibus. — Capitulum XXXVII. . . . . » 628
De connexione virtutum ad invicem et de eorum effectu in expulsione vitiorum. — Capitulum XXXVIII.. . . . . » ib.
De non dimittendo locum sanctae Mariae de Angelis unquam, et qualiter in eo est conversandum. — Capitulum XXXIX. . . . . . . » 629
De quibusdam notabilibus dictis beati Francisci in diversis locis a supradictis. — Capitulum XL. . . . . » ib.

INDEX SPECIALIS

SEU

NOMINUM ET MATERIARUM

S. Franciscus *vide* passim.

A

Abbas de Abidon (Abingdon) factus est frater Minor 344 501.
» quidam (de Montana Nigra) praenuntiavit S. Franciscum 56; factus frater Minor 344 452.
» Ioachim, eius vaticinia 44 56 435 563.
» S. Iustini de Perusio, orat pro eo S. Franc. 59 589.
» persecutor fratrum ord. Min. ingreditur 430.
Abozaida princeps Marrochii durissime tractat fratres 322.
Achon civitas, ibi fuit B. Aegidius 206.
Accursius Magnus recipit fratr. Min. Bononiae 181.
» fr. iacet Florentiae 252 518.
Accursus fr. S. martyr Marrochii 322.
Adam fr. quiescit in Cataro 302 303 528.
» fr. Codam magister 339 547.
» fr. de Oxonia 309 n. 5.
» fr. Rufus eius miracula 293 531.
Adiutus fr. S. martyr Marrochii 322.
Adolfus Ioannes comes Holsatiae factus est frater Minor 325 549.
Adrianus V papa, sepultus Viterbii 515.
Aegidius B. de Assisio, Vita 205-213; Dicta 214-233. In Marchia 493; Dirutae 504; in loco de Monte Perusii 504; ad mortem fr. Bernardi 186; interrogat S. Franc. de diabolo 162 583; liberat de purgatorio 213 452; loquitur cum fr. Iunipero 248; de S. Franc. 59; de fratribus damnatis 446; de regula Minorum 452.
Aegidius fr. de Cappotiis iacet Assisii 202 504.
» fr. de ordine Minorum liberatur a tentatione 295.
» fr. de Regno 240.
Agnellus fr. de Alverna, latro quondam 443 552.
» fr. de Pisis 329-331 517 546.
Agnes B., filia regis Boemiae, 357.
» S., soror S. Clarae, 357.
Alaudae cantant in obitu S. Franc. 204.
Albania, ibi fratres sancti 303.
Albertus fr. de Pisis minister Angliae, generalis 329 454 501 517.
Aldemarus fr. de Filsinio 308 538.
Aldobrandinus fr. de Ammonatis de Florentia 332.
Alexandria capitur a rege Petro 305.
Alexander IV approbat regulam fratrum Minorum 378; et Summam Halensis 309 336; dat bullam de stigmatibus 79; explicat regulam 383; laudat fr. Min. 427; honorat S. Claram 356.
» fr. de Alexandria generalis minister et Doctor 332 338 341; eius scripta 527.
Alexander de Halis 309; miraculose intrat in ordinem 309 429 543; eius Summa 309 336 543; explicat regulam 379; legit Parisius 336 543; loquitur de S. Bonaventura 305.
Alioctus curatur a fr. Ottone 303.
Alisolda imperator Tartariae 335.
Alphonsus, rex Aragoniae sumpsit habitum ordinis 348 536.
» rex Portugalliae 348 535.
Alvernae mons, fratres sancti ibi vivunt 254 260 262 519; datur S. Franc. 479; locus sanctus 519; moram ibi facit S. Franc. 435.
Amata Soror curatur 354.
Ambidon (Abingdon) in Anglia 329.
Ambrosius fr. de Massa ingreditur ordinem 249; eius sanctitas et miracula 250 516; non fuit catalogo sanctorum adscriptus 250.
Andreas fr. de Adria 289 530.
» fr. Albanensis 303 528.
» fr. de Anania, cardinalis 249 345 517; eius miracula 249.
» fr. de Arimino 264 524.
» fr. de Plano 520.
» fr. de Spello 243 504.
» fr. Ungarus Martyr 335.
Angela de Fulgineo de tertio ordine 361; eius scripta 361.

Angelus consolatur S. Franc. 37; praedicit S. Franc. 56 109.
» fr. de Cingulo (Clarenus) 513; cfr. 340 not. 1.
» fr. guardianus Montis Casalis 505.
» fr. S. martyr 296.
» fr. de Monte Leone 251 515.
» fr. de Reate socius S. Francisci in praedicatione 73 177 193 196 504 516; valde timebat daemones 161 193; eius curialitas laudatur 618; iacet Assisii 193 504.
Animalia subduntur S. Franc. 38 112.
Anonymus fr. sanctissimus 280; habuit contemplationis gratiam 280; beata Maria ei apparet ante mortem cum aliquibus virginibus 280.
» de tertio ordine iacet Florentiae 361.
» de tertio ordine iacet Volterris 361.
Antonius fr. archiepiscopus Duratii 302 528; mirabilia post eius obitum 303.
» fr. laicus de Burgis Hispaniae plura fecit miracula 324 535.
» fr. de Luca, scriptor librorum 517.
» fr. de Mediolano martyr 332.
Antonius fr. de S. Miniate, magister 517.
» fr. de Nursia 243 511.
» fr. de Rosate, martyr 302 526.
» fr. de Saxonia martyr 335.
» fr. martyr in Salmastra Persidis 332.
» fr. de Tegrinis de Pisis 241.
» fr. de Valentia episcopus Gaietanus 527.
» S. de Padua, Vita 264 273; apparet fratri in visione 434; praedicat Arelati 317 539; Arimini 519 560; Bituricae 542; Podii 541; lector 338 540; opera 338 524; moritur Arcelli 358.
Aquam convertit S. Franc. in vinum 38; educitque e petra Alvernae 38.
Aracaeli (S. Maria de) B. Virgo apparet imperatori Octaviano 68; sanctitas novitii cognoscitur 455.
Archaldus (Al-Kadi) iudex decollavit fr. Danielem et socios in Cepta 296.
Archiepiscopus Mediolani (frater Leo) 302.
» Rothomagensis (frater Rigaldus) 337.
Arelati apparet S. Franc. in capitulo 80 539.
Aretii civitas a daemonibus liberatur 8 37 188; S. Franciscus et fr. Silvester 188; ibi iacet Gregorius X 345; ibi praedicavit B. Ioannes Alv. 256.
Arimini fuit S. Franc. 524; praedicavit S. Antonius Pat. 265 266.
Arlottus fr. de Prato, generalis minister 337 518 544.
Armalech, civitas Tartariae, ibi occiduntur fratres Minores 334 557.
Arnaldus de Sarnano fr. 537.
Arnoldus de Asseduno, baro in Provincia, votum de filio ingrediendo in ord. Min. non adimplet 421.
Arzenga (Erdsinjan), ibi fratres Minores occiduntur 332.
Ascensius (Astensius) fr. magister 340 544.
Asinus frater (corpus) 584.
Astesanus fr. de Ast 340; eius summa 341 527.
Attentialbene fr. discipulus fr. Iuniperi 248.
Augustinus fr. de Assisio, minister Terrae Laboris 290 528.
Avibus praedicat S. Franc. 196 588.
Aymo (Haymo) fr. minister generalis 337 - 379; confunditur cum S. Antonio 270 not. 5; correxit breviarium 337; iacet Anagniae 517.
Ayto II (fr. Ioannes) rex Armeniae, factus frater Minor 348.

B

Barbarus fr. socius S. Franc. 177 243 362.
Barchinonae moratur s. Ludovicus ep. 311 - 313.
Barii fratres invenerunt bursam 161.
Barnabove de Comitibus dominus Mediolani 273.
Bartholomaeus sanatur a fr. Petro de Trano 294.
» fr. domini Albisi de Pisis scripsit vitam B. Gerardi 297 not. 3.
» fr. de Castro Ioannis, curatur a fr. Gerardo de Valentia 301.
» fr. de Cucurno de Ianua cardinalis 346 527.
» (al. Ioannes) fr. Martinozi martyr 304.
» fr. de Pisis (auctor noster de quo vide in *Praef.*) studens Bononiae 449; lector Paduae 273 359; moratur Pisis 449; scripsit de B. Virgine 66; vult scribere de gestis et verbis Salvatoris 577.
Bartholomaeus fr. Puccii Francisci sanctus frater Minor 261.
Barulum, operatur ibi miracula fr. Adam Rufus 293.
Beatrix curatur a fr. Gerardo de Valentia 301.
Bela rex Ungariae, nepos dominae Mariae 309.
Belengerius fr. de Monte Acuto sanctus 289 526.
Bella sanatur a fr. Gerardo de Valentia 301.
Beltrandus fr. de Figiaco cardinalis 346.
Benedictio a S. Franc. in obitu data 39 185.
Benedictus fr. de Aretio 253 347; minister Antiochiae 519; visitat sepulchrum S. Danielis 253; paradisum terrestrem 99 253.
» fr. hydropicus sanctus 290.
» fr. iacet Erfordiae 327 552.
» fr. iacet Florentiae 518.
» fr. de Mucello sanctus 253.
» fr. de Regno martyr 335.
Benencasa fr. de Tuderto, miraculum de ovis 321 535.

Beneventana curatur a fr. Adam Rufo 293.
Benevenuta soror curatur a S. Clara 354.
Benevenutus fr. de Eugubio, vita miracula 295, 531.
» fr. laicus 274; iacet Mantuae 525.
» fr. iacet Rachaneti, 278 513.
Bentivenga fr. de Tuderto cardinalis 345 510.
Bentivola fr. sanctus homo 276 280 512.
Berardengae iacet sanctus fr. Nicolutius de Senis 361.
Berardus fr. S. martyr Marrochii 322.
Berengarius fr. Bertrandi apparet fratri Rogerio de prov. Provinciae 319.
» filius regis Aragoniae iacet in conventu Barcinonae 349.
Beringarius plebanus curatur a fr. Dominico de Montefeltro 279.
Bernardus fr. iacet in Massa 253 520; eius miracula 254.
» fr. de Viridante 177 243, 362.
» socius fr. Rainaldi 251.
» fr. de Quintavalle, Vita 178 187; famosus in saeculo 109; sequitur S. Franc. 59 142 370 472; praedicat Florentiae 495 518; mittitur Bononiam 497; eius fides laudatur a S. Franc. 618; gloriosus apparet post mortem 199.
Berta soror de tertio ordine 524.
» de Camerino sanatur a fr. Paulo 282.
Bertoldus fr. egregius praedicator 326 550 562 not. 1.
Bertrandus fr. de Bollega sanctus frater 317 539.
» fr. de Turri cardinalis eius opera 338 340 346 538.
» fr. de provincia Castellae 324 not. 1.
Bidinium (Widdin) in Vicaria Bosnae, martyres 335.
Bindus fr. scriptor 518.
Bituricensis civitas, ibi praedicat S. Antonius 266 269.
Blanca soror, filia regis Franciae 359.
Blancafiore curatur a fr. Paulo 282.
Bonafinis fr. sanctus 450.
Bonagratia min. gener. 522.
Bonamicus fr. sanctus Volterris 361 not. 8.
Bonaspes curatur a fr. Martino 283.
Bonaventura S. legit Parisius 305; minister generalis 305 516; assistit translationi corporis S. Antonii 273; nominat papam Gregorium X 345; praedicat in capitulo Parisiensi 78 not. 1; nominatur episcopus Eboracensis 546; recipit capellum cardinalis 518; moritur Lugduni 306; eius opera 337 341.
Bonaventura curatur a fr. Hermanno 242.
» de Senis aedificat loca pro fratribus 591; ipsi loquitur S. Franc. 619.
Boncompagnus de Sancto Martino curatur a fr. Dominico 279.
Bonellus haereticus convictus a S. Antonio 266.
Bonifatius VIII Papa 249 313 345 541; non favet ord. Min. 438.
» fr. de Riparolo, eius mira sanctitas 289 526.
» Marchio sanatur a b. Helena 359.
Bonizus fr. de Bononia fuit cum S. Franc. in Fonte Polumbae, quando fecit regulam 263 371; et coram papa Honorio 425; iacet Bononiae 521.
Bononia, lector ibi S. Antonius 268; ibi sancti fratres 263 521.
Bonus Ioannis curatur a fr. Paulo 282.
Briscia capitaneus de, persequitur fratres 439.
Brundusium, ibi moratur B. Aegidius 206.
Buccia de Salmona curatur a fr. Philippo de Aqueriis 292.
Bulgari evangelizati per fratres Minores 336 sq.

C

Calix, in ipso invenit araneam fr. Franciscus Aprutinus 299.
Campana, cornu, baculi, quibus b. Franciscus praedicans utebatur 480.
Canonicus Sanctae Mustiolae fit frater ord. Min. 520.
» in Flandria venit ad ord. miraculose 430.
Canticum fratris solis 145.
Cantuariam veniunt fratres Minores 329.
Cantus Officii S. Francisci est fr. Iuliani 308.
Capella S. Antonii, ibi sepultus est fr. Lucas 274.
» S. Ludovici Panormi, fiunt miracula 298.
Capillus S. Francisci coadunat parietem scissam 59.
Capitula generalia:
Assisii, ibi fuerunt quinque millia fratrum 36 38 386; assistit S. Dominicus 58; accedit S. Antonius 264; interest cardinalis Ugolinus 343; praedicat S. Franciscus 473.
Barchinonae 540.
Narbonae celebrata 540; ibi S. Bonav. ordinat constitutiones 306.
Pentecostes et S. Michaelis 498.
Pisis 306.
Caputium aufert a tunica b. Aegidius 206; et S. Franc. ab habitu mali fratris 446.
Carcer beati Francisci (eremitorium) *V.* Conventus.
Cardinales b. Franc. diligebat 112; ex ord. Min. 345 346.
Cardinalis Boloniensis 273.
» Ostiensis accipit a S. Francisco responsum 503 611 612; amat ord. Min. 342 439; fit Protector Ordinis 425 *V.* Hugo.
» quidam S. Franciscum de multis sermonibus interrogat 58.
Carissimus fr. de Clugio, eius miracula 274 525.
Carolus dux Calabriae amicus ordinis 349 529.
» rex Francorum favet schismati 321.
» II Navarrae frater Ioannae ord. s. Clarae 360.

Carolus IV rex Romanorum 358.
» I rex Siciliae apparet B. Andreae 249; amittit Siciliam 310.
» II rex Siciliae pater S. Ludovici episcopi 309 sq.
Carpentarius frater quidam vult exire ex ordine 260.
Castrum Alviani, praedicat b. Franciscus 474.
» de Brignola ubi mortuus S. Ludovicus episcopus 316.
» de Canania (Cannarium), praedicat b. Franc. 71 467 481.
» Castagneti, ibi miraculum fr. Gratiani 278.
» Cisternae, praedicat b. Franciscus 476.
» Dirutae, ibi moratur b. Aegidius 209.
» Mevanii, praedicat b. Franciscus 474.
» Sancti Gemini, praedicat b. Franciscus 476.
» S. Severini, visio fr. Pacifici de b. Francisco 285.
» Trevii, visio fr. Pacifici 285; miraculum fr. Leonis 192.
Cathalanus fr. iacet Auximi 278 513.
» martyr in Valentia Galliae 307 542.
Cathogonti frater imperatoris Tartarorum conversus ad fidem 557 560.
Cerbaroli stetit S. Franc. 509.
Cervical S. Franc. de pluma 159.
Christina (Soror) 354.
Christus apparuit in habitu Minorum 444; concedit S. Franc. indulg. Portiunculae 74; subvenit ipsi in pluribus 7.
Cibottoli patrat miraculum S. Ludovicus ep. 316.
Civitas Castellana, ubi iudex fuit fr. Ioannes Parens 262.
» Castelli, ibi praedicat b. Franciscus 476.
Clara S. virgo, Vita 351-357; conversio 59 466; accipit revelationem divinam de praedicatione S. Franc. 73 208 467; eius sententia de humili praedicatore 208; mittit dona B. Agneti Pragensi 358; moratur per 52 annos ad S. Damianum 504; moriens vocat fr. Iuniperum 248; iacet in loco S. Clarae 472; ipsi promittit S. Franc. se videndum post mortem 586.
Clemens V deponit fr. Gualterium episcopum Pictaviensem 307; explicat regulam fr. Min. 383 sq.; eam laudat 426.
Clemens VI nominat cardinalem fr. Pastorem 541.
Clemens fr., diabolus eum insequitur 254; iacet in monte Alvernae 254 519.
Clericus damnatur eo quod votum ord. Min. ingrediendi non adimplevit 431.
Colimbria monasterium Sanctae Crucis 264.
Cloncacensis civitas, ibi miraculum patrat S. Antonius 272.
Colinus fr. minister provinciae Argentinae 326 550.
Collogeri graeci occidunt fratres Minores 335 sq.
Coloniae revelatio de fr. Venantio laico 308.
Comes Augustae 300.
» Empuriarum 349.
» Lunae 349.
» de Pratis 349.
» Urgelli 349.
Comitatus Florentinus, pueri infirmi sanantur 357.
» Folquarquerii 313.
» Paduae 272.
» Provinciae 313.
Comitissa curatur a B. Gerardo de Valentia 299 301.
Completorium antiphonae post 517.
» fratres puniti qui in completorio riserunt 331.
Concordius fr. curatur 242.
Conradus fr. de Allis martyr 304.
» fr. iacet in Civitate nova 329 552.
» fr. de Coeli Porta, minister provinciae Argentinae 328.
» fr. de Esculo 277 511.
» fr. martyr in Prussia 327.
» B. de Offida, Vita 233 et 234; accipit in ulnis puerum Iesum 276; deplorat relaxationes regulae 450; liberat fratrem a purgatorio 451; iacet Perusii 504.
Conradus fr. « Pater sancte » iacet in Hildesem 328 551.
» fr. de Stogelem, 327.
Constantia uxor Petri regis Aragoniae habitum S. Clarae induit 310 359 360.
Constantini de Duratio filia sanatur a fr. Philippo de Aqueriis 292.
Conventus fratrum Min. ultra mille et quingentos septuaginta 550 558.

Conventus fr. Min.:

Abbatis Villae (Abbeville) 545.
Abilisiensis (Avilés) 534.
Abulae (Avila) 536.
Accumuli (Accumoli) 511.
Achalceke (Achalzyck) 556.
Acsaray 557.
Adintoniae (Haddington) 546.
Admirandulae (Mirandola) 523.
Adriae (Atri) 289 530.
Adversae (Aversa) 529.
Aesii (Iesi) 514.
Agani (Sagan) 552.
Agantici (Ganges) 540.
Agarae (Agde) 540.
Agelli 208 211.
Ageni (Agen) 538.
Agitarcan (Astrachan) 557.
Agloboli (Agropoli) 529.
Agloni (Agnone) 531.
Agnoniae (Hagenau) 550.
Agrabiae (Zagreb-Agram) 554.
Agriae (Eger-Erlau) 554.
Agrigenti (Girgenti) 532.
Aladi (Alanno) 530.
Alarburch (Aalborg) 548.
Alatri 517.
Albae 527.
Albae Regalis (Székes-Fejervar-Stuhlweissenburg) 555.
Albae Terrae (Aubeterre) 538.
Albani 516.
Albarii (Albaro) 527.
Albenarii (Aubenas) 540.
Albersthath (Halberstadt) 551.
Albi Castri (Bialy Gròd) 556.
Albignanae (Albenga) 527.
Albii 538.
Alcànii (Alcamo) 533.
Aldenardi (Oudenarde) 545.
Aldenbrich (Altenburch) 551.
Alereni (Larino) 531.
Alesti (Alais) 540.
Alexandriae (Alessandria) 527.
Alexini (Alessano) 531.
Algerii (Alghero) 558.
Alisiae (Alife) 529.
Allesis (Blois) 543.
Almasani (Almazán) 536.
Alsan (Alsam) 555.
Alvernae 254 519.
Alzaron (Erserum) 556.

Conventus:
Amandulae (Amandola) 514.
Amanthea (Amantea) 532.
Amatricis (Amatrice) 511.
Ambianis (Amiens) 545.
Ameliaci (Amilly) 538.
Ameliae 240 510.
Anagniae 516.
Anasi (Ens) 553.
Anconae 276 513.
Andegavis (Angers) 542.
Andernaci et Andrenaci (Andernach) 326 549.
Andrevillae (Andravis) 533.
Andriae (Andria) 293 531.
Andusiae (Anduze) 540.
Anguermundae (Angermünde) 551.
Annoniaci (Annonay) 306 (Avoniaci) 541.
Antibari 528.
Antiquae Brandeburch (Altbrandenburg) 552.
Antisiodori (Auxerre) 544.
Appannarum (Pamiers) 537.
Aprutii 290.
Aptae (Apt) 539.
Aquae Putridae (Mirabella) 529.
Aquapendente de (Acquapendente 516.
Aquaspartae 510.
Aquavivae (Acquaviva Picena) 512.
Aquilae 290 530.
Aquini 529.
Aquis de (Acqui) 527.
Aquis de (Aix) 539.
Aquis de (Dax) 538.
Aquisgrani (Aachen) 549.
Aquis Mortuis de (Aigues Mortes) 540.
Aracaeli 245 456 515.
Aramatiae (Armagh) 547.
Arbi (Arbe) 528.
Arcis Simbaldi (Rocca Sinibalda) 516.
Ardarch (Ardagh) 547.
Arearum (Hyères) 539.
Arelate (Arles) 80 317 539.
Arenoli (Arévalo) 536.
Arestani (Oristano) 558.
Aretii (Arezzo) 253 519.
Argelatae (Ronchi) 522.
Argentarii (Largentière) 540.
Argentinae (Strassburg) 550.
Arioni (Ariano) 529.
Ariminì (Rimini) 264 524.
Armenes (Armenez) 556.
Arpini (Arpino) 529.
Arquatae 243 511.
Arronae (S. Francesco di Castel del Lago) 510.
Arustede (Arnstadt) 552.
Arustualdae (Arnswalde) 551.
Arveti (Alvito) 529.
Ascariae (Aschersleben) 551.
Asciani 518.
Asloyae (Oslo, Kristiania) 548.

Conventus:
Assarii (Bazas) 539.
Assilii (Asolo) 525.
Assisii 178 503.
Asth (Asti) 527.
Astoricae (Astorga) 321 534.
Athenarum (Athinae) 533.
Attrebati 545.
Atyensis (Atienza) 536.
Augustae (Augsburg) 326 550.
Auraycae (Orange) 539.
Aureliaci (Aurillac) 308 538.
Aureliani (Orleans) 543.
Auriensis (Orense) 321 534.
Austae (Aosta) 526.
Auxi (Auch) 538.
Auxiliani (Azille) 540.
Auximi (Osimo) 278 513.
Aveld (Saalfeld) 552.
Avelini (Avellino) 529.
Avenzolaschae (Venzolasca) 558.
Avezani (Avezzano) 530.
Avinionis (Avignon) 539.
Avoniaci *V.* Annoniaci.
Ayllonis (Aillòn) 536.
Aynburgae (Hainburg) 552.
Bachini (Bács) 554.
Bachoniae 547.
Bagnacavallo (de) 524.
Baiocis (Bayeux) 545.
Baionae (Bayonne) 538.
Balneolis (Bagnols) 540.
Balneoregio de (Bagnorea) 516.
Balsingin (Walsingham) 546.
Balsorani (Balsorano) 530.
Bani in Metis Graeciae (Bacs Monostor) 554.
Barbastri (Barbastro) 537.
Barberini 518.
Barchinonae (Barcelona) 324 348 349 536.
Bareby (Barby) 551.
Bari 531.
Bari (Bar-sur-Aube) 541.
Baruli (Barletta) 293 531.
Basileae (Basel) 550.
Basiani (Bassano) 525.
Beatiensis (Baeza) 535.
Bechebina (Bechin) 553.
Begulentae (Bovolenta) 525.
Beiarensis (Bejar) 535.
Belicadri 540 nota 2.
Belvaci (Beauvais) 545.
Belnae (Beaune) 541.
Belsae (Wels) 553.
Benaventensis (Benavente) 534.
Beneforati (Velorado) 536.
Beneventi 529.
Berberili (Barbézieux) 542.
Bermei (Bermeo) 536.
Bergae (Berga) 536.
Bergis (Bergen) 548.
Berlin 552.
Bernayo de (Bernay) 545.
Berni (Bern) 550.
Bertenorii (Bertinoro) 524.
Beruti (Beyruth) 533.

Conventus:
Bervici (Berwick) 546.
Besterceae (Besztercze-Bistritz) 554.
Betfordiae (Bedford) 546.
Bethlehem 533.
Bettonii et Bittonii (Bettona) 243 504.
Betunii (Béthune) 545.
Betuzae 555.
Beverlaci (Beverley) 546.
Bichili (Wicklow) 547.
Bidzoniae (Bydzow) 553.
Biguliae (Biguglia) 558.
Bilinae (Bjelina) 555.
Bisimani (Bisignano) 532.
Bisuntini (Besançon) 541.
Biterris (Béziers) 540.
Bittoriae (Vitoria) 536.
Bituricae (Bourges) 542.
Bizacensis (Betanzos) 534.
Bladislavici (Loslau) 553.
Blessiniae 547.
Blucani *v.* Luclani.
Bobii (Bobbio) 524.
Bodnimiae (Bodmin) 546.
Boiani (Boiano) 531.
Boiensis (Beja) 535.
Bolsenae 516.
Bonessau (Beneschin) 553.
Bonifatii (Bonifacio) 558.
Bononiae (Bologna) 262 521.
Borlingenae (Ueberlingen) 550.
Boselaviae (Bunzlau) 553.
Boton (Beuthen) 553.
Botonti (Bitonto) 531.
Bozarii (Bozen) 553.
Brageniaci (Bergerac) 538.
Branfortii (Sarnano). 514.
Breberii (Bribir) 303 528.
Bregae (Brieg) 552.
Bregantium (Bragança) 535.
Bremae 327 551.
Brignolae (Brignoles) 539.
Brigurtae (Broughton) 546.
Brisnae (Brixen) 553.
Brivatensis (Brioude) 542.
Brixiae (Brescia) 526.
Brufortii 244 280 281.
Brugis (Brügge) 545.
Brundusii (Brindisi) 531.
Brunnae (Brünn) 553.
Brunsburch (Braunsberg) 552.
Bruunswjick (Braunschweig) 551.
Bruvae (Brive) 538.
Bruxellae (Bruxelles) 549.
Budae (Budapest) 555.
Budesyn (Bautzen) 552.
Bullieniae (Kilkenny) 547.
Bunnae (Bonn) 549.
Burdegalae (Bordeaux) 539.
Burgevalteri (Bridgwater) 546.
Burgi (Burgos) 536.
Burgi (Borja) 537.
Burgi (Bourg) 541.
Burgi Novi (Bourgneuf) 542.
Burgi Sancti Dompnini (Borgo S. Donnino) 523.

Conventus:
Burgi Sancti Laurentii (Borgo S. Lorenzo) 518.
Burgi S. Sepulchri (Borgo S. Sepolcro) 242 505.
Burgtorf (Burgdorf) 550.
Buscridis ('s Hertogenbosch) 549.
Bustonicae (Bukovica) 555.
Cadani (Kaaden) 554.
Cadomae (Caen) 545.
Caesaraugustae (Zaragoza) 349 537.
Cafa (Caffa Teodosia) 557.
Calatagironi (Caltagirone) 297 533.
Calatavilii (Calatayud) 537.
Calderariae (Calderara in Reno) 522.
Caldig (Kolding) 548.
Calisiae (Falaise) 545.
Callaris (Cagliari) 558.
Calmi (Calvi) 558.
Caludburch (Kalundborg) 548.
Calvi (Cagli) 515.
Camani (Cagnano) 531.
Cambalech (Peking) 557.
Camberiaci (Chambéry) 541.
Cameraci (Cambrai) 545.
Camerae (La Chambre) 541.
Camerini 275 449 512.
Caminix (Kamieniec) 556.
Camorani (Camerano) 513.
Campagnani (Campagnano) 515.
Campibassi (Campobasso) 531.
Campis de (Kampen) 549.
Campi regis (Königsfelden) 550.
Camplo (Campli) 530.
Canali (Canale) 510.
Candidae (Kandia) 533.
Candomii (Candom) 538.
Caneae (Canea) 533.
Cantabrigiae (Cambridge) 546.
Cantazarii (Catanzaro) 532.
Cantu (Cantù) 526.
Cantuariae (Canterbury) 331 545.
Canusii (Canosa) 531.
Capellae (Chiappetta) 527.
Capitis Istriae (Capo d' Istria) 528.
Capricorni (Caprignone) 510.
Capruncbae (Koprivnica) 554.
Capuae (Capua) 529.
Carassu (Karasubasar) 557.
Carbii (Calvi) 510.
Carcasonae (Carcassonne) 540.
Carcerum (Carceri) 73 187 199 203 291 454 466 504.
Carii (Cairo) 527.
Cari Loci (Charlieu) 541.
Carlioli (Carlisle) 546.
Carmerdiniae (Carmarthen) 546.
Carmignani 517.
Carnoti (Chartres) 544.
Carpetras (Carpentras) 540.
Carpi 523.

Conventus:
Carrionis (Carrión de los Condes) 536.
Casali (Casale) 527.
Casalis Maioris (Casalmaggiore) 524.
Caselli (Cashel) 547.
Cassiae (Cascia) 243 511.
Cassinae (Cassine) 527.
Castelli (Castello) 525.
Castilionis (Castignano) 511.
Castilionis (Castellón de Ampurias) 536.
Castillionis (Castiglione) 520.
Castillionis (Castiglione Fiorentino) 519.
Castillionis (Châtillon) 541.
Castri 536 nota 5.
Castri (Châtellerault) 542.
Castriboni (Castelbuono) 533.
Castri Caesaris (Castrogeriz) 536.
Castri Duni (Châteaudun) 543.
Castrificardi (Castelfidardo) 513.
Castri Florentini (Castel Fiorentino) 254 518.
Castrigelosii (Casteljaloux) 538.
Castri Ioannis (Castrogiovanni) 532.
Castrimaris (Castellamare) 529.
Castri Milii (Castrimiglio) 513.
Castri Novi (Castellaudary) 537.
Castri Novi (Castelnovo) 527.
Castri Novi (Castelnuovo) 532.
Castri Plebis (Città della Pieve) 519.
Castri Rodulfi (Châteauroux) 542.
Castris (Castres) 538.
Castri Veteris (Castelvecchio) 530.
Castrivillarii (Châteauvillain) 541.
Castrivillarum (Castrovillari) 532.
Castrocarii 524.
Catalani (Châlon - sur - Marne) 545.
Catari et Catharae (Cattaro) 303 528.
Cataviani (Catignano) 530.
Cathaniae (Catania) 532.
Caurati (Corato) 531.
Cefaludi (Cefalù) 533.
Cegedunn (Szegedin) 555.
Celani (Cellino) 530.
Cellis de (Celle) 516.
Cemenii (Nagy Szeben, Hermannstadt) 554.
Cenomannis (Le Mans) 307 543.
Cenoyma (Znaim) 553.
Ceperani (Ceprano) 529.
Ceps (Szepes) 554.
Cepton (Tsiuan-ceu) duo loca 557.
Cerbaroli (Cerbaiolo) 509.

Conventus:
Ceret (Sereth) 556.
Cernouye (Krnov, Iägerndorf) 553.
Cerreti (Cerreto) 511 529.
Cerviae (Cervia) 524.
Cesenae 524.
Cessae Columbi (Cessapalombo) 514.
Cestriae (Chester) 546.
Cetinae (Cetinje) 555.
Cetonae V. Setonae 211.
Cevae 527.
Cherii (Chieri) 527.
Cherin (Ceri-Cerevic) 556.
Chersi (Cherso) 303 528.
Chevesdi (Kövesd) 556.
Chevin (Keve) 556.
Cibectoli (Cibottola) 316 504.
Ciliae (Cilli) 553.
Cimbali (Balaklawa) 557.
Cinegiensis (Cangas de Tineo) 534.
Cinguli (Cingoli) 513.
Cistarici (Sisteron) 540.
Cisternae (Citerna) 509.
Civitadellae (Ciudadela) 537.
Civitatis (Civita Campomarano) 531.
Civitatis (Ciudad Rodrigo) 534.
Civitatis Austriae (Cividale) 525.
Civitatis Belluni (Belluno) 525.
Civitatis Castellanae (Civita Castellana) 515.
Civitatis Castelli (Città di Castello) 241 505.
Civitatis Ducalis (Cittaducale) 516.
Civitatis Novae (Civitanova-Marche) 512.
Civitatis Regalis (Cittareale) 511.
Civitatis Sancti Angeli (Città S. Angelo) 530.
Civitellae 504.
Civitellae (Civitella del Tronto) 530.
Civitellae (Civitella in custodia Tiburtina) 516.
Clanmel (Clonmel) 547.
Claramontis (Clermont) 542.
Clarathoy (Clane) 547.
Clarentia (Clarentza) 533.
Clariae (Clane) 547.
Clavari (Chiavari) 527.
Clavaxii (Chivasso) 527.
Clicunfori in metis Tartariae (Maros Vásárhely) 554.
Clivis (Cleve) 549.
Clugiae (Chioggia) 525.
Clusii (Chiusi) 519.
Codebet (Cottbus) 551.
Coiulamensis (Cezimbra) 535.
Colcestriae (Colchester) 546.
Colimbria (Coimbra) 535.
Collestactiarii (Costacciaro) 510.

Conventus:
Collis (Colle Val d' Elsa) 518.
Colomiae (Kolomea) 556.
Coloniae (Cöln) 548.
Coloniae (Cologna) 525.
Columbariae (Colombaia) 261 520 550.
Comburch (Coburg) 552.
Compendii (Compiègne) 545.
Compostellae (Santiago) 534.
Compriaci (Compreignac) 542.
Comuch 557.
Conchiae (Cuenca) 536.
Confluentiae (Coblenz) 549.
Confortini (Confortino) 522.
Conissae (Leonessa) 511.
Coniunctoriae (Coventry) 546.
Consentiae (Cosenza) 532.
Constantiae (Constanz) 550.
Constantinopolim 556.
Contraguerrae (Controguerra) 530.
Contratae (de Venetiis) 20 263.
Corbarii (Corvaro) 530.
Corbaviae (Krbava) 555.
Corchin (Korczyn) 553 not. 11.
Corciani 504.
Cordubae (Córdoba) 535.
Corinalti (Corinaldo) 514.
Corinthi (Korinthos) 533.
Corkam (Chotin) 556.
Corneclani (Corneglano) 274 525.
Corneti provinciae Romanae 515.
Corneti in provincia S. Angeli 295 531.
Coroni (Koroni) 533.
Corrizopici (Quimper) 542.
Corsignani (Pienza) 520.
Cortigiae (Cork) 547.
Cortimili (Cortemilia) 527.
Cortonii (Cortona) 519.
Coruiensis (Coruña) 534.
Corvi (Korfu) 533 nota 5.
Cossignani 512.
Costich (Hosic) 555.
Cotroni (Cotrone) 532.
Covaliniensis (Covilhã 535).
Cracoviae (Krakau) 553.
Crebi (Oerebro) 548.
Cremae 526.
Cremonae 523.
Crespollani (Crespellano) 522.
Cristae (Crest) 542.
Cristenstorch (Zistersdorf) 552.
Cruppae (Krupa) 555.
Cuculi 529.
Cuellaris (Cuellar) 536.
Culmen (Culm) 552.
Cumis de (Como) 526.
Cunei 527.
Curiaebani (Sutjeska) 555.
Curiliani (Corigliano) 532; cfr. nota 8.
Cusminen (Horyniec) 556.
Cutiae (Hof) 551.

Conventus:
Cyaslaviae (Caslau) 553.
Cylippii (Heilbronn) 550.
Daventriae (Deventer) 549.
Daxae (Daxa) 528.
Derossae (Daroca) 537.
Dertusiae (Tortosa) 537.
Deserti 547.
Detii (Desio) 526.
Diani (Diano) 529.
Diensis (Die) 307 542.
Diglassae (Glaz) 555.
Dignae 540.
Dinani (Dinan) 542.
Dinantii (Dinant) 545.
Dirutae (Deruta) 504.
Divionis (Dijon) 541.
Dolensis (Dôle) 541.
Domini Pacis (Lugo de Paci) 522.
Donzimaci (Donzenac) 538.
Dordraci (Dordrecht) 549.
Drestanden (Dresden) 551.
Dulbiniae (Dublin) 547.
Dulbrich (Duisburg) 549.
Dulcini (Dulcigno) 528.
Duncastriae (Doncaster) 546.
Dundae (Dundee) 546.
Dundavae (Dundalk) 547.
Dunfres (Dunfries) 546.
Dunvici (Dunwicb) 546.
Duraci (Douai) 545.
Duranti (Urbania) 515.
Duratii (Durazzo) 302 528.
Durni (Down) 547.
Dyaco (Djacovo) 555.
Dyest (Diest) 549.
Eboli 529.
Eboraci (York) 546.
Efordiae (Hereford) 546.
Egrae (Eger) 551.
Elborensis (Evora) 535.
Elonramadae (Clonard) 547.
Embrundunii (Embrun) 540.
Engolisnae (Angoulême) 542 nota 2.
Erfelliae (Hersfeld) 549.
Erfordiae (Erfurt) 327 552.
Erfordiae (Herford) 549.
Eroaviae (Grabow) 553.
Esculi (Ascoli-Piceno) 277 511.
Esculi (Ascoli-Satriano) 531.
Esolduni (Issoudun) 542.
Estensis (Este) 525.
Ethori (Thorn) 552.
Eudi (Indjija) 554.
Eugubii (Gubbio) 241 510.
Extremocensis (Extremoz) 535.
Fabriani (Fabriano) 277 514.
Fabrione de 210 212.
Fagiolae (Faggiola) 514.
Falleroni 514.
Famogustae (Famagosta) 544.
Fanani 523.
Fani 514.
Fasii (Faches) 545.
Faventiae (Faenza) 524.
Feltri (Feltre) 525.
Ferentini 517.

Conventus:
Ferrarae 522.
Ficecli (Fucecchio) 517.
Figiaci (Figeac) 308 538.
Figini (Figline) 518.
Filinguenae (Villingen) 550.
Fillaci (Villach) 553.
Firclariae (Fritzlar) 549.
Firmi (Fermo) 514.
Flensburch (Flensburg) 548.
Florentiae 202 361 517.
Florenziaci (Florensac) 540.
Fogiae (Foggia) 295 531.
Fogiae Novae (Phokia) 556.
Folquarquerii (Forcalquier) 540.
Fontis Columbae et Polumbae vel Polumbarum (Fonte Colombo) 371 373 516.
Forani (Forano) 232 276 277 513; secundus locus 513.
Fordani (Puigcerda) 540.
Fori Simfronii (Fossombrone) 514.
Forlivii (Forlì) 524.
Forsinae (Pforzheim) 550.
Fossani 527.
Fractae (Fratta) 524.
Francae Villae (Francavilla al Mare) 530.
Francinfordiae (Frankfurt) 550.
Frattae 509.
Freberniza (Srebrenica) 555.
Friburgi Inferioris (Freiburg) 550.
Friburgi Superioris 550.
Frideburch (Friedberg) 550.
Frigiae (Frias) 536.
Fulanitii (Pulcenigo) 525.
Fulginei (Foligno) 242 510.
Fundis (Fondi) 529.
Fureae (Force) 512.
Gadalfaiariae (Guadalajara) 536.
Gaiaci (Gray) 541.
Galaf (Halicz) 556.
Gaietae (Gaeta) 529.
Galeratae (Gallarate) 526.
Galvy (Galway) 547.
Gandavi (Gent) 545.
Gangareti 519.
Gardiensis (Guarda) 535.
Gebenensis (Genève-Genf) 541.
Gelli (Agello) 504.
Gempnici (Ipswich) 546.
Gerasii (Gerace) 532.
Geriti (Grein) 553.
Germisceriae (Grimsby) 546.
Gerpesvalde (Greifswalde) 551.
Gerundae (Gerona) 536.
Gervermicae (Yarmouth) 546.
Giffonis (Giffoni) 529.
Gihennensis (Iaen) 535.
Ginnaci (Gignac) 540.
Giricensis (Ierez) 535.
Glazi (Glatz) 553.
Glemonae (Gemona) 525.
Glogoniae (Oberglogau) 553.
Gloncestriae (Gloucester) 546.

Conventus:
Glutiae (Gorizia, Görz) 525.
Gnesnan (Gnesen) 553.
Goldeberch (Goldberg) 552.
Gordonii (Gourdon) 538.
Gorlis (Görlitz) 552.
Gracamae (Graham) 546.
Grandusoni (Grandson) 541.
Gransoy (Gransee) 552.
Grassae (Grasse) 539.
Grationopolis (Grenoble) 541.
Gravinae 532.
Greben 555.
Grechii (Greccio) 276 516.
Gregani (Gargnano) 526.
Grez (Königgrätz) 553.
Greze (Graz) 553.
Grifonberch (Greifenberg) 551.
Grismariae (Hofgeismar) 549.
Grodech (Gródek) 556.
Gronimberch (Grünberg) 549.
Groninghae (Groningen) 549.
Grosseti 520.
Gualdi 510.
Guardiae (Guardiagrele) 530.
Guilionisii (Guglionesi) 531.
Gurbonich (Gujurgjevak) 554.
Guyncampi (Guingamp) 542.
Hallis de (Hall) 550.
Halus (Halle) 551.
Halverstadensis (Halberstadt) 328 551.
Hamburch (Hamburg) 551.
Hanover (Hannover) 551.
Heidelberch 550.
Heldesim (Hildesheim) 328 551.
Herbipolis (Würzburg) 550.
Herderwiche (Harderwijk) 549.
Heremitae (Eremita) 191 510.
Herspelliae (Hartlepool) 546.
Horte V. Orte.
Hospitalis (Ospedale) 511.
Hostunii (Ostuni) 531.
Hulmonae (Ulm) 550.
Huxariae (Höxter) 327 549.
Iaceae (Iaca) 537.
Iacinti (Zante) 533.
Iadrae (Zara) 528.
Iani (Giano) 510.
Ianuae (Genova) 289 526.
Ianurini (Györ, Raab) 554.
Iglaviae (Iglau) 553.
Ilerdae (Lérida) 324 348 546.
Imolae 524.
Indeburgae (Iudenburg) 553.
Insulae (Ile d'Oléron) 542.
Insulae (l'Isle-Iourdain) 537.
Insulae (l'Isle Venaissin) 539.
Insulae Viridis sive de Algizaria (Algeciras) 535.
Insulis (Lille) 545.
Insulae laci Perusini 234 504.
Interamne (Terni) 240 510 540.
Ioae (Gioia) 531.
Iochil (Youghal) 547.
Iporegiae (Ivrea) 526.
Iprae (Ypereu) 545.

Conventus:
Ischitellarum (Ischitelli) 531.
Isei (Iseo) 526.
Isenach (Eisenach) 552.
Itaviae (Mücka) 552.
Iussac (Inca) 537.
Iustinopolis (Capo d' Istria) 303 528.
Iuvenatii (Giovinazzo) 531.
Kalis (Kalisz) 553.
Kamundae (Schwäb. Gmünd) 550.
Katurchi (Cahors) 538.
Kelinusin (Gelnhausen) 550.
Kildariae (Kildare) 547.
Kiliven et Kilone (Kiel) 325 551.
Kram (Hram) 556.
Kyllerth (Killaloe) 547.
Kylone V. Kiliven.
Kyris (Kyritz) 327 552.
La (Laa) 553.
Lab 555.
Lacronii (Logroño) 536.
Laibaci (Laibach) 553.
Lamacensis (Lamego) 535.
Lamasiae (Hamely) 546.
Lamoc (Glamoc) 555.
Lancariensis (Alemquer) 535.
Landae (Lodi) 526.
Lanisocae (Landshut) 550.
Lapostae (Posta) 511.
Lasani (Lanciano) 530.
Lascrovae (Lasva) 555.
Laudini (Laon) 545.
Laureti (Loreto Aprutino) 530.
Lauri (Loro) 514.
Lausannae 541.
Laustrucii (Lautrec) 538.
Lectoriae (Lectoure) 538.
Ledonensis (Lons-le-Saunier 541.
Legenis (Liegnitz) 552.
Legionum (León) 534.
Leicestriae (Leicester) 546.
Lemburgae (Lemberg) 556.
Lemonicarum (Limoges) 538.
Lenniae (Kings Lynn) 546.
Lenoniae (Lelòw) 553.
Leodii (Liége) 545.
Leonani (Luano) 515.
Leontini (Lentini) 533.
Leuca (Léka, Lockenhaus) 554.
Lendenariae (Lendinara) 525.
Levemberch (Löwenberg) 552.
Levisiae (Lewes) 546.
Licosconii 556.
Limassol 533 nota 6.
Limburch 549.
Limosi (Limoux) 540.
Lincopiae (Linköping) 548.
Linorii (Libourne) 539.
Lipisee (Leipzig) 551.
Lipsae (Okolicsna) 554.
Litii (Lecce) 531.
Liveti (Albacete) 536.
Lobaviae (Löbau) 552.
Lochas (Loches) 542.

Conventus:
Lognani (Lugnano) 510.
Londonae (Lodève) 540.
Londoniarum (London) 546.
Longiani 524.
Longoni (Longone) 516.
Losduni (Loudon) 542.
Lovanii (Louvain) 549.
Luasiae (Limerick) 547.
Luban (Lauban) 552.
Lubich (Lübeck) 327 551.
Lucae (Lucca) 517.
Lucensis (Lugo) 534).
Luceriae (Luzern) 550.
Lucerini (Lucera) 531.
Lucignani 519.
Luclani (Bucchianico) 290 530.
Lucorani (Locarno) 526.
Luczenburch (Luxemburg) 549.
Lugduni (Lyon) 305 541.
Lugo (de) in custodia Ravennae 524.
Lugnani (Lugano) 526.
Luminis (Kopenhagen) 548.
Lunelli (Lunel) 540.
Lunenburch (Lüneburg) 327 not. i; 551.
Lunosani (Limosano) 531.
Lurisam (Linz) 553.
Lutomaris (Leitmeritz) 554.
Lutri (Kaiserslautern) 550.
Lyndaniae (Lindau) 550.
Lyndis (Lund) 548.
Maceratae 512.
Macerensis (Madrid) 536.
Macheliniae (Malines) 549.
Machiovae (Maçva) 555.
Madeburch (Magdeburg) 327 551.
Mager 557.
Magliani (Magliano) 516.
Maguntiae (Mainz) 550.
Maioricarum (Mallorca) 537.
Maioricensis (Mayorga) 534.
Malfi (Amalfi) 529.
Malifarnan (Multyfarnham) 547.
Mamucci (557).
Manfredoniae 531.
Mantuae (Mantova) 274 525.
Manupelli (Manoppello) 530.
Marburch (Marburg) 549.
Marcelli (Martel) 538.
Marciani (Marsciano) 504.
Margliani (Mariano) 526.
Marisburgae (Marburg) 553.
Marmadae (Marmande) 538.
Marologii (S. Iean-de-Marué-jols) 540.
Marsaliae (Marsala) 533.
Marsicani (Piscina) 530.
Marsici (Marsico) 529.
Marsiliae (Marseille) 316 539.
Masi (Le Mas d' Agenais) 538.
Massae (Massa) prov. Marchiae 514.
Massae (Massa) prov. Tusciae 253 520.

Conventus:
Massanae et Messanae (Messina) 297 348 532.
Mastracis (Marstrand) 548.
Mataloni (Maddaloni) 529.
Matelicae 514.
Materae 532.
Matisconis (Mâcon) 541.
Matorariae (Martirano) 532.
Maviassae (Manosque) 539.
Mazzariae (Mazzara) 533.
Medanti (Mantes-sur-Seine) 544.
Mediolani (Milano) 525.
Meinege (Meiningen) 552.
Meldis (Meaux) 544.
Meldulae (Meldola) 524.
Melfiae (Melfi) 531.
Melficani (Molfetta) 531.
Mercatelli (Mercatello) 515.
Merliae (Merl) 549.
Metalini (Mytilini) 556.
Methis (Metz) 545.
Metinae de Campis (Medina del Campo) 536.
Metinae de Pomario (Medina de Pomar) 536.
Mevanii (Bevagna) 243 510.
Michestriae (Chichester) 546.
Middelburch (Middelburg) 549.
Mignani (Mignano) 529.
Milionis (Montemelone, Pollenza) 513.
Minatis (Mende) 540.
Mirabelli (Mirebeau) 542.
Mirandae (Miranda de Ebro) 536.
Mirandae (Mirande) 538.
Mirapisce (Mirepoix) 537.
Mishusin (Mühlhausen) 550.
Misinae (Meissen) 327 551.
Misinburch (Weissenburg) 550.
Modalviae (Moldawitza) 556.
Modoetiae (Monza) 526.
Modrosae (Modrus) 528.
Moletae (Auletta) 529.
Moliani (Mogliano) 256 258 281 433 514.
Molinae (Molina de Aragòn) 537.
Monaci (München) 550.
Monasterii (Münster) 325 549.
Monasterium S. Clarae de Neapoli 290 347 528.
Monopolim (Monopoli) 531.
Monteaionis (Montaione) 510.
Monteni (Montieri) 520.
Montibus de (Mons) 545.
Monticellis (Monticelli) 511.
Monticularum (Fontecchio) 530.
Monticuli (Montecchio) 513.
Montignani (Montagnana) 525.
Montilii (Montelie) 542.
Montiliorum (Montelier) 539.
Montiniaci (Montignac) 538.
In Monte (Imotski) 555.
Montis Actionis (Montottone) 514.
Albani (Montauban) 538.

Conventus:
Montis Albedii (Montalboddo, Ostra) 514.
Albi (Montblanc) 537.
Alti (Montalto) cust. Escul. 511.
Alti (Montalto) cust. Viterb. 515.
Avium (Mondavio) 514.
Brisonis (Montbrison) 541.
Calerii (Moncalieri) 527.
Calvi (Moncalvo) 527.
Casalis (Monte Casale) 505.
Casi (Montcuq) 538.
Compatrum (Monte Compatri 251 515 523.
Falconis (Montefalco) cust. Escul. 512.
Falconis (Montefalco) cust. Ferrar. 523.
Falconis (Montefalco) cust. Spolet. 510.
Ferradi (Montferrand) 542.
Fescoli (Montefusco?) 529.
Flasconis (Montefiascone) 515.
Florentini (Montefiore) 514.
Florum (Montefiore) 512.
Formisini (Mondaino) 514.
Granarii (Monte Granario) 514.
Ilcini (Montalcino) 261 520.
Iovis (Monte Giove) 235 504.
Leonis (Monteleone) cust. Reatin. 516.
Leonis (Monteleone) cust. Regii 511
Leonis (Monteleone) cust. Regni 532.
Luci 241.
Lucidi 505.
Luponis (Montelupone) 512.
Marziani (Mont-de-Marsan) 538.
Novi (Montenovo, Ostra Vetere) 514.
Odorici (Monteodorisio) 531.
Perusini (Monte di Perugia) 208 504.
Pessulani (Montpellier) 313 540.
Pilosi (Montepeloso) 532.
Politiani (Montepulciano) 261 316 520.
Rasi (Monte Raso) 558.
Realis (Montereale) 511.
Regii (Monterey) 534.
Regis (Monte del Re) 524.
Rubani (Monterubbiano) 514.
Sancti (Potenza Picena) 512.
S. Iuliani (Monte S. Giuliano) 533.
S. Mariae (Monte Giorgio) 514.
S. Martini 511.
S. Petri (S. Pietro) 514.
Sarculi (Montesarchio) 529.
Silicis (Monselice) 525.
Silvani (Montesilvano) 530.

Conventus:
Montis Syon 533.
Ulmi (Monte dell'Olmo) 514.
Varci (Montevarchi) 519.
Vici (Mondovì) 527.
Ylaris (Moliterno?) 529.
Montissoni (Monzòn) 537.
Montonii (Montone) 509.
Mordlingani (Nördlingen) 550.
Morellae (Morella) 537.
Morlaviis de (Morlaas) 538.
Morti (Niort) 542.
Mortoti (Maynooth) 547.
Moyrenci (Moirans) 541.
Mucastri (Nicastro) 532.
Mulhusen et Molusin (Mühlhausen) 328 552.
Munstiben (Münsterberg) 552.
Murelli (Muret) 537.
Muri (Muro) 529.
Muri Veteris (Murviedro) 537.
Murri (Murro) 280 512.
Murri (Morro d'Oro) 530.
Murtiae (Murcia) 536.
Mutae (Hohenmauth) 553.
Mutinae (Modena) 263 523.
Mystath (Nyborg) 548.
Namurci (Namur) 545.
Nanetis de (Nantes) 542.
Nansclaviae (Namslau) 552.
Narbonae (Narbonne) 317 540.
Narii (Naro) 532.
Narnii 242 510.
Nartatoni (Northampton) 546.
Nazareth 533.
Neapolis 290 528.
Nemoris (Bosco a Frati) 518.
Neptuni (Nettuno) 516.
Nerenstan (Dürnstein) 553.
Neriaci (Nérac) 538.
Neritoni (Nardò) 531.
Nerthem (Nasice) 554.
Nestin 556.
Nestueth (Nästved) 548.
Neumasi (Nîmes) 540.
Nicosiae 348 533.
Nicoterrae 532 nota 2.
Nigaldasi (Ingolstadt) 550.
Nigropontis (Negroponte) 303 533.
Nisze (Neisse) 552.
Nitriae (Nyitra, Neutra) 554.
Nivelli (Nivelles) 545.
Niveris (Nevers) 542.
Nizziae (Nizza) 539.
Nobo de (Noli) 527.
Noceriae (Nocera) 510.
Nolae (Nola) 529.
Norvici (Norwich) 546.
Nostin (Sniatyn) 556.
Noti (Noto) 533.
Notii (Limassol) 533 nota 6.
Notingamiae (Nottingham) 546.
Novac (Neustadt) 552.
Novae Civitatis (Neustadt) 329 552.
Novae Domus (Neuhaus) 553.
Novariae (Novara) 525.

Conventus:
Novebrandeburch (Neubrandenburg 551.
Novi Castri (Castelnuovo) 555.
Novi Castri (Neufchâteau) 545.
Novi Castri (Newcastlè) 546.
Novifori (Neumarkt) 552.
Noviomi (Noyon) 545.
Nuceriae (Nocera) 529.
Nugarolii (Nogaro) 538.
Nuntiae (Nonza) 558.
Nuntronii (Nontron) 538.
Nuriduni (Yverdon) 541.
Nursiae (Norcia) 243 511 548.
Nussae (Mies) 554.
Nussiae (Neuss) 325 548.
Nymfae (Sermoneta) 516.
Nyncopiae (Nyköping) 548.
Obernakae (Obornik) 553.
Oblingae (Esslingen) 550.
Oceagfregis (Carrickfergus) 547.
Occosii (Occosia) 511.
Ocestae (Dorchester) 546.
Octoveriae (Odense) 548.
Oceuscudini (Felsö-Segusd) 554.
Offeni (Ofena) 530.
Offidae 512.
Offimburch (Offenburg) 550.
Oleti (Olite) 537.
Oliveti (Olmedo) 536.
Ologoviae (Gross Glogau) 553.
Olomnae (Olmütz) 553.
Olori (Oloron) 538.
Opaviae (Troppau) 553.
Opinhemae (Oppenheim) 550.
Opol (Oppeln) 553.
Oppretii (Oreno) 526.
Optae (Huete) 536.
Oreae (Oria) 293 531.
Orenis (Horsens) 548.
Organe de 557.
Ornani (Ornano) 558.
Orstianae (Orsova) 556.
Ortae (Orte) 249 515.
Ortonae 530.
Orugellae (Kungelf) 548.
Osnabrugge (Osnabrück) 549.
Ossae (Huesca) 537.
Ossem (Oschatz) 327 551.
Osterwerlimburch (Wittenberg) 551.
Ovetensis (Oviedo) 534.
Oxeae (Ejea) 537.
Oxellae (Biella) 526.
Oxidolii (Excideuil) 538.
Oxoniae (Oxford) 329 546.
Pacensis (Badajoz) 535.
Pactis (Patti) 532.
Paderburnae (Paderborn) 549.
Paduae 264 524.
Pagi (Pago) 528.
Palentiae (Palencia) 536.
Palentiolae (Palenzuela) 536.
Palevae (Palena) 530.
Pamiae (Pulca) 553.
Pampilonis (Pamplona) 537.
Panormi (Palermo) 297 532.

Conventus:
Pantanellis (Pantanelli) 510.
Papemberch (Bamberg) 550.
Paphi (Pafo) 533.
Papiae (Pavia) 527.
Parentii (Parenzo) 520.
Parisius (Paris) 308 329 479 501 517 543.
Parmae 523.
Parpignani (Perpignan) 540.
Parthem (Parchim) 551.
Partiniaci (Partenay) 542.
Pasquitii (Peschici) 531.
Patras 533.
Pedisluci (Piediluco) 510.
Peleni 530.
Pennae (Penne) 530 538.
Pennae Fidelis (Peñafiel) 536.
Pennae Sancti Ioannis, (Penna S. Giovanni) 288 514.
Pennae S. Marini (S. Marino) 279 514.
Pensauri (Pesaro) 449 514.
Perae 556.
Pergami (Bergamo) 526.
Pergulae (Pergola) 514.
Peroni (Péronne) 545.
Peroniae (Pettau) 553.
Perpsallan (Upsala) 548.
Perusii (Perugia) 205 504.
Petragorarum (Périgueux) 538.
Pictavis vel Pictaviae (Poitiers 307 542.
Pignani (Appignano) 511.
Pignoroli (Pinerolo) 527.
Pili (Piglio) 249 345 517.
Pilisvam (Pilsen) 554.
Piperni 249 516.
Pirae (Apiro) 514.
Piranii (Pirano) 528.
Piscariae (Pescara) 530.
Pisciae (Pescia) 517.
Pisdrae (Pysdry) 553.
Pisis de 499 517.
Pisquiae (Brugliano) 242 510.
Pistorii (Pistoia) 517.
Pitiliani (Pitigliano) 516.
Placentiae (Piacenza) 523.
Placentinus (Plasencia) 535.
Plani (Piano) 520.
Planitii 531.
Planorii (Pianoro) 522.
Plateae (Piazza Armerina) 532.
Plebis Sacci (Pieve di Sacco) 525.
Plorati (Pioraco) 513.
Plumbi (Olovo) 555.
Plumbini (Piombino) 520.
Podii (Le Puy) 541.
Podii (Puigcerda) 540.
Podii Bonizi (Poggibonzi) 518.
Podii Busconii (Poggio Bustone) 516.
Polae 303 528.
Polizii (Polizzi) 297 532.
Pontariae 530.
Ponte de (Brüx) 554.
Ponte de (Drogheda) 547.
Pontibus de (Pons) 542.

Conventus:
Pontisoyae (Pontoise) 545.
Pontis Veteris (Pontevedra) 534.
Pontremuli (Pontremoli) 517.
Poperi (Popoli) 530.
Portiunculae 194 203 504.
Portolatrensis (Portalegre) 535.
Portu de (Porto) 535.
Portus Gluarii (Portugruaro) 525
Posonii (Pozsony, Pressburg) 554.
Potentiae (Pontenza) 529 in nota.
Potocae (Sáros-Patak) 554.
Pozzoli (Pozzuolo) 526.
Praeceni et Proceni (Proceno) 251 516.
Praecinae (Procina) 531.
Pragae (Prag) 553.
Prati (Prato) 518.
Pregii (Preggio) 504.
Prescenae (Preston) 546.
Prinsclaviae (Prenzlau) 329 551.
Prisaci (Breisach) 550.
Prucae (Bruck) 553.
Pruvini (Provins) 544.
Puleggii (Poggio Canoso) 511.
Puppii (Poppi) 260 519.
Pyris (Pyritz) 551.
Quartaroli (Quartarolo) 525.
Quedlinburch 551.
Quinque Ecclesiae (Pécs, Fünfkirchen) 554.
Racaneti vel Recaneti (Recanati) 278 513.
Radicofani 520.
Radigiae (Reading) 546.
Radomis (Radom) 553.
Radyeyon (Radjejew) 553.
Ragusae (Ragusa) 528.
Ragusiae in Sicilia (Ragusa) 533.
Randatii (Randazzo) 298 532.
Ratisbonae (Regensburg) 326 550.
Raudey (Randers) 548.
Ravelli (Rovella) 529.
Reate de (Rieti) 516.
Regii de custodia Ferrariae (Reggio) 523.
Regii Calabriae (Reggio) 532.
Regii (Riez) 540.
Regulae (Réole) 539.
Relaviae (Raillane) 539.
Remis (Reims) 545.
Riccardinae (Riccardina) 181 522.
Ricchictiolae 504.
Richemundiae (Richmond) 546.
Rigae (Riga) 551.
Righignani (Draguignan) 539.
Rinolii (Rioms) 539 nota 1.
Riomi (Riom) 542.
Riparoli (Rivarolo) 527.
Ripae (Riva) 525.

Conventus:
Ripae Transonis (Ripatransone) 278 449 511.
Ripastagni (Rabastens) 538.
Ripaviensis (Ribadeo) 534.
Ripellae (La Rochelle) 542.
Ripis de (Ribe) 548.
Rischildis (Roskilde) 548.
Rivorum (Rieux) 537.
Rochae (Rocca, Arcevia) 514.
Rodi 531.
Rodigii (Rovigo) 525.
Rodonis (Rennes) 307 542.
Romae *v.* Aracaeli.
Romanis de (Romans) 542.
Romulae (Maranola) 529.
Roremundae (Roermond) 549.
Rossae (Ross) 547.
Rostich (Rostock) 551.
Rothinburch (Rothenburg) 550.
Rothomagi (Rouen) 545.
Rotisburgiae (Roxburgh) 546.
Royi (Roye) 545.
Rubiaci (Ruffach) 550.
Ruthennae (Rodez) 538.
Rutrilinguenae (Reutlingen) 550.
Ruviani (Roviano) 516.
Sactae (Szécseny) 554.
Salamanticae (Salamanca) 534.
Salati (Sarlat) 538.
Salem (Salemi) 533.
Salinensis (Salins) 541.
Salisber (Salisbury) 546.
Salmodil (Salzwedel) 552.
Salmuri (Saumur) 542.
Salopiae (Shrewsbury) 546.
Saltariae (Saltara) 514.
Samotensis (Zamora) 534.
Sanctae Agatae custodiae Beneventanae (S. Agata) 529.
Agathae custodiae Forliviensis 524.
Anderiae (Santander) 536.
Clarae de Assisio 504.
Clarae Neapolis 528.
Crucis Neapolis 528.
Fidei (S. Foy) 538.
Helyzabeth (prope Eisenach) 552.
Illuminatae (Alviano) 240 510.
Iustae (S. Giusta in Montorio) 530.
Mariae custodiae Principatus (S. Maria) 529.
Mariae Aegyptiacae Neapolis 528.
Mariae de Angelis 190 203 352 505 609 629 *v.* Portiuncula.
Mariae de Angelis custodiae Salamantinae (S. Maria de Angelis) 535.
Mariae de Aracaeli 515 *v.* Aracaeli.
Mariae de Campo 555.
Mariae Magdalenae custodiae Montanorum 511.

Conventus:
Sanctae Mariae Magdalenae Neapolis 528.
Mariae Neapolis 528.
Mariae Venetiarum 275.
Mariae Novae Neapolis 528.
Victoriae custodiae Esculanae 511.
Victoriae custodiae Fanensis 514.
Sancti Aegidii (S. Chély) 540.
Affricani (St. Affrique) 308 538.
Alexandri (Toffia) 516.
Angeli (S. Angelo) 514.
Angeli in Vado 515.
Angeli de Vena prope Viterbium 280 not. 2.
Angeli (Monte S. Angelo) 531.
Antonii (St. Antoine-de-Salins) 538.
Archangeli 524.
Botulfi (Boston) 546.
Damiani de Assisio 353 504.
Demetrii (Mitrovica) 554.
Dominici de Sillis (Santo Domingo de Silos) 536.
Egmundi (Bury S. Edmunds) 546.
Elpidii 514.
Emiliani (S. Emilion) 539.
Facundi (Sahagún) 536.
Francisci de Assisio 178 503.
Francisci in Custodia Bononiae 522.
Francisci de Contrata (Venetiis) 263 525.
Francisci trans Tiberim 515.
Frunt Pragae 553.
Gemini 510.
Geminiani (S. Gimignano) 518.
Germani (S. Germano) 529.
Ginesii 514.
Helyae (Modrić) 555.
Iacobi (Radicaro) 516.
Iacobi (Santiago) 534.
Iacobi Pragae 553.
Ioannis (S. Jean-d'Angely) 542.
Ioannis (S. Giovanni in Persiceto) 522.
Ioannis Rotundi (S. Giovanni Rotondo) 531.
Iuniani (S. Junien) 538.
Laurentii Neapolis 528.
Laurentii iuxta Tiberim 249.
Leonis 515.
Macharii (S. Macaire) 539.
Marci (S. Marco) 532.
Martini 517.
Maxentii (S. Maixent) 542.
Miniatis (S. Miniato) 517.
Nicolai (S. Nicoletto) 525.
Nicolai (Visoko) 555.
Odomari (S. Omer) 545.
Omeri (S. Omero) 530.
Petri (Albe) 530.

Conventus:
Sancti Portiani (S. Pourçain) 542.
Processi 520.
Quintini (S. Quentin) 545.
Quiritii (S. Quirico) 520.
Severi 531.
Severini Marchiae 57 276 512.
Severini custodiae Salernitanae (Sanseverino) 529.
Stephani (San Esteban de Gormaz) 536.
Terrentiani iuxta montem Syraptim 433.
Trudonis (St. Trond) 549.
Salerni 529.
Sandec (Sandec) 553.
Sanguosae (Sangüesa) 537.
Santaremensis (Santarem) 535
Santonis (Saintes) 542.
Saponaria (Saponara) 529.
Saray (Zarew) 557.
Sarburch (Saarburg) 550.
Sarnani (Seranne) 537.
Saroviae (Sorau) 552.
Sarteani (Sarteano) 520.
Sarvi (Sarno) 529.
Sasalis Novi (Casalnuovo) 531.
Sassari 558.
Savonae 527.
Saxaro (Lixurion) 533.
Saxicorbarii (Sassocorvaro) 514.
Saxoferrati (Sassoferrato) 514.
Scafordiae (Stafford) 546.
Scafusanae (Schafhausen) 550.
Scaleae (Scalea) 532.
Scandonae (Skradin) 528.
Scardebrigiae (Scarborough) 546.
Scaris de (Skara) 548.
Scemeniae (Szemenye) 554.
Sclerich (Schleswig) 548.
Scotaneti (Montebaroccio) 282 514.
Scotelene (Stockholm) 548.
Scutari 528.
Secciae (Sezze) 516.
Secusiae (Susa) 527.
Segaroli (Zagorolo) 517.
Segaviae (Segovia) 536.
Segniae (Sinj) 528.
Selani (Celano) 530.
Seminariae (Seminara) 532.
Senarum (Siena) 518.
Senegalliae (Senigallia) 514.
Senonis (Sens) 544.
Senyrcopiae (Falkoping) 548.
Senzaniae (Sézanne) 544.
Sereni (Schrimm) 553.
Serrae custodiae Camerini 512.
Serrae Comitum (Serra de' Conti) 514.
Serrae Sancti Quirici (Serra S. Quirico) 514.
Serravallis (Serravalle) 525.
Servisti (Zerbst) 551.
Serzanae (Sarzana) 517.

Conventus:
Setonae vel Sciptonae vel Scetonae (Cetona) 211 252 279 519.
Severino de (Turnu-Severin) 556.
Sexti (Sestri Ponente) 527.
Sibenici (Sebenico) 523.
Silvanecti (Senlis) 544.
Silvici (Silvi) 530.
Silvigiaci (Seignelay) 542.
Simdis (Stralsund) 551.
Simisi (Samsun) 556.
Simiso (Limassol) 533.
Sinopi (Sinob) 556.
Siracusae et Syracusae 297 533.
Siroli (Sirolo) 234 276 513.
Sisclariae (Fritzlar) 549.
Sivenes (Schweidnitz) 552.
Smotorix (Czernowitz) 556.
Sobes (Karansebes) 556.
Solcath 557; cfr. not. 3.
Sollonis (Salon) 539.
Solodri (Solothurn) 550.
Sonnini (Sonnino) 517.
Sorae (Sora) 529.
Sorani (Saronno) 526.
Soriae (Soria) 536.
Spaleti (Spalato) 528.
Spartae (Lesparre) 539 nota 1.
Spelli 243 504.
Spirae 326 550.
Spoleti 240 510.
Squillatii (Squillace) 532.
Stabuli (Staffolo) 514.
Stachovae (Skakava) 555.
Stadii (Stade) 551.
Stagni (Ston) 555.
Stampis (Etampes) 544.
Stanfordiae (Stamford) 546.
Stayn (Stein) 553.
Steindal (Stendal) 552.
Stellae (Estella) 537.
Stetyn (Stettin) 551.
Stratim (Strehlen) 552.
Stranconii (Stroncone) 510.
Strigonii (Esztergom, Gran) 325 554.
Subtantonae (Southampton) 545.
Suessae (Sessa) 529.
Suessionis (Soissons) 545.
Suffiani 280 281 514.
Sufflagii (Subiaco) 516.
Suicaniae (Zwickau) 551.
Sulmonae (Solmona) 530.
Sumidrii 540 nota 2.
Supronil (Sopron, Oedenburg) 554.
Surrenti (Sorrento) 529.
Susati (Soest) 549.
Suselis (Seuselitz) 551.
Sutri 515.
Suvareti (Suvereto) 520.
Symerburch (Svendborg) 548.
Taduae (Tordinci) 554.
Tagivolagi (Timoleague) 547.
Tagliacozzii (Tagliacozzo) 530.

Conventus:
Talaverae 536.
Taleni (Carinolae) 529.
Tamiensis (Tavira) 535.
Tanae (Asow) 332 557.
Tanduc (Tondern) 548.
Tannis de (Thann) 550.
Taranii (Tarrani) 516.
Tarbiae (Tarbes) 538.
Tarchis 557.
Tarenti (Taranto) 531.
Tareti (Zürich) 550.
Tarvisii (Treviso) 525.
Taurini (Torino) 527.
Tauromenii (Taormina) 532.
Tepurg (Dieburg) 550.
Teranii (Teramo) 530.
Terasconis (Tarascon) 539.
Terdonae (Tortona) 527.
Termis (Termini) 533.
Termularum (Termoli) 531.
Ternaviae (Nagyszombat, Tyrnau) 554.
Terracinae 516.
Terraconensis (Tarragona) 537.
Terrage de (Tárrega) 537.
Terrecoy (Torgau) 551.
Terregenae (Sariñena) 537.
Terrae Novae (Terranova) 532.
Thauri (Toro) 321 534.
Thaurisii (Tabris) 556.
Theatini (Chieti) 530.
Thebis (Thivae) 533.
Thenis (Thienen) 549.
Thessalonicae (Saloniki) 556.
Tibure de (Tivoli) 516.
Tincz (Teinitz) 554.
Tocti (Tocco) 530.
Tolentini 512.
Toleti (Toledo) 323 324 349 535.
Tolosae vel Tholosae (Toulouse) 308 537.
Tornaci (Tournay) 545.
Tornosani (Tornasano) 513.
Torpiae (Tropeia) 532.
Tossignani (Tossignano) 524.
Trabe de Bonanti (Ponte della Trave) 276 278 449 512.
Tragurii (Trau) 303 528.
Traiecti custodiae S. Benedicti (Traietto) 529.
Traiecti Inferioris (Utrecht) 549.
Traiecti super Mosam (Maastricht) 549.
Trani 294 531.
Trapani 533.
Trapessundae (Trabison, Tirabson) 556.
Trasve (Dranse) 552.
Travemburch (Dramburg) 551.
Trechis de (Troyes) 544.
Trelburch (Trelleborg) 548.
Tremoniae (Dortmund) 549.
Treveris (Trier) 549.
Trevii (Trevi) 510.

Conventus:
Tricarici (Tricarico) 532.
Tridenti (Trento) 525.
Triflisii (Tiflis) 556.
Trinchinii (Trencsén) 554.
Troiae 531.
Trun (Trim) 547.
Tuderti (Todi) 235 510.
Tullae (Tulln) 553.
Tulli (Toul) 545.
Turgonis (Torgau) 325 *v.* Terrecoy.
Turoli (Teruel) 537.
Turonis (Tours) 542.
Tuscanellae (Toscanella) 251 515.
Tusterini (Tönsberg) 548.
Tutellae (Tudela de Navarra) 537.
Tuyngensis (Tübingen) 550.
Tyani (Teano) 529.
Tyraschiae (Tarazona) 537.
V. sub Hu.
Ubetensis (Ubeda) 535.
Ugueth 557.
Ulduni (Verdun) 545.
Ulixbonae (Lisboa) 348 535; mors S. Antonii ibi nota 271; miraculum in filio sororis S. Antonii 272.
Uragnanae (Vergnana) 522.
Urbeveteris (Orvieto) 249 250 516.
Urbinch (Viborg) 548.
Urbini 514.
Usetiae (Uzès) 540.
Ustath (Ystad) 548.
Utini (Udine) 274 525.
Utisburch (Freiberg) 551.
Uxariae (Höxter) 327 549.
Vacrifordiae (Waterford) 547.
Valencenis de (Valenciennes) 545.
Valentiae Galliae (Valence) 307 541.
Valentiae Hispaniae (Valencia) 324 537.
Valentiae (Valenza del Po) 527.
Vallis cust. Aprutinae (Isola del Gran Sasso) 530.
Vallis cust. Istriae (Valle) 303 528.
Vallis cust. Montanorum (Valle) 511.
Vallis cust. Reatinae (Valle) 516.
Vallis Canonicae (Valcamonica) 526.
Vallis Capaniae (Valéabrère) 538.
Vallis Felicis (Seligental) 549.
Vallis Montonis (Valmontone) 517.
Vallisoleti (Valladolid) 536.
Valriaci (Valréas) 539.
Vapinqui (Gap) 540.
Varadini (Nagy Várad, Grosswardein) 554.

Conventus:
Varisdini (Warazdin) 554.
Varisii (Varese) 526.
Vasci (Vasto) 531.
Vauri (Lavaur) 537.
Veglae (Veglia) 528.
Velletri 516.
Velsperch (Feldsberg) 552.
Venafri (Venafro) 531.
Venae Ruptae (Venarotta) 511.
Venath (Nenagh) 547.
Vendeami (Vendôme) 543.
Venetiarum (Venezia) 274 525.
Venetus (Vannes) 542.
Venusii (Venosa) 531.
Verbizae (Vrbica) 555.
Vercellis de (Vercelli) 526.
Verchocrup (Vrhokrup) 555.
Verdiniae (Cardiff) 546.
Verenae (Schwerin) 551.
Verenchae (Veröcze) 554.
Verimberch (Nürnberg) 550.
Vernolii (Verneuil) 545.
Veronacensis (Vernon) 545.
Veronae 525.
Versiliaci (Vezelay) 544.
Veruchii (Verucchio) 524.
Vestarum (Vieste) 531.
Vetzflariae (Wetzlar) 549.
Veyesereфordiae (Wexford) 547.
Vicemercati (Vimercate) 526.
Vicentiae (Vicenza) 525.
Vici (Vich) 536.
Vici Albi (Vicalvi) 529.
Vici Pisani 517.
Vicovari (Vicovaro) 516.
Viennae (Vienne) 306 541.
Vigheriae (Voghera) 527.
Vigiliensis (Bisceglie) 531.
Vigintimiliae (Ventimiglia) 527.
Vigornae (Worcester) 546.
Vilaripadensis (Villalpando) 534.
Villae Altae 525.
Villae Ecclesiarum (Iglesias) 558.
Villae Francae custodiae Auriensis (Villafranca) 321 534.
Villae Francae custodiae Barchinonae (Villafranca) 536.
Villae Francae vel Francae Villae (Mangjelos) 324 554.
Villae Francae custodiae Lugdunensis (Villefranche) 541.
Villae Francae custodiae Narbonensis (Villefranche) 540.
Villae Franchae custodiae Ruthennensis (Villefranche) 538.
Villae Regalis (Ciudad Real) 536.
Vimarii (Guimarães) 535.
Vinconiae (Winchester) 546.
Vineis de (Venetiarum, La Vigna) 525.
Visenvelke (Weissenfels) 551.
Vismae (Wismar) 551.
Vissi 511.
Viterbii 251 515.
Vivariensis (Vivero) 534.
Volfsperium (Wolfsberg) 553.
Vorasini (Koloszvar Klausenburg) 554.
Vranzlaviae vel Vratisclaviae (Breslau) 329 552.
Vraulienvordiae (Frankfurt) 552.
Vulterris (Volterra) 518.
Warae (Ware) 545.
Werislu (Visby) 548.
Wernichelseyae (Winchelsea) 545.
Weroyda (Weida) 551.
Wesaliae (Oberwesel) 549.
Wiennae (Wien) 552.
Xuyi (Ilok) 554.
V. sub Hi et I.
Ydronti (Otranto) 531.
Ylerdae (Lérida) 324 349 536.
Ylice (de) 557.
Ymicopiae (Iönköping) 548.
Yrduni (Hesdin) 545.
Yserniae (Isernia) 531.
Yspali (Sevilla) 535.
Ytri (Itri) 529.
Zacinae (Játiva) 537.
Zamcost (Sawichost) 553.
Zatez (Saaz) 554.
Zatinar (Szatmár) 554.
Zefaloniae (Kephallinia) 533.
Zemlinii (Semlin) 554.
Zervariae (Cervera) 537.
Zeyc (Zeitz) 551.
Zirixae (Zierikzee) 549.

Cor b. Francisci collocatum in Sancta Maria de Angelis 204.
Cornu eburneum pro praedicatione b. Francisci 480.
Corporalia faciebat S. Clara 355.
Corrigiam reiicit S. Franc. 146 177.
Corsica, labores fratrum in hac Vicaria 558.
Cortonii fuit S. Franc. 519.
Creaturae omnes b. Francisco obediebant 38.
Crescentius fr. minister generalis 193 513.
Crucifixus b. Francisco loquitur 72 81; de ipso meditabatur 36; consolatur fratrem iniuste accusatum 521.

Custodia:
Adriensis 530.
Aesina 514.
Agenensis 538.
Agrabinensis 554.
Agriensis 554.
Agrigentina 532.
Alesti 540.
Albiensis 538.
» 555.
Albignanae 527.
Alsatiae 550.
Alvernae 542.
Anastensis 553.
Anconae 513.
Aprusina 530.
Aquilae 530.
Arbanensis 528.
Arelatensis 539.
Aretina 519.
Assisii 503.
Astensis 527.
Attrebatensis 545.
Aureimontis 552.
Aurelianensis 543.
Auriensis 534.
Auxitana 538.
Avinionis 539.
Baionae 538.
Barchinonae 536.
Barensis 531.
Barolitana 531.
Basiliensis 550.
Bavariae 550.
Beneventana 529.
Bisuntina 541.
Bittoriensis 536.
Bituricensis 542.
Bononiae 521.
Bosnae 555.
Brabantiae 549.
Brandeburgensis 552.
Bremensis 551.
Bristolensis 546.
Britaniae 542.
Brixiensis 526.
Brundusii 531.
Bulgariae 555.
Burdegalensis 539.
Burgensis 536.
Caesaraugustae 537.
Camerini 512.
Campaniae 516.
Campaniae 544.
Cantabrigiae 546.
Captinatae 531.
Casclensis (Cassiliensis) 332 547.
Castelli 505.
Castrovillerii 532.
Caturchi 538.
Chevin 556.
Cistarici 540.
Civitatis 531.
Clarentiae 533.
Clusina 519.
Colimbriensis 535.
Coloniae 548.
Comitatus 531.
Constantinopolitana 556.
Cortigensis 547.
Cotronae 532.
Cracoviensis 553.
Cumana 526.
Danubii 553.
Daventriae 549.

Custodia:
Divionis 541.
Dulbinensis 547.
Dulmae 555.
Eboracensis 546.
Elborensis 535.
Esculana 511.
Eugubina 510.
Fanensis 514.
Felicensis 553.
Feretrana 514.
Ferrariae 522.
Firmana 254 256 258 280 514.
Flandriae 545.
Florentina 517.
Forliviensis 524.
Foroiulii 525.
Frisiae 549.
Gazariae 557.
Gesnenensis 553.
Greben 555.
Gremensis 553.
Halberstadensis 551.
Iadrensis 528.
Ianuriensis 554.
Istriae 528.
Laci Constantiae 550.
Lancopensis 548.
Lausannae 541.
Legionensis 534.
Lemonicensis (Lemovicensis) 266 538.
Leodiensis 545.
Lindensis 548.
Lipsensis 551.
Londinensis 545.
Lothoringiae 545.
Lubicensis 551.
Lucana 517.
Lugdunensis 541.
Lutomoricensis 554.
Machioviae 555.
Maioricarum 537,
Marchiae 553.
Maritimae 516.
» 520.
Marsicana 530.
Marsiliae 539.
Massana 532.
Materana 532.
Maydeburgensis 551.
Mediolani 526.
Misnensis 551.
Modoetiae 526.
Montanorum 511.

Custodia:
Montisferrati 527.
Montis Pessulani 540.
Montis S. Angeli 531
Moraviae 553.
Murtiensis 536.
Narbonensis 540.
Narniensis 510.
Navarrae 537.
Neapolitana 528.
Nicosiae 533.
Nigropontis 533.
Normaniae 545.
Norvegiae 548.
Novi Castri 546.
Octoverensis 548.
Ollandiae 549.
Opoliensis 553.
Oxoniensis 546.
Paduana 524.
Palentina 536.
Panormitana 532.
Papiensis 527.
Parisiensis 543.
Parmae 523.
Pedemontis 527.
Pennensis 530.
Perusii 504.
Petragoricensis 538.
Pictaviensis 542.
Pisana 517.
Pontensis 547.
Pragensis 553.
Principatus 529.
Prusciae 552.
Quinque Ecclesiarum 554.
Ravennae 524.
Reatina 516.
Regii 532.
Regni 511.
Remensis 545.
Renensis 550.
Ripensis 548.
Rischildensis 548.
Ruthennensis 538.
Salamantina 534.
Salernitana 529.
Samotensis 534.
Santonensis 542.
S. Benedicti 529.
S. Iacobi 534.
Saraiae 557.
Saraniae 537.
Scotolensis 548.
Segaviensis 536.

Custodia:
Senensis 518.
Sirmensis 554.
Soriensis 536.
Stetinensis 551.
Stiriae 553.
Strigonensis 554.
Sueviae 550.
Syracusana 533.
Syriae 533.
Tarenti 531.
Thausiensis 556.
Theatina 530.
Thebana 533.
Thuringiae 552.
Tiburtina 516.
Toletana 535.
Tolosana 537.
Trapani 533.
Transmana (Transilvana) 554.
Trapessundarum 556.
Treverensis 549.
Tudertina 510.
Ulixbonae 535.
Urbergensis 548.
Urbevetana 516.
Usserae 555.
Valentina 537.
Vallis 532.
Vallis Spoletanae 510.
Venatensis 547.
Venetiarum 525.
Vercellensis 526.
Veronensis 525.
Viennae 541.
Vigorniae 546.
Viromandiae 545.
Viterbiensis 515.
Vratisclavensis 552.
Westfaliae 549.
Wiennensis 552.
Ylerdae 536.
Yspalensis 535.

Crypta, ibi orat S. Franc. 158.
Custos Lemovicensis fuit b. Antonius 266 sq.
» Marsiliae, visio 447.
» Parisiensis fuit b. Agnellus 329.
» Siriae frater Iacobus martyr 304.
Cypro fratres de 304.
Cyrillus anachoreta praedicit de S. Francisco 45-52.

D

Daemones S. Franciscum flagellant in domo card. S. Crucis 160-161; insequuntur eum 144 162 164; eos sanctus alloquitur 589; expellit e civitate Aretii 110 519; faciunt capitulum in loco de Pariete 162 445; laudant S. Franc. eiusque ordinem 437 564; sub specie murium turbant sanctum 162; tentant S. Franc. in ecclesia S. Petri de Bovario 163; timuerunt de ortu S. Franc. 58 99 109; volunt eum occidere in monte Alvernae 164. V. Diabolus.
Daemoniacus plura dicit de S. Francisco et eius ordine 58 73 81 98.
Daniel propheta, ad eum habuit devotionem fr. Bene-

dictus de Aretio 253; eius sepulchrum in Babylonia 253.
Daniel fr. S. martyr in Marrochio 299 532.
David fr. iacet in Augusta 326 550.
Decretalis « Exiit » 378.
Demetrius fr. de Thefelio lurgianus 333.
Denarium recipit frater in ore 161.
Deoctama soror curatur a fr. Paulo 282.
Devotio b. Francisci ad sanctos 110.
Diabolus b. Franciscum tentat 157 sqq.; sancto apparet in specie mulieris gibbosae 123 158; nunquam ei apparuit in specie angeli lucis 160; quid de ipsius apparitionibus sentiebat 212; intrat in cervical de pluma 159; iuveni apparet in forma angeli 522; accipit chirographum a novitio 518; in specie colubri egreditur ex bursa pecuniae 161; asportat fratrem, qui noluit confiteri, 536. *V.* Daemones.
Dignitates ecclesiasticas nolebat S. Franciscus pro fratribus suis 381.
Discipuli S. Franc., eorum nomina 177; eorum vita sancta 493 sq.
Doctrina S. Francisci 595-629.
Dominica mulier invocat S. Antonium 272.
Dominicale S. Antonii 269.
» fr. Lucae 525.
» fr. Francisci de Abbate 527.
Dominicus (S.) praenuntiatus a Sybilla 43; destinatus ad mundi conversionem 73 82; prophetiae de eius ordine 56; videt Romae b. Franciscum et accipit ab eo chordam 58; interest capitulo generali Minorum 58 473; vult religiones unire 592; b. Franciscum laudat 111.
Dominicus fr. in Penna S. Marini 515; eius miracula 279.
Domnus fr. S. martyr 296.
Domus a communitate Assisii constructa 148.
» S. Eustachii nobilium Romanorum 515.
» Ursinorum 515.
» Columnensium 515.
» Circulorum de Florentia 361.
Donatus fr. de Ferraria prophetiae dono claruit 254 518.
Drodo fr. sanctus 306 541.
Durandus fr. fecit Summam de casibus conscientiae 341 545.

E

Ecclesia S. Damiani reparatur a S. Franc. 141 581; ibi moratur S. Franc. 140 162; Crucifixus ipsi loquitur 72.
» S. Francisci Assisii sub Gregorio IX constructa 343.
» S. Georgii, ubi S. Franc. litteras didicit 472.
» S. Iacobi in Hispania, revelatio facta beato Franc. 504 558.
» S. Laurentii de Perusio ubi sepulchrum papae Martini IV 343.
» S. Ludovici episcopi, duo fratres suscitati 316.
» Sanctae Mariae de Angelis, in ea recipit revelationem b. Franc. de futuro statu sui ord. 428. *V.* Portiuncula.
» S. Nicolai ubi S. Franc. ter librum evangeliorum aperuit 142 180.
» Sancti Petri de Bovario ubi orat b. Franciscus 143 284.
» S. Stephani de Ripa ubi iacet fr. Gismundus 294.
» Sancti Thomae in Cantuaria ubi iacet fr. Ioannes Peccian 331.
Electus fr. iacet Aracaeli 249 515.
» fr. card. Albanensis mortem praedixit 188 362; iacet Assisii 504.
» fr. mortuus Bremae cantando 327 551.
» f. Cenomannis 307 543.
» fr. in conventu Diensi 307 542.
» fr. iacet in Kylone 326 549.
» fr. guardianus de Kyris 327.
» fr. martyr tempore S. Francisci 336.
» fr. iacet Messanae 297 532.
» fr. laicus iacet Narbonae 317 540.
» fr. iacet Nussiae 325 549.
» fr. procurator in Lubech 327.
Eleemosyna, S. Franc. quaerit eleemosynam 138-140; doctrina de eleemosyna petenda 611.
Elias propheta laetatur de adventu S. Francisci 99 253.
» Vicarius S. Franc. Minister generalis accedit ad S. Franc. morientem 185; apostasia ipsius 208 440; corripitur a S. Antonio 270; et a fr. Bernardo 184; defectus ipsius 184 440; mittit fratres in Marrochium 296; opponit se novae regulae 371-372; vetat fr. Gulielmo de Anglia facere miracula 193; deponitur ab officio 454. *V.* Helias.
Elionora regina Portugalliae, soror ord. S. Clarae 360.
Elisabeth imperatrix Romanorum de tertio ordine 362.
» S. Thuringiae de tertio ordine 309 362.
» regina Ungariae 360 362.
» uxor regis Petri Trinacriae iuvatur a fr. Gerardo de Valentia 299 300.
Elzearius S. de tertio ordine 291 361.
Enoch proph. laetatur de adventu b. Francisci 253.
Episcopi honorantur a S. Franc. 471.
Episcopus Assisii dat mantellum S. Franc. 142; loquitur S. Franc. 581; visitat S. Franc. 59.
» Imolae non permittit S. Franc. praedicare 121 471 524; destruit conventum fratrum 438.

Episcopus Interamnae laudat praedicationem Sancti Francisci 143 477 586 590.
» Melfiensis, Melfitiensis et Venesinus examinant miracula B. Benvenuti de Eugubio 295.
» Paduanus examinat miracula S. Antonii 271.
» Podiensis pergit Ierosolymam 269.
» Rodonensis suscitatur meritis S. Franc. 439.
Episcopus Urbevetanus examinat miracula B. Ambrosii de Massa 250.
Epistolae plures scriptae a S. Francisco 36.
Eremitorium de Fabrione 207.
» de Sartiano 35 160 520.
» S. Urbani 436.
Eremus Montis Pauli 264.
Erethfridus fr. iacet in Magdeburg 327 552; eius visio 327.
Errores Pisani *v.* 304 not. 5; 310 not. 1; 332 not. 7; 337 not. 2 et 4; 338 not. 1; 340 not. 1; 344 not. 4; 353 not. 1; 355 not. 2; 440 not. 2; 500 not. 4.
Eugubium b. Franciscus adit 121; liberatur civitas a lupo 474.
Euphemia S. iubet fr. Ottoni ut fiat frater Minor 328.
» soror 359.
Evangelium audit S. Franciscus 464; trina aperitio libri evangeliorum 370.
Everardus ex ord. Praed. contrarius stigmatibus b. Francisci 455.

F

Falcherius saracenus Alisolda fratres occidit 335.
Ferdinandus rex Aragoniae 304 349.
» Castellae 348 535.
» Portugalliae 348 360. 535.
Ferrum medici rogat S. Franc., ne noceat 584.
Festivale scripsit S. Antonius 269.
Ficarolum (castrum) adit B. Aegidius 206.
Fidentius fr. sanctus Paduae 274 525.
Flora lumen oculorum recepit intercessione fr. Pauli 282.
Florentia, ibi iacent fratres sancti 252 517; praedicat B. Ioannes Alv. 256; sepulta est B. Humiliana 361.
Fons vitae vocatur Alexander de Halis 309 336.
Formicae iubentur a S. Franc. fugere ex quercu 476.
Fortanerius fr. Vasalli doctor, generalis et cardinalis 339 346; patriarcha Gradensis 538.
Forumlivium adit S. Antonius 265.
Francigenae veniunt ad ordinem 350.
Franciscus fr. de Abbate scripsit plures sermones 527 not. 2.
» fr. de Alexandria martyr in Armalech 334 527 557.
» fr. iacet in Aprutio 290.
» fr. de Aqua Putrida philosophus 529.
» fr. Curtus de Parma episcopus 449; eius mors 450.
» fr. de Duratio signis clarus iacet Oriae 293.
» fr. de Empolim *v.* Franciscus de S. Symone.
» B. iacet Fabriani 277 514.
» fr. de Fabrica magister et minister provinciae S. Francisci 537.
Franciscus fr. Formica de Senis in Monte Politiano a periculo vitae liberatur per S. Ludovicum 316.
» fr. de Maleficiis sanctus 262.
» fr. de Marchia martyr in Arzenga 332.
» fr. de Marronis (Mayronis) scriptor 339 544; natus Cistarici 540; sepultus Placentiae 523.
» fr. de Monte Ilcino iacet Columbariae 520.
» fr. Poverellus iacet Venetiae 275.
» fr. Rubeus de Marchia magister 338 511 544.
» fr. de S. Symone magister 340.
Frater S. Francisci ipsum deridet 122.
Fraticellorum secta revelatur fr. Guidoni de Bolsena 261; eorum caput Henricus de Ceva 440 520.
Fratres de Poenitentia 360.

G

Gaglietole prope Tudertum 235 nota 4.
Gaietae praedicat in mari S. Franciscus 37 529; miraculum b. Francisci 477.
Gallus fr. lector devotissimus 325 555.
Gandolfus fr. a Binosco iacet in Polizio 297 532.
Gangareti fontem facit S. Franc. 519.
Garderiae in eremitorio stat fr. Clemens 254.
Gaufredus fr. Custos Parisiensis 379.
Gazzae rex occidit fr. Ioannem de Neapoli 305.
Gemma sanatur a fr. Adamo Rufo 293.
Generalatus officium S. Franc. recusavit 178 203 382; eius iura 417; qualem vult S. Franc. esse generalem 624.
Gentilis Gerardi curatur a fr. Philippo de Aqueriis 292.
Gentilis fr. de Monte Florum magister in theologia et cardinalis 338 345 512.
» fr. de Cingulo 340; cfr. not. 1.
» fr. minister de Marchia missionarius in Babylonia Aegypti 274; eius itinera ad Arabiam 275; veneratur ante et post obitum 275 525; iacet Venetiis 556.

Gentilis homo nobilis 157.
Georgiani conversi ad fidem 560.
Gerardinus fr. socius B. Aegidii 210.
Gerardus de Boncomitibus voto patris ord. Minor. oblatus 432.
» fr. de Burgundia scripsit in philosophia 341.
» fr. sanctus iacet Mutinae 263 523; praedicat Venetiis de b. Francisco 263.
» fr. Oddonis magister et generalis ordinis 333 335 339 341 538.
» fr. iacet Princilaviae 329 554.
» fr. de Valentia Lombardiae. Vita et miracula 297-301; adiuvatur ab angelo in coquina 532.
Gihennium civitas ubi suscepit habitum Minor. rex Castellae Fernandus 348.
Gilbertus fr. Tornacensis 338 not. 1.
Gilibertus fr. iacet in Madeburch 327 552.
Gismundus fr., translatio miraculosa ipsius corporis 293.
Giso accipit lumen oculorum intercessione fr. Adami Rufi 293.
Gloria Patri, frater qui non se inclinabat ad Gloria, punitur 451.
Gonsalvus fr. magister et generalis ordinis 13 48 339 343 535 544.
» fr. Salvii (Santii) de provincia Castellae 321 443 534.
Gratianus fr. Auximi multa miracula operatur 278.
» fr. socius b. Aegidii 212 214 279 515.
Grecii (in loco) praedicat b. Franciscus et incolas liberat a lupis 478 516; fratri de Francia ibi dat habitum 148; celebrat Nativitatem Domini 8 516; moratur b. Ioannes Parm. 516.
Gregorius fr. de Iadra (vel Traguria) martyr 335.
» IX, ei praedixit pontificatum b. Franciscus 58; b. Franciscum diligebat 58; 208 211 235 250 264 270 295 344 354; protector ordinis Min. 439; portat habitum fratr. Min. 342 sq. 454; approbat regulam 378; scripsit de b. Francisco 72; declarat regulam 383 426; diligebat fratr. Min. 454; visitat b. Claram 355; canonizavit S. Antonium 271. *V.* Hugo.
» X nominatur papa a S. Bonaventura de Balneoregio 345; creat S. Bonav. cardinalem 306.
» XI creat cardinalem fr. Bertrandum 346; ipsi mittit opus fr. Nicolaus Mutio 525.
Gualterius (Gualterus) fr. episcopus Pictaviensis 307; miracula 307; depositus ab episcopatu 307; magister 338 341 542 544.
» (alio loco Gulielmus) fr. Cepton magister 339 547.
Guardianus mandat fr. Antonio de Tegrinis ne amplius faciat miracula 241.
Guasconia, ibi fr. Stephanus fuit abbas 344.
Guibertus fr. fecit Summam 341 not. 2.
Guido civis florentinus bene tractat fr. Bernardum 180 sq.
» fr. de Cortona socius b. Francisci 261 519.
» fr. iacet in Sciptona (Setona) 252 519.
» fr. de Senis 202 362; iacet Assisii 504.
» fr. de Solvena (Bolsena), revelatio de secta in ord. Min. 261 520; Puer Iesus ei apparet 261 518.
Guido fr. de Spatis magnus praedicator 263 521 522.
» legatus peragit translationem S. Antonii 273.
Gulielmus fr. Almoych magister 339.
» fr. de Anglia 193; socius b. Francisci loco Ioannis de Cappella 178 193; multa miracula patravit 193; iacet Assisii 193 430 504.
» fr. iacet Avoniaci 306 541.
» fr. de Castromaris martyr 305.
» fr. de Cordella facit miracula 251 515.
» fr. de Cortimilio 263 521.
» fr. Farinerii magister, generalis et cardinalis 339 346 538.
» fr. Guarro (Ware) 337 not. 2 545.
» fr. de Lamarra doctor 337.
» fr. Occham doctor 339 341 547.
» fr. de Podio magister et praedicator 537.
» fr. de Radicofano 254 519.
» fr. de Sancto Affricano 308 538.
» fr. iacet Tuderti, eius miracula 235 510.
» fr. Viennae 306 363 541.
» de Sancto Amore inimicus ordinis 439.
Guiductius puer curatur intercessione fr. Martini 282.
Gunsalvus fr. laicus de provincia Sancti Iacobi martyr 304.
» monachus in Vasconia venit ad ord. Min. 430.
Gunterus monachus de Barravia venit ad ord Min. 429.

H

Habitum cremiticum portavit b. Franciscus 142 176 370 464 sq.; erat in forma crucis 81.
Habitus Minorum honoratur a multis magnatibus 455.
Haeretici convertuntur praedicatione b. Antonii 265 270; in Corsica 558.
Hagerus (Ogerus) fr. Saxo 326 549.
Hasso fr. iacet in Turgone 325 549.
Helena soror B. de Padua 359.
» S. crucem fecit filio suo Constantino 519.
Helias fr. de Ambalis (Nabinalis) magister in theologia 338; cardinalis 346 539.

Helias v. Elias.
Henricus de Abbatibus curatur a fr. Gerardo de Valentia 299.
» fr. de Affrica 325 549.
» fr. de Alfieris Generalis minister 274.
» fr. de Ceva antesignanus fraticellorum 440 not. 2.
» fr. de Iardino magister et scriptor 526.
» fr. archiepiscopus Maguntiae 550.
» fr. Theotonicus 325; iacet in Caravilla 555.
» rex Angliae recipit fratres minores 330.
» rex Cypri habitum suscepit et in eo est sepultus in conventu Nicosiae 348 533.
Hermannus fr. iacet Fulginei 242 510.
» fr. de Gersteden iacet in Mulhusen 328 552.
Herveus fr. Toleti patrat miracula 323 535.
Hieronymus fr. de Esculo generalis, cardinalis et summus Pontifex sub nomine Nicolai IV 338 344 345 359 511 540.
Hirundines impediunt praedicationem S. Franc. 474.
Hispania, S. Franciscus ibi infirmitate detentus 480; fr. Clemens 254; reliquiae martyrum Ceptae 287; martyrum Marrochii 264.
Honorius III laudat regulam Minorum 192 373 425; eam approbat 371; bulla confirmat 378; fratres commendat 500; dat indulgentiam Portiunculae 193 196 204; instituit protectorem ordinis 343.
Hospitale Cruciferorum de Pariete ubi daemones capitulum fecerunt 162 445.
» S. Galli Florentiae 253.
» S. Mariae de Senis 449.
Hudo (Udo) fr. iacet in Hussaria 327 550.
Hugo v. Ugo.
Hugo (Hugolinus) cardinalis Ostiensis amicus S. Franc. 58 343; prohibet S. Franc. ire in Franciam 585; ad ipsius petitionem praedicat S. Franc. 469; interest capitulo 473; cum ipso plura loquitur S. Franc. 143 381 585; ipsi praedixit pontificatum 58. V. Gregorius IX.
Hugolinus de civitate Narnii sanatur a fr. Matthaeo 242.
Humiliana de tertio ordine 361.
Humilis fr. iacet in loco de Brofortio 281.
» fr. de Perusio in ordinem Minorum intravit 252 429 518.
Humilitas S. Franc. 111 143; doctrina ipsius de humilitate 119 610.
Hypocrisim vitabat S. Franciscus 145.
Hyspali praedicant et plura patiuntur martyres Marrochii 322.

I

Illuminatus fr. socius S. Francisci in Oriente 245 482.
Imperator Tartarorum sanatur a cancro per fr. Alexandrum 334.
Impressio stigmatum in corpore b. Franc. 3 8 10 12-13 20.
India loca fratrum 350.
Indulgentia Portiunculae conceditur S. Franc. 74 111 163 584; ipsam praedicat coram 7 episcopis 473; ipsam refert diabolus 452.
Infirmitas oculorum S. Franc. 162; in infirm. patiens 39.
Innocentius III habet visiones de b. Francisco 371; approbat regulam sine bulla 371 378; ipsam austeram iudicat 383; dat mandatum praedicandi S. Franc. 467; dat S. Clarae privilegium 353.
» IV approbavit regulam fratrum Minorum 378; eam explicat 383; fratres Minores laudat 426; examinari facit miracula B. Simonis de Collazono 541; aufugit Ianuam 42.
Innocentius VI nominat cardinales ex ord. Minor. 346 538.
Inquisitores Mediolani fr. Petrus de Archagnano 302 526.
» in partibus Tholosanis fr. Stephanus et fr. Raymundus 308 537.
» Valentiae fr. Petrus et fr. Cathalanus 307 542.
Insensibilia b. Francisco obediebant 112.
Isabella soror S. Ludovici regis 360.

J

Iacoba de Panormo curatur a fr. Philippo de Aqueriis 292.
» de Septem Soliis vidit fr. Aegidium in raptu 210.
Iacobus de Columpna cardinalis 361 nota 4.
» filius regis Alphonsi Aragoniae iacet in conventu Barchinonae 349 536.
Iacobus fr. de Anagnia cardinalis 345 517.
» fr. de Assisio iacet in Fogia 295 531.
» fr. Barletanus iacet in Puppio 260 519.
» fr. Benedictoli iacet Tuderti 235 510; eius dicta 236-240.
» fr. Binatus scriptor 527.
Iacobus fr. de Bononia interrogat mulierem Zantesam de Minorum religione 452.
» fr. laicus iacet in Civitate Castelli 241 505.
» fr. de Civitate Nova 512; miraculum in coquina 512.
» fr. custos Saxoniae 327 552.

Iacobus fr. de Esculo magister in theologia 338 511.
» fr. de Fallerone 197; liberatur a scrupulo 257; amicus B. Ioan. de Alv. 256 281; eius mors 282; iacet Moliani 514.
» fr. de Maioricis primogenitus regis Aragoniae frater Minor 349 535.
» fr. de Mari vel Marinis Summam in Theologia composuit 527.
» fr. de Massa loquitur cum fr. Simone de Assisio 244; historia de acceptione Montis Alvernae 514; habet gratiam raptus 214.
» fr. Mediolanensis eius scripta 341 not. 3.
» fr. de Monte Ilano socius fr. Guidi de Bolsena 261.
» fr. de Padua martyr 333.
» fr. iacet in S. Maria de Angelis 504; visio de b. Francisco 204.
» fr. martyr Siriae et custos 304.
» fr. de Spinello magnus doctor 340 544.
» fr. de Trisanto scriptor 518.
» infans Maioricarum, ipsi praedixit futura fr. Philippus de Aqueriis 291.
» rex Aragoniae habitum ordinis induit 348.
Ieremias fr. martyr Siriae 304.
Ierosolimam visitat fr. Ioannes de Ottheo 304; fr. Peregrinus a Fallerono 283.
Iesus Francisco apparuit 35; ei et discipulis benedixit 5.
Ioachim abbas *V.* Abbas Ioachim.
Ioanna regina Franciae recipit S. Ludovicum ep. 311.
» soror regis Navarrae monialis S. Clarae 360.
Ioannes XXII creat cardinales ex Ord. Minor. 346; approbat et explicat regulam fr. Min. 147 379 403 427; damnat Fraticellos 440.
» abbas Osengyae, fit fr. Minor 330 et 344.
» Chrysostomi S. liber traductus per fr. Angelum 340 513.
Ioannes clericus de Anglia vocatur ad ord. Min. 430.
» Climaci S. opera in latinum versa 340 513.
» curatur a fr. Paulo 282; curatur Ylerdae a S. Franc. 537; de Carvello curatur a fr. Gerardo de Valentia 299.
» Gaietanus de Ursinis, protector Ordinis 439; postea Nicolaus III 444.
» imperator Constantinop. invitatur a S. Franc. ad habitum ordinis sumendum 347 429; intrat in ordinem 110 535 559; receptus a B. Benedicto de Aretio 253.
» miles de Grechio habet visionem de Puero Iesu 516.
» prior ecclesiae curatur a fr. Ottone 303.
» de Procida interficit Francos in insula Siciliae 310.
» rex Castellae favet schismati 321 534.
» Tartarorum imperatoris filius, baptizatus a fratribus 335.
» fr. de Alverna, vita 245-260; liberat a scrupulo fr. Iacobum de Fallerono 281; visio de fr. Matthaeo de M. Rub. 283; manducat cum B. Benvenuto de Rachaneto 513; praedicat Florentiae 518; iacet in loco Alvernae 519.
» fr. de Alto Passu invocat B. Benevenutum de Eugubio 295.
» fr. de Aragonia ignem intravit pro fide 556 not. 3.
» fr. iacet Astoricae 321 534.
» fr. de Avellino miraculis fulget 240 510.
» fr. Barontii iacet Arimini 264 524.
» fr. (pro *Bernardus*) de Blesa 539.
» fr. Bucca de Albania iacet Tragurii 302 not. 1 303 528.
» fr. de Buco generalis ord. fr. Min. 538.
» fr. Buta (Bucha) iacet Panormi 297 532.
» fr. custos iacet in Caravilla 325 555.
Ioannes fr. de Capella intrat in ordinem 494; invenit usum capellae et egreditur ex Ordine 178 440; eius locum occupat fr. Gulielmus de Anglia 193.
» fr. de Casali eius scripta 527.
» fr. de Cathania curatura fr. Gerardo de Valentia 298.
» fr. de Caulibus de sancto Geminiano scriptor 341 518.
» fr. de Florentia sive Parentis, generalis minister 517; conversio ad ordinem 262; legatus Papae ad Romanos 262.
» fr. de Fulgineo vult ab ordine exire 433.
» fr. Guallensis (Vallensis) de Anglia doctor Parisiensis 308 337 340 341 543 sq.
» fr. de India de tertio ordine martyr 334 557.
» fr. de Laudibus 243 504 618.
» fr. lector composuit Summam 341.
» fr. iacet in Lunenburch 327 not. *i;* 551.
» fr. de Marchia magister 340 511 544.
» fr. de Marignollis legatus papae ad Tartariam 335 not. 2.
» fr. de Marra 544.
» fr. Martinozzi martyr 304.
» fr. martyr Valentiae in Hispania 324 537.
» fr. de Mirabello magister 542.
» fr. de Murro generalis minister et cardinalis 235 313 338 345 512.
» fr. de Neapoli martyr 305.
» fr. iacet in Ossem 327 551.
» fr. de Ottheo primum apostata deinde martyr 304.
» fr. de Parma B. Vita 275-276; oriundus de Parma 523; moratus est Grechii 516; iacet Camerini 512; eius scripta 337.
» fr. Peccian archiep. Cant. 331; explicavit regulam Min. 379; ipsi loquitur Crucifi-

xus 521; multos tractatus edidit 545.
Ioannes fr. de Penna Vita 286-288; vocatur ad ordinem 429; iacet Pennae S. Ioannis 514.
» fr. de Peyrna 325 549.
» fr. de Plano Carpinis minister Theutoniae 357.
» fr. de Ripa *V.* Ioannes de Marchia.
» fr. de Rupella famosissimus doctor 337 379 543 sq.
» fr. de Sancto Constantio socius S. Franc. 177 243.
» fr. Saxo auctor Summae 340 341.
» fr. della Schiaccia instituit studium Bononiae 440; propterea maledictus a b. Francisco 440.
Ioannes fr. Scotus doctor Subtilis iacet Coloniae 337 544 547 548.
» fr. de Septimo de Pisis socius B. Ioan. Alv. 260.
» fr. Simplex qui semper b. Franciscum imitabatur 204 504.
» fr. guardianus Spirensis, vir magnae perfectionis 326; multa operatus est miracula 326 550.
» fr. iacet Syracusae 297 533.
» fr. minister Ungariae miraculis coruscat 324 555.
» fr. de Vafrordia (Vaffordia) 329 547.
» fr. de Vallibus 240 242 510.
Iordanus fr. laicus iacet Bittonii 243 504.
Iordanus fr. de Italia sive a lano 327 552.
Ioseph fr. iacet Florentiae iuxta ecclesiam hospitalis S. Galli 253.
Iudex ingreditur ordinem Minor. qui postea vult exire 435.
» bene recepit Bononiae fr. Bernardum 181.
Iulianus fr. de Cesarello sive de Valle 302 303 528.
» fr. Theotonicus magister cantus 308 544.
Iuniperus fr. Vita 245-248; assistit morti S. Clarae 356; per 6 menses servavit silentium 238; eius patientia laudatur a S. Franc. 618; iacet in conventu Aracaelitano 515.
Iuvenalis fr. Florentiae magnam fundavit ecclesiam 440.

K

Karolus dux Calabriae cum habitu Minor. sepultus 349.
Karolus IV imperator Romanorum 362.
Karum Babyloniae, ibi martyres ex ord. Min. 304.
Katerina sanatur a fr. Philippo de Aqueriis 292.

L

Labor praescriptus in regula 375 407; non omnibus labor manualis 408.
Ladislaus fr. de Hungaria martyr 335 not. 7.
» S. rex Hungariae, parens S. Ludovici ep. 309.
Laetitia quam semper S. Pater habebat 39; et semper volebat 623.
Landulfus fr. de Neapolim declarat Scotum 339; praedicator et archiepiscopus 529.
Landus fr. minister, quiescit Andriae 293; sanctus praedicator 531.
Latrones alloquitur S. Franc. 581; conversi a S. Franc. 110 505; visio unius ex illis 187 506.
Laurentius fr. de Alexandria martyr 334 557.
» fr. socius B. Gerardi de Valentia 300.
» S. b. ioanni de Alverna apparet 257.
Laversa curatur a fr. Philippo de Aqueriis 292.
Lector Marsiliae habet visionem terribilem 447.
Legata pro fratribus Minoribus 404.
Legionis Regina invocat S. Antonium pro filio mortuo 272.
Legnani iacet fr. Leo archiep. Mediolan. 302.
Lemovicensis civitas 267; praedicat in ecclesia cathedrali b. Antonius 267.
Leo fr. card. S. Crucis S. Franciscum invitat 160.
» fr. archiepiscopus Mediolani et Sanctus iacet Legnani 302 363 526.
» fr. episcopus de Laude 526.
» fr. S. martyr 296.
» fr. socius S. Franc. Vita 188-193; comitatur S. Franc. 201 284; cum ipso in monte Alvernae 436; et in Fonte Columbae 371 et 373; adest confirmationi regulae 425; edocetur de perfecta laetitia 118 609; laudatur puritas et simplicitas 618; legendam composuit 514; prophetiae ipsius 178 362; refert intentionem S. Fr. de usu librorum 192 397; visiones ipsius 20 57 81 202; sepultus Assisii 504.
Leo nepos Ioannis regis Armeniae ab eo regnum obtinet 348 535.
Leonardus fr. de Assisio socius b. Francisci 244; non bene de b. Francisco cogitat 245.
» fr. de Fulgineo 249; miracula 249.
» fr. de Giffono generalis et cardinalis 346 529.
» fr. de Monte Polizano singularissimus scientia et virtute 520.
» fr. curatur a b. Gerardo de Valentia 299.
Leopardus curatur a fr. Gratiano 278.
Leprosis servit S. Franciscus 141 562.

Liberatus fr. B. de Lauro iacet Brofortii, eius vita et visiones 280-281.
» fr. de Macerata obiit S. Angeli de Vena 280 nota 2.
Liber Concordantiarum fr. Arlotti de Prato 518.
» Crucis 497.
» De via in sapientiam perveniendi 317.
» De proprietatibus rerum 545.
» Mamotrectus 523.
Libri quid de ipsis b. Franciscus sentiebat 285 559 sq.
» scripti a fratribus Minor. 591.
Librorum excessus ducit ad inferos 447.
Limina apostolorum Romae S. Franciscus visitavit 5 138.
Litteras nescientes fratres non discant 377.
Livonia (Lituania) quinque ff. Minores ibi martyrizati 335.
Lombardia evangelizatur a S. Antonio de Padua 268; fratres ad eam mittuntur 498.
Lotharius rex Galliae assumit habitum Minorum 347.
Lucas fr. socius sancti Antonii 274 340 525; eius scripta 274
Lucensis sanctus de Podio Bonitio tertiarius 361.
Lucia de Venetiis de tertio ordine 361.
Lucidus fr. antiquior de Marchia apparet cum aliis sanctis b. Ioanni de Alverna 256; a Spiritu S. edoctus 283; mirabilis sanctitate et miraculis 515; maximae solitudinis 618.
Luciferi sedem b. Franciscus in caelo occupat 14 21.
Luculfus (Ludolfus) fr. iacet in Madeburch 327 552.
Ludovicus fr. de Venetiis cardinalis 346.
Ludovicus fr. S. ep. Vita 309-317; lavat Senis paropsides 518; praedicat in Monte Pessulano 540; colitur a B. Gerardo 299; apparet cum S. Franc. 448; patrat miracula in pluribus locis 299 504 525 539 540.
» S. rex, frater Caroli I 309; visitat B. Aegidium 210; dat partem coronae spineae fr. Mansueto 519.
» rex Hungariae vocat fratres in Bulgariam 335; amat ordinem 348.
» rex Siciliae moritur 291.
Lupus mansuefactus a S. Franc. 474-476; per ipsum arcentur a Greccio 478.
Lyzardus sanatur a B. Philippo de Aqueriis 292.

M

Macarii dialogus in latinum versus a fr. Angelo Clareno 340 513.
Magister in theologia voto se obstrinxit ord. Min. ingrediendi 431.
» in theologia ordinem vult deserere et ei apparet Christus 434.
» de Alemania loquitur cum beato Francisco 455.
» theologiae consulit b. Franciscum 518; *V.* Senis.
Magistri Parisienses approbant Summam Alexandri de Halis 336.
» plures in theologia ex ordine 340; intrant in ordinem 501.
» de provincia Franciae 545.
Maguntiae fuit canonicus fr. Ioannes 326.
Maieriae duo loca 557.
Maioricarum domus habuit fratres Minores 349.
Malaspina ord. Minor. per matrem oblatus 523.
Maledictio b. Francisci 588.
Mamotrectus liber, cuius auctor de Regio 523.
Manfredus rex Siculorum filius Friderici II 310 439. 557.
Mansi sanatur a fr. Gerardo de Valentia 299.
Mansuetus fr. a S. Ludovico accipit partem coronae spin. Domini 519.
Mantellum datum a b. Francisco cuidam vetulae 144; recipit Franciscus ab episcopo 465; servatur in monasterio de Monticellis Florentiae 356.
Marchio de Lupis de Parma sanatur a b. Helena de Padua 359.
Marcus Corneyo, dux Venetiarum 275; transfert corpus fr. Gentilis 525.
» fr. de Viterbio minister generalis 305; cardinalis 346 515.
» fr. laicus sanctitate conspicuus iacet Cornecloni 274 525.
Margarita S. de Cortona de tertio ordine 361.
» sanatur a fr. Philippo de Aqueriis 292.
» sanatur a fr. Adam Rufo 293.
Maria sanatur a fr. Adam Rufo 293.
» sanatur a fr. Ottone 303.
» mater S. Ludovici episcopi 309.
Maria Virgo apparet fr. Ioanni de Alverna 256.
Marquardus fr. iacet Vranzlaviae 329 555.
Marrochium 264 322; illuc pergit b. Franciscus 480; martyres 264.
Marseda sanatur a fr. Martino 282.
Martinus fr. de sancto Georgio generalis ordinis 527.
» fr. (vel Matthaeus) clarus signis iacet Fulginei 510.
» fr. de provincia Marchiae sanctus et miraculis clarus 283 515.
» sanatur a fr. Ottone 303.
» papa sepulturam elegit in ecclesia b. Francisci 343; sepultus cum habitu ordinis 343 455; facit conventum Montis Lucidi 505.
Martyres primorum saeculorum 77.
» ex ord. Minorum 363.
» Aegypti 304.
» in Armalech 334.
» in Bidinio 556.
» Ceptae 296.
» in Cereth Walachiae minoris 335 556.
» Damasci 305.

*

Martyres in Livonia quinque 335 556.
» Marrochii 332.
» in Terra Sancta 534.
» Valentiae *V.* Valentiae.
Martyrium ter ultra mare quaesivit S. Franciscus 39.
Massaeus Marignani fr. Vita 193-197; mittitur ad fr. Silvestrum et S. Claram 73 187 355 466; mittitur ad fr. Rufinum 199; et ad fr. Riccerium 284; vadit ad praedicandum cum S. Franc. 73 498; ipsi commendat S. Franc. paupertatem 608; ipsius aspectus gratiosus laudatur a S. Franc. 618; iacet Assisii 504.
» plebanus factus fr. Minor 276 280 513.
Mater S. Francisci plura praenuntiat de filio 57; recipit ab ipso responsum 581.
Matthaeus Bartholi magister fidem facit de miraculis B. Odorici 274.
» de Fogia sanatur a fr. Iacobo de Assisio 295.
» de Marsalia sanatur a fr. Gerardo de Valenlentia 301.
» fr. de Aquasparta generalis, doctor in theologia 338; cardinalis 345 510.
» fr. de Faventia miraculis clarus iacet Bononiae 263 521 522 524.
» fr. de Fulgineo clarus miraculis 242.
» fr. de Monte Rubiano apparet B. Ioanni de Alv. 256; ab ipso videtur inter choros angelorum 283; consolatur fr. Ioannem a Penna 288; signis clarus 515.
» fr. de Narnio iacet Narnii 242 510.
» fr. claruit signis et iacet in Negroponte 303 533.
» iudex Serviensis sanatur a fr. Adam Rufo 293.
Mea de Senis de tertio ordine 361.
Medicus suadet S. Francisco ut abstineat a lacrymis 584 630; curat igne S. Franc. 59.
Medicus de Spoleto sanatur a fr. Antonio de Tegrinis et fit tertiarius 241.
Meditationes super Evangelia fr. Ioannis de Caulibus 519.
Melcasa soldanus Aegypti 304.
Melfia silva de, ibi locus fratrum 293.
Michael archangelus, devotio b. Francisci ad ipsum 20; loquitur ad fr. Petrum de Monticulo 276 277.
» fr. Albanensis clarus prodigiis iacet Chersi 303 528.
» fr. audit confessionem fr. Stephani de Hungaria 333.
» fr. de Cesena, generalis ordinis 332 339 524.
» fr. iacet Viennae 306 541.
Michelina de Pensauro (Pesaro) de tertio ordine 361.
Miles S. Franciscus pergit in Apuliam 157.
» de Brixia decapitandus in tuto collocatur a S. Antonio 273.
Millestorcae ubi plura loca 557.
Minister Antiochiae et Romaniae dat habitum ordinis regi Ioanni de Ierusalem 347.
» Marchiae peccans contra regulam punitur 449.
» Siciliae dat habitum Minorum Federico II regi Trinacriae 348.
Ministri provinciae S. Iacobi induunt habitu Minorum tres reges Portugalliae 348.
» eorum officium 375 406 420 423.
» generales, eorum officium et iura 416 417.
Minores ffr. quare sic vocantur 381; quid hoc nomine venit 382.
» Minorum ordo *V.* Ordo.
Minus fr. Altimanni minister Tusciae habuit apparitionem pueri Iesu 261 518 520.
Miracula S. Franc. Alexandriae 527; Alviani 474; in Aquitania 539; Cisternae 509; Corneti 515; Eugubii 474; Ilerdae 536; Meranii 474; Narbonae 540; Narnii 476; Nuceriae 510; Ortae 476 515; Reati 591; Salmanticae 534; S. Donnini 523; S. Geminiani 510; Senis 518; Trabe Bonantis 512; Tuscanellae 477 515.
Missa de Angelis in Monte Alvernae 519.
» de Apostolis auditur a S. Fr. 370 464.
Missale aperuit b. Franciscus 180.
Missio Tunitii 499.
» Marrochii 499.
» fratrum anno nono ab inceptione religionis 500.
Missionarii in Aegypto 274.
Monachi de Antiochia fiunt fratres Minores 344; in Ambidon iustitia divina puniuntur 330.
Monachus niger venit miraculose ad ord. Minor. 429; alter ex visione habita fit frater Minor 444.
Monaldus fr. iacet Arelati 317 539.
» fr. martyr in Arzenga 332.
» fr. auctor Summae 303 341 528.
Monasteria monacharum 424.
» Sororum in Alamania 358.
Monasterium Ord. S. Clarae de Arcello (Celle) aedificatur a S. Fr. 358; ibi moritur S. Ant. 271 358; ibi iacet B. Helena 359.
» de Buda 360.
» de Campolongo (Longchamps) 360.
» de Campo regio (Königsfelden) 360 362.
» de Messana 360.
» de Monte Sancto 235.
» de Monticelli prope Florentiam 356.
» de Neapoli 291 360.
» de Parisiis 360.
» de Perusio 243.
» de Petris Albis 360.
» de Praga 360.
» quatuor Coronatorum prope Romam, ubi degit B. Aegidius 207.
» de Ripa 293.
Monitiones regulae 423.
Monopolis civitas 272.
Mons Alvernae *V.* Alverna 291.
» Ethneus; ibi in eremitorio moratur B. Gerardus de Valentia 298.
» Fontis Columbae iuxta Reatem 263; ibi S. Fr. scribit regulam 371.

Montana Nigra, ubi monachi fiunt fr. Min. 452 483.
Monte Feltro praedicat S. Franc. 479.
Monte Poliziano, ibi natus fr. Ioannes Martinozi martyr 304.
Moricus de ordine Crucifer. factus fr. Min. 59; socius S. Franc. 177 250 494; ubi iaceat, nescit Pisanus 243.
Mortui a S. Franc. suscitati 112; puerum suscitat S. Franc. 483.
Mulieres vitabat S. Franciscus 38; ad turpia ipsum invitant 477 482; per mulierem admonet virum 591.
Mures, in specie murium tentat diabolus S. Franc. 162.
Murmuratio peccatum fratrum 438.
Musca fr. quem appellavit S. Franc. 589 618.
Muscas denarios S. Franc. vocavit 588.
Mutuare an sit fratribus Minoribus licitum 405.

N

Narnii iacet fr. Matthaeus 242 510; patrat miracula b. Franciscus 476.
Nativitas D. N. I. C. quomodo S. Franciscus volebat illam celebrare 251; festum in Grechio 8 516.
Nemore locus de, ubi fuit S. Franc. et S. Bonav. 518.
Nicolaus III de regula Minor. 378 425; confirmat ipsam 378; circa eius observantiam 383-384; creat cardinales ex ord. Minor. 345.
» IV approbat regulam tertii ordinis 362; concedit fr. Ioanni de Parma facultatem eundi ad infideles 276.
» fr. de Assisio iacet in loco de Perusio 202 234 504.
» fr. de Assisio narrat mirabilia de ortu b. Francisci 108 109.
Nicolaus fr. iacet Bononiae 262 521.
» fr. de Gadfordia provinciae Hiberniae 332 547.
» fr. Hungarus martyr 335.
» fr. de Lyra scriptor 340 544.
» fr. de Marchia martyr 335.
» fr. S. martyr Marrochii 296.
» fr. Mutio scriptor 525.
» fr. de « Pater noster » iacet Mevanii 243 510.
» fr. iacet Nussiae 325 548.
» nobilis fr. Iuniperum non bene tractat 245; male finivit 439.
» sanatur a fr. Gerardo de Valentia 301.
Nicolutius de Senis de tertio ordine 361.
Nobiles de tertio Ordine 361.
» multae accipiunt habitum S. Clarae 357-358.
» multi induunt habitum b. Francisci 349.
Nobilis factus frater Minor habet visionem de S. Francisco 58.
» de Marchia offert voto filium ord. Minor. 431.
Notarius lubricus recipit martyrium Ierosolymis 269.
Novitio ex ordine egredienti apparet Christus 432.
Novitius Parisius egredi vult ex ordine 432 sq.
» tentatus de ordine exire 435.
Nuces portavit b. Aegidius 206.
Nunus *V.* Minus fr. Altimanni.
Nursiae iacent fratres sancti 243 511.

O

Obedientia b. Francisci guardianum postulat 144; eius doctrina de obedientia 604.
Odo Rigaldus fr. Archiepiscopus 337; *v.* Rigaldus.
Odoricus (alias Theodoricus) fr. Saxo iacet in loco de Misena 551 (327).
» fr. de Utino celebris missionarius inter infideles 274 525.
Officium divinum, quando libris fratres carebant, ante Crucifixum meditabantur 81.
» Passionis compositum a S. Franc. 354.
» Passionis compositum a B. Ioanne de Parma 337.
» S. Stigmatum compositum a fr. Gerardo Oddonis 339.
Ogerus fr. de Saxonia iacet Andernaci 549 (326).
Oleum quaerit b. Franciscus pro lampade ecclesiae S. Damiani 144; s. Clara miraculose auxit 353.
Oratio S. Francisci 37; eius doctrina de oratione 588 599.
Ordo Cruciferorum, cuius fuit fr. Moricus 250.
» Minorum a Christo prophetatus 41; visio S. Francisci 190; singularis ex nobilitate et dignitate 347 350; numerosus 350 351; doctoribus decoratus 341; Deo acceptus (revelatio) 427 438 563; durabit usque ad finem 350 435.
» Fratrum de Poenitentia fundatus 177; ad castrum Cannarium 467; commendatur sanctitate, nobilitate, numero 360-362.
Ordo Praedicatorum praedictus ab abbate Ioachim 53; frater a poenis purgatorii liberatur meritis b. Aegidii 213.
» Sororum Pauperum quando institutus 177 351; multitudine sororum commendatus 360.
Orlandus de Clusio donat b. Francisco montem Alvernae 479.
» sanatur a fr. Gerardo de Valentia 301.
Orte civitas, ubi patrat miracula S. Franciscus 476.
Ortolana (soror) mater S. Clarae et Agnetis 357; soror efficitur 352.

Otherchus (Ottocarus) rex Boemiae pater S. Agnetis de Boemia 357.

Otto fr. de Halberstadio 328 552.
» fr. de provincia Sclavoniae 303 528.

Ottonus fr. sanctus martyr Marrochii fidem praedicavit 322.

P

Pacificus fr. germanus fr. Humilis iacet Suffiani 281 515.
» fr. rex versuum minister Franciae 285 479 501; visio de S. Franc. 5 6 14 36 57 143 144 479; experitur humilitatem S. Franc. 586.
Padua civitas a b. Antonio decorata 271; fuit ibi lector 268.
Padum flumen S. Francisco in nocte illuminatur 38 479.
Palma crevit miraculose 252.
Panzo monasterium de, ibi moratur S. Clara 352.
Pariete de, ubi daemones fecerunt capitulum 162 445.
Parisius de Sancta Sophia curatur a fr. Adam Rufo 293.
» fr. testis miraculorum S. Antonii 272.
Parma, quidam sanctus de, 252.
Pasca puella curatur a fr. Adamo Rufo 293.
Paschalis fr. de Hispania martyr 334 557.
Passio Christi, ad eius meditationem b. Franciscus inducebat 111; eam ipse plangebat 37.
Pastor fr. magister et cardinalis 338 346 541.
Pater noster pro infractione silentii 386; per dimidium Pater noster sustineri non potest diabolus 162.
Patriarchatus Aquilegiensis, ibi canonizatus B. Odoricus 274.
Paulus curatur a fr. Philippo de Aqueriis 292.
» fr. iacet Arquatae 243 511.
» fr. de provincia Marchiae sanctus frater 282 515.
Pax fr. Theatinus iacet Cassiae 243 511.
Pecorella fr. vocabatur fr. Leo 188 190.
Pecunia contemnebatur a fratribus Minoribus 386 497; ipsam spernit S. Franc. 146.

Peregrinus de Fallerono fr. Vita 283 et 284; studet Bononiae 478 514.
Perusii incarceratur S. Franc. 117 160 580; recipit indulgentiam Portiunc. 193; iacet B. Aegidius 205; et alii sancti fratres 234; praedicavit S. Franc. 473.
Petrus de Antiochia cancellarius regni Siciliae veneratur fr. Gerardum 300.
» Bernardonis, pater b. Franc. filium insectatur 120 121 122.
» de Collemedio cardinalis 188.
» fr. de Aquila doctor 339 530.
» fr. de Archagnano inquisitor et martyr 302 526.
» fr. de Assisio vocatus ad ordinem 453.
» fr. Aureoli magister theologia 338 544; archiepiscopus 539.
» fr. minister provinciae Calabriae 296 532.
» fr. de Cansano generalis ordinis 517 530.
» fr. Cathanii Vita 203 204; canon. ecclesiae cath. Assis. 472; intrat in ordinem 180; pergit Romam cum S. Franc. 193; socius fr. Bernardi in praedic. 433; vicarius S. Franc. 144 148 178 587 608; iacet Portiunculae 504.
» fr. iacet in custodia Brabantiae 325 549.
» fr. de Castro Sancti Henrici, cui apparet S. Franciscus 433.
» fr. Casuel de Anglia doctor 341.
» fr. de Fuso cardinalis 539 nota *b*.
» fr. de Gallitio (Galiculo) 235 510.
» fr. Ioannis doctor 339 340 540 541.
» fr. de Lavechia per S Franc. recepit visum limpidum 478.

Petrus fr. S. Martyr Marrochii 322.
» fr. de Monterone scripsit vitam B. Petri Pectinarii 361 not. 6.
» fr. de Monte Ulmi vel Ulmonis eius miracula 279 514 sq.
» fr. de Monticulo sanctus, Vita 276 277; amicus B. Conradi de Offida 233; iacet Siroli 513.
» fr. iacet in Nigroponte 303 533.
» fr. Pectinarius de tertio ordine 261 361 518.
» fr. de Podio iacet in loco Interamnae 240 510.
» fr. de Provincia martyr 334 557.
» fr. de Senis martyr 333.
» fr. de Theukesbury minister Alemaniae et Angliae 325 nota 5.
» fr. iacet in loco Trani 294 531.
» fr. martyr Valentiae in Burgundia 307 524.
» fr. martyr Valentiae in Hispania 324 537.
» rex Aragonum capit insulam Siciliae 310.
» regis Aragonum filius cum habitu sepultus Caesaraugustae 349 537.
» regis Aragonum uxor accipit habitum s. Clarae 359.
» regis Iacobi Aragonum filius intrat in ordinem 349 431.
» rex Cypri cepit Alexandriam 305.
» rex Portugalliae mortuus cum habitu Minor. 348 535.
» rex Trinacriae filias duas habuit in ordine S. Clarae 360.
» sanatur a fr. Ottone 303.
Petrus et Paulus (SS.) apparent Romae S. Francisco 20 196.
Philippi hortus Mediolani ubi conv. fratr. Minor. constructus est 526.

Philippus fr. de Aqueriis sanctus 290-292.
» campsor curatur a fr. Iacobo de Assisio 295.
» fr. Longus socius S. Franc. tactus ab angelo calculo ignito 178 243; visitator Sororum 243 505.
» fr. filius regis Maioricarum 349.
» fr. de provincia Marchiae 286.
» fr. de Monte Calerio, eius scripta 341 527.
» (Philippinus) fr. laicus iacet in Monte Ilcino 261 520.
» fr. de Perusio scripsit de protectoribus ordinis 343.
» curatur a fr. Philippo de Aqueriis 292.
» magister curatur a fr. Adam Rufo 293.
» Pulcher rex Franciae 359.
Physionomia S. Franc. 468.
Pica mater S. Franc. multa de filio audit a peregrino 59; laetatur de ortu S. Franc. 98.
Piperni mulier non vult panem dare fratribus 516.
Pisae colitur fr. Gerardus de Valentia 301; incolae invocant S. Claram 356.
Piscibus praedicat S. Antonius 268.
Podii miracula patrat S. Antonius 267.
Poenae contra fratres regulam non servantes 440.
Poenitentiales viri fratres Minores vocabantur 465.
Polycarpus diaconus de S. Francisco prophetavit 44.
Pontius Carbonelli magister S. Ludovici episcopi 310 324 340 536.
Portiunculae indulgentia 193 196 204 584; fratres sancti 203-204; miraculum operatur fr. Leo 192; accedit magister de Alamannia 455.
Portugalliae reges sepulti in habitu Minor. 348.
Praebendati ante divinum iudicium 438.
Praecursor S. Francisci 465.
Praedicatio S. Franc. qualis 464-564; quid dicit regula 419 420; S. Franc. dubitat utrum debeat praedicare 73 355 465; praedicat in multis locis 471-480; praedicat infidelibus 56 486-483; praedicat avibus 196.
Praedicator tentatus de virginitate b. Mariae 210.
Praelaturas noluit b. Francisc. pro fratribus suis 111.
Praepositus Montis Vici fratres Min. insequitur 438.
Prior Sancti Ioannis de Platea 250.
Promissiones factae S. Francisco pro ord. suo 435.
Prophetia de S. Franc. 33-60 74 350; de ord. Min. 45-54 436 493 495; spiritum prophetiae habuit S. Franc. 37.
Proprietas, ipsam odit S. Franc. 148.
Protector ordinis Gregorius IX 342.

Provincia:
Angliae 329 545; visio fratris 447.
Apuliae 293 531.
Aquitaniae 308 537.
Aragoniae 313 324 536; frater damnatus 446 sq.
Argentinae sive Alemaniae Superioris 326 550.
Austriae 329 552.

Provincia:
Boemiae 329 553.
Bononiae 262 521.
Burgundiae 305 541.
S. Francisci 178 503.
Calabriae 296 532.
Castellae 304 535.
Coloniae 325 548.
Daciae 329 548.
Franciae 308 543.
Hiberniae 329 332 547.
Ianuae 289 440 526.
Marchiae 256 258 275 333 340 429 449 511.
Mediolani 302 526.
Paduae sive B. Antonii 264 524.
Pennensis sive S. Bernardini 289 530.
Provinciae 286 sq. 290 309 317 379 539.
Romana 245 305 515 517 523.
Romaniae 303 533.
Sancti Angeli 295 531.
Sancti Iacobi 304 321 339 348 534.
Saxoniae 325 551.
Sclavoniae 302 528.
Siciliae 297 532 448.
Terrae Laboris 290 528.
Terrae Sanctae 304 533.
Turoniae 307 542.
Tusciae 252 304 341 517 449.
Ungariae 324 554.

Prunae, super ipsas iacet S. Franc. 477.
Puer Iesus apparet duobus fratribus 518 520.
Puer mortuus resuscitatur a S. Franc. 483; a fr. Hervaeo 323.
Pueri Florentini perducuntur ad velum S. Clarae 357.
Purgatorium visitat S. Franc. in die natalitio 22 39 452; omnes animas ex ipso liberavit B. Aegidius 213 452.

Q

Quadragesimae B. Ioannis Alv. 255; Epiphaniae 394; S. Franc. in Fonte Columbae 516; in insula laci Perusini 505.
Quadragesimale S. Antonii 269; fr. Henrici de Iardino 526; fr. Iacobi de Trisanto 518; fr. Francisci de Abbate 527.
Quatuor capellae, ecclesia prope Tudertum 163.
» Deus pro suo ordine S. Francisco promisit 190 436.

R

Raymundus fr. confessor fr. Rogerii de provincia Provinciae 318 319.
Raymundus fr. Gaufredi min. gen., 440 541.
» fr. de Provincia martyr in Tartaria 334 557.
Raymundus fr. martyr Tholosae 308.

Raymundus frater S. Ludovici episcopi 312.
Raynaldus sanctus frater 251 515.
Raynerius fr. laicus plura facit miracula 242 505.
» fr. de Picholonibus minister Romae defendit novitium 456.
Redditus annuos an possint fratres recipere 411.
Regina Castellae, uxor regis Henrici 321.
» Legionis filia precibus S. Antonii suscitata 272.
» plures Hungariae fuerunt de tertio ordine 362.
Regnum Castellae 348 349.
» Cypri 348.
» Hungariae 310 313.
» Ierusalem 310 313.
» Siciliae 310 313.
Regula facta in Fonte Columbae per b. Franciscum 516.
Religio Minorum similis piscatori 583; sub Christi tutela 428. *V.* Minores.
Reparatio ecclesiarum a B. Francisco 5 7 35 176.
Resuscitatio mortuorum a b. Francisco 40; *v.* Mortui.
Revelationes B. Helenae de Padua 359.
» factae fr. Leoni 191; S. Franc. 39 73.
Rex Aragonum 313.
Riccerius fr. de Muccia receptus a b. Francisco 283 284; liberatus a magna tentatione 284; loquitur cum b. Francisco de intentione regulae 285; conversus praedicatione b. Francisci 478; frater spiritualis 515.
Richardus fr. episcopus Armalech martyr in Tartaria 363 557.
» fr. de Mediavilla magister 339.
» fr. iacet Calatagironae 297 533.
Rigaldus fr. iacet Aureliaci 308 538.
» fr. archiepiscopus Rothomagensis regulam explicavit cum aliis 337 379 544.
Robertus fr. de Bascia doctor in sacra pagina 337; explicat regulam 379.
» fr. Bachon Anglicus scriptor 341 (cfr. nota 5); in omnibus scientiis expertissimus 547.
» (Rodulfus) fr. Elifath magister 339 547.
» rex Siciliae petit confessorem fr. Philippum 291; amor erga fr. Min. 347 529; ad ipsum fr. Binatus opera direxit 527.
Rodericus fr. Rabicii iacet in Monte Valdcaro 321 535.
Rodulfus (Radulfus) fr. de Colebruge magister 339.
» episcopus Erfordiensis fit fr. Min. 20 330 344 429 521.
» fr. iacet Rodoniis 307 542.
Rodulfus fr. Rodimpton magnus inter doctos 339 547.
» rex Romanorum filiam posuit in ordine S. Clarae 359.
Rogerius episcopus Frequentinus consanguineus fr. Ioannis de Avellino 240.
» fr. Bachon doctissimus 339. *V.* Robertus.
» fr. Conoc magister 547.
» fr. de provincia Provinciae iacet in conventu Useciae 317-320 540 541.
» fr. sanctus iacet Tuderti 235 510 618.
Rolandinus fr. de Florentia 261.
Romae iacent sancti fratres 245 515; pluries praedicavit S. Franc. 476; visitat limina apostolorum 138.
Rosa S. de Viterbio 361.
» puella invocat fr. Paulum 282.
Rostagnus monachus monetur de translatione fr. Gismundi 293.
Rufinus fr. de Assisio. Vita 197-202; moratur cum B. Aegidio 248; auctor legendae 193 514; semper orabat 618; infirmatur in loco de Portiuncula 186; audivit a S. Franc. de futuro tempore ordinis 436; sepultus Assisii 504; canonizatus in caelo 178.

S

Sabatinus socius S. Francisci 177 515 494; iacet Aracaeli 248.
Sacerdos lascivus receptus ad ord. Min. 430.
Salmastra civitas Persiae 332; iacet sanctus frater martyr miraculis gloriosus 557.
Salome (soror) eius miracula ante et post mortem 358.
Salutatio « Dominus det tibi pacem » 465 589; « Pax et bonum » 465.
Samuel fr. S. martyr in Cepta 296.
Sancia regina Siciliae vocat confessorem fr. Philippum de Aqueriis 291; fundat monast. S. Clarae 360; induit habitum S. Clarae 291 359.
Sancius rex sumit habitum Min. 348 440 535.
Sanctimonialis quaedam sanatur a ffr. Petro et Cathalano martyribus 307.
Sanctum Angelum visitavit b. Aegidius 206.
» Iacobum de Galleeia visitavit S. Franciscus 5 182 503; adiit B. Aegidius 206.
» Nicolaum de Bari visitavit beatus Aegidius 206.
Sanctus fr. laicus coruscat miraculis et iacet Scotaneti 282 514.
Sandalia permittuntur fratribus 374 395.
Saraceni deducti in Italiam per Frid. II 77; affligunt S. Franc. 121 160; ipsis praedicat S. Franc. 44 480; ffr. martyres inter ipsos 302 304; Saracenus offert fratribus pecuniam 386 500.
Saray civitas 333 557.
Sarteani S. Franciscus vicit diabolum 8 35.
Scholares Parisius intrant in ordinem 430 431.
Sclavoniam visitat b. Franciscus 480.
Scotellus *V.* Petrus de Aquila.
Scotus doctor Subtilis 337 547; ipsius magister Gulielmus de Ware 546.
Sedulitas beati Francisci 3 4.

Segrianus fr. sanctus miraculis clarus iacet Ilerdae 324.
Senis explicat S. Franc. dubia scripturae 39 59 110 591; ibi praedicat S. Franc. 194 499; praedicat B. Ioannes Alv. 256; fratres sancti 261 518.
Sensus fr. sanctus 235 504.
Sententiarum libri declarati a fratribus Min. 336-340.
Sepulchrum Domini visitat b. Aegidius 206.
Seraphicus quare est vocatus S. Franciscus 14.
Sermones dominicales fr. Lucae 274.
» fr. Iacobi de Trisanto 518.
Serpens e bursa a fratre inventa egreditur 161.
Servasan fr. edidit Summam 341.
Servusdei fr. de Urbino sanctus 276 513.
Severinus fr. sanctus iacet in Urbe Veteri 254.
Sibilia *V.* Hyspalis.
Sibylla prophetavit de S. Franc. 43.
Sicilia, ibi fratres sancti 297-301; rex Fernandus fit fr. Minor 348.
Sigismundus (Gismundus) fr. sanctus iacet Melfiae 293 531.
Silvester fr. socius S. Franc. 187; visio de S. Franc. 43 57 80; accipit responsum de praedic. S. Franc. 73 355 466; loquebatur familiariter cum Deo 178; iacet Assisii 504.
Simon (Symon) fr. de Assisio 240; quid faciebat in carnis tentatione 248.
» fr. Aymonis iacet Messanae 297 532.
» fr. de Campo Regali 240 510.
» fr. de Collazono 240 510.
» fr. de Corsciano 240 510.
» fr. iacet in Madeburch 327 552.
» fr. iacet Pictaviae 307 542.
Sinai mons, ipsum adit B. Gentilis 275.
Socii primi S. Franc. 177 362.
Soldanerius fr. sanctus iacet Viterbii 251 515.
Soldanus Aegypti eiusque conversio, 40 60 112 560; accedit ad ipsum fr. Illuminatus 245; offert munera S. Franc. 386.
Sorores Minorissae 347 349.
» S. Petronillae de Senis 450.
Spinae, inter ipsas volutatur S. Franc. 163.
Spoleti civitas, advenit S. Franc. 157; moratur B. Aegidius 212; ibi canonizatur S. Antonius 271.
Steincal civitas patria fr. Ioannis 326.
Stephanus fr. liberatur a furore orationibus S. Clarae 354.
» fr. martyr in Saray 333 555 557.
» fr. martyr Tolosae 345 537.
» fr. iacet in Thauro 321.
» rex Hungariae 309.
Stigmata S. Franc. 39 56 74 189 256 263.
Storiis cella de, ibi habitat S. Franc. 162.
Subasii mons, moratur ibi B. Rufinus 198; B. Silvester 466.
Subpontoniae morantur fratres 453.
Summa Alexandri de Halis 309 336.
» Astesani 340 527.
» Durandi 545.
» Ioannis Guallensis 337 340.
» Ioannis Saxo 340.
» Iohannina 341.
» fratris de Mari 527.
» Monaldina 303 528.
» Servasan 341.
Syriam vult adire b. Franciscus 480; visitat B. Aegidius 206; fr. Iacobus custos Syriae 304.

T

Talia recipit lumen oculorum intercessione fr. Martini 283.
Tana (Bombay), ibi passi sunt martyrium quatuor fratres Min. 332.
Tartaria, ibi martyres ex ordine Minor. 334; labores fratrum 557.
Temptialbene fr. agit miracula 240 510.
Tertericus fr. minister prov. Argentinae 326 550.
Thaddaeus Cursi filium vovet ordini 432.
Thalfina B., (Delphina) coniux S. Elzearii 291.
Thau litteram dilexit S. Franc. 35 41.
Thauri iacet sanctus frater 321.
Theobaldus fr. de Assisio 249; eius miracula in flumine Tiberis 249.
» fr. iacet Spoleti 241 510.
Theobaldus intercessione fr. Martini sanatur 283.
Theodoricus fr. iacet Andrenaci 326 549.
» (alias Odoricus) fr. Saxo 327 551.
Theotonia primi fratres Minores 327.
» visio S. Francisci de venientibus inde ad ordinem 350.
Tholosanus episcopatus 346.
Thomas de Aquino correctus a fr. Gulielmo de Lamarra 337.
» fr. de Bononia generalis ordinis et cardinalis 305 523.
» fr. de Celano scripsit legendam et prosam de mortuis 530.
» fr. Eccleston, eius relatio de adventu Minor. in Angliam 331 not. 1.
Thomas fr. iacet Eugubii 241 510.
» fr. de Ferignano magister in theologia 523; cardinalis 346.
» fr. de Fulgineo martyr 335.
» fr. Hibernicus noluit fieri sacerdos 290 530.
» fr. de Papia 253.
» fr. de Tolentino martyr 332.
» iudex curatur intercessione fr. Philippi de Aqueriis 292.
Thomasina de Urbino sanatur a fr. Martino 282 sq.
Tobias fr. iacet Proceni 251 362 516.
Toletum, ibi in cathedrali sepultus cum habitu Minor. rex Fernandus 348.
Tomasa de tertio ordine sanata intercessione fr. Philippi de Aqueriis 292.

Tractatus *Transfige* 341.
Transfiguratio b. Francisci 472.
Trinacriae regina Elisabeth 299.
Tugurium prope Assisium in quo cum sociis vixit b. Franciscus 465.
Tunicas plures non habuit S. Franciscus 148; dedit unam fratri Rufino 148.
Tunitium missio ad 207.
Tusculanus cardinalis 207.

U

V. sub Ilu.
Ubertinus fr. de Casali 440 541.
Udo fr. iacet in Huxaria 327 550.
Ugo fr. de Castronovo scriptor 544.
» fr. de Digna iacet Marsiliae 317; eius scientia et opera 317 341 379 539 540.
Ugolinus fr. S. martyr Marrochii 296.
Ulixbona civitas, ex eo oriundus b. Antonius 264; miraculum in defensione patris ipsius 269 sq.
Umbraida Guersii ubi passus martyrium fr. Petrus 302.
Ungaria, ibi fratres sancti 324; reges ordini devoti 348.
Urbanus V creat cardinales ex ord. Min. 346; ad ord. Min. parum affectus 438.
» VI creat cardinales ex ord. Min. 346.

V

Valdeari mons 321 535.
Valentiae in Burgundia duo fratres martyres 307 542.
» in Hispania duo fratres martyres 324 537.
Valentinus fr. de Narnia iacet Assisii 202 504.
Velum Sanctae Clarae servatur Florentiae 356.
Venantius fr. laicus 308.
Ventura fr. laicus 234 504.
Verdiana de Perusio sanata a fr. Adamo Rufo 293.
Vicaria Aquilonaris 332 557.
» Bosnae 335 555.
» Corsicae 558.
Vicaria Orientis 332 556.
» Russiae 335 556.
» Sardiniae 558.
» Tartariae 334 557.
Vicedominus Placentinus cardinalis assumpsit habitum ordinis 344 345.
Vicus Pisanus, ubi moratur S. Franc. 517.
Villafranca in Hungaria, ubi iacet fr. Ioannes minister Hungariae 324.
» in Hispania iacet quidam sanctus frater 321.
Viola sanatur a fr. Bernardo de Quintavalle 184.
Virgo Maria b. Francisco apparuit et puerum Iesum deosculandum praebuit 8.
Visio de S. Franc. 58 263. *V.* Pacificus.
Visiones S. Franc. 80 157 371 434.
Voerbia (Wilna) martyres ex ord. Min. 335.
Voyslaus fr. martyr 327.
Vitalis fr. de Furno cardinalis 345 539; doctor in theologia, scriptor 338.
» fr. missionarius in Marrochium missus 322 499.

W

Walachia minor, martyres ex ord. Min. 335.
Wenceslaus rex Boemiae 358 360.
Wilna, ibi plures martyres 335.

Y

Yveria, ibi duo loca fratrum Min. 557.

Z

Zantesa laudat S. Franc. 96 452 524.

Analecta Franciscana.